CODICIS IURIS CANONICI FONTES

CURA ET STUDIO

EMI IUSTINIANI CARD. SERÉDI

EDITI

VOLUMEN VII

CURIA ROMANA

S. C. DE PROP. FIDE - S. C. INDULG.
S. C. INDICIS - S. R. C. - A. 1588-1790

N. 4428-5822

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXXV

Codicis Iuris Canonici Fontium sex voluminibus publicatis, cum maximo disciplinarum iuridicarum detrimento vivis ereptus est Eñus Petrus Card. Gasparri, cuius cura eadem edita erant.

Hoc iam septimum eorundem Fontium volumen publici iuris fit cura et studio infrascripti Cardinalis, cuius studio memorata quoque sex volumina prodierant.

Romae, die 29 iunii 1935.

IUSTINIANUS Card. SERÉDI
Princeps Primas Hungariae
Archiep. Strigonien.

ELENCHUS OPERUM

AD QUAE PRO REPERIENDIS FONTIBUS IN HOC VOLUMINE RELATIS VIRI STUDIOSI REMITTUNTUR

Bullarum Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum Amplissima Collectio, opera et studio Caroli Cocquelines, Romae (1739-1744). Sumptibus Hieronymi Mainardi.

Bullarii Romani Continuatio, Romae (1835-1858). Typographia Rev. Camerae Apostolicae.

Benedicti Papae XIV, *Bullarium*, Romae (1746-1757). Typis S. C. de Prop. Fide.

Acta Gregorii Papae XVI, Romae (1901-1904). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Pii IX Pontificis Maximi *Acta*, Pars prima, Romae (1854, sq.). Typographia Bonarum Artium. Typographia Vaticana.

Leonis XIII Pontificis Maximi *Acta*, Romae (1881-1905). Ex Typographia Vaticana.

Acta Sanctae Sedis, Romae (1865, sq.).

Acta Apostolicae Sedis, Romae (1909, sq.). Typis Polyglottis Vaticanis.

Analecta Ecclesiastica, Romae (1893, sq.). Tip. Editrice Romana.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1893). Ex Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1907). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Decreta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, edita iussu et auctoritate SS. D. N. Leonis PP. XIII, Ratisbonae, etc. (1883). Pustet.

Decreta Authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, Romae (1898-1926). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide. Typis Polyglottis Vaticanis.

F. Lucii Ferraris, Bibliotheca canonica iuridica moralis theologica, Romae (1885-1899). Ex Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

De Lambertinis Prosper, *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, Prati (1839-1842). In Typographia Aldina.

Ius Pontificium de Propaganda Fide, Romae (1887-1897). Typographia Polyglotta.

INDEX FONTIUM

QUI IN HOC VOLUMINE REFERUNTUR

III. - CURIA ROMANA

8. – S. C. de Propaganda Fide.

9. – S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Praeposita.

10. – S. C. Indicis.

II. - S. Rituum Congregatio.

III. - CURIA ROMANA

8. - S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

4428.

S. C. de Prop. Fide, 8 mart. 1625.

S. Congregatio iussit publicas disputationes non fieri cum haereticis, quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantis populi acclamationes veritas falsitate praevalente opprimitur; et si aliquando huiusmodi disputationes excusari non possent, primum de illis certior fiat S. Congregatio, quae iuxta temporis et personarum qualitatem quid agendum sit peculiariter praescribet.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 11].

4429.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 iun. 1625.

An Regulares vigore suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium possint absolvere ab haeresi, prout quidam religiosi de facto in vim dictorum privilegiorum absolvunt.

R. Regulares nullo modo posse in vim suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium ab haeresi absolvere, et proinde qui huiusmodi facultatem sibi usurpant, eaque utuntur de facto, male facere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 14].

4430.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 24 nov. 1625.

S. Congregatio de mandato speciali SS. D. N. Urbani VIII Rectoribus Collegiorum Pontificiorum nunc et pro tempore existentibus districte praecipit, ut ab alumnis, qui maiores quatuordecim annis in praefatis Collegiis in posterum recipientur, tempore admissionis eorum, vel, si minores fuerint, post quartum decimum annum completum, iuramentum iuxta

subiectam formulam [1] omnino exigant; illudque, ut praefertur, exactum ac manu eorum subscriptum in Archiviis Collegiorum praedictorum diligenter asservent. Insuper eadem S. Congregatio declarat, quod per huiusmodi iuramentum praefatos alumnos ab aliis obligationibus, et iuramentis, quae forsitan ex Collegiorum praedictorum constitutionibus praestare consueverunt, eximere non intendit, nisi quatenus infrapositae formulae contraria extiterint, sed ea omnia firma et illaesa manere vult, ac in eodem robore persistere, ac si praesens decretum non emanasset. Praeterea de mandato similiter speciali eiusdem S. D. N. statuit, et decernit neminem deinceps praedictorum alumnorum contra infrascriptam iuramenti formulam in aliqua Religione, Societate et Congregatione Regulari a superioribus recipi, nec ad professionem admitti posse vel debere; alioquin receptio, et professio nullae sint, ac nullius roboris, et firmitatis, et qui ex antedictis superioribus alumnos huiusmodi contra subiectam iuramenti formulam receperit, vel ad professionem admiserit, activa et passiva voce praesentis decreti auctoritate careat. Non obstantibus Collegiorum fundationibus, ac decreto, die 9 augusti 1624, de hac materia edito, et Rectoribus praedictis intimato, [2] nec non Constitutionibus Apostolicis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis, et aliis quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 19].

4431.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 4 maii 1626.

S. Congregatio mandavit per Procuratorem Generalem Capuccinorum Praefectis Missionum suorum religiosorum praecipi, ut singulis annis, ad minus, de eorum gestis et in conversione haereticorum vel infidelium progressibus relationem ad Urbem mittant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 22].

4432.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 28 iul. 1626.

SSmus D. N. in Congregatione de Prop. Fide iustis de causis animum suum moventibus, et de consilio Ven. Fratrum suorum eiusdem S. Congreg. Cardinalium, Episcopis in partibus infidelium constitutis, qui ab eadem Congregatione stipendia habent, vel ab ipsa in negotiis occurrentibus diriguntur, indulsit, ut non obstante Constitutione fel. rec. Sixti V praedecesso-

[1] V. Const. Alex. Pp. VII, 20 iulii 1660, ubi iuramenti formula cum additamentis praescribitur. — Cf. N. 237.

[2] In decreto cit. iuramenti ab alumnis praestandi formula aliquantum diversa praescripta fuerat.

ris sui de Liminibus Apostolorum visitandis, [1] Limina praedicta, temporibus in ea constitutis, per procuratorem etiam in Curia Romana existentem specialiter singulis vicibus visitationis faciendae constituendum visitare possint ac valeant, mandavitque Congregationis Concilii Tridentini Secretariis pro tempore, ut visitationes Liminum a praedictis Episcopis, ut praefertur, faciendas admittant, non obstante dicta Constitutione, et aliis quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 24].

4433.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 28 iul. 1626.

Relata fuit declaratio S. Congregationis Concilii Tridentini ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi, quae ad calcem praecedentis Congregationis fuit registrata. [2] Patres tamen SSmo D. N. approbante dixerunt declarationem praedictam intelligendam esse quoad Regulares peregrinos, qui in ea insula ecclesias suorum Ordinum habent. Ceterum quoad Regulares non habentes ecclesias suarum Religionum concedendam esse (prout concessa fuit) Episcopo praedicto facultatem eos prohibendi ne sine sua licentia Sacrum ibi celebrent.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 25].

4434.

S. C. de Prop. Fide, 20 nov. 1626.

S. C. mandavit per Episcopum Sophiensem praecipi Religiosis in capellis Bulgarorum constitutis ne de caetero medicamenta seu medicinas praesertim purgativas exhibeant infirmis sive fidelibus sive infidelibus, cum, iuxta Sac. Canonum dispositionem, sacerdotibus et in sacris constitutis huiusmodi professio sit omnino prohibita.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 28].

[1] Cf. N. 156.

[2] In Actis Congregationis Generalis (de Propag. Fide) diei 14 iulii 1626 haec habentur: « S. C. censuit instantiam Episcopi Zacynthi remittendam esse Illmis Patribus Sac. Concil. Trid. Interpretibus, ut ab eis infrascriptum dubium discutiatur et diffiniatur, videlicet: *An Ordinarii locorum vigore Concilii Trid. de observandis et evitandis in celebratione Missae, possint, tamquam Sedis Apostolicae delegati, sub poenis et censuris prohibere ne regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum in ipsorum Ordinariorum dioecesibus constitutis Missas celebrent sine eorum licentia*; et si fortasse huiusmodi dubium negative diffiniatur, S. C. censebat ob rationes ab Episcopo praedicto allegatas posse eosdem Illmos Patres cum SSmi beneplacito eidem Episcopo facultatem faciendi praedictam facultatem concedere ». Responsum autem S. C. Concilii ita refertur in iisdem Actis: « Ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi S. C. Concilii respondit ut infra: *Die 27 iulii 1626. S. Congregatio Illmorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum respondit: Ad 1. Ordinarios locorum ex dispositione Sac. Concil. Trid. prohibere non posse ne Regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum Missas celebrent absque eorum licentia. Ad 2. Non esse concedendam Episcopo Zacynthi facultatem faciendi huiusmodi prohibitionem, nisi concurrat frequentia casuum cum negligentia non corrigibili Superiorum Regularium* ». — Cf. N. 2471.

4435.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Iaponiae), 7 dec. 1626.

S. C. respondit: Coniuges fideles non posse ob alterius coniugis reditum ad infidelitatem aliud matrimonium contrahere cum alio fideli.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2245].

4436.

S. C. de Prop. Fide, 21 maii 1627.

S. C. respondit: Non debere Missionarios divina celebrare in ecclesiis in quibus simul haeretici sua profana et sacrilega exercitia habent. Ut tamen catholicis fiat satis, super altaribus portatilibus, in privatis domibus positis, Sacrum peragendum esse.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 34].

4437.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 8 maii 1628.

S. C. stetit in decretis, ut Religiosi non fiant Missionarii sine eorum Superiorum approbatione, illique, postquam fuerint approbati et missi ab eisdem Superioribus, sine consensu Congregationis a Missionibus nullo modo removeantur.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 39].

4438.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 20 iun. 1628.

S. C. mandavit significari P. Silvano Benedictino Praefecto Missionis Scotiae, missiones eiusdem S. C. non eximere Regulares a subiectione neque ab obedientia suorum Superiorum, sed tamen hoc efficere ut a Superioribus praedictis Missionarii non possint a missione revocari inconsulta eadem Sacra Congregatione.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 40].

4439.

S. C. de Prop. Fide, 4 aug. 1628.

Petente sacerdote Carolo Clemer, Collegii Anglicani Ducaei alumno, propediem in Missionem Anglicanam profecturo, dispensationem, ut possit medicinae artem, cui operam ante sacerdotium dederat, exercere, quod huiusmodi praetextu facilior ei futurus sit aditus ad administranda Sacramenta catholicis anglis, et ad convertendos haereticos, praesertim in periculo

mortis constitutos: S. C. de Prop. Fide censuit, si SSmo placuerit, petitioni oratoris annuendum esse, ita tamen ut medicinae artis exercitium medium esse deberet, et non principalis scopus, quem convenit esse missionariis ministerium. Die 9 augusti SSmus D. N. Congregationis decretum approbavit, additis duabus aliis conditionibus in dispensatione apponendis: 1. Ut orator gratis operam suam in medicinae arte praestet. 2. Ut a sponte dantibus nihil recipiat ultra suam necessariam sustentationem.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 42].

4440.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 24 nov. 1628.

Quoad dubium de occultis catholicis inter haereticos degentibus, iussit (S. C.) eidem Provinciali (Capuccinorum Burgundiae) significari sententiam Congregationis esse, eis non licere ob periculum vitae vel amissionis bonorum occultare catholicam fidem, contra Apostolum *ad Rom.*, 10.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 44].

4441.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 30 ian. 1629.

S. C. declaravit: Regulares in missionibus esse subiectos iurisdictioni, visitationi et correctioni Provincialium, et aliorum suorum Superiorum quoad disciplinam regularem; quo vero ad eorum remotionem a missione eosdem Regulares, inconsulta S. Congregatione, a locis missionum per eorum Superiores revocari non posse.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 46].

4442.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 febr. 1629.

Quoad celebrationem Missae in eadem ecclesia cum haereticis, etiam mediante pariete divisa, S. Congregatio censuit praecipiendum esse Patri (Ignatio missionario in Rhetia) eiusque sociis ne id omnino faciant, sed altari portatili, quoties celebrari opus fuerit, iuxta privilegia Missionibus concessa utantur.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 47].

4443.

S. C. de Prop. Fide, 30 maii 1629.

S. C. respondit: Scribendum esse Nuntio Poloniae S. Congregationis Rituum sententiam, quam Illmus D. Card. Capponius retulit, videlicet quod in praecedentia Episcoporum non attenditur diversitas rituum graeci

et latini, sed tempus promotionis eorum, et ideo Episcopos ruthenos praecedere debere suffraganeos latinorum, si ante illos ad dignitatem fuerint promoti episcopalem.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 48].

4444.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 6 sept. 1630.

S. C. approbavit et confirmavit decretum theologorum ab ipsa deputatorum ad examinandum dubium a Vic. Patriarchali Constantinopolitano propositum *de Confessione per interpretem*, nempe: « Quamvis docente Sac. Trid. Synodo nullo sit divino pracepto mandatum, nec satis consulto lege aliqua humana praecipi possit, ut delicta, praesertim secreta, publica confessione aperiantur, tamen visum est Patribus deputatis, eidem SS. Synodo inhaerentibus, eos qui volent sponte per interpretem confiteri, nec aliter possunt, non debere per Vicarium Patriarchalem prohiberi; cui sufficiet praecavere abusus et scandala, et curare ut interpretes admoneantur de obligatione ad observantiam secreti ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 61].

4445.

S. C. de Prop. Fide, 28 nov. 1630.

S. C. declaravit: Omnino providendum esse, ut qui ex Indis fuerint magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem, morumque eorumdem per aliquot annos probationem, et in pietate christianaeque Religionis functionibus exercitationem, ad sacros Ordines usque ad Sacerdotium inclusive promoveantur. Huius rationes sententiae sunt: 1. Quia id factum fuisse ubique per Apostolos et in primitiva Ecclesia per Episcopos, satis ex Scriptura Sacra et historiis ecclesiasticis constat; 2. Quia indigenae maiorem habent apud suos fidem; 3. Linguas civium suorum, eorumque mores et inclinationes magis norunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 62].

4446.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 27 mart. 1631.

An Baptismus qui a chaldaeis sacerdotibus administratur maribus cum verbo *eemdat* in eorum Rituali posito, quod significationem habet praesentis imperativi, videl. *baptizare talis*, et significationem praeteriti videl. *baptizatus est talis*, sustineri possit, praesupposita in baptizante intelligentia dicti verbi in praeterito.

R. 1. Baptismus collatus per verbum praeteriti temporis ad significandam actionem praeteritam, et non etiam quae per ministrum exercetur tunc quando baptizat cum invocatione SS̃mae Trinitatis et aquae naturalis ablutione immersione vel aspersione, non est verus Baptismus.

2. Esset tamen verus Baptismus collatus per verbum indifferens ad praeteritum indicativi et praesens imperativi, si baptizans uteretur illo pro praesenti imperativi, si cetera adsint recta, nempe intentio, in aquam naturalem immersio, ablutio, vel aspersio cum Sanctissimae Trinitatis expressa invocatione.

3. Idem dicendum quando minister utens verbo indifferenti, ut supra, nihil cogitans de praeterito vel de praesenti, virtualem autem intentionem haberet utendi illo verbo eo meliori modo quo potest, etiam si crederet vocem significantem vel exprimentem actum qui per ministrum exercetur, esse praeteriti temporis, retenta tamen intentione faciendi quod Christus instituit vel observat Ecclesia christianusque populus, et non alligandi formae significationem suae privatae credulitati.

4. Si baptizans uteretur verbo praeteriti temporis ad significandum actum qui per ipsum ministrum exercetur quando baptizat, ceteraque requisita adessent, esset Baptismus, si apud nationem illam vel clerum esset usus accipiendi vocem illam praeteriti ad significandam actionem praesentem.

5. Est etiam Baptismus si quis ex ignorantia linguae infringendo verba absque animo introducendi errorem aut haeresim, proferat vocem praeteriti pro praesenti, si tanta sit inter vocem praeteriti et praesentis similitudo ut facilis sit lapsus ex una voce in aliam, prudentesque viri iudicent communiter baptizantem vocem praeteriti pro praesenti corrupte prolatam supposuisse, et prolata voce concipiant actionem praesentem sufficienter significari.

6. Ad tollendam tamen in huius tam necessarii Sacramenti administratione omnem ambiguitatem vel erroris occasionem admoneantur in posterum chaldaei dum baptizant uti verbo praesentis indicativi aut saltem imperativi; vel si velint uti verbo indifferenti ad praeteritum et praesens, accipiant illud in significatione praesentis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 68].

4447.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 7 maii 1631.

1. An a missionariis (in oriente) pro usu suarum facultatum petenda sit licentia ab Episcopis quos missionarii arbitrantur esse catholicos.

2. An missionarii celebrare possint in ecclesiis schismaticorum, eorumve sacerdotalibus vestibus et calicibus uti.

R. Ad 1. Affirmative, si tanta sit certitudo eorum rectae fidei, ut omnem schismatis ac erroris in illis partibus vigentis suspicionem excludat.

Ad 2. Negative, quia datur missionariis usus altaris portatilis et facultas

benedicendi paramenta, et propterea non est necesse ut ipsi in praefatis ecclesiis celebrent vel praedictis vestibus utantur.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 69].

4448.
S. C. de Prop. Fide (C. P.), 7 maii 1631.

Ad quintum (dubium) de diebus festis, ut scilicet in oriente a latinis uniformiter celebrentur, Congregatio respondit: Festa ex generali praecepto Sanctae Rom. Ecclesiae indicta observari debere a latinis in oriente uniformiter. In festis vero ex devotione, consuetudinibus regionum ex quibus latini sunt oriundi, deferendum esse, dummodo Sancti quorum festa huiusmodi celebrantur, sint canonizati, vel a Sancta Romana Ecclesia recepti.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 70].

4449.
S. C. de Prop. Fide, 4 iun. 1631.

Fuit Congregatio particularis super dubiis missionariorum orientis in Palatio Emi D. Card. Pamphylii, cui Sua Eminentia interfuit cum Rmis P. Magistro Sacri Palatii, et P. Horatio Iustiniano, ac P. Thoma de Afflictis theatino. In ea... fuit latissime discussus articulus: An Summus Pontifex intendat graecos et alios Sedibus Patriarcharum schismaticorum subditos comprehendere in Bulla *Coena Domini* aliisque Constitutionibus Apostolicis, in quibus casus sibi et Sedi Ap. reservat. Et post allegatum et ponderatum Canonem 6 Nicaen. primae Sinodi, cap. 17, Sess. 10, Synodi 8, et simul Synodum Chalcedon. circa Epistolam S. Leonis Papae, et eumdem Canonem 6, Epistolam primam Marcelli Papae ad Antiochenos, Anacleti Epistolam 2, cap. *Licet, de Baptismo*, cap. *Antiqua, de privileg.*, Gregorium Cyzicaenum, Canones orientales, Azorium, part. 1, lib. 5, cap. 11..., S. Gregorium de tribus Patriarchis; factum Episcoporum Aegyptiorum qui noluerunt subscribere praefatae Epistolae S. Leonis Papae quia tunc vacabat eorum Sedes patriarchalis, Epistolam Synodicam eiusdem Concilii Chalcedon., Can. 2, Constantinop., Concilii primi, et ad hoc sanctorum Leonis et Damasi Rom. Pontificum contradictionem, in quibus de potestate Papae, et Patriarcharum, divisioneque Provinciarum inter Patriarchas late agitur, aut ex eis deducuntur diversa argumenta pro et contra supradictam Papae potestatem: Patres praedicti quoad dictum articulum convenerunt in negativam sententiam, quam tamen limitarunt tripliciter: 1. In materia dogmatum fidei. 2. Si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis subditis Patriarchalium Sedium, et in casu schismaticorum Bullae *Coenae*. 3. Si implicite in eisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium, et deferentium arma ad infideles, et similib.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 252, nota 1].

4450.
S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 iun. 1633.

Referente Emo D. Cardin. S. Honufrii de impedimentis quae missionariis capuccinis Hollandiae fiunt a parochis circa administrationem Sacramentorum parochialium, S. C. dixit iusta esse impedimenta, nam huiusmodi Sacramenta a missionariis non sunt administranda nisi de consensu parochorum.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 73].

4451.
S. C. de Prop. Fide (C. G.), 10 sept. 1634.

An missionarii possint dispensare in voto simplici castitatis, ex eo quia in eorum facultatibus excipiantur tantum vota ultramarina et Compostellae ac Liminum Apostolorum?
R. Cum in facultatibus concedendis regulariter excipiantur vota simplicia castitatis et religionis, non posse missionarios, cum facultatibus eis concessis, in simplici voto castitatis dispensare, nisi expresse hoc fuerit in eisdem concessum.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 79].

4452.
S. C. de Prop. Fide (C. G.), 21 nov. 1634.

De mulieribus christianis, quarum mariti facti fuerant turcae, quae petebant licentiam contrahendi cum aliis, S. Congregatio dixit indissolubilia esse matrimonia legitime facta, et propterea non posse annui mulierum praedictarum petitioni.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1281].

4453.
S. C. de Prop. Fide (C. G.), 30 ian. 1635.

S. C. respondit: Non esse permittendum ad unionem cum S. R. E. venientibus ut cum solo vino sacrificium Missae peragant ob plures rationes: 1. Quia licet huiusmodi mixtio aquaecu m vino non sit de necessitate Sacramenti, sed tantum ex praecepto Ecclesiae, super quo dispensare potest Papa, nihilominus quia aqua in vino consecrando miscetur ex traditione apostolica, idque Christum fecisse ex testimoniis sanctorum Patrum creditur, nullo modo debet huiusmodi ritus sacrificandi tolerari, aut armenis permitti;

2. Quia ritus huiusmodi armenorum aut involvit haeresim monophysitarum, aut saltem de illa est suspectissimus, nam Nicephorus lib. 18 suae historiae cap. 53 clare dixit armenos solum vinum consecrare ut per hoc ostendant unam esse tantum in Christo Deo naturam; 3. Quia S. Concilium Florentinum in instructione ad armenos [1] per verbum *decernimus* armenis unitis iubet ut parum aquae in vinum misceant in Sacrificio; 4. Quia semper armeni petierunt a Sede Apostolica ut ritus huiusmodi eis permitteretur, et nihilominus id semper eis fuit negatum; nam Gregorius VII, ut in eius epistola prima, lib. 8, Alexander III, Calistus III, Eugenius III, Eugenius IV in dicto Conc. Florentino, Ioannes XXII, Benedictus XI, et demum Paulus V in suis Apostolicis Litteris ad Melchisedech Patriarcham nuncupatum catholicum, qui hunc Archiepiscopum Leopoliensem consecravit, huiusmodi ritum permittere expresse renuerunt; 5. Quia demum Lutherus huiusmodi ritum probavit, et calvinistae eumdem observant in sua Coena; et si armenis permitteretur praedictus ritus in Regno Poloniae, calvinistae, qui in eo non pauci reperiuntur, Romanam Ecclesiam calumniarentur, quod scilicet mutaverit sententiam, et cum eis sentiat. Et cum hac resolutione concordat can. 24, Conc. Carthagin. III sub Siricio Papa; et cap. 1, 2 et 3, *de Consecrat.*, distinct. 2.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 81].

4454.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 28 maii 1635.

An possit admitti ad Baptismum mahumetanus qui cupit baptizari, sed vult propter vitae periculum christianus occultus esse et manere.

R. Non posse infidelem cum huiusmodi conditione admitti ad Baptismum, sed illum debere se transferre ad loca ubi possit publice christianam religionem profiteri.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 84].

4455.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 5 dec. 1640.

Licet Generales omnes (Regularium Ordinum) habeant, vel peculiariter vel per commutationem, potestatem faciendi missiones et concedendi facultates diversas suis Religiosis, nihilominus Emi PP. censuerunt missiones iam factas, et in futurum ab eisdem Generalibus faciendas, esse S. Congregationi de Prop. Fide subiectas, vigore Constitutionis fel. rec. Gregorii XV de erectione S. Congregationis praedictae, [2] quia per eam negotium propagationis fidei in universo mundo Cardinalibus illius spiritualiter committitur, et ut superintendant omnibus missionibus, ordinatur, non obstantibus privilegiis (concessis) quibuscumque Ordinibus, Religionibus, Societatibus et Institutis quocumque nomine nuncupatis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 101].

[1] Cf. N. 52.
[2] Cf. N. 200.

4456.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 19 ian. 1644.

S. C. respondit: Praefectos teneri ad residentiam in locis Missionum, ut missionarii in occurrentibus dubiis, difficultatibus, controversiis ac aliis eorum necessitatibus facilem ad eos habeant recursum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 109].

4457.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 7 febr. 1645.

S. C. respondit: 1. Colloquia et disputationes publicas catholicorum cum haereticis aliquando esse licitas, cum scilicet spes habetur maioris boni, et concurrunt aliae conditiones, quae a theologis recensentur, ut patet ex iis disputationibus quas habuit S. Augustinus contra Donatistas ac alios haereticos.

2. Sanctam Sedem Apostolicam et Romanos Pontifices, quod huiusmodi colloquia, disputationes et collationes plerumque sine bono, aut etiam cum malo exitu peracta fuerint, illa frequenter prohibuisse, ac suis ministris scripsisse ut illa impedirent; si vero non possent impediri, curarent ne fierent sine auctoritate Apostolica, insisterentque ut per viros doctos, qui possent et valerent defendere veritates catholicas id perageretur; et saepissime id ipsum S. C. de Prop. Fide rescripsit ad suos missionarios eosque monuit ut a publicis disputationibus cum haereticis abstinerent.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 112].

4458.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 7 aug. 1645.

An iuramentum quod praestant alumni Collegii de Propaganda Fide et aliorum Collegiorum Pontificiorum ad titulum Missionis promoti eos ad Missionem in perpetuum obliget.

R. Praedictum iuramentum ex vi huius formulae alumnos ad titulum Missionis promotos in perpetuum obligare.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 113].

4459.

S. C. de Prop. Fide (Sinarum), 12 sept. 1645.

Infrascriptae propositiones a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Sanctum Officium transmissae, fuerunt a Patribus Qualificatoribus eiusdem Sancti Officii qualificatae ut infra:

Primo. Utrum christiani chinenses sint obligati ad observantiam iuris positivi, quantum ad ieiunia, confiteri semel in anno, et communicare, Festa servare, eo modo quo obligantur Indi in nova Hispania, et Insulis Philippinis, iuxta dispositionem Papae Pauli III pro Indiis Occidentalibus et Meridionalibus. [1]

Censuerunt, Ius positivum ecclesiasticum de ieiuniis absolute obligare chinenses christianos, et a Missionariis hoc esse illis enunciandum. Attenta vero Regionum et Personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quae fuit alias a fel. rec. Paulo III Indis concessa, qua obtenta satagant Missionarii Sanctae Matris Ecclesiae pietatem illis patefacere, quibus ea, quae in universum indixit, magna ex parte benigne remittit et indulget.

Censuerunt etiam praefatos chinenses obligari ad Sacramentalem Confessionem semel in anno, et Missionarios huiusmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad Sacram Communionem semel in anno sumendam. Quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos, vel tres menses, ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent.

Demum censuerunt chinenses ad fidem conversos teneri omnino Festa servare, Missionarios etiam teneri hoc eis notificare: locum tamen esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum iuxta formam privilegii a Paulo III Indis concessi.

Secundo. Utrum in praedicto Regno ministri evangelici, pro nunc saltem, in Sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum catechumenorum, sputum in auribus, et sal in ore. Insuper, et non administrare eisdem mulieribus Sacramentum Extremae Unctionis. Et ratio dubitandi est, quia chinenses, magno zelo ducuntur erga uxores, filias, et alias mulieres, et scandalum sument ex huiusmodi actionibus.

Censuerunt, et Sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, ex Extremam Unctionem esse mulieribus conferendam; nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut Missionarii (quantum in se est) ab his abstineant. Curandum ergo ut tam salubres ritus, et coeremoniae

[1] Cf. N. 81.

introducantur, et observentur; ac Missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

Tertio. In praefato Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiatur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quaeritur utrum chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, praedictam triginta pro centum quantitatem, Regni lege taxatam, accipere. Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere, vel propter alia huiusmodi.

Censuerunt ratione mutui immediate, et praecise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis eiusdem, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

Quarto. In universo chinarum Regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam, sumpto lucro, ad usuram dare solent; ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant; et si tanti elapsis annis pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum lucro non redierit, actionem et dominium, quod habebat in suis pignoribus illico amittat. Istae autem domus, reipublicae necessariae sunt, et quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a praedictis usuris, iudicis auctoritate compelluntur. Quaeritur utrum, si huiusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit.

Censuerunt, chinenses, in statu usurario permanentes, baptizari non posse: si vero iudicis auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore ultra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curae in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis: tempore autem praestituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit sorti principali, et lucro ex causis praedictis iuste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

Quinto. Utrum praedictorum usurariorum filii, si quando in haereditatibus eorum succedunt, iam christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quae pater ex usuris accepit, in toto vel in parte, iuxta male acceptorum excessum; et si huiusmodi usurariorum filii haeredes, iam christiani, a republica, vel a iudice compellantur ad publicas usurarum domus patrum aperiendas, et substentandas, quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientiis facere debent?

Censuerunt, filios haeredes usurariorum teneri, a patribus ex usuris illicite acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt; sin minus, iuxta regulas a doctoribus traditas: actualem vero restitutionem a doctis,

piis, et prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem huius dubitationis, iam responsum est in proxime superiori resolutione.

Sexto. In populis, et civitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quae a populis vicinis exiguntur, ut in Pascha novi anni, in sacrificiis, et daemoniorum suorum idolatriis, et invitationibus, ac conviviis in eorumdem templis praeparatis, simulque in festivitatibus, aliisque indifferentibus pro populi laetitia demonstrationibus expendantur. Quaeritur utrum christianis, ac ministris eorum (a quibus etiam tamquam a populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro huiusmodi rebus contribuere; nam si christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra christianos inter gentiles fiet.

Censuerunt posse christianos chinenses pecunias contribuere dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos, et superstitiosos concurrere, supposita causa quae narratur in dubio; praesertim praemissa, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita tributa praestant in ordine tantum ad populi laetitiam, et ad actus indifferentes, vel saltem cultui religionis christianae non repugnantes.

Septimo. In omnibus illius Regni civitatibus et villis, templa cuidam idolo *Chim-hoàm* dicto erecta, ac dicata reperiuntur, quod fingunt chinenses esse protectorem, regentem, et custodem civitatis, stabilitaque Regni lege ordinatur, ut omnes gubernatores civitatum, et villarum (quos mandarinos vocant), quando regiminis possessionem assumunt, et anni decursu bis in mense, sub poena privationis ab officio, templa adeant praefata, ibique ante dicti idoli altare prostrati, genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato idolum illud adorent ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant; et cum sui regiminis possessionem accipiunt, ante praedictum idolum iurent de recte administrando, et si contra fecerint, se submittant supplicio ab idolo infligendo, simulque ab illo petant modum et normam bene gubernandi et alia huiusmodi. Quaeritur, utrum attenta istius gentis fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales gubernatores christiani deferant quamdam crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, et facere (intentione, non ad idolum, sed ad crucem directa) omnes illas genuflexiones, reverentias et adorationes ante altare illud, exterius tantum et ficte; omnem cultum interius et in corde, ad crucem dirigendo. Quia si huiusmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apostatabunt a fide, quam relinquant officium regiminis.

Censuerunt, nullatenus licere christianis, huiusmodi actus publicos cultus, aut reverentiae tribuere idolo, praetextu vel intentione crucis, quam vel manu gestant vel in altari inter flores abscondunt.

Octavo. In praedicto Regno habent chinenses quemdam magistrum in philosophia morali litterarum, qui olim discessit a vita, vocatum *Kúm-fú-ciú*, qui ob doctrinam, regulas et documenta, adeo in toto Regno acceptus est, ut tam reges, quam omnes alii cuiuscumque conditionis et gradus sint, sibi proponant imitandum et sequendum, saltem quoad speculativum; tamquam sanctum venerantur et laudant, in omnique civitate et

villa, praefato magistro templa sunt erecta: gubernatores vero bis in anno tenentur in eius templo solemne sacrificium offerre, sacerdotis ipsimet gerentes officium; et sine solemnitate, in anni decursu, bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum, quae in tali sacrificio offerunt, quae quidem sunt: sus unus integer mortuus, capra una integra, candelae, vinum, flores, odores, etc. Item omnes litterati quando accipiunt gradum, debent ingredi templum istius magistri et facere genuflexiones, et offerre ante eius altare ex candelis, et odoribus. Totus iste cultus, sacrificium et reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonae ipsius relictis doctrinae documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis, optimi ingenii felicitatem sapientiae et intellectus. Quaeritur, utrum gubernatores, qui christiani sunt vel fuerint et litterati, vocati et coacti possint ingredi praefatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere huiusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idolothytis et oblationibus illis, maxime, quia putant illi infideles quod quicumque manducaverit ex talibus idolothytis, habebit progressum magnum in suis litteris et gradibus; et si, portantes crucem in manibus, possint licite hoc facere eo modo, quo dubitatione superiori dictum est, quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, ministri Evangelii in exilium mittentur, et conversio animarum impedietur et extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquo praetextu contento in dubio christianis permitti.

Nono. Inviolabilis observantiae mos est apud chinenses tamquam doctrina a supradicto magistro *Kúm-fú-ciú* tradita, quod in omnibus Chinae populis, templa constructa habeant, avis et progenitoribus suis defunctis dicata; et in unoquoque eorum, omnes qui eiusmodi familiae sunt, bis in anno congregantur, ut praefatis suis progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno coeremoniarum apparatu, et in altari multis candelis, floribus et odoribus adornato, imaginem, sive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant, in quo sacrificio invenitur et qui facit sacerdotis officium et ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum etc. Hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione, dirigitur, ut praefatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem et reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta et ob illa, quae ab eis accipere sperant: unde ante altare prostrati deprecationes multas faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, prosperitatem magnam, et ut ab omnibus adversitatibus liberentur: quod quidem sacrificium in domibus suis et in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quaeritur, utrum christiani ficte et exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere huiusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, sive in templo, sive in domo, vel sepulchro, publice, vel privatim, vel quonam modo hoc poterit permitti christianis illis; ne si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus christianorum.

Censuerunt, christianis chinensibus nullatenus licere, ficte, vel exterius assistere sacrificiis, in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos; multo minus licere circa praefata ministerium aliquod exercere.

Decimo. Chinenses christiani asseverant, quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt, progenitoribus suis defunctis illam exhibere reverentiam et illa offerre ac si iisdem viventibus exhiberentur, et in memoriam tantum ac reverentiam progeniturae et generationis; et si illi vivi extitissent, eadem illis praesentarent, ut illis oblatis vescerentur, vel sustentarentur, et ea offerunt absque alia intentione, vel rogativarum spe, cum sciant illos mortuos esse, eorumque animas in inferno sepultas. Quaeritur, utrum, si haec inter christianos tantummodo fierent absque alio gentilium consortio, in templis, domibus, vel sepulchris, ponendo et collocando aliquam crucem in altari praefatorum defunctorum, dirigendo ad illam suam intentionem, ita tamen, quod progenitorum imagini nihil tribuant, nisi honorem et reverentiam filialem, quam (si vivi extitissent) illis comestibilibus et odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciant. Unde quaeritur, utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tolerari possit.

Censuerunt, consequenter ad ea quae superius dicta fuerunt, praemissa non posse slavari sive per appositionem crucis, sive propter absentiam gentilium, sive per intentionem, actus de se illicitos et superstitiosos ad cultum veri Dei, dirigentem.

Undecimo. Ad memoriam progenitorum suorum conservandam utuntur chinenses quibusdam tabellis, in quibus nomina suorum defunctorum scripta sunt, quas vocant esse animarum sedes, existimantes animas defunctorum venisse et assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia et oblationes, et praefatae tabellae sunt collocatae in propriis altaribus cum rosis, candelis lampadibus et odoramentis, et coram ipsis tabellis, genuflexiones, orationes et deprecationes faciunt, expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus et laboribus. Quaeritur, an christianis licitum sit, omnibus gentilitiis superstitionibus et erroribus postpositis, uti pro nunc praefatis tabellis, illasque inter Domini, Sanctorumque imagines, et in eodem altari collocatas habere, vel in alio separato cum ornatu supradicto ad hoc, ut gentilibus satisfaciant; vel possint facere supradictas deprecationes et sacrificia cum intentione supradicta.

Censuerunt, omnino non licere habere illas tabellas in vero et proprio altari maioribus dicato, multo minus deprecationes et sacrificia eis offerre, licet occulta et ficta intentione.

Duodecimo. Quando in illo Regno aliquis mori contingat, sive christianus sit, sive gentilis, pro inviolabili more habetur, in domo defuncti quoddam altare praeparare, in eodemque imaginem defuncti, seu tabellam supradictam collocare cum ornatu odorum, florum et candelarum, retroque cadaver feretro inclusum ponere: omnes autem, qui ad condolendum domus illas ingrediuntur, coram praeparato altari et defuncti imagine, ter, vel quater genuflectunt, humi sese prostrantes, capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes et odoramenta, ut in

praeparato illo altari, coram defuncti imagine consummentur et comburantur. Quaeritur, utrum licitum sit christianis et praecipue ministris sancti Evangelii, attento mutuo benevolentiae signo et amoris, supradicta facere, maxime quando defuncti sunt ex nobilioribus populi.

Censuerunt, posito quod mensa parata sit quaedam tabula, non autem verum et proprium altare, si coetera continentur intra limites obsequii civilis et politici esse toleranda.

Tertiodecimo. Quaeritur, utrum catechumenis paratis iam ad baptismum suscipiendum, debeamus ministri declarare, et aperte, et in singulari docere, esse illicita sacrificia et omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet, desistere a susceptione baptismatis, persequutiones, mors, vel exilium ministrorum evangelicorum.

Censuerunt, ministros evangelicos teneri docere, sacrificia omnia, praeterquam soli Deo, esse illicita, cultum daemonum et idolorum esse relinquendum, et quaecumque huiusmodi cultum concernunt esse falsa et christianae fidei repugnantia. Ad singularia vero descendendum prout in catechumenis ingenii promptitudo aut ruditas exiget, aliisque circumstantiis, consuetudinibus, ac periculis perspectis.

Quartodecimo. Chinarum sermone haec vox (*King*) idem est quod Sanctus, Sancta, Sanctum; et in libris doctrinae christianae a quibusdam sancti Evangelii ministris praelo mandatis reperitur ista vox (*King*) ad nominandam Sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, Beatam Mariam et coeteros Sanctos. Quaeritur, utrum quando in praefatis libris sese offert occasio, ut nominetur magister Chinarum *Kúm-fú-ciú* vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel coeteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur, cum sint infideles et idololatrae, possimus ne, et sit licitum nobis Christi ministris nominare supradictos hoc homine (*King*).

Censuerunt, non posse aliquid firmari circa vocem hanc, eiusve usum nisi praehabita cognitione idiomatis, eiusque verae et propriae significationis: coeterum si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem, posse ministros ea uti; si vero restringatur ad significandam veram et perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Quintodecimo. In multis templis idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata et collocata super unam mensam, vel altare, et omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita et ornata, qua in tabula scriptae sunt litterae, vel characteres sequentes: *Hoam ty ván sú y ván ván su y.* hoc est: vivat Rex Chinarum ad multa annorum millia; et ante praefatam tabulam mos est inter illos idololatras sacrificare bis, vel ter in anno et facere genuflexiones in honorem et reverentiam illius. Quaeritur si ministri Christi Domini possimus in nostris ecclesiis collocare huiusmodi altare cum tabula et circumstantiis praedictis, et hoc ante altare, ubi sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam.

Censuerunt, exclusis sacrificiis et altari vere et proprie dicto, coetera quae redolent tantummodo cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Sextodecimo quaeritur; si in illo Regno licebit christianis orare et sacri-

ficium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt.

Censuerunt, si vere in sua infidelitate decedunt, omnino non licere.

Decimoseptimo. Si tenemur praedicatores Evangelii praedicare in illo Regno Christum Crucifixum et ostendere eius sanctissimam imaginem, maxime in ecclesiis nostris. Causa huius dubitationis est, quod gentiles scandalizantur ex tali praedicatione et ostensione, et iudicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt, nulla prudentia, aut praetextu differendam esse doctrinam Passionis Christi post Baptismum, sed omnino praemittendam: ad actualem vero praedicationem Christi Crucifixi licet non teneantur ministri evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum Verbum Dei, ac divina mysteria prudenter et opportune, et ad illa pro catechumenorum captu explicanda, non tamen a sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione, quod gentiles inde scandalum sumant, aut stultitiam putent.

Censuerunt etiam conveniens esse ut in ecclesiis imagines habeantur Christi Crucifixi et ideo curandum, ut quoad opportune fieri potest exponantur.

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE HABITAE DIE 12 SEPTEMBR. 1645.

Referente Eminentissimo D. Cardinali Ginetto, suprascripta quaesita una cum responsis et resolutionibus congregationis theologorum ad eorumdem quaesitorum examen specialiter institutae, Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Cardinalium de Propaganda Fide, praefata responsa et resolutiones approbavit, et eadem Congregatione supplicante, Sanctissimus Dominus Noster ad conservandam uniformitatem in praedicatione, eiusque praxi, omnibus et singulis missionariis cuiuscumque Ordinis, Religionis et Instituti, etiam Societatis Iesu, in Regnis Sinarum, aut Chinae pro tempore existentibus, vel extituris, sub poena excommunicationis latae sententiae, Sanctitati Suae et Sanctae Sedi Apostolicae specialiter reservatae, districte praecipiendo mandavit, quatenus praefata responsa et resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab aliis, ad quos pertinebit, observari et practicari faciant, donec Sanctitas Sua, vel Sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 114].

4460.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 5 maii 1654.

Referente Emo Praefecto libellum supplicem porrectum pro parte missionariorum Ordinis Praedicatorum Galliae ad Indos petentium: An in exercendo munia parochialia possint etiam censuras fulminare pro correctione et poena delinquentium; placuit Emis PP. respondere: Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 120].

4461.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 11 ian. 1656.

S. C. declaravit: Nullo modo imposterum licere, pro bono religionis catholicae et ad tollendas inter missionarios dissensiones et litigia, in locis, in quibus existunt missionarii apostolici unius Ordinis, novam Missionem aliorum religiosorum, etiam Societatis Iesu, fundare, vel illam sub quovis praetextu aut auctoritate exercere absque expressa licentia eiusdem S. Congregationis, sub poena privationis officii, privilegii et facultatis ipso facto incurrenda, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 125].

4462.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 febr. 1658.

Nelle relazioni portate da un frate laico carmelitano scalzo delle missioni di quella Religione in Persia ed in Soria si dice che usano quei popoli, quando sono infermi, chiamare i Padri perchè li benedicano e gli leggano l'evangelo del quale sono molto divoti; e perchè di questi buona parte sono fanciulli e fuor di speranza di vita, hanno introdotto di battezzarli segretamente senza che i Padri se ne accorgano, e mandarli in paradiso; e l'istesso fanno anche quando vanno in giro per i villaggi, asserendo essersene in questa maniera battezzati parecchie migliaia. Ho avuto qualche dubbio se convenga di farsi, e particolarmente per quelli che talora guariscono e si fanno poi adulti.

R. Responderunt aliqui ex Emis ex S. C. S. Officii hoc dubium fuisse alias examinatum, et pro parte affirmativa resolutum, quod posset permitti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 131].

4463.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Societ. Mission. ad Exteros), a. 1659.

Hoc in primis curandum vobis est, ut inter plurimos magno studio perquiratis ac secernatis viros aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idoneos; tum vero, quod pluris est, non mediocri charitate ac prudentia insignitos; quas virtutes, non aliorum iudicium et coniectura, sed diuturnus rerum usus et experientia aliis in muneribus cum laude peractis probaverit; qui secretorum sint capaces tenacesque custodes, qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo, christianae fidei, quam ore profitentur, opere adstipulentur; qui denique ad Evangelicae charitatis normam efformati, aliorum

sese ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibuscum vixerint graves, nec exteris invisi ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.

Nolite ullo pacto molesti esse populo ob temporalia, memoresque estote paupertatis Apostolorum, quorum manus subministraverunt necessaria sibi et iis qui secum erant. Ut multo magis vos illorum aemuli et imitatores, victu et vestito contenti, abstineatis ab omni turpi questu, exigendis eleemosynis, corradendis pecuniis, donis atque muneribus; et si quid etiam renuentibus obtrudant, ipsis qui dedere inspectantibus, dispergite pauperibus, scientes nihil magis populis admirandum videri, eorumque oculos convertere, quam rerum temporalium despicientiam et Evangelicam paupertatem quae supra humana et terrena omnia sese extollens, thesaurizat in caelo... Nullum studium ponite, nullaque ratione suadete illis populis ut ritus suos, consuetudines et mores mutent, modo non sint apertissime Religioni et bonis moribus contraria. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam, aut Italiam, aut aliam Europae partem in Sinas invehere? Non haec, sed fidem importate, quae nullius gentis ritus et consuetudines, modo prava non sint, aut respuit aut laedit, imo vero sarta tecta esse vult.

Et quoniam ea pene est hominum natura, ut sua, et maxime ipsas suas nationes, caeteris et existimatione et amore praeferant, nulla odii et alienationis causa potentior existit, quam patriarum consuetudinum immutatio, earum maxime quibus homines ab omni patrum memoria assuevere, praesertim si, abrogatarum loco, mores tuae nationis substituas et inferas. Itaque nunquam usus illarum gentium cum usibus europaeorum conferte, quinimo vos illis magna diligentia assuescite.

Admiramini et laudate ea quae laudem merentur; quae vero laudis expertia sunt, ut non sunt praeconiis, assentatorum more, extollenda ita prudentiae vestrae erit de his aut iudicium non ferre, aut certe non temere et ultro damnare; quae vero prava extiterint, nutibus magis et silentio quam verbis proscindenda, opportunitate nimirum captata qua, dispositis animis ad veritatem capessendam, sensim sine sensu evellantur... Si quis regum, principum magistratuum, potentiumque, inspirante Deo, benevolam in vos mentem ostendat aut benignam erga Christianam Religionem propensionem exhibeat, grati estote; sed ad cavendam invidiam, nolite poscere privilegia, exemptiones, insueta tribunalia; eorum vero iurisdictionem nullo modo imminuite. Si quod obtinueritis quod nec odiosum sit, et in augmentum Religionis cedat, id non iure suo impetratum esse iactitate, sed ex mera Principum benignitate profectum; et hoc omnino fugite ut sibi, rebusque suis, vel minimum a vobis timeant; quare suspicionum omnium vel ipsas umbras evitandas esse arbitrandum est.

Tam longe semper abeste a rebus politicis negotiisque Status, ut civilium rerum administrationem, nequidem rogati et enixis precibus fatigati, suscipiatis: quam semper rem Sacra haec Congregatio, et serio, ut districte prohibuit et porro prohibebit. Quare vobis et vestris idipsum est diligentissime cavendum; et hoc vobis certissime persuasum sit rem S. C. molestissimam facturum eum quicumque se rebus huiusmodi ingesserit, aut etiam immisceri se siverit; neque id modo, cum res cedit in detrimentum Religionis et in distractionem Missionariorum, verum etiam tum quoque cum certissima spes affulget inde Religionem augendi, et fidem longe lateque propagandi.

Neque vobis, hac in parte, quidquam suffragabitur aliorum licet religiosorum hominum exemplar, quod fortasse in excusationem vestram adduxeritis: vos e contra illis exemplo praeite, ut ex vobis et illi et populi S. Sedis mentem ediscant. Verbum enim Dei non his artibus, sed caritate, rerum humanarum contemptu, modestia, frugalitate victus, patientia et oratione, aliisque virorum apostolicorum virtutibus disseminandum est. Imo vero data opera curate ut intelligant omnes, quam longe absint a S. Congregationis mente similia, et quam districte et serio suis Missionariis prohibeat, quove stomacho excipiantur, si quae huiusmodi ex missionariorum relationibus advenerint.

Itaque noverint atque depraedicent vos ac vestros a similibus plurimum abhorrere nihilque praeter spiritualia animarumque salutem intendere; vestrosque labores, desideria et mentem, ad celestia dumtaxat, omnibus aliis exclusis, directam esse.

Quod si quem ex vestris in absurditatem eiusmodi prolabi senseritis, nulla interposita mora, ex missionibus dimittite atque expellite; nihil enim in vestram perniciem aptius, et ad Dei causam, quam prae manibus habetis, doctrina excogitari potest.

Si tamen Principes consilia quandoque vestra exquisierint, nonnisi multoties rogati, et prohibitionem hanc nostram causati, dabitis ea quae fidelia sunt et iusta, aeternitatemque sapientia; mox vero curiam aulamque relinquite et in dioeceses vestras discedite, functionibus sacris vacaturi; et potius quam illic remaneatis fingite omnimodam rerum politicarum insipientiam et civilis administrationis ineptitudinem, ut, bona ipsorum venia, quam ocissime egrediamini ex loco periculis pleno.

Populis vero praedicate obedientiam erga Principes, etiam discolos, pro quorum prosperitate et salute, tam privatim quam palam, Deum ex animo orate, illorumque actiones, etiam persequentium, nolite carpere, nec severitatem arguite, nec quidquam in eis reprehendite; sed in patientia et in silentio tempus consolationis a Domino praestolamini.

Factiones ullas in eorum regionibus, sive Hispanorum, sive Gallorum, sive Turcarum, sive Persarum similiumve, nolite ullo pacto seminare; imo vero omnes huiusmodi contentiones, quantum in vobis est, radicitus tollite.

Quod si quis vestrorum missionariorum haec monitus, non tamen a similibus abstinuerit, nulla interposita mora, in Europam dimittite, ne sua imprudentia negotia Religionis tanti momenti in periculum adducat... In praedicatione verbi Dei et in administratione Sacramentorum, nolite ullam tumultus et rebellionis suspicionem creare ex concionis et coetuum frequentia; sed hoc curate diligenter ut christiani, ad sacra vobiscum facienda, conveniant magna cum modestia, nec in eorum conventibus quidquam nisi sacrum pertractari sinitote et omnino prohibete ne de rebus ad publicam rem

spectantibus illa occasione agatur... Nec vos, nec vestri, ullius lateri continenter adhaereatis, aut ita obnoxii sitis cuiquam, maxime ex potentioribus, ut illi uni, non toti provinciae, subservire videamini; quare, nolite vos sinere nimiis, sed insidiosis beneficiis devinciri quae non modo communi bono officiant, sed etiam libertatem loquendi et vitia ipsius benefactoris reprehendi impediant.

Scholas ubique summa cura et diligentia erigite, et iuventutem illarum regionum gratis docete linguam latinam et doctrinam christianam vernaculo idiomate, et conemini quoque ut nullus catholicus tradat filios infidelibus erudiendos, sed vobis vestrisque.

Clerum missionariosque optimos et semper habetote, et tales conservate omni cura et sollicitudine; eorum vero cuique suum munus in provincia adsignate, et vineam suis limitibus distinctam in qua laborandum est. Extra hanc nequaquam licitum sit cuiquam egredi absque vestra in scriptis obtenta facultate quae quidem haud facile concedenda est, nisi legitima et urgentissima causa impellat; tunc vero praescripto brevissimo tempore, alteroque subrogato qui absentis defectum suppleat. Iam vero si missionarius quispiam in alienam provinciam ingressus nolit legitimum ordinem servare, primo quidem corripite hominem, ut, si resipuerit, fratrem lucremini; si vero in sua stultitia perseveraverit, tunc fugiant ii quorum ius laeditur cum huiusmodi contendere, sed cedentes iure suo, certiores vos reddant eorum quae acciderint omnium. In Europam nolite quemquam amandare nisi pura puta necessitas et urgentissimae causae non modo id suaserint sed pene invitos coegerint. Causae porro esse possunt: mala hominis vita, scandalosi mores, perversa doctrina, ingenium turbidum, rixosum et aliorum impatiens, et maxime negotiis saecularibus politicis et temporalibus sese immiscens, aut demum, si necessitas poscat, S. Cong. fieri certiorem de summa rerum, et totius Missionis omniumque provinciarum statu.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 135].

4464.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 22 febr. 1660.

Iniungatur Archiepiscopo (Sophiae) ut in ecclesiis amplioribus omnino faciat construere confessionalia stabilia et non amovibilia pro confessionibus excipiendis: ubi vero ecclesiae sunt angustiores, sive in ipsis, sive extra, cum frequentior est populus, excipiantur, prohibeat omnino sub gravioribus poenis ne fiat absque aliqua tabula amovibili, saltem intermedia, cum parva crate inter confessarium et poenitentem, praesertim pro mulieribus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 138].

4465.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 23 febr. 1660.

In Sofia (Bulgaria) non si tiene fonte battesimale, ma battezzano coll'acqua benedetta comune: e perchè non può praticarsi di tenervi il Fonte per non esservi chiesa, ma celebrarsi in una casa privata, donde bisogna talora per cagione dei turchi levar via in fretta i quadri e l'altare, perchè non sia riconosciuta per chiesa, si potria ordinare che conservassero almeno in un vaso amovibile l'acqua del Battesimo benedetta nel Sabato Santo.

R. Ubi Fons non permittitur, asservetur in aliquo vase decentiori et amovibili aqua Baptismatis rite benedicta.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 139].

4466.

S. C. de Prop. Fide, declar. 8 apr. 1661.

I. An declaratio de non satisfaciendo muneri per iuramentum [1] iniuncto, nisi illud expleatur ad praescriptum Sedis Apostolicae, censeatur derogare Bullis fundationum Collegiorum, in quibus plerisque innuitur modus, quo alumnis servire licet.

R. Sanctissimo D. N. mens nullatenus est Collegiorum alumnos a propriis uniuscuiusque Collegii institutis retrahere, quinimo ad eorumdem observantiam ipsos adigere, praefixis terminis, ne ab instituto, mediisque praescriptis ad finem fundationis assequendum quovis colore divertant; quoties igitur alumni ad praescriptum Bullarum pro suis Collegiis editarum inservient, ad praescriptum Sedis Apostolicae inservire censebuntur.

II. An prohibitio de non assumendo habitum Regularem deroget iis Bullis fundationum in quibus id expresse permittitur.

R. Quidquid de seipsis statuant Collegiorum Pontificiorum alumni, subordinatum semper esse debet eorum fini principali, spiritualis scilicet earum Provinciarum salutis, quibus, ex vi instituti, sunt simpliciter et omnino obstricti, nec alio sensu Pontifices Religionem ingredi permiserunt, alias enim suummet evertissent principium; quoniam vero idipsum, prout experimento compertum est, in universali Nationum bono aliquando quidem expedit aliquando vero non, iuxta temporum, locorum et personarum circumstantias, non vetat Breve quominus Regulares fiant, sed Sedis Apostolicae iudicio reservat, quando id congruat, nec ne. Excipiuntur tamen ab hac regula Ordo S. Basilii pro Collegio Graecorum, et S. Antonii pro Collegio Maronitarum, iuxta peculiare iuramentum ab Urbano VIII alumnis eorumdem praescriptum, cum unusquisque ex iis Collegiis possit absque licentia in eos Ordines adscribi intra terminos earum Provinciarum ac locorum, ad quae redire tenentur.

[1] Cf. N. 237, 4430, 4458.

III. Utrum Sanctitatis Suae mentis sit, alumnis ingressum in Religionem prohibere, etiamsi de patrum spiritualium consilio eorum saluti maxime conducere censeatur.

R. Dictum est Breve non vetare Alumnis quominus Regulares fiant, sed Sedis Apostolicae iudicio reservare rationes ac momenta expendere, quando congruere censendum sit, nec ne, inter quas ea profecto potissima est, an scilicet publicum bonum peculiari bono alumni, iis in circumstantiis praeferri debeat; ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis etiam ad arctiorem transire liceat sine priorum Superiorum licentia.

IV. Supplicatur pro aliqua declaratione circa perpetuam subiectionem alumnorum S. Sedi, etiam postquam, obtenta licentia, fuerint aliquam Religionem ingressi, quia alioquin aegre a superioribus excipientur.

R. Vinculi continuatio applicandi seipsos in auxilium animarum, etiamsi cum Apostolicae Sedis licentia, aut post triennium sine dicta licentia, Religionem fuerint ingressi, reperitur expressa in Formula Iuramenti edita iussu sa. me. Urbani VIII quod ab eo tempore semper ab alumnis praestitum est, neque idcirco Religionum superiores abstinuerunt ab iisdem admittendis, vel ex eo praecipue, quod uno aut duobus exceptis, nullus fere sit hodie Regularium Ordo, in quo munus huiusmodi iuvandi animas, cui sese addixerunt, explere non possint; quod si alumni Religionem aliquam ingredi voluerint, quae huic muneri minime vacet, vel, quantumvis vacaverit, aut munia in fundatione Collegii praescripta in ea exercere, aut Nationibus, quibus se devoverunt prodesse non concedatur, aequum prorsus erit ut ab ea excludantur.

V. An alumni, qui, licentia obtenta, Religionem ingressi fuerint, et de eorum superiorum mandato vigore privilegiorum Ordinis in Missionibus laboraverint, censendi sint ad praescriptum Sedis Apostolicae inservire.

R. Affirmative, si ad praescriptum fundationis Collegii, in quo fuerunt educati, id praestiterint.

VI. Cum omnium, aut saltem aliquorum Collegiorum instituto minime repugnet, quod eorum alumni ad Episcopatus, aliasque dignitates, quae statum perpetuum habent annexum, assumantur; supplicatur pro aliqua declaratione super prohibitione eisdem facta, ne statum perpetuum sibi eligant.

R. Status quicumque licet perpetui, qui instituto, et fundationi proprii Collegii non adversentur, vel saltem illud non impediant, minime prohibentur; ubi autem experientia docuit, modum aliquem, aut limitationem esse apponendam, expressa sunt tam in iuramento san. mem. Urbani VIII quam in Brevi Sanctissimi, iisque omnino parere debent.

VII. Utrum alumni teneantur ex vi iuramenti singulis annis S. Sedi scribere, ac de ipsis, suoque statu rationem reddere, etiam postquam ad aliquam dignitatem ecclesiasticam, seu Episcopatum fuerint assumpti.

R. Cum obligatio impendendi operam, quoad vixerint, saluti animarum, ac fidei catholicae propagandae alumnis semper inhaereat ex vi Instituti, cui se iuramento devoverunt, in quocumque statu reperiantur, consequens

est, ut in quolibet statu Sedem Apostolicam de laboribus in huiusmodi munia impensis, et qualiter instituto, quod professi sunt, satisfecerint, edocere teneantur. Quia vero Episcopi idipsum praestant, dum relationem suarum dioecesum statuto tempore ad S. Sedem transmittunt, indulget S. Congregatio, ut, cum id praestiterint, praefato iuramento, quoad hanc partem, satisfacere censeantur, etiamsi quotannis scribere praetermittant.

VIII. An ii, qui de S. Sedis licentia ad statum Regularem transierunt, teneantur quotannis per epistolas eamdem de se, suoque statu ac laboribus quibus incumbunt, per seipsos monere, an vero sufficiat, ut id a superioribus Ordinum praestetur.

R. Tenentur per seipsos.

IX. An teneantur alumni quotannis ad Sedem Apostolicam scribere, ubi ob graves persecutiones hostium fidei, interdictamque quamlibet cum hac S. Sede communicationem, idipsum praestare nequeunt, nisi cum magno vitae, fortunarumque non modo sui, verum etiam hospitum, penes quos degunt, aliorumque catholicorum discrimine.

R. Consulant conscientiae suae, an, et quando metus, et periculum tale sit, ut ab iuramenti observantia sufficienter excuset; admonentur tamen, ne tam facile cuivis difficultati acquiescant, cum saepius id tuto praestari possit, si prudens cautio adhibeatur.

X. An alumni, qui ter, vel quater literas Sedis Apostolicae Nunciis transmiserunt, nullo ab eis reportato responso, suae obligationi iuxta mentem Brevis censeantur satisfecisse.

R. Ipsorum conscientia hac in re oneratur, cum scilicet teneantur eam moralem diligentiam adhibere, quam adhiberet qui vere vellet literas a se conscriptas ad Sedem Apostolicam pervenire.

XI. An Alumni qui in Missione reperiuntur, satisfaciant obligationi scribendi ad Sedem Apostolicam, si id praestent per literas Praefectorum.

R. Negative; quod si, ut supra dictum est idipsum sine magno discrimine per seipsos explere nequeunt, tunc saltem per Praefectos proprium defectum supplere curent.

XII. Quoniam in iuramento, quod hactenus praestiterunt alumni, nulla adest prohibitio ingrediendi Religionem post elapsum triennium, aut obligatio scribendi quotannis ad Sedem Apostolicam, quae modo de novo iniunguntur, nec eas alumni ullo pacto praeviderunt, quaeritur, an ii qui semel iuramentum iuxta formam hactenus observatam emiserunt, aut qui licet, non emiserint, nihil tale suspicantes, ad Collegia se contulerunt, cogendi sint ad novum iuramentum praestandum, vel ad eorum observantiam. Idemque quaeritur circa perpetuitatem servitii, quae licet ex formula prioris iuramenti possit colligi, nihilominus bona fide secuti sunt opinionem, quae in contrarium invaluerat, nulla habita notitia Decreti Innocentii idipsum expresse declarantis.[1]

R. Alumnos qui, antequam Breve Sanctissimi prodierit, iuramentum hactenus servatum emiserunt, Sanctitas Sua nec ad novum iuramentum

[1] Cf. N. 4458.

praestandum, nec ad eius in praemissis observantiam compellit; quod etiam ex benignitate extendit ad perpetuitatem iuramenti, si bona fide ita existimaverint, sed hortatur in Domino, ut nihilominus singula contenta in hoc ultimo Brevi Suae Sanctitatis adamussim observent; ii vero, qui ante promulgationem Brevis non iurarunt, licet bona fide, et cum ignorantia eiusdem ad Collegia se transtulerint, iuxta novam formam in praefato Brevi contentam omnino iurare tenentur.

XIII. An alumni ad perpetuum S. Sedis servitium adstricti censeantur, licet ipsis ab eadem certum, et stabile non decernatur stipendium ad suimet substentationem.

R. S. Sedis servitium quantum ad alumnos pertinet, non ad ipsius Sedis commodum, sed ad Nationum, quibus sponte suam operam devoverunt, salutem dirigitur, eique ex vi instituti, quod professi sunt, educationis, atque instructionis, ac demum iuramenti, non iure stipendii, tenentur quoad vixerint; nec eis ullo pacto licet alteri statui ab huiusmodi Instituto alieno sese addicere, quotiescumque intra proprii Instituti latitudinem, sive ex proprio, sive ex alieno congrue vivere poterunt; si vero status licet perpetuus ab Instituto alienus non sit, eum amplecti minime prohibentur, salva tamen quoad statum Regularem modificatione superius expressa. Quod si necessitate vivendi ad statum aliquem, S. Sede inconsulta, capessendum adigantur, in quo vel ratione Nationis, cui sese addixerunt, vel ratione ipsius muneris, propriae obligationi satisfacere non valuerint; vel, etiamsi id concedatur, illi tamen absque S. Sedis licentia sese addicere nequibant, declarat S. Congregatio illi statui nequaquam addici potuisse, nisi revocabiliter: sibique facultatem reservat eosdem (si status id patiatur) ab eo quandocumque revocandi, necessario tamen illis assignato stipendio pro eorum congrua substentatione, si alia ratione eorum necessitati consultum non esset, iniungens idcirco iisdem sub poena periurii, ut illico S. Congregationem de statu suscepto edocere non praetermittant.

XIV. An censeantur a iuramento absoluti alumni, qui e Collegio dimissi fuerint tamquam discoli, vel inhabiles, vel ex mala valetudine, cum ex iisdem rationibus illud explere non valeant.

R. Consulant singuli S. Congregationem, quae perpensis causis inhabilitatis uniuscuiusque, ac muniis, quibus aliquo modo vacare possunt, vel eos diriget, vel dispensabit. Nullus autem in posterum e Collegiis, quae in Italia sunt, quovis titulo aut colore eiiciatur absque licentia in scriptis Eminentissimi Protectoris, extra Italiam vero Sedis Apostolicae Nuncii.

XV. An § *Praeterea si contingat* ubi declaratur, dimissos, vel sua sponte discedentes ante completa studia, aut Ordines susceptos, a iuramento absolutos non censeri, et § *Insuper declaramus*, in quo excluditur tacitus consensus circa eos qui ad Religionem legitime admittuntur, respiciant tantummodo alumnos futuros, an vero extendantur etiam ad praeteritos.

R. Respiciunt utrosque, perpetuitas tamen intelligitur iuxta dicta in praecedentibus.

XVI. Cum plures ex alumnis non tam ex proprio defectu, quam ex

carentia institutionis sese inhabiles ad salutem animarum promovendam agnoscant, eo quod in Collegiis, in quibus enutriti fuerunt, vel linguarum peritiam vel controversias, aut concionandi artem minime fuerint edocti, nec demum in iis, quae ad praxim spectant curae animarum exerciti fuerint, supplicatur pro aliqua declaratione.

R. Cum in salute animarum procuranda plura sint munia, ac officia pro diversis operariorum talentis, ac habilitate, ad Sacram Congregationem pertinet singulorum expendere capacitatem, et de eorum obligatione iudicium ferre.

XVII. An Praefecti Missionum teneantur monere S. Congregationem, nedum de alumnis praesentibus, verum etiam de praeteritis, et de iis qui erunt deinceps.

R. Tenentur de omnibus.

XVIII. An obligatio imposita Praefectis diligenter perquirendi nomina, ac status eorum, qui ad eam Missionem pertinent, eorumque notulam S. Congregationi transmittendi, extendatur ad Procuratores Missionum.

R. Sanctitas Sua Procuratoribus id non praecipit, sed ad ipsum praestandum hortatur.

XIX. Cum in Brevi iniungatur Rectoribus ut exhibeant nomina eorum, qui e Collegiis discedunt, quaeritur quando eam exhibere teneantur.

R. Eam omnino exhibeant antequam alumni discedant, et, si Collegia fuerint in Urbe, ultra notulam, eosdem alumnos ad Secretarium de Propaganda Fide transmittant, vel ad Sedis Apostolicae Nuncios, si ibi Collegia fuerint ubi Nuncii degunt; eorum vero qui ad Collegia admittuntur, transmittant notulam statim ac pervenerint.

XX. Cum in Decreto iussu Urbani VIII edito praescribatur aetas 14 annorum ad iuramentum praestandum, [1] quaeritur, an si quis eam aetatem expleverit antequam effluxerint sex menses a die ingressus in pluribus fundationibus concessi ante iuramentum, sit expectandum donec sex menses expleantur.

R. Servetur Decretum Urbani.

XXI. Utrum prohibitio interpretandi Breve et iuramentum, extendatur etiam ad interpretationes privatas, et ut dici solet, inter domesticos parietes.

R. Interdicitur quaelibet interpretatio, quae tradatur aut usurpetur tamquam sufficiens ad securitatem conscientiae, cum ad hanc consequendam debeat unusquisque in dubiis emergentibus S. Sedem consulere, ab eaque, ut in Brevi cautum est, responsum in scriptis expectare, adeo ut quantumvis circumferantur responsa S. Sedis nomine, aut per quemlibet, cuiusvis dignitatis extiterit, asseratur interpretationem aliquam a S. Sede promanasse, eidem acquiescere non liceat, nisi de eadem legitimis documentis constiterit. Quamobrem ubi in ipsamet iuramenti formula, aut alibi dicitur illud ab alumnis iuxta superiorum explicationem recipi, ac observatum iri, non aliter quam in praesenti decreto, ac declaratione disponitur, est

[1] Cf. N. 4430.

intelligendum; quod si casus necessitatis urgeat, ita ut S. Sedis responsio expectari nullatenus possit, caveant ab aliquo actu irretractabili, eamdemque S. Sedis mentem quamprimum exquirere teneantur.

Quae praedictorum Eminentissimorum responsa ad se relata Sanctissimus D. N. in omnibus approbavit, ac sua auctoritate firmata esse voluit, et in eodem loco ubi Breve expositum habetur, affigi mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 144].

4467.

S. C. de Prop. Fide, 18 dec. 1662.

De conferentiis et publicis congressibus seu disputationibus missionariorum cum haereticis monetur Generalis (Capuccin.) ut omnino prohibeat, cum S. Sedes plurimis experimentis edocta semper eas prohibuerit; quo vero ad interventum concionibus haereticorum, hoc etiam prohibeatur, sicut a S. C. S. Officii semper fuit prohibitum, nec omnibus indifferenter absolute expediat; quod si aliquis adsit insignioris doctrinae et prudentiae, supplicet in particulari pro licentia.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 148].

4468.

S. C. de Prop. Fide, 22 febr. 1663.

Pro Ordinatione Indorum, curandum ut sacerdotum nationalium numerus inibi et in omnibus regionibus instituatur et promoveatur, ut per totam regionem et per domesticas domos diffusi, fides firmius agat radices, nec facile sit persecutoribus eos et cum ipsis fidem pro libito ablegare. Atque idcirco modis omnibus procuretur ut, statim ac res politicae id permiserint, Collegium alumnorum indigenarum ibi instituatur, qui ad sacros Ordines suscipiendos instruantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 150].

4469.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 4 sept. 1663.

Costumandosi (nel Tonkino e nella Cocincina) di solennizzare i primi tre giorni dell'anno nuovo lunare, si domanda che si possa mangiar carne quando cadranno in Venerdì o Sabato, o nella Quaresima; e che in tali giorni si possa concedere indulgenza a chi visiterà la chiesa, farà limosina o altra opera pia.

R. Cum asserta solemnitas nihil habeat Ecclesiae, nec aliquod christianae fidei mysterium repraesentet, nullatenus expedire aut concedendum esse.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 155].

4470.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Constantinop.), 4 febr. 1664.

1. I missionari pretendono di non soggiacere all'Ordinario circa i casi riservati sotto pretesto di avere la facoltà da Roma.

2. Venendo talora (in Costantinopoli) i greci per schivar l'avarizia dei loro ministri, o per altro fine, a confessarsi dai missionari latini, stimano alcuni di questi che basti l'indurli a dire che credono quello che credevano i loro SS. Padri, senza specificare la fede della Chiesa Romana o il primato del Pontefice, il che par che meriti riflessione rispetto alla ignoranza crassa dei penitenti.

3. Le donne latine santificano non solo le nostre feste, e nel proprio giorno, ma anche le feste del rito greco, e le comuni ne' giorni dei greci. Per contrario i greci non osservano mai le feste secondo il nostro rito, e così si stabiliscono nella loro falsa credenza di primato.

4. Nel celebrare i matrimoni, dopo la triplicata interrogazione sopra il consenso, la sposa non risponde, ma standole una donna dietro, le mette la mano in capo e glielo fa chinare quasi che consenta violentemente.

R. Ad 1. Quoad casus reservatos moneantur missionarii ut omnino abstineant, cum per concessionem casuum reservatorum, quae habentur in facultatibus, concedantur quidem casus Pontificii, non autem episcopales.

Ad 2. Moneantur missionarii, ad excipiendas confessiones graecorum minus sufficere si profiteantur se credere quod eorum Sancti Patres crediderunt, nisi exprimatur fides romana; et ne fiat error in nomine *Romae*, quo nomine etiam Constantinopolim appellant, explicandum est de Roma antiqua et de Summo Pontifice.

Ad 3. De observatione festorum iuxta ritum graecum videtur tolerandum, dummodo non celebrent festa virorum damnatorum.

Ad 4. Quoad abusum de consensu in matrimoniis (de quo agitur), videtur tolerandum cum non valeat inde inferri defectus consensus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 156].

4471.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 dec. 1664.

S. C. declaravit: Hollandiae catholicos saeculares non posse conferre beneficia; si autem sint de iure patronatus praesentent coram Vicario Ap. qui instituat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 158].

4472.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 2 martii 1665.

S. C. declaravit: Non licere Praefecto licentiam missionariis concedere redeundi, etiam completo tempore suarum facultatum, nisi prius Sacra Congregatione praemonita, ac expectato adventu in Missionem aliorum missionariorum per eamdem S. Congregationem deputandorum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 161].

4473.

S. C. de Prop. Fide, 23 nov. 1665.

1. Cum SSmus D. N., ex voto S. C., Vicariis Ap. in regnis Sinarum facultatem largitus fuerit clericos promovendi ad sacros, etiam presbyteratus, Ordines, quamvis necessarium patrimonium non habeant; quaeritur, an huiusmodi promoti possint ad sui sustentationem mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare, et cum ipsis societatem inire, maxime cum non habeant illis in partibus aliam rationem se sustentandi.

2. Quoniam (in Sinis) magistratus gentiles prohibent christianis religionem catholicam exercere, ipsi coguntur Missas audire, Confessiones facere, et SS. Eucharistiae Communione se reficere, noctu, ut priusquam dies illucescat ad suas domos possint tuto redire: ideo supplicatur pro facultate sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandi tribus horis ante auroram.

R. Ad 1. Toleratur ad sustentationem propriam dumtaxat, modo tamen contractus sit ex sua natura licitus, et tantum solummodo impendant quantum honestum patrimonium constituat.

Ad 2. S. Congregatio annuit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 163].

4474.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 2 martii 1666.

Se il Prefetto possa continuare nel governo della Missione sino all'arrivo del successore, benchè sia spirato il tempo delle sue facoltà.

R. Praefectus permaneat in gubernio Missionis usque ad adventum successoris qui a S. C. destinatus et approbatus fuerit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 165].

4475.

S. C. de Prop. Fide, 20 ian. 1667.

An vigore solius facultatis celebrandi Missam quocumque loco decenti missionariis concessae, possit licite Sacrificium ab ipsis celebrari, sicut a quibusdam ipsorum singulis Dominicis et festis celebratur, super mare

in navibus prope littus appulsis, absque praesentia alterius Sacerdotis, qui calicem post consecrationem firmum custodiat ad penitus evitandum effusionis periculum, ut doctores opinantes requirunt?

R. Nullo modo licere Cappuccinis, nec Minoribus Observantibus, nec quibuscumque aliis celebrare, vel mandare vel permittere celebrare Missam in navibus, quia omnino prohibitum est.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 775.]

4476.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 26 ian. 1668.

Relata instantia Patris Guardiani Ierosolymitani ut missionarii S. C. in locis suae iurisdictioni subiectis prohibeantur Missas in eorum capellis diebus festis celebrare, nisi prius celebrata Missa in ecclesia parochiali, S. C. mandavit servandas esse infrascriptas declarationes S. Congregationis Concilii Tridentini videlicet:

a) « *Baren. iunii 1597.* — Congregatio censuit presbyterum in sua ecclesia Missam celebrantem non teneri differre celebrationem donec in ecclesia parochiali Missam parochus celebraverit ».

b) « *Die 6 octobris 1625.* — An Ordinarius ad instantiam rectoris ecclesiae parochialis possit praecipere rectoribus aliarum ecclesiarum non parochialium ne Missas celebrent antequam absoluta fuerit Missa conventualis, quae in ipsa parochiali quotidie celebratur. Congregatio censuit Ordinarium non posse id prohibere ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 166].

4477.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 16 martii 1668.

S. Congregatio providere cupiens damnis spiritualibus quae ex missionariorum remotione a locis Missionum catholicae fidei graviter inferuntur, cum, eadem S. Congregatione inconsulta, ab eisdem Missionibus per Praefectos et Superiores removeantur, vel ipsimet missionarii ad proprias provincias vel conventus redeant cum maximo catholicorum praeiudicio qui operariorum auxilio hac de causa saepius privati remanent; districte praecepit Praefectis Missionum qui a S. Congregatione expediuntur, ut a Missionibus ipsis assignatis, absque licentia S. Congregationis missionarios eorum Praefecturis subiectos nulla causa removeant vel dimittant; ipsis vero iniunxit ne a Missione discedant nisi prius a S. C. obtenta licentia redeundi, quamvis tempus residendi in Missione iuxta eorum decreta integre compleverint, quod etiam per lapsum facultatum expirare non censeatur, et in hoc tempus itineris non comprehendatur. Si vero Praefectis aliquis remotione dignus visus fuerit, teneantur prius consulere S. C. de causa ob quam removendus erit, responsumque expectare antequam mis-

sionarium removeant, aut a Missione suspendant vel dimittant, excepta causa publici scandali, quo casu liceat eisdem, adhibito consilio duorum missionariorum seniorum, removere; debeant tamen S. Congregationem statim certiorare ut alios operarios quamprimum subdelegare possit, sub poena inhabilitatis et incapacitatis ad munia et gradus per S. C. vel eiusdem intuitu, missionariis dari solitos, aliaque arbitraria; et ita servari mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 167].

4478.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 10 iulii 1668.

Inhibeatur Episcopis S. Congregationi subiectis ne Romam sub quovis praetextu veniant absque licentia S. Congregationis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 168].

4479.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 11 iulii 1668.

Emi Patres censuerunt supplicandum esse SSmo, ut decretum alias ab hac S. Congregatione coram s. m. Urbano VIII sub die 28 iulii 1626 emanatum dignaretur auctoritate apostolica confirmare, eiusque observationem districte omnibus Archiepiscopis et Episcopis S. Congregationis mandare ac decidere. Tenor autem decreti talis est:

« SSmus D. N. in Congregatione de Propaganda Fide iustis de causis etc. ». [1]

Quo decreto relato per Secretarium, Sanctitas Sua in audientia sub die 6 augusti 1668 illud iuxta omnes et singulas sui partes auctoritate apostolica confirmavit, atque ab omnibus observari districte mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2246].

4480.

S. C. de Prop. Fide, 14 dec. 1668.

Cum sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum a christianis infirmis exptitur, quaeritur: 1. An missionariis, in praedictorum infirmorum domibus, sacrificium Missae celebrare liceat.

2. An hoc procedat etiam cum mortis periculum urget, sed Viaticum, saltem occulte, deferri potest.

3. An licitum saltem sit, quando neque publice neque occulte deferri potest.

[1] Cf. N. 4432.

R. Ad 1. Non licere.

Ad 2. Non licere.

Ad 3. Tali casu licere, vel in domo infirmi, vel saltem in viciniori domo, si locus decens sit, ne infirmus Viatico privetur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 172].

4481.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 22 mart. 1669.

Quesiti che si propongono da Mons. Vescovo d'Eliopoli, Vic. Ap. del Tonchino, tanto a nome suo quanto di Mons. Vescovo di Berito, Vic. Apost. di Cocincina:

1. Se alli Vicari Apostolici sia permesso di celebrare senza rocchetto, anello, e senza la croce episcopale.

2. Se possano amministrare il Sagramento della Cresima senza mitra e piviale.

3. Se i detti Vescovi *simpliciter* come Vicari Apostolici ed Amministratori nelle Provincie alla loro cura commesse, abbiano la medesima autorità e giurisdizione che hanno, in conformità dei sacri Canoni, i Vescovi nelle proprie diocesi, e se in esse possono farvi tutto quello che ponno fare i Vescovi nelle proprie diocesi.

4. Se abbiano non solo la facoltà ordinaria, ma quella anche dei decreti de' Concilii conceduta ai Vescovi come delegati della Sede Apostolica.

5. Se i Vicari Apostolici possano, anzi sian tenuti di richiedere i Regolari che dimoreranno nei loro Vicariati ad esibire le proprie patenti con privar dell'uso delle facoltà quelli che ricuseranno di mostrarle.

6. Se i Regolari e particolarmente quelli che senza partecipazione della S. C. sono colà dai loro Generali mandati a predicare o ad amministrare i Sacramenti, ovvero che nei luoghi delle missioni ricevono dai Prefetti la comunicazione dei privilegi e facoltà respettivamente debbono essere per tal officio approvati dai Vicari o loro Provicari.

Occorrendo alle volte che i Vicari Apostolici non hanno sacerdoti secolari ai quali possano commettere la cura delle anime, ed all'incontro i Regolari per mantenersi esenti dalla giurisdizione dei Vicari ricusano di accettare l'officio di parrochi, si domanda:

7. Se i suddetti Regolari siano in tal caso obbligati ad esercitare la cura delle anime non solo a titolo di carità, ma di giustizia, mentre sono mandati in quei luoghi per questo fine.

8. Se questi Regolari li quali esercitano la cura dell'anime con solo titolo di missionari siano sottoposti quanto alle funzioni parrocchiali alla visita e correzione dei Vicari o dei loro Provicari.

9. Se i Vicari possono richiedere i Regolari a dar conto della esecuzione delle pie volontà, delle quali sono alle volte deputati esecutori.

10. Se sia permesso ai Regolari senza licenza de' Vicari, anzi contro la loro volontà, fabbricare ed aprire chiese ed oratori:

a) In quei luoghi dove già l'hanno.

b) Dove si trovano missionari d'altr'Ordine o preti secolari parimenti missionari.

c) In tutti gli altri luoghi nei quali niun missionario risiede.

R. Ad 1. Posse cum gravi et urgenti causa.

Ad 2. Posse gravi et urgente causa.

Ad 3. et 4. Negative.

Ad 5. Affirmative, sed intra limites facultatum Vicariis Ap. concedendarum in Regulares.

Ad 6. Non posse Regulares uti suis facultatibus nisi prius obtinuerint licentiam a Vicariis Apostolicis.

Ad 7. In defectu sacerdotum saecularium conceditur Vicariis facultas deputandi Regulares ad exercendam curam animarum, ipsosque cogendi ad hoc munus explendum.

Ad 8. Affirmative.

Ad 9. Concedatur facultas.

Ad 10. Non posse nisi de licentia Vicarii Apostolici.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 178].

4482.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 13 aug. 1669.

Petitiones Vicarii Ap. Tunkini: 1. Che tanto esso che gli altri Vicari Apostolici nelle provincie alla loro cura commesse siano dichiarati primi direttori e superiori delle cose spirituali sotto la Santità di N. S. e di questa S. C. senza però minimo pregiudizio o lesione dei privilegi e delle grazie concedute dalla Sede Apostolica ai Regolari.

2. Che a loro appartenga di verificare e pubblicare tutte le Bolle, Costituzioni ed altri mandati Apostolici, e tutti gli ordini di questa S. C.

3. Che giudizialmente possano visitare tutti gli oratori, cappelle, chiese, ed altri luoghi pii, e provvedere a quello che giudicheranno necessario per servizio di Dio, con darne poi parte a questa S. C.

4. Che a loro appartenga il determinare ciò che giudicheranno a gloria di Dio circa l'osservanza delle feste, digiuni, e riti ecclesiastici, secondo però i decreti de' Sommi Pontefici, la qualità de' luoghi e la circostanza dei tempi.

5. Supplica della facoltà di creare notari apostolici per autenticare le scritture che fosse loro necessario di fare stendere.

6. Che abbiano tutte quelle facoltà che si concedono dal Concilio di Trento agli Ordinari sopra i Regolari circa l'ascoltare le confessioni, predicare la parola di Dio ed esercitare l'officio di parroco.

7. Che si attribuisca loro quella facoltà conceduta agli Ordinari dalla s. m. di Papa Urbano nella sua Costituzione sopra le Missioni dei Religiosi al Giappone e ad altre parti delle Indie Orientali (Const. *Ex debito*, 22 februarii 1633) [1] cioè: Che nascendo controversie tra Religiosi, gli Ordinari come Delegati della Sede Apostolica le decidano e determinino, ma quando fossero di materie gravi, ne debbano dar parte a questa S. Sede, ed attendere da quella necessari provvedimenti.

R. Ad 1. Non licere Vicariis Apostolicis sub quovis praetextu intra suorum Vicariatuum fines uti aliis facultatibus quam quae ipsis specialiter a Summo Pontifice et a S. C. concessae fuerunt.

Ad 2. Annuerunt (Emi PP.).

Ad 3. Posse, sed respectu missionariorum Regularium tantum in iis quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem.

Ad 4. Concesserunt.

Ad 5. Possint creare sex notarios.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Concesserunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 182].

4483.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 13 aug. 1669.

Relatio: Fu rimesso dall'EE. VV. al P. Maestro del S. Palazzo et al P. Leuria l'appresso dubbio:

1. Se li Vescovi siano obligati di rinnovare ogni anno gli Olii Sacri, e ad abbrugiare quelli che sono consecrati, quando l'olio che hanno per nuovamente consecrare è ugualmente vecchio che quello che si ha da abbrugiare. Et in caso che si risponda per l'affirmativa:

2. Se siano tenuti d'abbrugiarli anche in quel caso che la penuria dell'olio e la difficoltà d'averlo fa moralmente dubitare, che, se abbrugiano il consecrato, resteranno privi dell'olio sufficiente per il tempo avvenire.

Quanto al 1. hanno li detti Padri risposto affermativamente, fondati nel can. *Litteris, de Consecrat.*, dist. 4, dove per ragione si assegna che siccome annualmente deve celebrarsi la solennità del Giovedì Santo, così deve ogni anno, e nel medesimo giorno consecrarsi l'olio et abbrugiarsi il vecchio; nè ciò farsi perchè questo sia nuovo o vecchio, ma per la rinnovazione del Sacramento, o del misterio; il quale precetto vien confermato nella Costitut. 13 § 5 d'Innoc. IV. [2]

Quanto al 2. hanno risposto che, se in caso di necessità o di pericolo non può consecrarsi il nuovo Crisma, non deve abbrugiarsi il vecchio, perchè la rinnovazione del Crisma per la validità del Sacramento della Confermazione *non est de necessitate Sacramenti sed ministri;* che perciò tanto è valida la Confermazione col Crisma vecchio che col nuovo, benchè illecita, se ve ne potesse havere del nuovo. Il che cavano dal suddetto can. *Litteris*.

[1] Cf. N. 211.
[2] Cf. N. 34.

Sono però di parere che per uso del Crisma e degli altri olii è espediente di concedere ai missionarii il privilegio altre volte conceduto dai seguenti Sommi Pontefici, riferito dal Verricelli, quest. 98, § 34, cioè *Leone X:* Che si possano usare gli olii vecchi, il Crisma e l'Olio Santo insino al terzo anno, quando con grave difficoltà può aversi l'olio, o il balsamo. — *Gregorio XIII:* Che si possano adoprare gli olii antichi sino a quattr'anni; e Clemente VIII concede il medesimo privilegio in caso che il Crisma e gli altri olii non si possino havere dell'istesso anno.

Anzi il Verricelli tiene che senza il privilegio, in caso di necessità, se fatta la diligenza non si trova l'olio novo consacrato, può adoprarsi il vecchio, essendo più decente di conferire il Sacramento coll'olio antico, che lasciare morire i fedeli senza Sacramento.

R. Concedatur Vicariis Apostolicis, ad formam privilegiorum alias a Summis Pontificibus concessorum, facultas utendi oleis veteribus; et pro ea iusserunt adiri S. Officium.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 183].

4484.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 13 aug. 1669.

Relata instantia R. D. Episcopi Heliopolitani, ut missionariis qui tam ipsum quam alios Vicarios Apostolicos, ad Regna Sinarum ab hac S. Sede missos, secuti sunt, et in futurum sequentur, concedatur facultas celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium super altari portatili in itinere tam eundo ad suas Missiones quam ab eis redeundo, et in locis infidelium, ac ubi ecclesiae apertae non inveniuntur, ne diutius beneficio et solatio spirituali huius sacrificii destituti remaneant, et ad hoc ut, tali medio, christifidelibus qui in praedictis locis infidelium reperiuntur, adiutorio esse possint.

R. Censuerunt (Emi PP.) supplicandum SSmo ut gratiam petitam concedere sua benignitate dignetur. — Quo decreto relato per Secretarium SSmo D. N., Sanctitas Sua (Clemens IX), precibus supradictis annuendo, facultatem petitam concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 184].

4485.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 31 iul. 1673.

Si domanda che si dia licenza ai Vicari Ap. (della Cina) di potere, come fanno i gesuiti per decreto di Paolo V emanato l'anno 1615, celebrare a capo coperto, e di tradurre la Scrittura Sacra, il Messale ed il Breviario in idioma cinese affinchè i sacerdoti del paese possano fare le loro funzioni ecclesiastiche nella lingua naturale.

R. Quoad caput coopertum in celebratione Missarum, annuerunt (Emi PP.) ad formam Brevis Pauli V, [1] et supplicetur SSmo. — In reliquis nihil. SSmus (Clemens X) approbavit. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 206].

4486.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 5 apr. 1674.

1. Utrum possint Vicarii Apostolici (Sinarum et Regnorum adiacentium) eorumque missionarii uti privilegiis suis erga subditos alterius dioecesis, qui ad dictos Vicarios Apostolicos ab Ordinariis mittuntur ordinandi.

[1] Breve Pauli Pp. V (27 iunii 1615) ita se habet: « Romanae Sedis Antistes, in qua dispositione incommutabili divina altitudo universalis ecclesiae constituit principatum, auctoritatem a Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen ad aedificationem sibi traditam intelligens, sacrorum canonum custodiae ita providentiae moderamine invigilat ut quoties eorum rigorem ecclesiae Dei publicae utilitati non conducere, si tunc obser-vetur, cernit, illum indulgendo temperet et relaxet, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Cum itaque dilecti filii clerici regulares Societatis Iesu in florentissimo et amplis-simo regno Sinarum commorantes ac inibi conversioni illarum gentium operam dantes Nobis nuper exponi fecerint, quod cum in illis regionibus divino auxilio non parvum ostium evangelicae praedicationi apertum sit, conversioni autem animarum non modicum prae-beat impedimentum quod sacrosanctum Missae sacrificium tecto capite, ac tam sacrificium Missae huiusmodi quam divina officia Sinarum lingua celebrari, sacraque Biblia in eandem Sinarum linguam transferri non possint; quae si Apostolicae Sedis indulgentia permitte-rentur, impedimentum huiusmodi amoveretur, et innumerabilis populi qui Deum nondum noverunt et nomen eius non invocaverunt conversioni magnopere consuleretur. Quare Nos, qui licet immeriti eius vices gerimus in terris, qui propter nimiam charitatem qua dilexit mundum, de summo coelo descendere, et in forma servi mortem et mortem crucis subire dignatus est, pro Nostro officii debito animarum salutem quantum ex alto conceditur, ope-rari cupientes, matura deliberatione praehabita cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus haereticae pravitatis generalibus inquisitoribus, gravissimis de causis, ac de eorumdem Cardinalium consilio, nunc et pro tempore existentibus dictae Societatis Iesu regularibus in dicto regno Sinarum conversioni illarum gentium operam dantibus, et aliis catholicis sacerdotibus ibi existentibus, ut quotiescumque a Sede Apostolica aliter declaratum non fuerit, in sacrosancti missae sacrificii celebratione caput contectum habere pileo non communi tamen et vulgari quo utuntur passim seu ordinarie, sed alio huius sacri mysterii proprio eiusque coloris cuius sunt paramenta caetera, et si id commode fieri non poterit, saltem illo quo uti solent in praedicatione verbi Dei et aliis sacris functionibus. Praeterea regularibus praefatis ut sacra Biblia in linguam Sinarum, non tamen vulgarem, sed eruditam et litteratorum propriam transferre illisque sic translatis uti, ita tamen ut in huiusmodi translatione summam et exquisitam adhibeant diligentiam ut translatio fidelissima sit. Insuper personis nationis Sinarum quae ad fidem catholicam venerint ut postquam canonice fuerint ad sacros ordines promotae, sacrosanctum missae sacrificium praefatum, ac divina officia horarum canonicarum, nec non postquam ab habente auctori-tatem idoneae repertae et admissae fuerint, sacramenta ecclesiastica ministrare, et alias quascumque ecclesiasticas functiones lingua similiter Sinarum erudita et litteratorum propria iuxta ritum tamen Ecclesiae Romanae celebrare, recitare ac ministrare et peragere respective possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Volumus autem et decernimus quod si unquam contigeri in illis partibus constitui Episcopos seu Episcopum, ex hac permissione non censeatur praeiudicari muneri et iurisdictioni episcopali. Non obstantibus etc. »

[2] Litteris Ap. *Romanus Pontifex*, 23 dec. 1673.

2. Utrum possint Vicarii Apostolici eorumque missionarii uti privilegiis suis erga subditos qui sunt multum ab Ordinariis suis distantes, et quos habent Vicarii Apostolici potestatem ordinandi absque litteris dimissoriis Ordinariorum sicuti sunt subditi Episcopatuum Malacae, Meliapor, et aliorum qui sunt sub potestate haereticorum et infidelium.

R. Ad 1. EE. PP. annuerunt dumtaxat respectu ordinandorum qui suorum Ordinariorum dimissorias exhibent.

Ad 2. Gaudeant impetratis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 207].

4487.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), decr. 4 febr. 1677.

[Textus huius decreti refertur in Clem. XII, const. *Dudum*, 26 martii 1736, § 1. — Cf. N. 298].

4488.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 21 mart. 1678.

S. C. declaravit: Non licere religiosis cuiusque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Iesu, sodalitia seu confraternitates sub quovis praetextu erigere absque permissione Vicariorum Apostolicorum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 214].

4489.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 7 aug. 1678.

Petitiones Vic. Ap. Tunkin.: 1. Ut Episcopis naturalibus (i. e. indigenis) eligendis concedatur usus Pontificalium pro celebratione divinorum officiorum pro administratione Sacramentorum, pro consecratione Olei Sancti, altarium, et sacrorum Vasorum, ordinationes vero exercere non possint nisi de consilio Vicarii Apostolici europaei illius Regni ita ut non possint quemquam ad sacros Ordines promovere nisi approbationem habeat in scriptis eiusdem Vicarii. Concedatur etiam eisdem Episcopis naturalibus iurisdictio episcopalis in utroque foro, et in constitutione eorum deputationis declaretur omnes missionarios tam saeculares quam regulares catechistas, et alios operarios ipsis subesse non secus ac disponit pro Vicariis Apostolicis europaeis Bulla *Speculatores* etc.[1] cum hac tamen restrictiva ut literae Patentales dictorum omnium operariorum etiam Regularium recognoscendae sint a Vicario Apostolico europaeo ita ut ante recognitionem praedictam non possint Episcopi naturales audiendi confessiones nec verbum Dei praedicandi eis licentiam impertiri etc.

[1] Cf. N. 245.

2. Ut dictis Episcopis naturalibus non communicentur quatuor facultates concessae Vicariis Apostolicis in Bulla *Speculatores* etc. praedicta, sed eisdem Vicariis Apostolicis reserventur, quae sunt:

Processus fabricandi pro miraculis et Martyribus.

Disponendi circa observantiam festivitatum et Sacrorum Rituum.

Publicandi Literas Apostolicas, Iubilaeum, Indulgentias, et Decreta Sacrarum Congregationum etc.

Creandi Notarios Apostolicos.

3. Ut Vicariorum Apostolicorum arbitrio relinquatur potestas communicandi Episcopis naturalibus omnes facultates a S. Congregatione Sanctae Inquisitionis ipsis impartitas, ut facilius eorum amorem, et aestimationem sibi captare possint reservando tamen illas solum Vicariis Apostolicis Synarum elargitas, nempe deputandi duodecim sacerdotes cum facultate consecrandi altaria, calices et patenas cum oleo ab Episcopo benedicto; dispensandi in secundo gradu etiam quoad matrimonia futura, et in impedimento disparitatis cultus.

4. Ut dicti Episcopi naturales nominentur administratores, et non Vicarii Apostolici, eorumque deputatio fiat a Vicario Apostolico europaeo illius regni cum multis clausulis exprimendis in litteris deputationis.

5. Ut dicti Episcopi naturales teneantur in dubiis tam circa interpretationem literarum quam in aliis casibus recurrere ad Vicarios Apostolicos eorumque decisiones observare, omnibusque aliis praeferre.

6. Utrum dicti Episcopi naturales possint in privatis congressibus condere decreta et leges pro suis Provinciis, easque publicare sine approbatione Vicarii Apostolici.

7. Utrum Vicarii Apostolici cogere possint eos Episcopos naturales ad personaliter interessendum eorum Synodis, vel saltem per procuratorem.

8. Utrum in certis et gravibus casibus iidem Vicarii Apostolici possint mutare de una in aliam Provinciam dictos naturales Episcopos.

9. Ut permittatur Vicariis Apostolicis quod promovere possint ad omnes Ordines sacros ad titulum Missionis et absque dimissoriis Ordinariorum omnes instructos ab iisdem Vicariis vel eorum ministris in eorum seminariis et qui solitum iuramentum emiserunt.

10. Ut declaretur ad Vicarios Apostolicos dumtaxat spectare eligere administratores etiam laicos pro ecclesiis etiam privatis, ludimagistros constituere atque approbare, aliaque facere gubernium tam ecclesiarum quam christifidelium concernentia, et hoc ad tollendas dubitationes, cum in Bulla *Speculatores* nulla de iis fiat mentio.

R. Ad 1. Affirmative iuxta petita, cum clausula *donec a S. Sede aliter fuerit determinatum*, quam quidem clausulam Emi Patres intelligendam esse voluerunt semper, et in omnibus facultatibus concessis etiam in praecedentibus Congregationibus, et in futuris concedendis tam duobus delegatis quam aliis Episcopis et Vicariis Apostolicis.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Facultates concedantur solis Vicariis Apostolicis europaeis cum

solita facultate illas vel in totum vel in parte Episcopis naturalibus communicandi in locis tantum eorum Missionis seu Vicariatus.

Ad 4. Episcopus Heliopolitanus extendat formulam per extensum, et mittatur per manus Em̃orum.

Ad 5. Episcopi naturales in difficultatibus, quae occurrant circa interpretationem Literarum Apostolicarum seu Constitutionum consulant Vicarios Apostolicos europaeos, quorum opinionem sequi teneantur donec a S. Sede Apostolica de eisdem certiorata responsum acceperint.

Ad 6. Non posse nisi praevia approbatione Vicariorum europaeorum.

Ad 7. Posse concedi.

Ad 8. Posse concedi tantum duobus delegatis Apostolicis Heliopolitano scilicet et Beritensi.

Ad 9. Affirmative.

Ad 10. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 216].

4490.

S. C. de Prop. Fide, 23 nov. 1688.

S. C. declaravit: Missionarios teneri exhibere Litteras Patentes Vicariis App. et, ipsis absentibus, eorum Provicariis, et ab eis licentiam pro suis facultatibus exercendis postulare, quae negari non debet nisi in casu gravis causae S. Sedi communicandae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 234].

4491.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 maii 1695.

S. C. declaravit: Illicitam sed non invalidam efficere Ordinationem (Episcopi) deficientiam duorum Episcoporum cum consecratore. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 239].

[1] Bened. XIV, *De Syn. dioec.*, lib. XIII, cap. 13, n. 7, haec habet: « ... Animadvertimus sicuti valida est sed illicita Episcopi consecratio, quam unus peregerit Episcopus duobus assistentibus sacerdotibus, dum Apostolicum non praecessit indultum, quo ita fieri permissum fuerit, non absimili ratione validam haberi debere, et tantummodo illicitam episcopalem consecrationem, quam peregerit unus Antistes, uno assistente presbytero, quamvis in obtenta dispensatione seu indulto ea lex adscripta fuisset ut duo adstarent presbyteri; utroque enim casu omnia concurrunt ad actus validitatem necessaria, et utroque casu aliquid desideratur quod ad eiusdem actus solemnitatem et praescriptorum rituum observantiam pertinet: quandoquidem in prima facti specie deest Antistitum praesentia a sacris canonibus statuta, in altera vero desideratur praesentia duorum sacerdotum quos Pontifex adhibendos voluit ».

4492.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 8 aug. 1698.

S. C. declaravit: Non licere Vicariis App. eripere ecclesias Regularibus; posse tamen ex legitima causa aliquem regularem removere, dummodo alius restituatur eiusdem Ordinis deputandus a Superiore regulari, et a Vicariis App. approbandus; neque hac in re adversari Breve Clementis IX, [1] iuxta quod licet iisdem Vicariis parochias dividere et multiplicari operarios tum saeculares tum regulares iuxta sacros canones.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 244].

4493.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 30 aug. 1700.

Se le facoltà del Prefetto (di Missione) debbono durare sino a tanto che saranno ottenute le nuove del successore.

R. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 249].

4494.

S. C. de Prop. Fide, 14 febr. 1702.

Nullus Vicarius Ap. iurisdictionem aliquam exercere possit nisi intra limites provinciae seu territorii sibi in Brevi suae deputationis a Sede Ap. demandati. Contra vero nullus Episcopus aut alius Ordinarius, quantumvis metropolitana, seu primatiali, aut alia quacumque dignitate praefulgens in praefatis locis Vic. Ap. curae commissis, ullo modo se ingerere possit aut debeat. Missionariis autem sive saecularibus, sive regularibus, etiam Societatis Iesu, non liceat, etiam vigore suorum privilegiorum, Sacramenta administrare aut alia munia parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum seu Vic. Apost., in quorum respective provinciis, aut dioecesibus eosdem missionarios commorari contigerit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 253].

4495.

S. C. de Prop. Fide, 3 mart. 1703.

Possunt baptizari, etiam invitis parentibus, pueri adulti, qui Baptismum desiderant: adultus autem censetur, qui septennium complevit, regulariter loquendo.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 255].

[1] Cf. N. 245.

4496.

S. C. de Prop. Fide (Quebec), 20 iun. 1703.

S. C. declaravit: Licere Vicariis App. degere ubi voluerint in suo districtu.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 258].

4497.

S. C. de Prop. Fide, decr. 17 iun. 1715.

S. C. censuit supplicandum SSmo pro confirmatione et renovatione decreti s. m. Alexandri VII, [1] 26 iulii 1662 et eiusdem extensione ad omnes Regulares a S. Sede Ap. etiam ad nominationem seu supplicationem S. Congr. Prop. Fidei ad officia Vicarii Ap. seu Ecclesiae alicuius Administratoris seu Visitatoris promovendos cum charactere episcopali... Censuit etiam S. C. iuramentum de huiusmodi decreto observando, quod alias praestari deberet in manibus Emi Cardinalis Ecclesiam in Consistorio propposituri, posse praestari coram Emo Praefecto seu Secretario eiusdem S. Congr. ante consecrationem eiusdem Episcopi seu Archiepiscopi; transmittendum vero decretum s. m. Alexandri VII cum extensione, ut supra, ad Secretarium Brevium, ad D. Auditorem SSmi, et ad magistros caeremoniarum, qui Emo Episcopo consecranti, ante ipsam consecrationem affirment eiusdem iuramentum fuisse praestitum, eaque de re in suis registris faciant mentionem. SSmus approbavit.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 285].

4498.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Naxivan.), 14 ian. 1716.

Se per le dispense matrimoniali che concede (l'Arcivescovo), e per le quali gli vien proibito di esigere cosa alcuna, sia anco proibito il ricevere *sponte oblata.*
R. Transmittatur Decretum S. C. Concilii 3 iulii 1634. [2]
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 288].

4499.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 28 febr. 1716.

S. C. censuit: Missionarios S. C. non posse removeri nec alio transmitti sine licentia S. Congregationis.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 289].

[1] Cf. N. 238.
[2] Cf. N. 2561.

4500.

S. C. de Prop. Fide, 4 mart. 1716.

Quatenus praetendant (Superiores Regulares in Tunkino) spolia missionariorum S. Congregationis, ad eamdem recurrent; et interim Praefectus seu Superior Missionis retineat spolia consignanda cui S. Congr. mandabit.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 290].

4501.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 10 nov. 1716.

S. C. censuit: Spolia rerum omnium tempore missionis acquisitarum non modo a missionariis, sed etiam ab Episcopis Regularibus, aere et sumptibus eiusdem S. Congr. in Missione degentibus, post eorum obitum ad S. C. spectare, et in utilitatem Missionis eroganda.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 291].

4502.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 22 dec. 1716.

1. Se i predetti decreti [1] si devono anche estendere alli spogli dei Vescovi Regolari mantenuti dalla S. Congregazione.
2. Se i spogli dei Vescovi dipendenti dalla S. C. spettino alla medesima, che a tali Vescovi ha somministrato i sussidi, o siano provvisioni annue, ad effetto però di erogarli in beneficio delle Missioni, e specialmente della Chiesa nella quale il Vescovo è morto.
R. Ad 1. et 2. Affirmative.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 292].

4503.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin.), 9 oct. 1723.

S. C. censuit: Licere Vicariis Apostolicis pro tempore degere in suo Vicariatu ubi maluerint cum facultate constituendi sibi peculiarem districtum in ambitu Sedis in qua suum ipsi figent domicilium; quod si ibidem alius fuerit missionarius, Vicarius Apostolicus alium illi districtum assignet.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2249].

[1] Cf. N. 4500, 4501.

4504.

S. C. de Prop. Fide, 2 oct. 1724.

Cum Sacrae huic Congregationi innotuerit in aliquibus Missionibus... perniciosam eamque prorsus erroneam opinionem irrepsisse scilicet quod missionarii eo quia tales instituti sint ab eadem S. Congregatione, quae pariter Praefectos instituit, non sint subditi sed socii eorumdem Praefectorum, atque ideo cum par in parem non habeat imperium, eorum praeceptis obtemperare non teneantur: Emi PP. ad huiusmodi abusum vanamque sententiam penitus eliminandam declararunt, quod missionarii sunt vere subditi et tenentur obedire superioribus localibus, etiam occasione transitus, et istos ac ipsorum subditos Praefectis, Praefectos vero et reliquos omnes P. Procuratori Generali Ordinis et S. Congregationi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2250].

4505.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 28 sept. 1725.

Sit regula generalis, et perpetuis deinceps temporibus omnino servanda, scilicet, quod spolia Episcoporum, Vicariorum App. et missionariorum S. Congregationis ad eam pertineant, et ad Procuratorem pro tempore eiusdem S. C. in Sinis morantem fideliter atque integerrime transmitti debeant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 303].

4506.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Mission. Congi), 14 ian. 1726.

1. Avvertano essi missionari non esser loro lecito, nè aver la facoltà di concedere dispense matrimoniali, nè di assolvere dalle censure in foro esterno nei luoghi ove sono i Vescovi, e dove si estendono le diocesi e giurisdizioni dei medesimi.

2. Assolvendo essi missionari nel foro interno taluno degl'incorsi nelle censure riservate alla S. Sede, e dichiarati incorsi dai Vescovi per pubblica sentenza, o in altro modo giudizialmente, sono tenuti d'avvertire gli assoluti, che fin a tanto non saranno stati assoluti nel foro esterno dal Vescovo, devono reputarsi e contenersi come se non fossero stati in alcun modo assoluti, e però non esser lecito ai medesimi di conversare, intervenire nella chiesa, ricevere i Sacramenti, ecc.

3. Neppure è lecito ai missionari di assolvere in foro interno ad ogni semplice richiesta delli scomunicati, ma solamente nell'attuale sagramental confessione de' peccati, e purchè vi concorrano le debite disposizioni, e specialmente di soddisfare la parte offesa, di esser pronti ad ubbidire, e di ricorrere al Vescovo per l'assoluzione *in foro externo* subito che possano.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 305].

4507.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Mission. Orient.), a. 1729.

Cum saepe ac diu varii, sub variis utilitatis, necessitatis, periculorum, vexationum, atque etiam persecutionis a fidelibus subeundae circumstantiis, casus huic S. Congr. propositi fuerint a missionariis ac Praelatis Orientis quoad communicationem in divinis catholicorum cum haereticis et schismaticis; cumque ab hac S. C. constanter uniformiterque rescriptum fuerit: *non licere;* concepta spes erat, missionarios Orientis satis ac facile intellecturos, posse quidem *speculative* casus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam in divinis tolerare liceret, sed *practice*, circumspectis omnibus facti circumstantiis, difficillime casus inveniri, in quibus ea communicatio liceat, ac moraliter etiam impossibile esse ut alia praescribatur regula generalis cuique hominum generi, cuique regioni, cuique tempori accommodata, quam quae iteratis a missionariis Orientis quaesitis data est ab hac S. C. in Instructione edita anno 1719, eo nimirum doctrinae principio nixa quod communicatio in divinis cum haereticis et schismaticis ut illicita regulariter habenda esset in praxi, vel ob periculum perversionis in fide catholica, vel ob periculum participationis in ritu haeretico et schismatico, vel denique ob periculum et occasionem scandali; quae quidem circumstantiae quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum haereticis et schismaticis connectuntur in praxi, ita universim vetitae sunt iure naturali ac divino, in quo nec ulla potestas est quae dispenset, nec ulla conniventia quae excuset; adeo ut nullus relictus locus fuerit nova dubia fingendi ac proponendi: proinde in ea Instructione diserte praescriptum est: *Missionarii instruendi erunt quod omnino abstinere debent ab actibus protestativis falsae sectae, a communicatione in ritu schismatico et haeretico, a periculo perversionis, et ab occasione scandali.*

Addita quidem in praedicta Instructione haec verba sunt: *hisce semper firmis et salvis et prae oculis habitis, si ulterius aliquod grave dubium occurret, doctores theologos, et missionarios diu versatos in illis regionibus consulant.* Quae quidem aliqui contra mentem S. huius Congr. interpretati, ius sibi arrogarunt casus omnes definiendi, ac scriptis etiam regulas generales tradendi in hac materia adeo implexa periculosas; ex quibus et missionariorum discissa studia, distracta consilia, et opiniones minime cohaerentes quaestionem, licet toties definitam, magis ac magis implicarunt, non sine detrimento conscientiarum, et scandalo offensioneque bonorum; quare haec S. C. opportunum duxit praedictam Instructionem iterum inculcare, ac singulis missionariis omnino praescribere ut regulis in ea traditis sese omnino conforment, et obtemperent.

Cordi sit ergo singulis Praelatis, missionariis, sive directoribus animarum fideles edocere atque excitare ad haec evitanda pericula, quae regulariter, aut omnia aut aliqua, subeunt in communicatione *in divinis* cum haereticis, et schismaticis Orientis, qui licet adhuc substantiam ac valorem Sacramentorum plerumque conservent, non sinunt tamen ut ea, quae debent, catholici improbationis et segregationis signa exterius edant; ex quo fit, ut exterior illa conformatio in eodem cultu, et reverentia in pseudoministros liturgiae catholicum quemque, quamvis in fide firmissimum, et ritus haereticos vel schismaticos, quibus eorum cultus inficitur, exhorrentem, periculo tamen scandali liberare non possit.

Id ex eo etiam confirmatur magis quod vix ullus sit ritus apud heterodoxos, qui aliquo errore in materia fidei non maculetur: nam in eorum ecclesiis, vel dedicatio est in memoriam schismatici alicuius, quem ut sanctum venerantur; vel extant imagines, vel coluntur reliquiae vel festa celebrantur eorum, qui in schismate mortui, veluti sancti vulgo habentur, vel denique commemoratio fit viventium Patriarcharum, et Episcoporum schismaticorum, et haereticorum, qui ut *fidei catholicae praedicatores* commendantur. Qua de re, qui in ea ritus et orationis et cultus celebratione conveniunt in his facti circumstantiis catholici quique, reatu perversae communicationis, aut saltem perniciosi scandali purgari non possunt. Nec eos excusat assistentiae mere materialis praetextus; facto enim ipso excluditur, quo qui functionibus hisce haereticorum, aut schismaticorum intersunt, satis cum ipsis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in unitate venerationis et obsequii erga perversos ministros haereseos schismatisque praeseferunt.

Patescit id etiam ex eo quod orientales ipsi quotidie oculis vident, auribus audiunt, ore confitentur, nullum nempe sectarium obfirmatum in schismate accedere, interesse, convenire in ecclesiis catholicorum, sive ut Missam audiat, sive ut Sacramenta suscipiat, ea nimirum de causa, quod fidelium conventus veluti perversae communionis blasphemantes, perniciosum et illicitum putent commercium hoc, ritumque damnabilem. Cum vero videant ad eorum ecclesias accedere, eorum ritibus interesse, de eorum Sacramentis participare catholicos, an non credendum, aut saltem timendum erit, ne ex hoc ipso magis in suis erroribus confirmentur, ac se in recto salutis tramite ambulare sibi etiam hoc exemplo persuadeant? Ex quo sequitur difficillime vitari posse periculum scandali perniciosi schismaticis, et haereticis ipsis: ac proinde catholicum tutum in conscientia non esse, si cum iis in divinis in hac facti specie communicet.

Haec sane fidelibus documenta tradenda sunt, atque ideo haec S. Congr. Praelatis, missionariis, et singulis animarum directoribus in Oriente serio iniungit, ut unanimes hoc ipsum dicant omnes, et in eodem sensu ac sententia maneant, nec contrarium doceant, aut per modum consilii, aut per modum dispensationis: sed magis hortentur fideles pro re nata, ut a communicatione *in divinis* cum schismaticis et haereticis prorsus abstineant, et si quando ab ea regula deviarint, eos hortentur ac doceant ut peccatum

hoc aperiant in Sacramento Poenitentiae, quo veniam a Deo obtineant, et in posterum cautiores evadant.

In excipiendis vero confessionibus, missionarii, sive directores circumstantias casus, quae magis, vel minus gravem poenitentium culpam efficiunt, diligenter examinent, eorumque oculis subiiciant; in id semper intenti, nequid laxam hac in re eorum conscientiam efficiant, sed opportunis documentis et monitis timidiorem potius et cautiorem, ne communicando *in divinis* cum schismaticis et haereticis animam in salutis discrimen adducant.

Consuetum quidem est causam persecutionis afferre, quam a schismaticis et haereticis subeunt catholici, qui ab eorum ecclesiis ac functionibus abstinent. At curent missionarii ac directores, ut quique cognoscant vanum plerumque metum esse, imo vero etiam necessarium omnino esse persecutioni non cedere, eo vel magis quia persecutio ipsa aequivalet interrogationi fidei: atque id etiam ostendant tum exemplis tot fortissimorum ac firmissimorum in fide catholicorum, qui huiusmodi vexationibus minime succumbunt, tum antedictae doctrinae principio ab ipsa etiam Ecclesia Orientali suscepto, tum denique catholici nominis dignitate, quae minime patitur ut ipsi inimicis animarum et fidei unionis, quam profitentur cum Romana Ecclesia, sese subiiciant ac demittant; quin etiam attendant non alio spectare artem hanc vexandi fideles, quam ut ab iis agnoscantur heterodoxi veluti verorum rituum, verae fidei, verae Ecclesiae ministri, atque ita facile catholicos, aut a fide praevaricatores, aut saltem errorum approbatores facto ipso efficiant; licet dictitent semper se eorum communionem exigere tantum pro conservatione ritus et eleemosynarum. Quae quidem omnia, si serio ac graviter et iteratis monitis impressa fidelium mentibus fuerint, sperandum sane est, ex se ipsis promptiores et alacriores in dies ferendis iniuriis factos, firmiores quoque ac constantiores futuros in unione et communione verae unius Ecclesiae, quam profitentur.

Facile sibi persuadet haec S. C. omnes et singulos Praelatos et directores animarum in Oriente, maxime vero missionarios Instructionem hanc veluti normam in praxi servandam habituros, disputationibus hac de re prorsus omissis: nec aliud sive in agendo, sive in docendo, semotis dissidiis, secuturos. Quod si praeter spem aliter acciderit, noverint omnes, qui catholico nomine gloriantur, Sacram hanc Congregationem contra transgressores validiora remedia paraturam, eosque ut minime idoneos directioni animarum, et Missionibus Orientis habituram.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 311].

4508.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 12 sept. 1729.

Inhaerendo decretis alias latis quoad eos (Regulares) qui post obtentum decretum suae deputationis ad exercendum munus missionis sibi commissae, illud exequi renuunt, contra huiusmodi renuentes poena statuitur privationis vocis activae et passivae, et inhabilitationis ad quaecumque officia

eorum Ordinis, ita quod quilibet Religiosus qui nedum post editum, ut supra, decretum suae deputationis, verum etiam post expeditas solitas litteras pro eorum examine, recedat a suscipiendo munere missionis absque legitima causa per S. C. cognoscenda et approbanda, ipso facto praedictam privationem incurrat, ad beneplacitum eiusdem S. C. duraturam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 312].

4509.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Visitator. Ap. Tunkin. Occident.), 3 oct. 1736.

Duo sunt perniciosa inconvenientia in administratione Sacramenti Poenitentiae in Tunkino Occidentali quae huic S. C. relata sunt: Primum atque praecipuum est quod passim reis graviorum criminum, fornicationis, ebrietatis, superstitionis, differatur ad menses integros et amplius absolutio sacramentalis; parentibus vero qui matrimonio filiorum cum disparitate cultus vel alio impedimento dirimente contracto, consensum dedere, etiamsi deinde non sit amplius in eorum potestate matrimonium rescindere, denegant absolutionem per plures annos, et quandoque usque ad exitum vitae, interim impositis ieiuniis, orationibus, aliisque pietatis operibus, ut maiorem illi criminum horrorem concipiant, et ita ad recipiendum absolutionis beneficium disponantur. Alterum est in excessu satisfactionum quas imponunt, plurium rosariorum, videlicet usque ad numerum etiam tercentenarium, totidem litaniarum cum ieiuniis, ciliciis aliisque afflictivis operibus, statutis diebus, per hebdomadam, aut menses aut annos integros. Ad evellendos igitur intolerabiles huiusmodi abusus, operae pretium visum est per theologos ad hunc effectum deputatos Instructionem hanc dirigere, ex SS. Patribus, Conciliorum et Romanorum Pontificum decretis excerptam, cui confessarii praedicti in Tunkino Occidentali sese subiicere et omnino adhaerere teneantur.

1. Quod attinet ad primum, multi profecto dantur casus in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen est opportunum et subinde necessarium; *Videat*, inquit S. Carolus Borromaeus in Instructionibus Poenitentiae, *confessarius ne quem absolvat, qui vel odium inimicitiamve deponere nolit, vel restituere pro facultate recuset alienum, vel a statu peccati mortalis paratus non sit discedere, occasionemve similis peccati vitare*. Hinc Sedes Apostolica adversus mollem, et praeposteram nonnullorum casuistarum in concedenda absolutione facilitatem, miro zelo semper insurrexit, ut ex propositionibus ab Alexandro VII,[1] Innocentio XI[2] aliisque Romanis Pontificibus iure meritoque damnatis, cuique legenti exploratum est. Valde autem prolixum foret, casus huiuscemodi enumerare, sed videri possunt

[1] Cf. N. 734.
[2] Cf. N. 754.

apud S. Carolum Borromaeum in Instructione confessariorum, et a sanctis istis regulis, totius Ecclesiae consensu firmatis, non sinant confessores se abduci falsa misericordia erga poenitentes.

Verum, praemissis casibus exceptis, promiscua et passim adhibita cuiusque peccati mortalis retentio, causa concipiendi maiorem adversus crimina horrorem, et acquirendi meliorem dispositionem ad beneficium absolutionis obtinendum, non est profecto medicina nec castigatio congrua unquam invitis poenitentibus adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus confessariis contra omne fas usurpata, et a tribus Romanis Pontificibus proscripta. Hanc nimirum severam et imprudentem (ne quid peius dicam) praxim inducere primum tentavit Petrus de Osma ea propositione: *Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta*, merito damnata in Concilio Complutensi, et a Xisto IV, anno 1478, in Bulla quae incipit: *Licet ea.*[1] Eamdem exitialem praxim, post apostatam Marcum Antonium de Dominis, lib. 5 *De Republ. eccles.*, cap. 7, et Antonium de Arnaldo, lib. *De frequenti Communione*, part. 2, cap. 8, apud Belgas et aliquot Gallos rigorismi sectatores invaluisse constat. Ex quorum libris, Alexander VIII,[2] inter reliquas, has duas propositiones iusto anathemate confixit: 16. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia nec institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante*. — 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Poenitentiae est inversus*. Crudelem hanc praxim quoad substantiam, subdolis et aequivocis terminis inducere iterum tentavit Quesnellus hisce duabus propositionibus. — 87. *Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei antequam reconcilientur*. — 88. *Ignoramus quid sit peccatum, et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum quibus nos peccatum expoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem*, iure meritoque in Bulla *Unigenitus* a Clemente XI damnatis.[3] Profecto praxis ista severa plurimam animis affert perniciem, praesertim attritis aut, si mavis, amare incipientibus, S. Leone et Augustino (epist. 180 ad Honoratum) docentibus: *plurimos perire defectu Sacramenti qui eius subsidio ad superna evolassent*. Aeternae igitur damnationis periculo manent expositi, monente nos sapientissimo Salvatore, ut semper vigilemus in iustitia, quia *qua hora non putamus Filius hominis veniet*.

Sed demus rigidis directoribus, ut huiusmodi attriti supervivant usque ad absolutionem; dilata his absolutione, manent illi Dei hostes, incapaces omnis meriti et satisfactionis; eorum enim opera iuxta S. Thomam, in 4, dist. 15, cum sine charitate fiant, non sunt satisfactoria: *Impossibile enim est*, inquit, *quod aliquis Deo satisfaciat, nisi Deo placeat; ideoque ut sit conveniens satisfactio, oportet esse informatam gratia sanctificante*. Et in Supple-

[1] Cf. N. 58.
[2] Cf. N. 760.
[3] Cf. N. 270.

mento, quaest. 14, art. 2: *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Quaecumque igitur proposita fuerit indulgentia, nullam peccator consequi poterit absolutione destitutus; suspiciones, detrimenta famae, scandala, ex promiscua absolutionis dilatione oriuntur. *Validum adversus peccatum frenum est confitendi pudor*, ut habetur ex canone 88, *De Poenitentia.* Quid quod repulsi poenitentes abiiciunt saepe cogitationem de salute desperando?

Missos faciant igitur praeposteros Ecclesiae reformatores, et adhaereant potius Concilio Trident., sess. 6, cap. 14, *De lapsis et eorum reparatione,* ubi habemus absolutionem praeviam satisfactioni, et peccatorum culpam cum poena aeterna remissam Sacramento Poenitentiae ante satisfactionem, qua solum poena remittitur temporalis post absolutionem residua. Haec autem praxis prudens et benigna non est a Tridentino primum instituta, sed est, teste Catechismo Romano, antiquissimus Ecclesiae usus, Scriptura et Patrum auctoritate comprobatus. Filio prodigo redeunti iubet pater evangelicus proferri cito stolam primam, nec eum remittit ut pascendo porcos maiorem concipiat adversus peccata horrorem, et ut ad paternum amplexum disponatur. Inter articulos ob quos Chrysostomus a quibusdam Episcopis perperam depositus, sed auctoritate Apostolica restitutus fuit, hic erat: *Si iterum peccasti, poeniteat te iterum, et quoties peccasti, veni ad me et ego te sanabo.* Basilius in admonitione ad filium spiritualem: *Quando,* inquit, *te peccatis obnoxium senseris, ad poenitentiam cito te converte ne confundaris.* Lex Clementina *Dudum, De sepulturis*, mandat sacerdoti ut *Confessiones audiat, poenitentias imponat, et absolvat.* Decretum Bonifacii Episcopi Moguntini statuit ut *curet unusquisque presbyter, statim post acceptam confessionem poenitentium singulos, data oratione, reconciliare.* Infinitus essem si omnia Patrum documenta pro tali Ecclesiae praxi afferre velim; sed allegata sufficiant.

Praxis ergo ista, prudens et benigna, tot testimoniis munita, absolvendi statim peccatores, vel attritos vel contritos, viget in tota Ecclesia catholica ubi copia est confessorum, ubi nullum persecutionis periculum: quanto magis ergo in Tunkino Occid. necessario servanda est, ubi multae et continuae contra catholicos persecutiones vigent, et ubi quidem messis multa est, sed operarii paucissimi. Nec vos decipiant novatores, qui sub zeli umbra crudelitatem exitialemque socordiam in corde nutriunt; ne vos, inquam, decipiant Scripturae testimoniis *Ezechielis*, 13, et *Ierem*, 6, quibus passim abutuntur; nihil enim magis ex illis colligere possumus, quam quod dispositione necessaria carentibus non sit impartienda absolutio, non autem quod dispositione illa praeditis sit deneganda, neque ullum in antiqui foederis oraculis invenietis locum, iuxta quem poenitentibus dilata fuerit, vel differenda sit cum Deo reconciliatio. Vix David confessus fuerat delictum dicens: *Peccavi Domino*, cum Nathan mox Dei nomine denuntiat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Nec vos iterum seducant testimoniis Cypriani, Rom. Cleri, Innocentii primi, aliorumque Patrum, quibus pariter abutuntur; lectis enim testimoniis istis non detruncatis, sed ex integro, cuique ingenue attendenti apparebit loqui illos de quibusdam peccatis publicis eo tempore publica poenitentia plectendis;

quamvis probati auctores putent in ipsa poenitentiae publicae impositione peccatores regulariter a culpae reatu fuisse absolutos, hoc enim erat *accipere impositionem manus in poenitentiam*, absolvi a reatu culpae et accipere modum satisfactionis publicae. Quinimo ipse Morinus, summae apud novos theologos auctoritatis, lib. 6, cap. 24, quamvis criminum publicorum absolutionem etiam sacramentalem putet dilatam fuisse usque ad canonicae poenitentiae adimpletionem, quoad alia peccata nobis consentit; sic enim lib. 9, cap. 14, ait: *Crimina omnia et peccata, quae illis saeculis non expiabantur per publicam poenitentiam, statim aut paulo post editam sacerdoti confessionem, remittebantur, pauculis exceptis, quae cum publica erant, communionis ecclesiasticae privatione nonnumquam a Canonibus castigabantur.* Idem eodem lib. cap. 1 docet, quod Catechismus Romanus, consuetudinem absolvendi *statim* post confessionem *esse ab ipsis Ecclesiae incunabulis, si enormia quaedam crimina excipias, pro quibus debebatur poenitentia publica.* Imo cap. 14 ostendit in Orientali Ecclesia a duodecim saeculis hucusque servatum morem etiam a peccatis publicis absolvendi statim; quod sub operis finem fusius probat ex libris graecorum poenitentialibus.

Quoniam vero ex Conc. Trid. vigere debet usus infligendi poenitentiam publicam peccatis publicis et scandalosis; hinc descendendo ad particularem casum a Visitatore Apostolico (Tunkini) relatum de parentibus qui consensum praebent matrimonio filiorum cum disparitate cultus, certum videtur quod quamdiu in eorum potestate est matrimonium rescindere, atque de eo moniti renuunt rescissionem, non esse capaces nec dispositos ad beneficium absolutionis recipiendum. Verum si ex parte praestiterunt quidquid possunt, et non sit amplius in eorum potestate filios ab invalido contractu revocare, nulla ratio est ut illi contriti et confessi, per annos integros, aut usque ad exitum vitae sacramentali absolutione priventur; ne vero aliis exemplo sint ut similia matrimonia perpetrentur, possent, confessi iam et absoluti, vel Eucharistiae communione (privari), vel alia publica poenitentia, arbitrio prudentis et discreti Episcopi, mulctari.

Modus igitur plenus sapientia et charitate est animas peccatrices citissime ex peccati statu, iuxta praxim universalis Ecclesiae, in Christi Evangelio fundatam, eripere, ut cito accipiant stolam primam, nec protrahere, sed quantum fieri potest accelerare spiritum poenitentiae, iuxta formam quam Conc. Tridentinum saluberrime praescripsit, ut ante reconciliationem proponant, ut post illam tutius ac salubrius in statum gratiae repositi, satisfacere satagant.

2. Quod vero pertinet ad secundum excessum in imponenda satisfactione plurium rosariorum, litaniarum, ieiuniorum, etc., duo quoque extrema vitanda sunt. *Confessor prudens*, inquit S. Carolus Borromaeus in Instructionibus Poenitentiae, *pro imponenda poenitentia, nec ita levem adhibeat ut clavium potestas inde contemnatur, et ipse peccatorum alienorum evadat particeps, nec ita etiam gravem aut diuturnam, ut poenitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur.* Non est cur ad evitandum primum ex his extremis immoremur; sufficit enim Concilium Tridentinum audire, sess. 14, cap. 8: *Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et*

prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salu-
tares et convenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniveant
et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravis-
simis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Ad mitigandum tamen secundum excessum qui in sacerdotibus tun-
kinensibus viget, pauca quidem afferimus, solida tamen illa, sapientiae
et prudentiae plena documenta, quibus sedulo attendere debent, ut et
muneri suo et poenitentium utilitati respondeant. Attendant igitur ad hanc
S. Thomae Aquinatis doctrinam (*Quodlibeto*, 3, quaest. 13, art. 1): *Videtur*
satis conveniens quod sacerdos non oneret poenitentem gravi pondere satisfac-
tionis, quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur,
ita posset contingere quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper exci-
tatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter despe-
rante; unde melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset
sibi pro peccatis iniungenda, et iniungat illi nihilominus aliquid quod poenitens
tolerabiliter ferat, ex cuius impletione assuefiat ut maiora impleat, quae etiam
sacerdos iniungere non attentasset; et haec quae praeter iniunctionem expressam
facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae ex illa generali
iniunctione qua sacerdos dicit: Quidquid boni feceris sit tibi in remissionem pec-
catorum. Eamdem doctrinam repetit idem Angelicus Doctor in 4, dist. 2,
quaest. 1, art. 2, quaestiuncula 2, ad 3: *Sacerdos*, inquit, *minorem condi-*
gno poenitentiam iniungens, non semper peccat..., quia quandoque, etiam ex
industria minorem poenitentiam imponens, plus prodest poenitenti quam noceat,
qui forte magnitudine poenitentiae posset a poenitentia peragenda impediri
propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatae; et ideo ne-
gligit minus damnum ut maius evitet, et interim paulatim confortatus in eo
divinus amor ad plura poenitentiae opera peragenda ipsum incitabit propria
sponte, quam sacerdos eidem secundum gravitatem peccatorum iniungere po-
tuisset.

Attendant et perpendant monitum S. Caroli Borromaei in Instructio-
nibus Poenitentiae: *In poenitentia imponenda adhibebit et prudentiam et*
pietatem et iustitiam. Habebit rationem status, conditionis, sexus, aetatis, etc.
Quamobrem talem imponat qualem ab eo praestari posse iudicet; proinde ali-
quando, si ita viderit expedire, illum interroget an possit anve dubitet poeni-
tentiam sibi iniunctam peragere, alioquin eam mutabit aut minuet. Conside-
rabit item animum mentemque poenitentis, ac fletum, gemitum et lacrymas
intimi doloris indices... Pauperibus eleemosynam non imponat, nec iis qui ex
proprio labore victum quaerunt ieiunium indicatur, quod et in aliis poenitentiis
observandum.

Attendant tandem ad consilium S. Francisci Salesii in monitis pro con-
fessariorum instructione scriptis, cap. 8: *Satisfactiones intricatas et in variis*
operum generibus, aut diversarum orationum magno numero compositas, impo-
nere non expedit, eo quod illa diversarum orationum congeries aut piorum ope-
rum varietas, oblivionem poenitentiae impositae inducat, indeque anxietatem
et scrupulos pariet in animis poenitentium; deinde remittitur et tepescit ple-
rumque devotio, dum poenitens magis cogitat quas orationes recitare vel quid

agere debeat et quotidie, quam attendat ad preces ipsas quas fundit, aut ad
opera ipsa quae facit.

Si haec et ad reliqua S. Caroli Borromaei monita et consilia sedulo
attendant, mitigabunt profecto nimium quem hucusque exercuerunt rigo-
rem, et animarum saluti et propriae obligationi consulent.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 321].

4510.

S. C. de Prop. Fide (Ceylan), 16 aug. 1737.

1. An possint indifferenter baptizari omnes filii catholicorum, qui ibi
sub dominio haereticorum nascuntur, etiamsi certo sciant, ipsos pueros,
si vivant, a parentibus fidelibus esse deferendos, ut a ministro haeretico
baptizentur, quia metu persecutionis negaturi sunt, filios suos esse a catho-
licis baptizatos?

2. An possint permittere, vel expresse non prohibere parentibus talem
agendi rationem, quam bona fide existimant licitam?

R. Ad 1. Affirmative, et moneantur missionarii, quod docere debent
fideles, ut sciant se administrasse Sacramentum Baptismi.

Ad 2. Negative, et quod missionarii teneantur monere suos subditos
de illicita cooperatione ad iterationem Baptismi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 557].

4511.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 sept. 1739.

Un missionario di Xensi supplica che si conceda a favore de' missionari
la dispensa o indulto che possano portare il Viatico agli infermi senza la
stola, essendo che spesse volte accade che l'infermo dimora lontano venti
o trenta stadii, cioè tre, quattro o più miglia, ed essendo molto sottili e tra-
sparenti le vesti del missionario, facilmente ne può trasparire agli
occhi de' gentili la stola pendente dal collo dello stesso missionario, non
senza pericolo di tradimento del missionario medesimo, e di privazione del
Viatico in riguardo all'infermo. Inoltre domanda se nelle case, nelle quali
i cristiani vivono misti coi gentili, si possa amministrare il Viatico senza
cotta, ma colla sola stola. Il motivo... si è che hanno (i gentili) per cattivo
augurio il vestire vesti bianche nelle proprie case.

R. Quoad 1. dubium: In casu necessitatis licere. — Quo vero ad 2. Orator
aliique missionarii, quibus idem dubium subeat, recurrant in casibus
particularibus pro directione ad Vicarium Ap.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 324].

4512.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 sept. 1741.

Moneantur omnes Vic. Ap. et missionarii S. Congr. ut singulis annis ad eam mittant catalogum conversorum, baptizatorum, et Sacramentorum quae quisque in sua Missione administraverit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 331].

4513.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 mart. 1743.

S. C. iustissimis de causis adducta constituit ne Procuratoribus missionariorum regularium consueta pecuniae subsidia persolvantur nisi prius certo documento ostenderint, atque exhibuerint numerum missionariorum, qui revera in missionibus obeundis occupantur.

Insuper eadem S. C. censuit ac decrevit Litteras Encyclicas dandas esse Praefectis Missionum ut singulis annis describant numerum missionariorum, qui ipsis subiecti sacras missiones exercent, et etiam de illorum moribus, integritate vitae et diligentia sincerum testimonium ad S. C. transmittant.

Denique iussit commendari magnopere, ac praecipue Episcopis et Vicariis Apostolicis, ut certam faciant S. C. si aliquis fortasse ex missionariis muneri suo minime satisfaciat, vel suis moribus et exemplis offensionem et scandalum praebeat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 342].

4514.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Graeco-Melchit.), 15 febr. 1746.

[Tenor huius instructionis refertur in Bened. XIV, const. *Praeclaris*, 18 mart. 1746. - Cf. N. 366].

4515.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. et Vic. Ap.), 17 iun. 1747.

Egli è un debito preciso di questa S. C. non solamente invigilare con la più premurosa attenzione al buon servigio delle Missioni apostoliche da essa dipendenti, ma di accorrere altresì con prontezza, e con l'uso dei mezzi opportuni al riparo di quegli abusi e disordini, che possono talvolta derivare o dall'imprudenza o dal poco zelo, o anche dalla non edificante condotta di qualche particolare missionario. Quindi è che giudicando molto

confacevole a tale intento l'essere annualmente informata non meno del numero, che degli andamenti di quei soggetti, e più particolarmente degli Ordini e Istituti Regolari, i quali attualmente dimorano nelle rispettive Missioni, destinati dalla medesima all'esercizio dell'evangelico ministero: siccome incarica con una sua lettera circolare ciascuno dei Prefetti da essa costituiti tali in virtù di suo Decreto, o Patente, che debbano ogni anno dar conto dei loro subordinati, così per mezzo della presente, parimente Circolare, commette lo stesso carico a ciascuno dei Metropolitani, Vescovi e Vicarii Apostolici, in riguardo a quei missionarii, che si trovano nella medesima S. Congregazione sottoposti espressamente all'autorità e direzione degli stessi. Desidera pertanto, che V. S. rispetto a somiglianti soggetti, tanto del clero secolare, che del regolare, favorisca verso il termine di ogni anno trasmetter qua un distinto catalogo dei medesimi, con l'individuazione dei loro nomi, specificando *coram Deo*, e in sua coscienza, quali siano i costumi di ognuno, l'integrità o i difetti della di lui vita, l'idoneità e la diligenza con cui adempie i doveri del suo impiego, e qual frutto corrisponda alle sue industrie e fatiche in beneficio delle anime alla di lui assistenza confidate. Si attenderanno adunque con particolare espettazione circa questo importante affare gli effetti del zelo ben noto e della vigilante accuratezza di V. S. per necessario lume e governo della detta S. C., la quale l'assicura, che la richiesta annuale informazione sarà da essa custodita con la dovuta segretezza. Inoltre si compiacerà Ella di conservare la presente per notizia e regola dei suoi successori in *codesta diocesi* con avvertenza, che se mai (che Dio nol permetta) venisse nel decorso dell'anno ad accadere qualche inconveniente bisognoso di pronto rimedio, quale potesse o dovesse dalla stessa Sagra Congregazione apprestarsi, in tal caso non manchi di darne subito l'avviso.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 362].

4516.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Tunkin. Orient.), 14 ian. 1753.

I dubbi proposti da V. S. concernenti le *Permissioni Alessandrine* colle risposte dei missionari di cotesto suo Vicariato essendo stati letti e considerati da questa Sagra Congregazione, è restata essa maravigliata, che dopo la chiarissima disposizione della Costituzione di Nostro Signore Benedetto XIV, *Ex quo singulari*, [1] dalla quale credeva essere stata affatto tolta e troncata ogni occasione di dubbio o di contesa sopra i riti di cotesti popoli gentili verso i loro progenitori defunti, o contenuti nelle condannate permissioni di Monsignor Patriarca Alessandrino, o riferibili alle medesime, siensi nondimeno eccitati costà nuovi dubbi, e quello, che più importa, siensi proposte risoluzioni affatto contrarie allo spirito della medesima

[1] Cf. N. 329.

Costituzione. Per la qual cosa questa Sagra Congregazione coll'approvazione di Nostro Signore ha stimata cosa necessaria senza rispondere a tutti i dubbi in particolare (cosa che potrebbe somministrare occasione agli spiriti inquieti d'eccitar nuovi dubbi sopra le risoluzioni, che si dessero), dichiarare a V. S. ed a cotesti missionari la mente espressa della S. Sede Apostolica, acciocchè questa dichiarazione serva di regola per la retta intelligenza ed osservanza delle Costituzioni Apostoliche emanate sopra gli accennati riti.

Fa dunque intendere a V. S., ed a tutti cotesti missionari del Tunkino essere stata sempre mente della Sede Apostolica, e tuttavia essere, che gli operai evangelici armati di zelo e di vigore apostolico adoperino tutte le forze per sradicare affatto dai novelli cristiani tutti i riti e le ceremonie di cotesti popoli infedeli verso i defunti progenitori. Non aver essa mai tollerato, nè tollerare al presente sotto nome di culto civile alcun atto in ispecie di quei riti e di queglì ossequi, o contenuti nelle condannate permissioni, o inducibili alle medesime, i quali sono usati da cotesti popoli gentili verso i defunti. Tutto quello che si prattica da cotesti gentili in culto dei loro progenitori e propinqui defunti, a riserba degli offici della naturale pietà consistenti nel sotterrare o collocar ne' sepolcri i loro corpi, o degli ossequi civili consistenti nel ritenere a memoria della posterità le loro immagini, e le insegne dei magistrati civili che eseguirono vivendo, e nello spiegare in epigrafi domestiche o pubbliche le loro gesta e i loro uffici, debba tenersi come superstizioso, o per lo meno come gravemente sospetto di superstizione, e per conseguenza in nessuna maniera praticabile dai cristiani. Esser nientedimeno lecito ai cristiani verso i fedeli defunti usare tutti quegli ossequi e quelle ceremonie, che secondo il costume e il rito della Chiesa Cattolica sogliono dai cristiani pratticarsi verso i defunti trapassati nella comunione della stessa Chiesa. Nessuno però di questi cattolici riti potersi practicar dai cristiani verso i defunti gentili. Nei funerali dei fedeli defunti non doversi ammettere i gentili, acciocchè non credano, che da noi sia dato quel culto ai nostri morti, che essi prestano ai loro defunti, e se comodamente non si possano escludere, debbansi quelli istruire qual sia la pietà della Chiesa verso l'anime de' morti. Richiedere la stessa Sede Apostolica da tutti i missionari l'esattissima osservanza in tutto, e per tutto alla Costituzione *Ex quo singulari*, così che non voglia tollerare alcuna cosa, la quale, o si contenga nelle condannate permissioni, o a quelle sia riferibile. Finalmente questo essere lo spirito delle Costituzioni Apostoliche emanate sopra i riti chinesi, al quale spirito debbono i missionari conformarsi come regola della loro condotta nella guida di cotesti novelli cristiani.

Ma in quanto alla controversia insorta tra i missionari di cotesti Regni, se debba il confessore ammonire e istruire i penitenti, che ignorano invincibilmente la proibizione d'alcuni riti superstiziosi, o la condannazione delle Permissioni Alessandrine, quando prevede, che ammoniti ed istruiti non saranno per emendarsi e continueranno negli atti superstiziosi, oppure debba lasciargli nella loro buona fede; considerando la Santità di Nostro

Signore che l'abbandonare cotali ignoranti nella loro ignoranza circa i casi, di cui si tratta, non solo è un chiuder la porta all'osservanza uniforme delle Costituzioni apostoliche in tutti cotesti cristiani, ed un eludere premure della Santa Sede, che sieno notificate a tutti i cristiani le sue dichiarazioni circa detti riti; ma che in oltre il pretermetter quest'istruzione ritorna in grave scandalo de' gentili, e in pregiudizio pubblico del nome cristiano in cotesti Regni: perciò dichiara che sebbene in alcuni casi, dove non si tratta dell'ignoranza dei primi principii della nostra santa fede, o delle cose, che son necessarie a sapersi da tutti per conseguimento dell'eterna salute, ma dell'ignoranza di altre cose, la cui scienza non appartiene ai principii della nostra santa religione, e dove il lasciare nella loro invincibile ignoranza i penitenti non apporta scandalo, nè reca pubblico danno, anzi giova per ovviare a qualche scandalo, possano i confessori pretermettere l'istruzione di cotali penitenti ignoranti, quando prevedono, che non sia per apportar alcun frutto la loro ammonizione; contuttociò nel caso presente non può aver luogo questa dottrina, trattandosi d'ignoranza riguardante il primo precetto del decalogo circa il culto d'un solo Dio, al qual culto s'oppone ogni atto di superstizione tendente all'idolatria, e trattandosi inoltre di permettere una prattica contraria alla purità della religione, e difforme dagli altri cristiani con scandalo degli infedeli, e che perciò debbano i confessori, o i missionari ammonire e istruire non solamente i penitenti, ma chiunque altro cristiano, che ignori invincibilmente la proibizione dei riti superstiziosi, e la condannazione delle Permissioni Alessandrine, ancorchè non sperino frutto dall'ammonizione; mentre l'istruire cotali ignoranti è un debito dell'ufficio degli operai evangelici ingiunto ad essi dalle stesse Costituzioni apostoliche, che proibiscono l'uso delle dette permissioni; e il non riportar frutto dalle ammonizioni deriva unicamente dalla colpevole pusillanimità di tali cristiani, i quali da nessun timore di danno temporale possano essere scusati dall'uso degli atti superstiziosi. Doverà pertanto V. S. notificare a Monsig. Vicario Apostolico del Tunkino Occidentale questa dichiarazione della S. Congr. acciocchè la notifichi ai missionari del suo Vicariato, affinchè tutti si uniscano a stabilire una prattica conforme in tutti i cristiani.

Così in quanto al dubbio singolare, se possano i cristiani per causa urgente intervenire ai conviti, che si fanno dai gentili in occasione di celebrar le memorie dei loro defunti dopo i sagrifici, e l'oblazione dei cibi fatta ai defunti medesimi, e mangiare insieme coi gentili anche i cibi offeriti, non intervenendo però essi cristiani nè a' sacrifici, nè all'oblazioni: La Sacra Congregazione considerando che i sagrifici, le oblazioni, e i conviti, in cui i gentili onorano le memorie de' loro defunti si fanno da essi per modo d'una stessa azione mangiando in essi conviti anche i cibi offeriti, e che perciò tali conviti hanno una necessaria relazione alle offerte superstiziose, non può tollerare, che i cristiani per qualunque urgente causa intervengano agli accennati conviti, per non confermare colla loro presenza gl'infedeli nella loro falsa credenza, e nei riti superstiziosi verso i defunti. Ordina perciò, ed incarica a V. S. ed al Vic. Apostolico del Tun-

kino Occidentale e missionari di cotesto Regno che onninamente proibiscano ai cristiani rispettivamente soggetti alla loro cura l'intervenire ai detti conviti. Dovrà pertanto V. S. notificare al sopradetto Vicario Apostolico queste determinazioni della Santità Sua, non dubitando essa punto, che tanto V. S., quanto i missionari coopereranno col loro zelo alle sue sante intenzioni, per render pura e incontaminata da ogni macchia di superstizione codesta novella cristianità, attendendo più allo spirito della Santa Sede manifestato nelle Costituzioni apostoliche, che alle vane sottigliezze di alcuni, che vorrebbero oscurarne l'intelligenza, e deluderne l'esatta e semplice osservanza. — *Die 14 ianuarii ann. 1753 Sanctissimus* (Bened. XIV) *Instructionem hanc approbavit.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 386].

4517.

S. C. de Prop. Fide, decr. 30 apr. 1753.

Ad tollendas nonnullas corruptelas inductas Smyrnae, et in oppidis finitimis praesertim in celebratione Missarum:

1. S. Congregatio, si SSmo placuerit, omnino prohibet sacerdotibus missionariis tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti, etiamsi indigeant speciali mentione, celebrari Smyrnae Missas in privatis domibus et in domiciliis ubi consules schismatici et haeretici commorantur.

2. Tempore pestis permittit Missas celebrari in privatis domibus, de licentia tamen Vicarii Ap., decenti loco, et per ipsum Vic. Ap. approbando, ubi neque iudaei, neque schismatici et haeretici commorentur.

3. Prohibet celebrari Missas in aedibus privatis, etiam ex causa infirmitatis, cum minus incongruum sit infirmos sine Missa persistere, quam quod sacrosanctum Sacrificium ex indecentia iniuriam patiatur.

4. In singulis oppidis, ubi nullae ecclesiae neque sacella publica existunt, duae Missae tantum diebus festis, habita prius licentia Vicarii Ap., celebrari possint in domo alicuius privati in qua nulli degant turcae, iudaei, schismatici et haeretici; ac locus, in quo Sacrum peragi debet, sit decens, et ab omnibus domesticis usibus liber, ab eodem Vic. Ap. visitandus et approbandus.

5. Caveant omnino missionarii, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, cum festivitas aliqua celebratur, consules schismaticos ad ecclesias invitare, et illis introeuntibus aquam benedictam porrigere, ac quodcumque honoris signum in ecclesiis exhibere; et P. Dominicus a Belvedere (missionarius) accedat ad Urbem ut se iustificet.

6. Denique interdicit missionariis S. Congregationis exercere in posterum absque eiusdem facultate munus capellani in sacellis consulum catholicorum. — Die 8 iulii 1753 relato supradicto decreto... SSmo D. N., Sanctitas Sua benigne approbavit mandavitque ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 388].

4518.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 6 aug. 1753.

S. C. censuit: Missionarios, gaudentes facultatibus a S. Sede concessis, non posse absolvere a casibus Episcopo reservatis, nisi de licentia Ordinarii.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 390].

4519.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 7 ian. 1755.

Moneatur missionarius Pekini eo quod in solemnitatibus lingua sinensi Missam celebrari permiserit; quod fieri in posterum omnino prohibetur. Caveat etiam ne in Missae sacrificio preces et cantica lingua sinensi admisceantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 394].

4520.

S. C. de Prop. Fide, instr. 15 febr. 1756.

Si aliquis gentilis plures habens uxores velit Baptismum suscipere, et quaevis ex illis, quanquam prima non sit, christiana fieri velit, poterit in tali casu usus fieri facultatis in prima Formula contenta sub numero 11.[1] Animadvertendum tamen est quod tunc renovandus erit a coniugibus consensus. Si vero una ex pluribus uxoribus quae sanctissimam religionem amplecti vult, prima non sit, haec libera est ut nubat cui vult, utpote quae legitimo contractu alligata non erat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 397].

4521.

S. C. de Prop. Fide, 10 ian. 1757.

Scribatur Episcopis (Albaniae) posse mutari parochos, ex causis tamen rationabilibus et canonicis, puta persecutionis infidelium, odii vel inimicitiarum cum populo, vel gravis scandali, et tandem ratione maioris utilitatis parochianorum; non tamen intuitu privati commodi vel lucri ipsorum parochorum, quibus Episcopi consulere poterunt in casu vacantiae pinguioris et commodioris parochiae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 186].

[1] En n. 11 Form. I facultatem: « Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti ».

4522.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 8 mart. 1757.

S. C. declaravit: Nec licuisse nec licere orientalibus quarumcumque nationum, inconsulta Apostolica Sede, a proprio ipsorum ritu ad latinum ritum transire, ac nullis prorsus missionariis licuisse nec licere, inconsulta Apostolica Sede, huiusmodi transitum orientalibus quarumcumque nationum permittere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 403].

4523.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 apr. 1757.

Come si abbiano da intendere le parole del Rescritto per le dispense: *nec ullo modo uti possit extra fines dioecesis*, cioè, se possa il privilegiato dispensare col suo suddito che stesse fuori della sua diocesi.

R. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 404].

4524.

S. C. de Prop. Fide (C. G. – Albaniae), 18 apr. 1757.

1. Se possa un Prelato dar licenza ad un parroco di rinunziare la sua cura senza che sia prima provvisto *aliunde* di altro benefizio.

2. È obbligo d'ogni parroco predicare nei giorni festivi; si domanda se siagli ancora di obbligo predicare *inter missarum solemnia* quando c'è poco numero per ascoltarlo; cioè quante persone bisogna che vi sieno presenti per obbligare il parroco a far loro la predica in tali giorni.

3. Se possano i parroci ricevere denaro per l'amministrazione del Battesimo.

4. Se i cattolici lavoratori dei beni di chiesa usurpati dai turchi possano godere della porzione che tocca loro dall'aver lavorati tali beni; e se possano nascondere dei frutti, biade, ecc. che toccano ai turchi usurpatori, per consegnarli al parroco che in realtà n'è il padrone, e far celebrare tante Messe pel benefattore.

5. Sono soliti gli scismatici (nell'Albania) di chiamare i sacerdoti latini nell'esequie dei loro morti a far celebrare Messa per l'anima loro. I nostri c'intervengono, ricevono limosina per la Messa, ma l'applicano per gli antenati degli scismatici, stati una volta cattolici quando erano uniti colla Chiesa Romana. Se non c'intervenissero, non ricevessero limosina, e non mostrassero applicarla secondo le loro intenzioni, farebbero confusione al popolo e danno contro i nostri. Si domanda se sia lecita e senza peccato tal pratica in tali circostanze.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Teneri, non attento exiguo numero populi, diebus saltem dominicis et festis solemnibus.

Ad 3. Negative; sed posse aliquid recipi a sponte dantibus titulo merae et liberae eleemosynae.

Ad 4. Affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam.

Ad 5. Non licere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 405].

4525.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 apr. 1758.

1. Domanda (l'Arcivescovo di Sofia) se deve lasciar correre l'uso di battezzare i fanciulli coll'acqua benedetta dal sacerdote in occasione dello stesso battesimo, non essendovi in quelle parti nè scalpelli nè pietre per fare un fonte battesimale; e quando anche vi fossero, non potendosi conservare che nella casa di qualche particolare, si corre rischio che dia nell'occhio dei turchi, che entrano da per tutto come padroni.

2. In mancanza di sacerdoti cattolici sentono (i fedeli) la Messa degli scismatici, e si servono dei loro preti per assistere ai funerali; l'Arcivescovo riferisce di non avere su di ciò istruzione alcuna.

3. In alcuni luoghi i greci (scismatici) vogliono che il missionario nel giorno dell'Epifania vada a benedire le loro case; il che dice Monsignor Arcivescovo che i missionari non hanno potuto negare per timore di maggior male.

4. Se ne' luoghi ove non è nè chiesa, nè casa del missionario, sia più decente celebrare la Messa nella casa dell'infermo, od in altra abitazione particolare.

R. Ad 1. Transmittatur decretum anni 1660;[1] ubi tamen deficiat fons aquae baptismalis, utantur missionarii aqua naturali, ut rescriptum fuit a S. C. S. Officii sub die 6 aprilis 1741.[2]

Ad 2. In funeribus catholicorum sacerdotes schismaticos tolerari non posse, nisi forte pure materialem praesentiam ac civile ministerium exhibeant, ut ex decreto S. C. S. Off. sub die 10 maii 1753.[3]

Ad 3. Toleretur quod in die Epiphaniae sacerdos catholicus vocatus, ac metu coactus a schismaticis, eorum domibus benedicat, modo ne cum iis in oratione communicare videatur.

Ad 4. Non licere ex devotione; licere tamen ex necessitate.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 411].

[1] Cf. N. 4465.
[2] Cf. N. 792.
[3] Cf. N. 804.

4526.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 12 mart. 1759.

S. Congr. confirmavit decretum editum die 8 martii 1757 [1] quo statutum est non licuisse nec licere (post editas scilicet an. 1755 litteras encyclicas f. r. Benedicti XIV incipientes *Allatae sunt*) [2] orientalibus quarumcumque nationum, inconsulta Apostolica Sede, a proprio ipsorum ritu ad latinum ritum transire. Et nullis prorsus missionariis licuisse aut licere, inconsulta Apostolica Sede, huiusmodi transitum orientalibus quarumcumque nationum permittere. Quia vero eadem S. C. audierat nonnullos ex orientalibus esse qui in aliqua tantum parte, et non in omnibus latinum ritum amplexi fuerant; quosdam vero post editas an. 1755 a f. r. Benedicto XIV litteras encyclicas incipient. *Allatae sunt*, relicto proprio ritu ad latinum transiisse: idcirco eodem in decreto statuit, et nunc iterum confirmat, huiusmodi orientales, hoc est, tam eos qui ante praedictas litteras ad latinum ritum in aliqua tantum parte, non in omnibus, transierant, quam illos qui post praedictas litteras latinum ritum, etiam in omnibus suis partibus amplexi sunt, ipsos vere ad latinum ritum non transiisse, sed teneri illos in proprio orientali ritu perseverare, atque eiusdem legibus in omnibus obtemperare, idque sub poena peccati gravis a quo, quamdiu in eo pertinaces fuerint, sacramentaliter absolvi non possent.

Ceterum si qui ante praedictas Benedicti XIV litteras encyclicas latinum ritum in omnibus suis partibus amplexi sunt, et hucusque in eo perseveraverunt, his, si SSmo placuerit, indulgeri posse existimavit ut in eodem permaneant. Quam quidem indulgentiam etiam ad graeco-melchitas esse extendendam censuit: quamvis enim pro istis nominatim edita fuerit Decretalis *Demandatam*, [3] itemque Breve *Praeclaris*, [4] post quae decreta nullo modo ipsis licuit ad latinum ritum transire, nihilominus si illorum aliqui post dicta decreta, sed ante encyclicas litteras *Allatae* latinum ritum in omnibus suis partibus amplexi fuerint, et hucusque in eo perseveraverint, ut in eodem permaneant indulget, non obstantibus dictis decretis, super quibus hac in re, et pro hac vice tantum ad omnimodam quietem in posterum obtinendam, Sanctitas Sua benigne dispensat. — Noverint insuper prohibitam esse omnibus omnem rituum mixturam, et confusionem. Debent enim, qui latinum ritum sequuntur, eidem ritui integre se conformare; et idcirco abstinentias et ieiunia Ecclesiae latinae observare, festa iuxta calendarium gregorianum sanctificare, et parochis latinis immediate subesse. Eodemque modo quicunque orientalem alium ritum profitentur, servare tenentur omnia ieiunia, abstinentias aliasque laudabiles proprii ritus consuetudines, suisque catholicis superioribus, ubi isti reperiantur, immediate subesse.

[1] Cf. N. 4522.
[2] Cf. N. 434.
[3] Cf. N. 338.
[4] Cf. N. 366.

Cum vero propositum a quibusdam dubium fuerit, quem ritum sequi coniuges debeant, si forte diversi ritus fuerint, S. Congregatio SSmi D. N. Papae auctoritate permitti posse censuit ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica ad mariti ritum transire non permittatur.

Noverint autem omnes ablatam omnem variandi facultatem. Nemo proinde, inconsulta Apostolica Sede, vel a latino ad orientalem, vel ab orientali ad latinum ritum transire deinceps praesumat. Qui secus fecerint, eorum transitus prorsus illicitos, irritos ac nullos fore declarat. — SSmus in omnibus approbavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 414].

4527.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), decr. 19 maii 1759.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide (habita die 12 martii 1759) [1] inter cetera etc. cum propositum a quibusdam fuerit dubium, quem ritum sequi coniuges debeant, si forte diversi ritus fuerint, Sacra Congregatio SSmi D. N. Papae auctoritate permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica, ad mariti ritum transire non permittatur. — Relatione autem facta per R. P. D. Nicolaum Antonellum eiusdem Congregationis Secretarium SSmo D. N. div. prov. Papae Clementi XIII in audientia habita die 13 mensis maii, Sanctitas Sua omnia benigne approbavit, et Apostolicae auctoritatis robore confirmavit, mandavitque ab omnibus servari, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 417].

4528.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 30 iul. 1759.

La s. m. di Gregorio XIII, con sua Bolla che incomincia *A Summo Patrefamilias* del 10 febbraio 1583, concedette ai missionari soggetti al dominio di Portogallo la facoltà di celebrare in *corporali telae bombycinae*. Sopra la intelligenza di queste parole è insorto dubbio se debba intendersi di seta o di bombace; e ciò sul motivo che la parola *bombyx* significa la pianta dalla quale si produce la bombace, oppure quel verme che forma la seta.

R. Esse celebrandum in corporali telae vere bombycinae, non vero sericae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 420].

[1] Cf. N. 4526.

4529.

S. C. de Prop. Fide, instr. 9 febr. 1760.

1. Venuta alla fine sotto gli occhi della S. Congr. una relazione esatta, e di comune consenso formata dai missionari di Nicopoli e di Sofia intorno alla pratica de' *kurbani* usati nelle due rispettive diocesi, dopo lungo e maturo esame la medesima ha giudicato di doverli proibire con positivo decreto, e di ingiungere ai missionari dell'una e dell'altra diocesi di adoperarsi a tutto potere per l'esecuzione fedele e costante del risoluto divieto.

2. Ma perciocchè la medesima S. C. ha prudentemente stimato non bastare una decisione a svellere un abuso sì comune e sì antico specialmente dopo tanta varietà di opinioni, e dopo sì lunga connivenza per parte di alcuni, crede opportuno aggiungere una breve istruzione, che vaglia di norma ai missionari delle due rispettive diocesi per istruire con costanza ed uniformità i fedeli, e per regolarsi nel dare le medesime risoluzioni e risposte a dubbi nei casi particolari. Niente certamente più preme alla S. C. che di stabilire nelle due diocesi, che sono vicine e contermine, un insegnamento, un linguaggio, una disciplina uniforme, sicchè non avvenga mai più in appresso, che quello, che si decreta come illecito e superstizioso in una, si permetta come lecito ed indifferente nell'altra, nè si varii il giudizio dei Pastori nei luoghi diversi, sebbene nelle medesime circostanze, nè si senta dai fedeli con ammirazione, turbamento e scandalo, per la bocca dei suoi Pastori sovente *est* et *non* tanto vietato dall'Apostolo delle genti (II ad Cor., cap. 1).

3. Secondo la dottrina e linguaggio costante della Chiesa, devono i missionari mostrare perseverantemente ai fedeli tre cose: I. L'intrinseca malvagità dei *kurbani* considerati nel solo esteriore delle circostanze superstiziose. II. L'inseparabile reità dei *kurbani* considerati nel solo interiore della vana credulità. III. L'inutilità evidente dei *kurbani*, ancorchè spogliati d'ogni superstizione di fuori, d'ogni vana persuasione di dentro.

4. E certamente se si riguarda l'esteriore dei *kurbani*, in tutte le circostanze del rito, sono così chiari i caratteri di superstizione, che basta solo numerarli partitamente per concepirne tutto l'orrore. I. La scelta degli animali mondi, rigettata la capra ed il porco; la scelta dei pesci squamosi o d'altra determinata specie, esclusi gli altri tutti dall'uso. II. La differenza religiosamente serbata dei giorni destinati per *i kurbani*, diversi o di carne, o di pesce. III. Il rituale di ucciderli, dividerli, e distribuirli fra loro a guisa di vittime. IV. L'obbligo di non riserbarne, o portarne via, o venderne cruda porzione alcuna, ma mangiarle tutte intieramente, e roderle fino alle ossa. V. L'incenso fumante, le candele accese, *et concepta verba precationum*, che accompagnano la mensa. VI. La distinzione e di nomi, e di riti e di fini determinati per i diversi *kurbani*. VII. L'origine antica, l'uso costante, l'imitazione tenace di pratiche, che sono già nate nello scisma,

sono fin da ora durevoli nello scisma, e dallo scisma sono portate e ritenute anche dopo la conversione nel seno della Chiesa. Il tutto insieme con tutti i rapporti a luogo, tempo, e persone non è un velo in cui traspare, ma uno specchio, in cui si affaccia tutta intiera nella propria sua forma la superstizione tanto vietata, e condannata nelle divine Scritture, tanto avuta in odio ed orrore dai Santi Padri, tanto detestata, e fulminata con pene severissime dai Concilii, e dai Sommi Pontefici, come direttamente opposta allo spirito della Religione e diametralmente contraria al culto divino, siccome con tutti i teologi dimostra S. Tommaso (2. 2. quaest. 92, art. 1): *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.*

5. Nè sembri leggero un tal peccato. Chi tiene a cuore la religione, niente più deve avere in orrore, che la bugia in materia di religione. Chi si gloria del nome cristiano, chi è costantemente attaccato alla professione cattolica, niente più deve odiare che il carattere di mentitore del nome cristiano, e di traditore della professione cattolica. Ora ogni superstizione è una orrenda bugia in materia di religione, è un nero tradimento del nome e del carattere di cristiano cattolico. Per intender questo è d'uopo di profondamente riflettere con S. Tommaso (2. 2. quaest. 93, art. 1) che la verità della religione si professa, e coll'esteriore significato delle parole, e coll'esteriore significato del rito, essendo l'uno e l'altro istituito ad esprimere gl'intimi sentimenti dell'animo nel culto divino. Così parimenti la verità della religione si niega o colle parole e con motti, o colle azioni e coi fatti; l'uno e l'altro modo essendo un eloquente linguaggio, che attesta l'intima ritrosia dell'animo. Colle parole e con motti niegano la religione gl'infedeli e gli eretici: colle azioni e coi fatti in certo modo la niegano i superstiziosi e corruttori del culto divino; perciocchè siccome la professione esteriore della fede si tradisce coll'esteriore espressione dell'errore, così il culto esteriore della religione si mentisce coll'esteriore osservanza d'un rito superstizioso. Il culto esteriore è un fatto parlante, nel quale si esprime coll'azione quel che si crede nel cuore, ed è un testimonio pubblico agli angioli e agli uomini, nel quale si spiega l'interna disposizione dell'animo. Se tutto è retto e legittimo, è un argomento sensibile della rettitudine e bontà degl'interni sentimenti; se vi si mescola cosa falsa o bugiarda, è un attestato autentico della corruzione e guastamento degl'intimi sentimenti in materia di religione. Allora in certa guisa si mentisce coll'azione il nome cristiano, si tradisce coll'opera la professione cattolica, si niega col fatto il carattere di fedele, e, con un rovescio d'istituzione, il culto religioso, che dovrebbe per l'espressione del vero esser proficuo, diviene, per la mescolanza del falso, all'estremo dannoso.

6. Certamente dice S. Agostino (*Lib. contra mend.* rapportato da S. Tommaso, loc. cit.), fra tutte le falsità, bugie e finzioni, che possono nelle cose umane adoperarsi, la più perniciosa è quella, che si aggira nelle cose risguardanti la religione: e siccome la religione cristiana contiene le verità e più sublimi e più importanti e più adorabili, così la menzogna,

che si mescola nel suo culto, diviene e più grave e più dannosa e più orribile.

7. Tutto questo ragionamento è ristretto in poche parole da S. Tommaso (2. 2. quaest. 93): *Dicendum quod sicut Augustinus dicit in lib.* contra mendacium, « *mendacium maxime perniciosum est, quod fit in his quae ad christianam religionem pertinent* ». *Est autem mendacium cum aliquid exterius significatur contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto: et in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus. Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus.*

8. Più grave si rende una tal menzogna e tradimento nel caso presente per tre riflessi: I. Perchè è un resto di rito giudaico; II. Perchè è una pratica di setta scismatica; III. Perchè è un'imitazione del costume dei turchi.

Questa scelta di animali, questa destinazione di giorni, questo scannamento di vittime, questa intiera consunzione d'immolati, questa forma di sacrifizio sente assai il giudaismo, e fa in certa maniera rivivere l'uso dei sacrifizi usati nella vecchia Legge, figurativi dell'unico sagrifizio della nuova, quasi che ancora non fosse compito quel sacrifizio di salute, che si aspettava e si adombrava con quei sacrifizi di carne una volta celebrati dal popolo ebreo. Ora siccome quelli erano allora simboli veri, perchè significativi d'un vero sagrifizio da compirsi nella pienezza dei tempi da Cristo, così oggi nell'uso son falsi, perchè falsamente significativi d'un sagrifizio come ancor da compirsi, sebbene in realtà sia già da gran tempo compito; e siccome sarebbe pernicioso il confessar con parole che Cristo non ha ancora patito, così è dannoso il dimostrare coi segni che Cristo non ha ancor compito il suo sacrifizio. Qui il falso apparisce *ex parte rei significatae, a qua discordat significatio cultus*, dice S. Tommaso (loc. cit.), *et hoc modo tempore novae Legis, peractis iam Christi mysteriis, perniciosum est uti caeremoniis veteris Legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura; sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum.*

9. La circostanza parimenti di essere un rito immemorabile dello scisma tuttora durevole, basterebbe a dichiararlo come un atto protestativo di setta, abbominevole senza meno agli occhi d'un cristiano, d'un cattolico, d'un fedele. Il culto esteriore è una protesta visibile di religione e di fede. Il prendere, il ritenere, l'usare un rito superstizioso d'una comunione scismatica, che altro sarebbe nel fatto, che il riceverne in prestito un atto protestativo di scisma? E tanto più reo sarebbe chi di quel medesimo scisma, da cui per la divina grazia è uscito, volesse ancora riserbarne una reliquia ed un avanzo: parrebbe certamente che, uscito fuori dell'Egitto, e gustando la manna, ne desiderasse ancora le cipolle.

10. Finalmente l'imitazione sola d'un costume ricevuto come parte di religione dai turchi, compie la gravezza di un tal peccato. Se la superstizione *est simulata religio*, come la definisce S. Tommaso (loc. cit. quest. 92, art. 2, ad 3), l'imitar quella dei turchi, in mezzo a cui si vive, che altro parrebbe, che un simulare una parte di religione dei turchi?

11. Nè occorre ridire che i *kurbani* tra fedeli si usano coll'intervento del missionario cattolico, che assiste e benedice la mensa: perciocchè quest'istesso, in vece di sminuire il reato, l'accresce vieppiù, aggiungendo un altro titolo e ragione per dichiarare superstizioso quell'atto. La falsità del culto esteriore, insegna S. Tommaso (2. 2. quaest. 93, art. 1), si può considerare per due parti: la prima è *ex parte rei significatae*, della quale ragionammo di sopra, l'altra è *ex parte colentis:* e questo ha luogo principalmente nel culto comune, che si fa dai ministri in nome di tutta la Chiesa: poichè siccome sarebbe certamente falsario colui il quale trattasse in nome d'un altro cosa di cui non ha ricevuto commissione o mandato, così incorrerebbe la taccia di falsario quel ministro che per parte della Chiesa presentasse un culto a Dio contro il modo stabilito, ed usato nella Chiesa. Ora la Chiesa non ha giammai approvati i *kurbani*, che sono troppo difformi dalla regola ecclesiastica del culto divino, non ha giammai autorizzato i ministri o ad assistervi o a benedirli. L'assistenza dunque che da un ministro della Chiesa a tal atto si presta, non è che una nuova menzogna, un nuovo tradimento, una nuova simulazione di ministero in suo nome, che la Chiesa disapprova e detesta: *Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis: et hoc praecipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiae. Sicut enim falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quae non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, et in Ecclesia consuetum.*

12. Passando ormai dalla parte esteriore dei *kurbani* a considerarne la parte interiore, ed esaminandoli come animati dallo spirito di credulità della gente volgare, sebbene fossero spogliati di tutte l'estrinseche circostanze, che abbastanza li macchiano, non possono apparire che come vane osservanze dei gentili. I. La persuasione, che la pratica di tali *kurbani* sia per giovare alla conservazione delle famiglie, alla salute dei bestiami, alla fertilità delle campagne. II. L'opinione di attribuire all'omissione, e mancanza di tali *kurbani* l'infelicità delle case, degli armenti, dei campi. III. L'errore di credere, che siano per suffragare alle anime dei trapassati, neglette le Messe ed i suffragi della Chiesa. IV. L'attacco ostinato di seguitarli dopo i rigorosi divieti, e le minacce, e i timori posti a chi vorrebbe lasciarli. V. Finalmente gli stessi principî, che spingono gli scismatici e i turchi a praticarli, rimasti ancora in questi mal convertiti fedeli: tutto conduce a dichiarare l'esercizio dei *kurbani* superstizioso, e riprovato, ancorchè cessasse ogni altra cattiva circostanza di fuori.

13. Perciocchè o da tali *kurbani* si aspettano vantaggi temporali, o se ne pretendono grazie spirituali. Se vantaggi temporali, non potendo i *kurbani* per loro natura produrli, uopo è che si adoperino non come cause, ma come segni, il che si riduce ad un patto tacito coi demonî, secondo il principio di S. Tommaso (2. 2. quaest. 96, art. 2): *Si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tamquam causae, sed solum quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum daemonibus inita.* E certamente adoperati come segni,

da chi mai traggono la loro origine? non da Dio, da cui non sono nè rivelati, nè stabiliti: dunque dall'umana vanità ingannata, e sedotta dalla malizia dei demoni che scorgendo la rea disposizione degli uomini, la fomentano, e gli allacciano con avvenimenti nell'apparenza favorevoli, per involgerli in più e più errori, da cui difficilmente poi sanno distrigarsi: *Homines huiusmodi observationes attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quaedam futurorum eventuum, vel bonorum, vel malorum. Non observantur autem sicut signa a Deo tradita, cum non sint introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante daemonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est omnes huiusmodi observationes superstitiosas esse et illicitas... Hoc quod a principio in istis observationibus aliquid veri homines experti sunt, hoc accidit casu. Sed postmodum cum homines incipiunt suum animum huiusmodi observantiis implicare, multa secundum huiusmodi observationes eveniunt per deceptionem daemonum: ut in his observationibus homines implicati, curiosiores fiant, et se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, ut Augustinus inquit lib. II de Doctrina Christ.* dice S. Tommaso (loc. cit., art. 3).

14. Se poi si attendono grazie spirituali, come il sollievo dei trapassati, non vi sono altri mezzi, se non quei, che la Chiesa ci porge: or in essi non trovasi certamente la pratica dei suddetti *kurbani:* anzi ella è più tosto contraria ai mezzi che ci somministra, come il digiuno, a cui è opposto il bagordo e l'ubbriachezza: il Sacrificio incruento, a cui è opposta la sanguinosa immolazione delle vittime carnali; le orazioni, le limosine, e le altre opere buone, a cui s'oppongono la dissipazione, la prodigalità, e l'intemperanza, che accompagnano ordinariamente i predetti *kurbani;* come di simili pratiche dice S. Tommaso (2. 2. quaest. 93, art. 2).

15. Ma purgati anche che fossero i detti *kurbani* d'ogni superstizione di fuori, e d'ogni vana persuasione di dentro, a che mai potrebbero essere proficui? La superfluità non ne sarebbe meno evidente, perciocchè, come ragiona S. Tommaso, il fine del culto divino è, che l'uomo dia gloria a Dio, e a lui si consagri intiero di mente e di corpo: Quindi qualunque azione, o pratica, che è dirizzata a glorificare Iddio, ed a soggettare a Dio la mente coi pensieri ed affetti, e il corpo coi freni moderati delle passioni, secondo l'ordinazione e consuetudine della Chiesa, non è nè superflua, nè inutile al culto divino. Ma se vi sia alcuna cosa, che quanto è da sè non conduce a glorificare il Signore, nè a consagrargli la mente nè a soggettargli il corpo dell'uomo nell'esercizio pratico della religione, ma piuttosto sia fuori dell'istituzione di Dio, fuori dell'ordinazione della Chiesa, fuori della consuetudine dei fedeli, tutto deve riputarsi inutile, superfluo, superstizioso: *Finis divini cultus,* dice S. Tommaso (2. 2. quaest. 93, art. 2), *est ut homo Deo det gloriam, et ei se subiiciat mente et corpore. Et ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, et ad hoc quod mens hominis Deo subiiciatur, et etiam corpus per moderatam refraenationem concupiscentiarum secundum Dei et Ecclesiae ordinationem, et consuetudinem eorum, quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis*

feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refraenentur; aut etiam si sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem (quae secundum Augustinum pro lege habenda est): totum hoc reputandum est superfluum, et superstitiosum, quia in exterioribus solum consistit, et ad interiorem Dei cultum non pertinet: Unde Augustinus in lib. de vera Relig. inducit quod dicitur Lucae cap. 17: Regnum Dei intra vos est, *contra superstitiosos qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.*

16. Nè vale il dire che vi si mescolino nel caso presente preghiere e voti. L'istessa mescolanza di cose sagre e profane è un nuovo argomento per dichiarare inutile a chi la pratica quel che vi sarebbe di sagro, per la compagnia di quel che vi si trova di vano, come accenna S. Tommaso (loc. cit., quaest. 96, art. 4).

17. S. Giov. Crisostomo, nell'*Homil. 43,* rapportato da S. Tommaso 2. 2. (quaest. 96, art. 4), fa menzione del costume di alcuni cristiani che portavano sospesa al collo una particella scritta del Vangelo, e ne riprende e dichiara l'uso come inutile affatto e superfluo: *Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, ut audiatur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa salvare? Deinde ubi est servitus Evangelii? In figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa.* Se questo diceva il Crisostomo d'una pratica che parea per altro lodevole, che cosa avrebbe detto dei nostri *kurbani?*

18. Debbono perciò i missionari, dopo aver dimostrato ai fedeli i *kurbani* malvagi per la parte esteriore, malvagi per la parte interiore, e precisa l'una e l'altra, inutili per ogni riguardo, ancorchè purgati d'ogni circostanza superstiziosa di fuori, e d'ogni vana credulità di dentro, applicarsi tutti ad istruirli pienamente dei mezzi salubri, che Iddio e la Chiesa loro porge per conseguire quei fini, che invano si sperano da pratiche gentilesche, o giudaiche, o infette di scisma.

19. E primieramente si affatichino a scolpire nei loro cuori la dottrina dell'Apostolo delle genti tanto inculcata, e ripetuta *ad Galat., ad Hebraeos,* ecc., che il Regno di Dio non consiste in cibi e bevande; che i doni, e le vittime non mondano la coscienza; che le purificazioni, e le lavande, e tutte le giustizie della carne non conducono l'uomo a cosa perfetta: che il sangue dei vitelli e dei capri non santifica i macchiati; che i peccati non si lavano col sangue degli agnelli e dei tori; che l'ombre e le figure furono per un tempo, e non sono più ora; che i sagrifizi antichi di carne sono svaniti, siccome l'antico sacerdozio e tempio è da gran tempo caduto; che Iddio non più si adora sopra questo o quel monte: che la verità è succeduta all'ombre, e la realtà delle cose alle figure; al sangue dei vitelli e dei tori è succeduto il sangue del Redentore, alle vecchie vittime e sacrifizi imperfetti e vuoti, un sagrifizio nuovo, perfetto, e pieno d'ogni benedizione, e salute: che le coscienze si mondano e le macchie si tolgono solamente con questo nuovo sangue; che un tal sagrifizio si è compito da Cristo nel

Calvario sulla Croce immolando se stesso come vittima di propiziazione per noi, unica fonte di tutte le grazie che possono essere oggetto di nostre speranze: che il medesimo sacrifizio si perpetua su i nostri altari, quando si celebra dai sacerdoti ministri del Signore: che la Messa è una sequela e continuazione del medesimo sagrifizio; che vi è realmente presente sotto i mistici simboli di pane e vino la medesima Vittima, vi si offre ed immola il medesimo Corpo ed il medesimo Sangue: che l'uno dall'altro misticamente separasi per la forza delle parole: che non solo vi è l'istessa Vittima, ma l'istesso Sacerdote Cristo Signore, il quale è il principale offerente per le mani dei suoi ministri; che insomma l'offerta è l'istessa e nel Calvario e nell'altare, è solo diversa la maniera di offerire: Sagrifizio vero e propiziatorio, sebbene incruento, salutevole ai vivi, proficuo ai morti, impetrativo d'ogni benedizione e grazia, d'ogni remissione e perdono, d'ogni bene spirituale e temporale: che conduce alla salute per liberazione e preservativo da tutti i mali, per tutela e custodia da tutti i nemici, centro della comunione dei santi, vincolo di commercio tra il cielo e la terra, scopo di tutta la religione: che finalmente l'ostie, le vittime placabili che ci rimangono ad offerire su l'altare dei nostri cuori ed unirle al sagrifizio incruento della Chiesa, sono la mortificazione delle proprie passioni, la castigazione della carne, la crocifissione delle nostre concupiscenze, l'estirpazione dei nostri vizi, la distruzione del corpo del peccato: In vano si adoperano *kurbani* e conviti, fomento di passioni ed incitamento di vizi; è tutta pronta la mensa a cui siamo invitati, è tutto apparecchiato il cibo e la bevanda a cui siamo chiamati, tutta aperta la sorgente di grazie da cui possiamo attingere l'acqua viva che salisce fino alla vita eterna.

20. Non sono canali di grazie e di benedizioni le pratiche inventate a capriccio dalla vanità dello spirito umano, nè i tanti riti stabiliti per un tempo, come imagini dei beni futuri, ma i Misteri e i Sagramenti istituiti da Cristo, confidati alla Chiesa nostra madre, ed applicati a noi suoi figli, Sagramenti che succedono alle vecchie figure, e sono al dire di S. Agostino *numero pauciora, ritu simpliciora, virtute efficaciora*. E Iddio Padre non si adora più con attaccamento all'ombre e figure, ma in ispirito e verità; e l'opera della salute ricerca principalmente il cuore. Come dunque per ottenere le benedizioni, ed evitare le maledizioni divine si ricorre ai *kurbani*, ed a pratiche a cui manca l'istituzione divina, mancano le divine promesse, manca l'approvazione della Chiesa? e si abbandonano e si tralasciano i divini misteri, e Sagramenti, che traggono l'origine dalla istituzione divina, traggono la forza dalle divine promesse, hanno la testimonianza della Chiesa infallibile, e secondo lo spirito della Chiesa usati producono frutti di vita eterna?

21. E qui è duopo istruire i fedeli dello spirito della Chiesa, che appalesce nelle orazioni comuni da essa stabilite e proposte per uso comune dei suoi figliuoli. L'orazione comune, dice S. Cipriano (*de unit. Eccl.*), ha una forza infallibile dalla unanimità dei fratelli nella preghiera, e si usa una certa violenza a Dio dai congregati in suo nome a pregare qualche cosa o spirituale o temporale espediente per la salute, secondo l'espressa e

formale promessa di Cristo Signore (Matth., cap. 18, vers. 19): *Iterum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Or come si abbandonano, o si lasciano per ogni pretesto le preghiere comuni fatte con unanimità nella Chiesa di Dio, ch'è l'assemblea dei fedeli, e come si nutre così poca fiducia nelle orazioni e gemiti della sposa di Gesù Cristo, ch'è assicurata di essere esaudita per i suoi figliuoli, e si ha poi tanta speranza nelle invenzioni umane, nelle pratiche capricciose, e in riti apertamente superstiziosi?

22. Uniscano piuttosto le buone opere per disposizione ad impetrare tutte le grazie da Dio, essendo questo il carattere dei fedeli cristiani chiamati dall'Apostolo *sectatores bonorum operum*. Le orazioni ed i digiuni, con cui si vince il demonio; le limosine ed aiuti di carità, con cui si estingue il peccato; le penitenze ed austerità con cui si riduce a schiavitù ed all'ubbidienza dello spirito la carne, sono i veri mezzi da richiamare i beni, e rimuovere i mali che sono l'oggetto ordinario dei nostri timori.

23. Bisogna armare i fedeli con imprimere bene nella lor mente che se sono assaliti da mali, e per l'amor della religione e per la purità del culto rigettano coloro che vengono ad offerir loro istromenti o mezzi superstiziosi per guarire e liberarsi, se vengano per divina disposizione a perdere la vita, muoiono quasi martiri nel loro letto medesimo, testificando colla loro morte la religione pura ed immacolata, che conservano nel cuore, come più volte insegna S. Agostino.

24. Debbono parimenti armarsi a disprezzare i vani timori, le minaccie, le beffe, che di essi faranno gl'infedeli, e scismatici nel vederli abbandonare le antiche superstiziose loro pratiche: debbono incoraggirsi ad un tenore uniforme e costante di vita cristiana, per cui si distinguano da tutti coloro che non appartengono alla comunione della Chiesa, affinchè ammirati e sorpresi anch'essi della nostra maniera di pensare e di operare, siano costretti a gridare: Ecco il popolo savio ed intelligente, ecco l'eredità del Signore; così ammoniva Mosè gli antichi ebrei (Deuteron., cap. 4): *Scitis quod docuerim vos praecepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis: et observabitis et implebitis opere. Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.* Devono anzi rallegrarsi, e stimarsi più che gli altri felici per la sicurezza d'essere sempre e veduti ed ascoltati da Dio: *Nec enim est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris:* come prosiegue Mosè nel luogo citato.

25. Che se la S. Congregazione ha differito finora di venire ad un autentico universale divieto dei mentovati *kurbani*, cio è avvenuto in parte per l'esposto sempre vario e poco uniforme delle circostanze, sotto cui si rappresentava l'affare, in parte ancora per una savia e prudente economia, imitando lo spirito e condotta di S. Agostino (Epist. 64, pag. 120), che trattandosi di svellere un vecchio costume dei tempi suoi di far pranzi e conviti

nelle chiese nei dì solenni, cagione di molti disordini, non credea doversi tutto d'un tratto togliere con assoluto e preciso comandamento, ma disporre prima gli animi a lasciarlo per via d'esortazioni e rimostranze, ed anche di restrizioni e limitazioni, per giungere alla fine a sradicarlo affatto.

26. Di questi principî forniti i missionari cercheranno d'istruire i fedeli dall'Apostolica Sede alla loro cura commessi, affinchè sieno ministri *potentes exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 424].

4530.

S. C. de Prop. Fide, 28 febr. 1760.

In Regno Tunkini antiqua ab omni retro memoria traditio est, privilegium his neophytis ab Apostolica Sede pro tribus primis anni novi diebus, in quamcumque diem, sive abstinentiae, sive ieiunii inciderint, fuisse concessum ut carnibus vesci possent, ne caderent in offensam eorum quos his diebus, reverentiae aut urbanitatis gratia, visitare tenentur, si oblatis cibis uti recusarent. Huius quidem concessionis nullum nunc in hac Missione transumptum reperitur, sed immemorialis possessio tituli sufficientis locum tenere videtur... Humillime recurrimus ad S. C. supplicantes edoceri an revera extet supradictum privilegium hisce neophytis pro tribus primis anni novi diebus a S. Sede concessum; casu vero quo non extet, enixissime supplicamus pro impetratione talis privilegii, ad vitandum periculum violandi praecepti ecclesiastici, cui ineluctabiliter exponuntur christiani in toto hoc Regno, exceptis forte aliquot pagis qui, Deo miserante, toti fidem christianam sunt amplexati.

R. Privilegium (de quo quaeritur) non extare, nec esse generaliter concedendum; sed quoad abstinentiam a carnibus, servandum esse decretum an. 1663 oratoribus prout iacet transmittendum; [1] quo vero ad ieiunium citra abstinentiam a carnibus, teneri neophytos, si primi dies anni annamitici inciderint in feriam sextam, vel aliam diem qua nullo privilegio apostolico a ieiunii lege eximuntur. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 425].

[1] Cf. N. 4469.

[2] In Formula facultatum extraordin. quae modo Vicariis App. Sinarum et Regnorum adiacentium conceduntur, habetur etiam (n. 16) facultas: « Dispensandi fideles sibi subiectos a ieiunio et abstinentia in casu coincidentiae exordientis anni sinensis sive cum prioribus Quadragesimae diebus, sive cum aliis diebus extra Quadragesimam abstinentiae consecratis, iuxta Instructionem adiectam (10 iunii 1868) ».

4531.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 mart. 1760.

S. C. censuit: Missionarios teneri quocumque iure esse sufficienter instructos idiomate in quo Confessiones excipiunt; et Praefecti Missionum non permittant missionariis huiusmodi muneri exercitium nisi, praevio examine, vel per se vel per alios faciendo, de eorum idoneitate sibi constiterit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 427].

4532.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 2 iun. 1760.

Se quegli orientali che, lasciato il proprio rito, osservano il latino, possano negare ai loro curati le decime.

R. Supposito legitimo transitu de orientali ad latinum ritum (quod absque Apostolica dispensatione evenire non potest) teneri decimas solvere parocho proprii ritus quem actu profitentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 429].

4533.

S. C. de Prop. Fide, 28 iul. 1760.

Referente R. P. D. Mario Marefusco Secretario, magnam, in Indiis orientalibus, missionarios pati caritatem telae lineae, qua corporalia pro sacrificio Missae confici possint; qua de causa a nonnullis Summis Pontificibus, et praesertim a s. m. Pio Pp. IV, anno 1563, concessum aliquibus missionariis fuit indultum celebrandi super corporali telae bombycinae: EE. PP. (S. Congr. de Prop. F.) censuerunt consulendum esse SSm̃o, pro extensione praedicti indulti ad omnes et singulos Episcopos, Vicarios Apostolicos, missionarios atque presbyteros cuiuscumque Ordinis, Instituti et nationis, non solum in Sinarum imperio, sed in reliquis quoque Indiarum orientalium Regnis et provinciis; et, quatenus opus sit, pro nova concessione eiusdem indulti. Quam S. Congregationis sententiam, ab eodem D. Secretario relatam SSm̃o D. N. Clementi Pp. XIII, Sanctitas Sua benigne approbavit, petitamque extensionem, seu potius novam indulti concessionem impertivit; ita tamen, ut corporalia ex tela vere bombycina, non autem serica conficiantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 431].

4534.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 aug. 1760.

Occorrendo talvolta che i comandanti regii e giudici secolari della Colonia (francese nell'isola di S. Domingo) pretendano di astringere il Prefetto Ap. a pubblicare dei monitorii con censure ad effetto di scoprire con tal mezzo i beni delle persone defunte, si domanda se sia lecito ad esso di farlo.

R. Non posse.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 434].

4535.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Superiorem N.), 13 sept. 1760.

È noto a V. S. quali pregiudizi abbia in ogni tempo recati alla Chiesa di Cristo la inobbedienza ai decreti della medesima di quelli, ai quali è affidata la cura delle anime, l'arbitraria interpretazione di tali decreti, la diversità perfino dei sentimenti in eseguirli, o che tali decreti riguardino il dogma o che tendano soltanto a regolare la disciplina ecclesiastica. Infortunii sì deplorabili soffre ora in alcune provincie la Chiesa cinese. Da varie lettere giunte in questi ultimi tempi da quelle parti rilevasi con un dispiacere che non può esprimersi, che molte e molte di quelle famiglie cristiane ritengono tuttavia pertinacemente le tabelle superstiziose già condannate dalle due notissime Costituzioni Pontificie, *Ex illa die*[1] ed *Ex quo,*[2] e ciò per connivenza ed anche per i falsi insegnamenti di alcuni missionarii; che taluni di questi tolgono bensì dalle mani dei cristiani questa sorta di tabelle, ma ne surrogano e distribuiscono essi medesimi le corrette.

Del primo errore non occorre qui far parola essendo per se stesso manifesto, e ben chiare le due lodate Costituzioni Apostoliche, ed ogni connivenza in questa materia è una positiva disubbidienza agli ordini della S. Sede, ed una grave trasgressione alle sue leggi. Il distribuirsi dai Missionarii le *tabelle* corrette è un trascendere i limiti prescritti nella prima citata Costituzione Pontificia, poichè in essa si dice soltanto, che l'uso di queste può tollerarsi. Ma la difficoltà di adempire le condizioni che per un tale uso ivi si prescrivono, cioè, *dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quae superstitionem redolent, et secluso scandalo, hoc est, dummodo qui christiani non sunt, arbitrari non possint, tabellas huiusmodi a christianis retineri ea mente, qua ipsi retinent,* fa conoscere quanto meglio si regolerebbero i suddetti missionarii, se si dessero il pensiero di abolirle del tutto, sì perchè difficilmente può togliersi lo scandalo nei gentili, ma ancora e

[1] Cf. N. 275.
[2] Cf. N. 329.

molto più, perchè il forte attacco che i cinesi, specialmente quando sono stati ammessi al Battesimo già adulti, hanno alla superstiziosa venerazione dei genitori, e la natia loro volubilità, può trascinarli nell'abuso, e forse ancora nell'apostasia.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1768].

4536.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Fokien.), 13 sept. 1760.

La savia condotta, che V. S. dopo maturo esame e consiglio avuto coi missionarii, tiene nell'accordar le dispense sull'impedimento della disparità del culto nelle circostanze esposte, merita certamente approvazione e lode. La regola immutabile che la Chiesa Romana vuol che si guardi nel dispensare, è in primo luogo che si assicuri la fede del contraente cattolico, rimosso il pericolo probabile di perversione; 2. che si assicuri la educazione della prole nella fede del contraente cattolico, date le cautele dovute; 3. che vi sia probabile speranza piuttosto della conversione del contraente infedele, attesa l'indole, il genio e le sue maniere.

Nell'istesso indulto Ap. che si concede dalla S. Sede ai Vicarii App. nell'Impero della Cina vi si appongono sempre le condizioni che ne regolano l'uso: 1. *gravibus tamen ex causis, in singulis casibus, in quibus dispensandum erit;* 2. *et in locis tantum, ubi sunt plures infideles quam christiani;* 3. *et quatenus absque contumelia Creatoris fieri possit.*

Ora la contumelia del Creatore deve evitarsi per rapporto: 1. al contraente fedele; 2. alla prole nascitura; 3. al contraente infedele: perciò nel contraente fedele deve cessare il pericolo della perversione: per la prole nascitura deve assicurarsi l'educazione nella vera religione: e nell'infedele deve esservi qualche speranza di convertirsi, affinchè sia più rimosso il pericolo della perversione e pel coniuge fedele e per la prole nascitura.

E veramente la dispensa allora può avere luogo, quando nelle persone e casi particolari cessa quel fine che la legge principalmente intende, come dice S. Tom. (1. 2. quaest. 97, art. 4): *Rector multitudinis habet potestatem dispensandi in lege humana, ut scilicet in personis; vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur: si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.*

Ora il fine della legge irritante il matrimonio del fedele coll'infedele è così espresso dal medesimo Santo Dottore (3. p., Supp., quaest. 59, art. 1): *Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare: et ideo si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit: et ideo inter eos non potest esse conveniens matrimonium.* Si ricerca la medesima professione di fede nei genitori, affinchè l'educazione comune allevi la prole nel medesimo culto della vera

religione; e si vieta ed annulla il matrimonio fra dispari di culto, perchè non potrebbe salvarsi in una discorde educazione di culto diverso il bene della prole posta in pericolo di smarrire la strada della salute.

Dunque fra dispari di culto allora solo può aver luogo una fedele e prudente dispensa, quando cessa il pericolo della prole nascitura, e molto più il pericolo del coniuge cattolico, e vi è anzi speranza di convertirsi nel coniuge infedele.

Dai quali principi V. S. ottimamente raccolse: 1. non doversi dispensare con donne fedeli, che vogliono contrarre matrimonio con uomini infedeli (se non in casi straordinari e rari), perchè non cessa il pericolo di perversione e nel giorno dell'ingresso nella casa del coniuge infedele, e nei colloqui quotidiani in famiglia tutta infedele, come il complesso delle circostanze, e l'esperienza giornaliera regolarmente l'ha mostrato; 2. potersi dispensare con uomini fedeli, che vogliono contrarre matrimonio con donne infedeli, in quelle circostanze in cui prudentemente si giudica cessare il pericolo della perversione nella parte fedele, e piuttosto apparire speranza di conversione nella parte infedele, ed essere moralmente sicura l'educazione della prole nascitura nella vera religione, come la serie degli avvenimenti e l'esperienza stessa l'ha fatto vedere; 3. doversi sempre però sconsigliare simili matrimoni tanto ai genitori, quanto ai figliuoli, per gli ordinari pericoli che li accompagnano, e per l'impedimento della disparità del culto, che certamente gli annulla, senza una dispensa Apostolica, la quale non si accorda che nelle debite circostanze, e per gravi cagioni, e ne' casi di cessazione d'ogni morale pericolo di perversione e nel contraente fedele, e nella prole nascitura. È ben vero che vi possono essere tali cause e circostanze nell'uomo fedele, che pretende contrarre coll'infedele, e anco nella donna fedele che pretende contrarre coll'uomo infedele: ma, come nota V. S. siccome è rarissimo e straordinario il caso, così rarissimo e straordinario esser deve l'uso della dispensa. Onde non si devono certamente ammettere al Sagramento della Penitenza quelle madri e figliuole, che hanno contratto sponsali con gli infedeli, e non vogliono ritrattare la promessa quando, attese le circostanze, v'è il pericolo prossimo di perversione; il quale se cessasse, in casi straordinari e rari, e vi fossero gravi cagioni da dispensare, la carità e la prudenza di V. S. non gli escluderebbe dai Sagramenti, ma usando indulgenza, specialmente contratti gli sponsali, affinchè non venissero invonvenienti maggiori, accorderebbe loro la necessaria dispensa.

Fin qui V. S. ci ha descritta la sua condotta circa i matrimoni da contrarsi; passa poi a spiegarci la pratica usata intorno ai matrimoni già convenuti fra le donne fedeli, e gli uomini infedeli; e dice che quando queste vengono a presentarsi al Sagramento della Penitenza, sono interrogate se hanno il permesso di vivere da cristiane, oppure sono o forzate a riti superstiziosi, o impedite dagli atti religiosi: se hanno il permesso di vivere da cristiane, allora, previa la dispensa, si rivalida il loro matrimonio: se non l'hanno, allora *non sunt admittendae ad Poenitentiae Sacramentum propter periculum proximum, in quo sunt, praesertim si frequenter incidunt*

in tentationem. Soggiunge ancora che si deve mostrar loro lo stato miserabile, in cui si trovano e per il pericolo della perversione e per la nullità del matrimonio contratto fra dispari di culto, se di un tal impedimento hanno qualche notizia; che se alcuna notizia non ne hanno, devono solo essere ammonite del pericolo prossimo in cui si trovano, non già della nullità del matrimonio, che hanno contratto, acciocchè la loro ignoranza, che sembra invincibile, non divenga vincibile, e i peccati materiali degli atti coniugali non divengano formali.

Dall'esposizione che V. S. fa della pratica si conosce che trattasi di donne, che senza dispensa Apostolica hanno contratto matrimonio nullo *propter disparitatem cultus*, e si approva la condotta di rivalidare i loro matrimoni, quando manca il pericolo di perversione *praevia dispensatione;* ma se il pericolo di perversione dura, perchè o sono spinte ad atti superstiziosi, o sono impedite dagli atti cristiani, allora fa d'uopo di riflessione maggiore.

E primieramente in questa materia, che è tutta di pratica, e dipende da infinite circostanze, vi è sempre bisogno di prendere consiglio e da libri più approvati, e da missionari più prudenti ne' casi particolari, esposte le circostanze più individue e più determinate.

In secondo luogo sebbene non si possa dare una regola uniforme ed invariabile, si possono però ben dare i principî sicuri, donde poi varie conseguenze si debbono dedurre secondo le varie circostanze di fatto.

In terzo luogo è difficile in pratica conoscere dove si trova ignoranza invincibile, e dove è certamente vincibile: la sola mancanza di notizia dell'impedimento dirimente non sempre rende l'ignoranza e l'errore invincibile, perciocchè secondo la dottrina di S. Tommaso (1. 2. quaest. 19, art. 6), « si ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, *vel propter negligentiam, quia error est circa id quod quis scire tenetur*, tunc talis error rationis vel conscientiae non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiae sic erranti sit mala. Si autem sit error, qui causat involuntarium, proveniens *ex ignorantia alicuius circumstantiae, absque omni negligentia*, tunc talis error rationis vel conscientiae excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala ». Or chi potrà dire che sia in certe circostanze invincibile l'ignoranza e l'errore di un fedele che ha contratto matrimonio coll'infedele senza la notizia dell'impedimento dirimente? *Scire tenebatur, scire poterat*, o dall'uso notorio degli altri fedeli, o dall'istruzione de' missionari, che *clamant quotidie:* ha mancato di assistere alle istruzioni, ha mancato di consigliarsi nel prendere lo stato coniugale: le passioni, i desideri della carne, gli abiti corrotti sono stati sua guida. Or, secondo San Tommaso, l'ignoranza o l'errore che nasce da passioni ed abiti corrotti non può dirsi invincibile, nè scusare dal peccato, ma solo quella che viene da mancanza di sapere qualche circostanza, che non può essere conosciuta da' diligenti: *Ignorantia particularis, quae totaliter excusat, est ignorantia circumstantiae, quam quidem quis scire non potest, debita diligentia adhibita: sed passio causat ignorantiam iuris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiae ad particularem actum: quam quidem passionem ratio*

repellere potest (1. 2. quaest. 77, art. 7, ad 2). Insomma allora vi è ignoranza invincibile, *quando manca, non per passione ma per necessità, e principio da dubitare, e modo da inquirere.*

In quarto luogo neppure è facile il definire per via di regola, quando sia lecito al confessore il lasciare il penitente nell'ignoranza di un dovere che trasgredisce, e di una legge a cui manca di ubbidire. Se si tratta di assolverlo, non è regola di tacergli la verità, per timore che sapendola non pecchi formalmente, se prima per l'ignoranza materialmente peccava: perciocchè dovendo in lui essere una disposizione di cuore, una preparazione d'animo ad osservare tutti i precetti, come gli sono manifestati, per potere essere assoluto, deve piuttosto presumersi che apertagli la verità, che ignorava, sia per abbracciarla, e ridurla in pratica. Che se temesi di sua indisposizione, si può differire la notizia della verità, ma del pari si deve differire la grazia dell'assoluzione e frattanto disporlo a ricevere con frutto e l'una e l'altra. Solo potrebbesi tacere la verità d'una legge irritante a cui è mancato, quando il penitente avvertito di quella, per uscire da uno stato pericoloso e cattivo, per le circostanze di fatto, dovesse passare ad un altro stato a maggiori pericoli ed inciampi esposto, per cui si moltiplicherebbero i peccati invece di togliersi o diminuirsi, attesa la comune debolezza umana.

Oggi però che non trattasi di assoluzione, ma solo di condotta da tenersi con una donna fedele invalidamente maritatasi con un infedele per la disparità del culto, e costituitasi nel pericolo prossimo di perversione per la seduzione continua del marito, si approva il sentimento di chi crede doverla seriamente avvertire dello stato miserabile, in cui si trova, e negarle l'assoluzione, mentre un tale stato deplorabile dura, e tacerle la nullità del suo coniugio, finchè o cessi il pericolo prossimo per poter essere soccorsa con la dispensa, o cessi quello stato di violenza, da cui non può uscire che col sacrificio della vita; la ragione è che per negarle i Sagramenti, non è necessario di spiegarne tutti i motivi, ma basta solo dire la cagione del pericolo prossimo della perversione, senza toccare la nullità del contratto, di cui l'ignoranza, ancorchè fosse invincibile, purchè non affettata, *si non excusat a toto, excusat tamen a tanto*, come dice S. Tommaso: e la donna non trovasi allora in uno stato capace d'istruzione maggiore senza maggior suo danno, che nasce tutto insieme e dalla sua debolezza, e dallo stato difficile ed arduo in cui si trova. Che se non si fosse ella volontariamente costituita in tale stato, ma per violenza e per forza tirata e ritenuta, allora dovrebbe procurarsi, che l'uno e l'altro pericolo della perversione e della fornicazione da prossimo si facesse remoto, e presa l'esperienza da' suoi sforzi e dissensi continui, per conforto, con prudenza accordarle i Sagramenti, veduta la sua disposizione, ma non accordare la dispensa giammai, ancorchè richiesta in appresso, se attualmente non cessa il pericolo della perversione, che viene dalla parte infedele, e la sua violenza e seduzione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 435].

4537.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Fokien.), 13 sept. 1760.

L'abuso delle tabelle superstiziose ha certamente sorpreso l'Eñze LL., essendo state necessitate di deplorare la perdizione in cui si ritrovano tante anime, per la loro naturale volubilità o per malizia. Sarà sempre un rimedio assai efficace il non ammettere alle acque del Battesimo gli adulti, se non dopo che saranno stati bene istruiti dei doveri che incombono ad ogni cristiano, e, mediante un lungo catecumenato, avranno dati chiari contrassegni di vera e viva fede, e di quella costanza che debbono avere di confessare la religione cristiana a fronte di qualunque tormento, e del pericolo della vita stessa quando lo richieda il bisogno.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 436].

4538.

S. C. de Prop. Fide, 17 febr. 1761.

Nullo casu, neque necessitatis, licere catholico confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 439].

4539.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Scopien.), a. 1762.

Quod attinet ad fidei puritatem Amplitudo Tua significat, non paucos, atque adeo plerosque istius serviani Regni incolas, quamvis sacro baptismatis lavacro regeneratos, christianae tamen professionis immemores, turcicum nomen assumere, ne onerentur tributis, ne minis perterreantur, neque iis subsint incommodis, quibus divexantur caeteri, qui de christiano nomine non erubescunt. Hinc parochorum exurgit turbatio. Nam huiusmodi homines a Sacramentorum participatione aegre admodum arceri patiuntur, rati se posse sacris frui mysteriis, quia christianam fidem corde servant incolumem, quamvis exterius mahumeticae impietatis sectatores, assumpto turcico nomine, appareant atque reputentur.

In hoc porro rerum genere ministerium suum quisque parochus impleat, atque a tam perverso errore huiuscemodi homines revocare, ac omni prorsus studio, cura, labore, adiectis etiam ad Deum precibus, satagat deterrere. Meminerint eorum, quae Apostolus scribit ad Romanos (cap. 10): «Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris... salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem». Nec alia plane fuit sanctorum Patrum sententia. Quocirca sanctus martyr Cyprianus in libro *De lapsis* ita in praefatos homines animadvertit:

« Et christianum se putat, qui christianus esse confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit? » Praeclarum Ecclesiae lumen Augustinus *de fide ac symbolo* tractatum ad nostram instructionem reliquit, in cuius primo capite ista exarantur: « Salvi esse non possumus nisi ad proximorum salutem nitentes, fidem ore profiteamur, quam etiam corde gestamus ». Illos praeterea christianos tota reprobavit antiquitas, qui ab ethnicis principibus libellos, enumerata pecunia, impetrabant, ne ad infidelium tribunalia ob fidei professionem se sistere cogerentur. Priscillianistas denique, atque helcesseitas anathemate percussere Concilia, quippe qui corde tantum fovendo fidem, exterius autem mentiendo ac negando, ad aeternam nihilominus salutem homines pervenire posse perperam arbitrabantur.

Concilium Albanum pro Regnis Albaniae et Serviae anno 1703 celebratum, atque a Benedicto XIV Constitutione quae incipit: *Inter omnigenas* [1] sub num. 1 et 2 confirmatum, inconcussam doctrinam istam proponit, ac sub num. 6, laudatus Pontifex Benedictus hisce verbis Episcopos, parochos ac missionarios omnes alloquitur: « Munus itaque Episcoporum, parochorum, et missionariorum erit serio christianos illos, qui supradicta (inter quae nomina turcica assumere enumerat num. 3) cum ingenti fidei iniuria nefarie praesumunt, docere et admonere... Ipsis aperte denuntient, quod quisque metu cuiuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit... Si qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita et, si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quae nullus Ecclesiae minister illos admittere praesumat ». Haec usque ab anno 1744 Bened. XIV fel. record. pro recta salutis norma statuerat, iterumque ann. 1754 confirmavit aliis suis litteris *Quod Provinciale Concilium* [2] in quibus extirpationem tam nefarii abusus iterum inculcans haec statuit: « Maximo cum pontificii animi nostri moerore accepimus, quod quamplurimi istius provinciae, posthabita aeternae salutis ratione, eadem turcica sive mahumetana nomina usurpare pergant... Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati christianae contraria ».

Progreditur deinde in iisdem postremis litteris Summus Pontifex Bened. XIV, et animadvertit in parochos et missionarios qui « eos christifideles ipsorum curae creditos qui saepe dicta turcica seu mahumetana nomina assumunt, iisque vocari student, ad Sacramentorum participationem admittere non vereantur ».

Postremo in iisdem litteris ita de consilio Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum laudatus Summus Pontifex decernit: « Districte prohibemus, ne quilibet ex christifidelibus quocumque casu, vel praetextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis eadem

[1] Cf. N. 339.
[2] Cf. N. 431.

turcica seu mahumetana nomina, ut mahumetani credantur, assumere audeat. Qui autem contumaces fuerint, in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarantur ».

Ex his sanae fidei documentis Amplitudo Tua plane intelliget, quid cum huiusmodi christifidelibus sit agendum, qui turcico assumpto nomine, se christianos fateri erubescunt. Eos propterea argue, obsecra, increpa in omni patientia, ut a tam pernicioso malo declinantes, discant christianam fidem non modo corde fovere, sed etiam sic ore confiteri, ut nulla externa ambiguitate offendatur, nulla detestabilium nominum assumptione decoloretur. Fiat igitur, ut abundet eorumdem integritas et iustitia plusquam schismaticorum et haereticorum, quorum tamen nullus mahumetanum nomen adoptare praesumit.

Quod si adhortationibus, caeterisque remediis eosdem pertinaces in tam nefario abusu fore contigerit, ad apostolicae disciplinae normam virga compesci debent, ita ut in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 443].

4540.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 2 aug. 1762.

Superiores (Regularium) neminem praesentent ad Confessiones excipiendas, nisi instruatur lingua vernacula regionis, ad formam decreti S. C. die 17 martii 1760. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 444].

4541.

S. C. de Prop. Fide, 29 aug. 1763.

1. In dubiis emergentibus circa electionem Vicarii Capitularis servandam esse dispositionem Constitutionis Benedicti XIV quae incipit: *Quam ex sublimi* (8 aug. 1755) [2] et, ubi in Constitutione provisum non est, decreta Concilii Tridentini Sess. 24, cap. 16.

2. Non posse parochos abesse a residentia ultra tres vel quatuor dies, etiam intra menses conciliares, nisi in casu necessitatis et de licentia Ordinarii, cuius super hac re conscientia oneratur.

3. Non posse (Episcopum) nisi habenti aetatem legitimam a sacris canonibus praescriptam, animarum curam committere, et proinde recurrere debere in casibus particularibus ad S. Sedem pro dispensatione.

4. In casu tantum necessitatis, et non aliter tolerandum ut catholici habeant coemeterium commune cum schismaticis, iuxta formam resolu-

[1] Cf. N. 4531.
[2] Cf. N. 436.

tionis S. C. Concilii in Catharen: « Si obtineri possit ut sepulturae catholicorum, quamvis in eisdem coemeteriis, ab heterodoxis separatae sint, rectum et optimum erit; sin minus curandum saltem ut defunctis iusta secundum catholicum ritum solvantur, omnisque arceatur superstitio ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 449].

4542.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin.), 12 iun. 1764.

An merito statuerit R. D. Episcopus Visitator (Tunkini) confessiones mulierum non esse excipiendas nisi craticula interposita, excepto casu infirmitatis?

R. Affirmative, iuxta ordines pluries datos a S. C.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 959].

4543.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin.), 12 iun. 1764.

EE. PP. decreverunt atque expresse mandarunt: 1. Ut synodi sive congressus, ecclesiasticae disciplinae servandae apprime utiles, quam frequentissime potest, habeantur, ibidemque (missionariorum) dubia et ceterae omnes spirituales necessitates expendantur, declarantes insuper, S. Congregationem, exceptis casibus extraordinariis, nulli unquam dubio seu consultationi responsuram, quae sibi privatim fieret a quocumque missionario, neque ante ad synodos vel congressus de quibus agitur fuerit allata, vel saltem scripto approbata Vicariorum Apostolicorum, sive etiam Coadiutorum, ubi synodi praedictae aliquo intercedente obstaculo haberi non poterunt.

2. Omnino curent (Vicarii App.) ut omnes fideles sibi subiecti addiscant, saltem quoad substantiam, actus virtutum theologicarum, nec non praecipiant missionariis, etiam sub censuris, ut non negligant eiusmodi actus quemcumque fidelem edocere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 454].

4544.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Vic. Ap. Aleppen.), 6 aug. 1764.

Catholici orientales fere omnes, cum in plerisque locis ecclesiarum regimen sit penes schismaticos et haereticos habentes sibi faventem publicam Principum auctoritatem, ut certam eamque gravissimam persecutionem devitent, coguntur filios deferre sacerdoti haeretico ad baptizandum, matrimonia coram eodem contrahere, et sinere corpora catholicorum per eosdem

haereticos tumulari. Cum haec omnia plerumque fiant cogente necessitate, quaeritur an permitti possint a missionariis.

R. Non licere, et ad mentem; mens est quod scribatur Vicario Apost. iuxta Instructionem.

Instructio. — La S. C. di Propaganda uniformandosi ai replicati decreti del Tribunale della Suprema Inquisizione, ha sempre risposto, ogni qual volta ne è stata interrogata, non essere mai lecito ai cattolici il comunicare *in divinis* con gli eretici o scismatici, e però al dubbio da V. S. proposto non ha potuto recedere dalla sua regola tante volte confermata e stabilita, ed ha rescritto non esser lecito ai cattolici di ricevere il Battesimo da un ministro o scismatico, o eretico, nè il celebrare il matrimonio con rito sacro avanti il medesimo, nè il farsi seppellire parimenti con rito sacro dagli stessi ministri eretici.

Ma perchè non ignora, e lo avvisa anche V. S. essere inveterato e quasi universale l'abuso di comunicare i cattolici *in divinis* cogli eretici nelle tre cose suddette: laddove questi assistiti dalla potestà pubblica hanno in mano il potere di muovere gravissime ed intollerabili persecuzioni contro i cattolici, e di fatti le muoverebbero, se nei tre casi esposti non si prevalessero dei loro ministri, così la S. C. ha giudicato opportuno di mandare a V. S. questa istruzione a parte, acciocchè ella nè rilassi il necessario rigore della costante disciplina circa la comunicazione *in divinis* cogli eretici, che ha sempre tenuta ferma la S. Sede, nè dall'altra parte, per volere anche nei detti casi zelarne l'osservanza, metta in sommo perturbamento e pericolo gran parte dei cattolici di coteste nazioni orientali.

Per di Lei regolamento adunque ha giudicato poter bastare, senza fare nuovo decreto, l'Istruzione che diresse in materia consimile la s. m. di Benedetto XIV al Vicario Patriarcale di Costantinopoli nell'anno 1754: a tenore della medesima, che qui compiegata se le rimette, [1] Ella potrà regolarsi, adottando ai casi particolari dei battesimi, matrimoni e sepolture conferiti dai ministri eretici quella specie di tolleranza, che quel sapientissimo Pontefice, per evitare un male maggiore ha insinuata nella detta

[1] Haec habet instructio de qua sermo: « Esponendo (il Vic. Ap. Patriarcale di Costantinop.) che sono frequenti, e sempre più saranno frequenti i matrimoni fra cattolici e scismatici o eretici, acciò non prenda equivoco e non sparga oscurità, ove non sono, sembra bene il fargli sapere che contraendosi senza sua saputa, e non potendo esso impedirli, si regoli come si regolano i buoni superiori ecclesiastici nei paesi nei quali simili matrimoni sono frequenti, cioè che non si accinga ad impedirli, li lasci correre, li tenga per validi benchè illeciti, non potendosi in tuttociò valutare che una semplice tolleranza o permissione d'un male minore per evitare un maggiore. Che se poi ad esso si fa ricorso per avere la licenza di contrarre matrimonio fra un contraente cattolico, ed un altro scismatico o eretico, deve il suo contegno essere il seguente, cioè deve ammonire il cattolico che facendo il matrimonio, il matrimonio sarà valido, ma illecito; ch'esso commetterà un grave peccato; che mette sè in pericolo di perversione; che espone la prole nascitura ad uno stato di perdizione; e che se esso non si accinge ad impedirlo, ciò deriva dall'infelicità delle circostanze e dal timore di mali maggiori. E regolandosi in questo modo dice la verità, che è quella che sempre deve dirsi, insegna le vere massime, non fa atto positivo di approvazione, nè col fare schiamazzo per impedire il matrimonio, o contro il matrimonio dopo che è contratto, si espone al pericolo di eccitare tumulti ».

istruzione, tenendo però sempre ferma la massima non esser lecita la comunicazione cogli eretici neppure nei casi suddetti. Ma perchè gli eretici predominanti esigono di conferire essi ai cattolici il Battesimo, il Matrimonio e la sepoltura, principalmente perchè da queste tre funzioni sacre ne ricavano dell'emolumento, così la S. C. desidera, che V. S. vada insinuando per mezzo dei missionari ai suddetti cattolici, che, pagando per quanto possono gli stessi emolumenti ai ministri eretici, procurino di esimersi dal ricevere dalle loro mani il Battesimo, il Matrimonio e la sepoltura.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 455].

4545.

S. C. de Prop. Fide, 15 dec. 1764.

1. Se sia lecito ai cattolici entrare nelle chiese degli scismatici per mera curiosità, e fuori di quel tempo che essi celebrano i loro offizi; e se parimente è lecito ai suddetti cattolici adorare e visitare il SS. Sacramento tenuto dagli scismatici, ed anche fare orazione avanti le imagini dei Santi che ivi sono, e ciò alla presenza dei medesimi scismatici.

2. Se invitato il cattolico dagli scismatici a vedere le loro chiese, oratorii o cappelle, può andarvi per non disgustarli.

3. Se è lecito ai cattolici ecclesiastici e laici accompagnare il funerale degli scismatici per mera civiltà.

4. Se è lecito ai cattolici adorare il Santissimo Sacramento che incontrano per le strade quando il parroco scismatico lo porta o agl'infermi per viatico o in altra forma.

5. Se sia lecito agli alunni della S. C. ritornati in diocesi assentarsi da essa per lo spazio di lungo tempo, come di un anno o due soltanto, perchè il loro Vescovo così ordina, oppure perchè l'utilità della diocesi così richiede.

R. 1. Quoad primum, affirmative, dummodo absit scandalum; quoad secundum, pariter affirmative, dummodo non coniungantur in precibus cum schismaticis.

2. Ut ad proximum (*praecedens*).

3. Dentur decreta S. C. S. Off. diei 21 martii 1746 (seu 9 dec. 1745)[1] et 21 ian. 1751.[2]

4. Non modo licere, sed debere adorare SS. Sacramentum; sed tamen catholici abstinere debent ab associando.

5. Supradictis de causis licere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 458].

[1] Cf. N. 797.
[2] Cf. N. 803.

4546.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad N. in Semin. Paris. Mission. Exter.), 3 apr. 1765.

Rispetto all'istanza, che possa il Vescovo impedito dalla vecchiezza o dall'altro incomodo ordinare senza che egli stesso celebri la Messa, essendo ciò apertamente contrario alle risoluzioni emanate dal S. Offizio su questo particolare, non vedo come possa soddisfarsi al desiderio dei Monsign. Cromanense e Tabracense, i quali per altro avendo già ricevuto della S. Sede Apostolica i loro coadiutori, restano con ciò abbastanza provveduti e sollevati anche nell'esercizio delle sagre funzioni.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1188].

4547.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Constantinop.), 18 nov. 1765.

Se i Regolari possano celebrare nelle case dei particolari, e specialmente di campagna senza licenza dell'Ordinario.

R. Dentur Decreta in Chien., 2 dec. 1720 et anno 1746, et 14 decembris 1761; ed il Vic. Patriarcale può aggiungere la pena della sospensione. *En decreta:* « 2 dec. 1720: S. C. iustis de causis animum suum moventibus decrevit non licere in posterum Sacerdotibus chiensibus tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti in civitate Chiensi sacrosanctum Missae sacrificium in domibus privatis celebrare, quacumque de causa, absque licentia Ordinarii, non obstantibus quibuscumque. — 29 martii 1746: Ad abolendam frequentiam Missarum, quae celebrantur in domibus privatis, renoventur decreta alias edita ab hac S. C. 2 dec. 1720. — 14 dec. 1761: Idem decretum ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 461].

4548.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 3 mart. 1766.

Benchè la Prefettura di alcune Missioni (affidate a Religiosi) si dia al Provinciale *pro tempore* di qualche Provincia che abbia annesse le Missioni, nondimeno la S. C. non intende di darla all'officio del Provincialato, ma alla persona eletta, e perciò non si fa menzione nella Patente dell'officio del Provincialato. Il Provinciale adunque allorchè viene eletto, non ha alcuna ingerenza nel governo della Missione, se non viene autorizzato dalla Patente di Prefettura della S. C., e perciò, morendo prima di terminare la prefettura, qualsivoglia persona eletta dalla Religione al governo della Provincia fino all'elezione del nuovo Provinciale, non può avere il governo della Missione senza che ne sia munita coll'autorità della S. C.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 463].

4549.

S. C. de Prop. Fide, 18 ian. 1767.

SSmus (Clemens XIII) attentis difficultatibus, quae multae et graves esse referuntur in Sinis circa usum indulti alias concessi Episcopis et Vicariis Apostolicis ibidem degentibus, nempe ut facultatem dispensandi super matrimoniis cum disparitate cultus uni vel duobus tantum ex suis respective missionariis, usque ad viginti casuum numerum pro singulis communicare possint, idem indultum ita benigne extendit atque ampliavit, ut in posterum Episcopi et Vicarii praedicti facultatem, de qua supra, communicare valeant omnibus suae Dioeceseos vel Vicariatus missionariis, quos necessitas exiget; atque etiam pro maiori casuum numero, prout in Dño expedire videbitur, dummodo eiusdem facultatis communicatio nonnisi de biennio in biennium concedatur, atque ea non utantur tam Episcopi et Vicarii, quam missionarii subdelegati, nisi ad formam indulti primo concessi et cum conditionibus in eo expressis, ac praesertim, ut pars fidelis cum infideli cohabitare possit absque contumelia Creatoris.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1262].

4550.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 12 dec. 1768.

Si farà avvertire (al Vic. Ap. del Tonkino Occid.) che l'Indulto di Paolo III [1] non concede altro che il poter cibarsi più volte al giorno nei dì di digiuno, eccettuati però alcuni giorni, fra i quali le Ferie VI di Quaresima, ma non dà la facoltà di potersi cibare di carne nei giorni di digiuno, se non per quei luoghi ove vi sia qualche altro particolar privilegio, come sarebbe quello della Crociata.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 469].

4551.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 28 dec. 1770.

Alla richiesta che fa l'alunno G. Tai come debbano regolarsi i missionari nell'ammettere alla comunione della Chiesa quelli che hanno apostatato dalla fede nella seguita persecuzione, si risponderà che dovrà regolarsi a tenore del decreto del 1629, e nel tempo stesso si avvertirà che non è stata generalmente approvata dalla S. C. la pratica, ch'egli ha asserito di tenere, di non ammettere alla Confessione i caduti pel timore che siano per ricadere in altra consimile occasione, poichè quando i caduti dessero

[1] Cf. N. 4459.

sinceri segni di vero pentimento, non debbono escludersi affatto dai Sagramenti, e specialmente da quello della Confessione, lasciandosi però al di lui prudente arbitrio il regolarsi in vista delle circostanze nei casi particolari circa il differire l'assoluzione.

Decretum S. C. de Prop. Fide anni 1629 ita se habet: « Congregatio censuit apostatas a Fide, redeuntes ad poenitentiam, omnino debere abiurare apostasiam coram fidelibus captivis, quibus dederunt scandalum, in propriis carceribus publice et explicite. At coram infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum protestativum falsae religionis, et curent ut progressu temporis cognoscant etiam infideles, vel ab ipsis vel ab aliis, eorum abiurationem, licet id cum periculo vitae ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 481].

4552.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 28 dec. 1770.

S. Congr. decrevit nullo modo expedire ut in Imperio Sinarum et Regno Tunkini, scripta quaecumque, vel libri publicentur, sive de religione directe vel indirecte tractantes, sive disserentes de rebus ecclesiasticis, nisi praevio examine atque approbatione ipsius Sacrae Congregationis. Exceptas tamen ab hac lege declaravit parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt; sub ea nihilominus conditione ut in vulgus spargi non possint, nisi prius eas Episcopi respectivi locorum, seu Vicarii Apostolici viderint atque in lucem permiserint emitti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 482].

4553.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 16 sept. 1771.

Referente Em. Card. Bonaccursio Ponente, inter Minores Capuccinos qui Missionem Thibetanam exercent, huiusmodi abusum invaluisse ut neque simplices missionarii, neque hospitiorum superiores nullam reddant P. Praefecto rationem de acceptis et expensis, contra id quod postulat boni regiminis ordo, et ratio Missionis facilius sustentandae, S. Congregatio censuit ac declaravit eosdem teneri ad rationem reddendam quolibet anno, ac etiam toties quoties requisiti fuerint a P. Praefecto, tam de pecuniis quam de rebus omnibus quae vel per eleemosynas fidelium, vel alio quocumque titulo ipsis obvenerint; voluit insuper ut ad id praestandum per censuras compelli atque adigi possint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 483].

4554.

S. C. de Prop. Fide, 17 febr. 1772.

In facultatibus extraordinariis (Episcoporum Hiberniae) pro dispensatione in 2 et 3 gradibus tres ponuntur conditiones: 1. Ut personae contrahentes sint (eorum) dioecesanae. 2. Ut urgens sit necessitas. 3. Ut gratis concedatur dispensatio. Quaeritur, si una ex his desit conditio, an dispensatio sit nulla.

R. Affirmative, ita tamen ut, quoad secundam conditionem, sub nomine *urgentis necessitatis* intelligatur comprehensa etiam vera ac momentosa utilitas quae causa sufficiens reputatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 486].

4555.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 febr. 1772.

1. Utrum R. P. D. Patriarcha (Maronitarum) possit constituere procuratores in urbe A. ubi neque reditus neque ulla obtinet legata quae ad Sedem patriarchalem pertineant.

2. Utrum huiusmodi procuratores decorare possit talibus privilegiis, quibus a proprii Episcopi iurisdictione eximantur.

3. An possit absolvere a censuris aliisque poenis ecclesiasticis alienos subditos, invito aut inconsulto proprio Episcopo.

4. An possit excommunicare aut alio modo punire Episcopum degentem in propria dioecesi, nisi prius in pleno concilio dignus tali poena censeatur.

5. An subditi Archiepiscopi A. tam ecclesiastici quam saeculares teneantur obedire mandatis atque ordinationibus D. Patriarchae, licet id Episcopo interdum non videatur expedire.

6. An liceat Patriarchae in contemptum Ordinarii interdicere presbyteris alienae dioeceseos praedicationem verbi Dei, ut huiusmodi munus a solo eius procuratore exerceatur.

7. An possit ad libitum expedire per dioeceses patriarchatus vicarios et visitatores cum facultatibus visitandi pastorem et gregem, idque non pro causa aut suspicione haeresis, sed propter aliquot abusus, aut inobservantiam ritus.

R. Ad 1. Affirmative ad formam Synodi Libanensis [1] et Litterarum Apostolicarum Benedicti Pp. XIV (*Apostolica Praedecessorum*, 14 febr. 1742). [2]

Ad 2. Affirmative.

[1] Synodus maronitica Libanensis habita est a. 1736, et a Bened. Pp. XIV, approbata anno 1741.

[2] Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 115-120.

Ad 3. Quoad censuras latas a iure, Affirmative; quo vero ad censuras latas seu declaratas ab homine: In gradu appellationis, servatis servandis.

Ad 4. Affirmative, praeviis monitionibus canonicis, aliisque servatis iure servandis.

Ad 5. Affirmative, ad formam Synodi Libanensis.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Affirmative, iustis concurrentibus causis, et de consilio Fratrum Episcoporum seu Metropolitanorum, quos dicta Synodus (Libanensis) in rebus arduis et magni momenti, consulendos esse praescripsit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 487].

4556.

S. C. de Prop. Fide, 5 apr. 1772.

Ne christifidelibus in locis Missionum in qualibet orbis parte degentibus, et in ultimo vitae discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint, quae catholica pia mater Ecclesia filiis suis a saeculo recedentibus, solet misericorditer impertiri: Sanctissimus D. N. Clemens d. p. Papa XIV... Secretario Sacrae Congregationis de Prop. Fide referente in Audientia habita die 5 aprilis 1772, pro eximia charitate, qua illos paterne complectitur, omnibus et singulis RR. PP. DD. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, nec non RR. Praefectis, seu Superioribus Missionum tam cleri saecularis, quam Regularis in locis Missionum, ut supra, modo existentibus, seu quocumque tempore extituris, peramanter concedit facultatem, impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria fidelibus praedictis ad extremum agonem redactis: cum ea etiam extensione, ut facultatem huiusmodi sacerdotibus, et respective missionariis, eorum iurisdictioni subiectis, pro locis tamen suarum dioecesum, vel pro Missionum districtibus tantum communicare possint, et valeant: dummodo in hac Benedictione impertienda servetur formula praescripta a san. mem. Benedicto XIV in Constitutione data 9 aprilis 1747 quae incipit *Pia Mater* inferius registranda. [1]

Quoniam autem facile continget, ut aliqui ex praedictis christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque sacerdotis cuiuslibet assistentia: ideo Sanctitas Sua, ex ubere Apostolicae benignitatis fonte, etiam illis Plenariam Indulgentiam elargitur, si contriti nomen Iesu, corde saltem, invocaverint, et mortem de manu Domini, ea qua decet, christiana animi demissione, et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quae postrema decreti pars, ut christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis dioecesibus ac Missionibus, Antistites et Superiores memorati identidem, et praesertim sanctae visitationis tempore, publicare curent ac satagant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 488].

[1] Cf. N. 380.

4557.

S. C. de Prop. Fide, decr. 17 aug. 1772.

Quum compertum sit a plerisque ignorari, ad quem de iure pertineant spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, et Operariorum Regularium cuiuscumque Instituti, aere ac sumptibus Sacrae Congregationis missiones in locis haereticorum et infidelium exercentium, et in quem usum ea debeant converti; Emi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, censuerunt renovandum esse, prout vigore praesentis renovat, decretum hac super re editum die *22 decembris 1716*, et a san. mem. Clemente XI adprobatum, et confirmatum, mandantes illud ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari. Decretum autem supradictum est huiusmodi: « Referente R. P. D. Silvio de Cavaleriis Archiep. Athenarum Secretario nonnullos Religionum Superiores in Regno Sinarum asserere atque praetendere spolia missionariorum S. Congregationis spectare ad eorum respective Religionem, ea potissimum ratione, quod missionarius Regularis, dum sacris missionibus inservit, non censetur esse extra claustra, et quidquid acquirit monachus monasterio acquirit: S. Congregatio, inhaerendo decretis super hoc alias editis, [1] decrevit spolia rerum omnium tempore missionis acquisitarum non modo a missionariis, sed etiam ab Episcopis Regularibus, aere et sumptibus eiusdem S. C. in missione degentibus, post eorum obitum ad S. C. spectare, et in utilitatem missionis esse eroganda ». S. S. approbavit et confirmavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 491].

4558.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 9 maii 1773.

S. C. declaravit: Missionarios sub poena expulsionis a Missione teneri litteras Patentes locorum Ordinariis, in quorum dioecesibus missiones exercent, cum primum accesserint exhibere iuxta decreta Sacrae Congregationis. Eosdem Episcopis subiectos esse in iis quae ad curam pertinent animarum ad formam Constitutionis s. m. Clementis IX, 13 septembris 1669. [2] Invitatos ad synodos debere accedere sub poenis prout de iure.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 495].

[1] Cf. N. 4500, 4501, 4502.
[2] Cf. N. 245.

4559.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Albaniae), 15 iun. 1773.

Pei cristiani occulti che fanno qualche atto protestativo della falsa setta maomettana, onninamente si osservi la Costit. *Inter omnigenas* di Benedetto XIV, [1] e che quando sono costituiti in pericolo di morte, non deve in verun modo permettersi che vengano assistiti dall'*hoggia* turco, essendo questo un nuovo atto protestativo della falsa setta. Se però, escluso lo stesso, daranno quei cristiani segno di pentimento per avere in qualunque maniera simulato la religione, e di vero proposito di astenersene per l'avvenire da poter formare un prudente giudizio della loro verità, ed inoltre, a riparare lo scandalo da loro dato, faranno qualche protesta di questi loro sentimenti alla presenza di più persone, potrà il parroco amministrare loro i Sagramenti. Circa i matrimoni dei cristiani che occultano la loro fede con simulare la falsa, non dovrà permettere Mons. Vescovo (di Scutari) indistintamente ai parrochi che li uniscano in matrimonio, ma ricorrendo a lui nei casi particolari, potrà colla sua prudenza permetterli, purchè i parrochi esigano da loro un preventivo atto di contrizione, e un fermo proposito di astenersi da qualunque atto della suddetta simulazione, e che si manifestino per cristiani facendo qualche atto protestativo di questa loro risoluzione, per togliere lo scandalo, avvertendo però gli stessi parrochi di non procedere a congiungerli in matrimonio, se non avranno dato segni di queste necessarie disposizioni che siano tali da poter formare un prudente giudizio che siano vere e sincere, e dovrà prima farli confessare a maggior cautela.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 497].

4560.

S. C. de Prop. Fide, 19 sept. 1773.

Cum christifideles in Imperio Sinarum, nec non Tunkini, Siami, Ciambae et Cambodiae, inter haereticos et infideles degentes, Confraternitati Rosarii SS. Dei Genitricis adscripti, ob frequentes infidelium persecutiones, piis quibusdam exercitiis a Sede Ap. confratribus ad Indulgentiarum consecutionem praescriptis vacare, ut plurimum, impediantur, SS. D. N. Clemens XIV benigne concessit confessariis uniuscuiusque ex praedictis christifidelibus, facultatem commutandi memorata pia exercitia in aliud opus, quod virtutem charitatis vel religionis respiciat, ac circumstantiis personarum, locorum et temporum conveniat. Quibuscumque in contrarium nihil obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 499].

[1] Cf. N. 339.

4561.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Sutchuen.), a. 1774.

Cum nulla ratio gravis appareat, ob quam diversis temporibus conferendi sint catechumenis Baptismus et sal, tui muneris erit ac vigilantiae, ut missionarios moneas ad sedulo fideliterque praestanda, quae circa hoc Sacramentum Rituali Romano praecipiuntur, dummodo nullam habeas causam praecipuam vel necessitatem diversimode agendi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 607].

4562.

S. C. de Prop. Fide, decr. 19 febr. 1774.

Cum ad aures Sac. Congregationis pervenerit, in quibusdam Albaniae dioecesibus, aliisque finitimis provinciis christianos nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo *Synodi Albanensis* decreto, ac repetitis san. mem. Benedicti XIV, Constitutionibus, videlicet, *Inter omnigenas*, diei 2 februarii 1744,[1] et *Quod Provinciale*, diei 1 augusti 1754,[2] Christum erubescentes, eiusque praecepta, infidelitatem simulare audent, actusque peragere a verae fidei sinceritate prorsus alienos; sollicitudinis suae partes esse duxit, facto verbo cum SSmo D. N. Clemente XIV die 6 februarii 1774, declarare sequentes praefatorum christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

In primis itaque a simulatae infidelitatis nota excusari non posse subdolam agendi rationem illorum, qui, dum diebus solemnioribus Missae sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate turcarum praesentiam formidantes, numquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo, abstinentque a ceteris catholicae religionis actibus, qui ab aliis, qui christiano censentur nomine, palam solent exerceri; atque ita agentes id obtinent, ut mahumeticae superstitionis sectatores reputentur, nec alia quam curiositatis aut levitatis causa, ad ecclesiam vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

Quoniam vero non desunt qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes se simili prorsus modo gerere, cum, nemine turcarum adstante, aliis diebus, Missae ceterisque functionibus praesentes sunt: ideo eademmet S. Congregatio pariter declarat, huiusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiam, ac fidei languorem in iis quae sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, iam tunc ab eis praeconceptam mentem esse falsae religionis simulandae, cum tempus et occasio tulerit.

[1] Cf. N. 339.
[2] Cf. N. 431.

Praeterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum diebus ecclesiastico ieiunio aut abstinentiae consecratis, turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim haec non alio animo facta praesumi potest, quam ut christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane mahumetani inter mahumetanos existimentur.

Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum iactant palam profitendi catholicam religionem, quoties a publica potestate interrogentur; id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est ut in privatis actibus ab illis simulationibus abstineant, per quas fieri nequit, quin verae fidei exortes, et falsae sectae addicti exterius appareant.

Multo minori dubitatione damnanda S. Congregationi visa est illorum agendi ratio, qui turcarum verentes offensionem, profana eorum templa ingrediuntur, precationesque apud mahumetanos in more positas peragere fingunt; factum enim ipsum nimis apertam praesefert mahumeticae religionis simulationem, licet ab aliis damnatae sectae observationibus, et coeremoniis abstineant.

Idipsum dicendum de praxi illorum censet qui ad funera deducenda mahumetanum ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur. Quae si ex defunctorum voluntate quomodocumque explicata, nec ante obitum retractata, id fieri constiterit, S. Congregatio eosdem defunctos ecclesiasticae sepulturae, et suffragiorum beneficio incapaces esse decernit: si vero ex solo damnabili superstitum arbitrio supradictus mahumetanus minister assistentiam funeri praestabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari; bene vero superstites ipsos gravissimae impietatis reos, et canonicis poenis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cetera omnia superius expensa in enunciatis circumstantiis (et fortasse aliae etiam praxes quae ad notitiam S. Congregationis nondum advenere), mahumeticae sectae simulationem, christianaeque fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino iniuriam, et proximo scandalum parit.

Ceterum Emi Patres Archiepiscopos, Episcopos, et Superiores Missionum Albaniae, Serviae, aliarumque provinciarum, quae turcarum imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo fidei succensi a gregibus pastorali suae curae commissis supradictos damnatos abusus avertere satagant; pari zelo et charitate unumquemque illorum, qui praemissa factitare non verentur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque religionem simulare, quin spem aeternae retributionis abiiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituant, qui cum compelleretur simulare de sacrificii carnibus lege vetitis manducasse, ut vitae periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuncians: *Etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

Quod si forte, hac solerti Pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac caelestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum

viam insistere pergent, detestabiles simulationes in Fidei negocio adhibentes, iidem Archiepiscopi, Episcopi, et Missionum Superiores, ut supra, illos Sacramentorum participatione in vita, et, si impoenitentes decesserint, ecclesiastica sepultura, et suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 501].

4563.

S. C. de Prop. Fide, 21 mart. 1774.

Curet omnino (Vicarius Apostolicus Algeriae), etiam per praeceptum, ne defuncti tumulentur, nisi post duodecim horas ad minus post eorum obitum; et nonnisi post viginti horas, quando eos subitaneo casu obiisse contigerit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1594].

4564.

S. C. de Prop. Fide, decr. 23 apr. 1774.

Referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, nonnullos Missionum Superiores, aliosque, quibus ab Apostolica Sede extraordinaria Sacramentum Confirmationis administrandi facultas conceditur, in illius administratione usos quandoque esse vestibus, ac ornamentis episcopalibus: Eminentissimi Patres declararunt, ac vigore praesentis Decreti declarant, nemini prorsus charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, licuisse vel licere in collatione Chrismatis adhibere rochettum, mitram, baculum pastorale, annulum, vel crucem pectoralem; statueruntque supplicandum esse Sanctissimo pro approbatione huius declarationis, necnon efformandam Instructionem pro simplicibus sacerdotibus Confirmationem, ut supra, administrantibus.

Facta vero Ssmo Domino Nostro Clementi Papae XIV per praefatum Dominum Secretarium in audientia diei 3 aprilis currentis supradictae Sacrae Congregationis sententiae relatione, Sanctitas Sua illam benigne approbavit, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari mandavit. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 502].

[1] Cf. N. 4565.

4565.

S. C. de Prop. Fide, instr. 4 maii 1774.

Etsi iuxta Sacrosancti Tridentini Concilii definitionem solus Episcopus sit ordinarius huius Sacramenti minister; [1] solet tamen, quandoque iustis de caussis Sedes Apostolica simplici sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi. [2]

Sacerdos igitur, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere Chrisma, per catholicum Antistitem cum eadem S. Sede communionem habentem, confectum, ac sciat, sibi numquam licere [3] sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto, alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis, [4] cum a sacris canonibus id prohibitum sit. [5]

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur. [6]

Quod ad aetatem confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani [7] monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem per Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri usum rationis habuerint; Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit;* Quod sane monitum in pueris benevalentibus locum habet. Nam, si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam, [8] in coelis consequatur. Aliae insuper, iuxta probatam plurium theologorum sententiam, [9] esse possunt legitimae causae antevertendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim, cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel presbyteri, cui, ut supra, facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas.

[1] Sess. 7, *de Confirm.*, can. 3.
[2] Eugen. IV in Decret. pro Armenis. – Cf. N. 52.
[3] S. Thomas, 3 part., quaest. 72, art. 5 in corp.
[4] Bened. XIV, Constit. *Anno vertente*. Bull., tom. 3, pag. 288. – Cf. N. 407.
[5] Can. *Litteris, de Consecr.*, dist. 3 et can. *Si quis de alio, de Consecr.*, dist. 4.
[6] Catech. Rom., *de Sacram. Confirmat.* S. Carolus in V Synodo Mediolanen., cap. *de Confirm.*
[7] Loc. cit.
[8] S. Thom., 3 par., quaest. 73, art. 8, ad 4.
[9] Bened. XIV in lib. 7, cap. 10, n. 5, 6 et 7. *de Synodo Diocesana.*

Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem. [1] Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Iuxta veterem Ecclesiae usum, confirmandi deberent esse ieiuni,[2] optandumque propterea esset ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

Sacro Chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt iuxta doctrinas Catechismi Romani de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa Fidei rudimenta, decalogi, et Ecclesiae praecepta; actus virtutum theologalium, ac orationem dominicam, et Apostolorum symbolum memoria teneant.

Ceterum missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi, [3] cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereticorum, vel paganorum, in quibus quandoque adversus catholicos persecutiones ingruunt: unde opus est, ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad iustitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus, ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schismaticis, vel qui ritus idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat: item qui praeceptum paschale non adimpleverit.

Caveant confirmandi ne sordida fronte [4] capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant; vestibus tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae matrinarum officium exercebunt, non se in Ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia, et reverentia praesentent.

Si quis ex confirmandis turpe nomen, vel christiano homini non conveniens, haberet, aliud in Confirmatione assumat. [5]

[1] Instructio Eminentis. Almae Urbis Vicarii pro iis, qui suscepturi sunt hoc Sacramentum (an. 1773).

[2] Catech. Rom., *de Confirm.*

[3] Bened. XIV in Constit. *Etsi Pastoralis*, § 3, n. 4. Bull., tom. I. – Cf. N. 328.

[4] Concil. Aquense an. 1585. Instructio supradicta.

[5] Concil. Aquense an. 1585; Concil. Tolosan. anni 1590; S. Carolus Borromaeus in V Syn. Mediolanensi.

Quamquam de necessitate huius Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo patrinus, vel matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique canones praescribunt. [1]

Ab hoc vero munere excludantur tum minores annis quatuordecim, [2] tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt. [3] Verum quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt.

Ad patrinos huiusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae:

I. Ut non plures, [4] sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in patrinum aut matrinam adhibeatur.

II. Ut nec feminis mares, [5] nec maribus feminae patrini officium praestent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur.

III. Ut, nisi necessitas cogat, [6] idem non sit, sed diversus Confirmationis patrinus a patrino Baptismi.

IV. Ut a patrini munere arceantur excommunicati, [7] interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum paschale omiserint.

Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus: [8] *Ea quoque cognatio quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment.

Cum tempus advenerit, quo sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, vestibus sacerdotalibus, vel saltem alba et stola indutus, stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est; se vero paratum esse illam conferre iure per Sanctam Sedem delegato.

Mox delegationis decreto, sive Brevi Apostolico, lingua vernacula, alta et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta quam ipse post omnium Confirmationem daturus est. Item, quod infantes, si quos in prima aetate iusta de causa

[1] Sacramentar. S. Gregor. M. Ordo Romanus apud Hittorpium.

[2] Instructio praedicta.

[3] Can. *In Baptismate*, 102, *de Consecr.*, dist. 4.

[4] Can. *Non plures*, 101, dist. 4.

[5] Pontific. Rom.

[6] Can. *In Catechismo*, 100, *de Consecr.*, dist. 4.

[7] Pontific. Rom.

[8] Sess. 24, *de ref. matrim.*, cap. 2.

confirmandos existimaverit, per patrinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.

Hac altera monitione completa, [1] pariter stans, et versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

℣. *Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.*

℟. *Amen.*

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis dicit:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit coelum et terram.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de coelis.

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Sapientiae et Intellectus.*

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Consilii et Fortitudinis.*

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Scientiae et Pietatis.*

℟. *Amen.*

Adimple eos Spiritu Timoris tui, et consigna eos signo Cru✠cis Christi in vitam propitiatus aeternam. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Post haec sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta dicit: *N. Signo te signo Cru✠cis:* quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius; deinde prosequitur: *et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti.*

℟. *Amen.*

Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: *Pax tecum.*

Ligandae essent vitta linea recens confirmatorum frontes iuxta Pontificalis Romani praescriptum. [1] Verum quoniam publica vittarum delatio apud infideles ludibrio exponere posset Sacramentum, ideo, si praevideatur hoc scandalum eventurum, consultius erit vittas huiusmodi non adhibere; sed in hoc casu opus erit, ut sacerdos postquam frontes confirmandorum linierit Sacro Chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet. [2]

[1] Pontific. Rom.

Omnibus confirmatis, tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim; deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur sequens antiphona; alias post lotionem ab ipso sacerdote dicatur:

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri etc. et repetitur Antiphona tono octavo: *Confirma hoc Deus etc.* qua repetita, conversus ad altare, iunctis ante pectus manibus, dicit:

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genuflectentibus dicit:

Oremus.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontem sacro Chrismate delinivimus, et signo Sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Deinde dicit: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum:* et vertens se ad confirmatos, ac faciens super eos signum crucis pariter dicit:

Bene✠dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam.

℟. *Amen.*

Expedita hoc pacto Confirmatione, sacerdos sedens, iuxta memoratum Pontificale Romanum, [3] patrinos et matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, unde fugiant mala, et faciant bona: et si forte in infantili aetate essent confirmati, ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

[1] *De Confirmandis.*
[2] S. Carolus Borrom. in dict. V Synod. Mediol.
[3] Loc. cit.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter et privatim tunc cum in privatis domibus, vel extra ecclesiam, seu oratorium, pueris aegrotantibus, de quibus supra, conferendum, est, vel etiam adultis, qui ad ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt: In iis casibus sacerdos non omittat uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit; cavere etiam debet, ne coram haereticis, aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus, in quibus, praeter latinos, degunt orientales catholici, non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet, sed curabit etiam, priusquam orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, ab Apostolica Sede instructionem petere, quo pacto se gerere debeat erga orientales uniuscuiusque ritus. Ut autem congruum quantocius responsum accipiat, de nonnullis S. Congregationem de Propaganda Fide singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem cuius ritus sint orientales huiusmodi: an fuerint a quoquam confirmati, et a quibus, videlicet an a suis Episcopis, vel a presbyteris propriae nationis; an sponte petant confirmari; an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant; ac tandem an Confirmatio administranda sit in dioecesi, in qua actu resideat Episcopus orientalis qui sit confirmandi Ordinarius.

Quam Sacrae Congregationis instructionem SS̃mi D. N. Clementi XIV per infrascriptum Secretarium eiusdem S. C. relatam in Audientia habita die prima maii anni currentis Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 503].

4566.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 8 iul. 1774.

S. C. censuit: 1. Patriarcham (*maronit.*) non posse impertiri Indulgentias plenarias nisi habuerit in casibus particularibus privilegium Sedis Apostolicae, quo deficiente, Indulgentias huiusmodi esse nullas.

2. Episcopos non teneri accipere a Patriarcha litteras patentales quando ab ipsis dioecesium visitatio ordinario iure fiat.

3. Non licere Patriarchae privare Episcopos sua dioecesi, neque in totum eis adimere iurisdictionem, inconsulta Synodo Episcoporum. In reliquis posse contra eos procedere iuxta canonicas sanctiones.

4. Examinatores deputandos ac tenendos esse per unumquemque Episcopum iuxta sanctiones Synodi Libanensis. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 506].

[1] Haec Instructio, omissis quae missionarios proprie respiciunt, a S. C. S. Officii (mense iulio anni 1888) ad quemlibet sacerdotem Sacramentum Confirmationis ex Apostolica delegatione administrantem extensa fuit.

[2] Synodus maronitica Libanensis habita est anno 1736, et approbata a Benedicto XIV anno 1741.

4567.

S. C. de Prop. Fide, decr. 13 aug. 1774.

Quum in nonnullis Missionum locis abusus irrepserit, ut sacerdotes, quibus ab Apostolica Sede indultum altaris privilegiati personalis concessum est, vel ii qui in altari alias privilegiato Sacrum faciunt, praeter consuetam Missae eleemosynam aliquid audeant a christifidelibus exigere, ea de caussa, quod Missae in altaribus alterutro modo privilegiatis celebratae, magis prosunt illis, quorum favore applicantur: Eminentissimi Patres, ad relationem R. P. D. Stephani Borgia Secretarii, decreverunt mandandum esse praefatorum locorum Ordinariis, sive Superioribus, ut ecclesiasticis utriusque cleri sibi respective subiectis denuncient, nulli prorsus licere intuitu privilegii sive localis, sive personalis, pro Missae eleemosyna plus recipere, quam taxa synodalis, vel consuetudo regionum firmaverit, alias ad restitutionem teneri; quinimo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere; nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum Sacrum faciant, ut declaratum est per Sacram Congregationem super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositam. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 507].

4568.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), 26 aug. 1775.

1. *Dub. An Constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina.*

2. *Dub. An eadem Constitutio restringi possit, ac moderari in aliquo casu in eodem Regno Cocincinae.*

Constitutio novissima Benedicti XIV cuius initium est *Sacramentum Poenitentiae*, [2] aeque ac ceterae a pluribus Pontificibus editae adversus sacerdotes ad turpia sollicitantes in actu sacramentalis Confessionis, vel eius occasione et praetextu, et prout praescribitur in iisdem Constitutionibus, afficit absolute, et absque ulla limitatione omnes confessarios etiam cuiuscumque Ordinis et Instituti, in quibuscumque orbis partibus huiusmodi facinora perpetrantes. Hinc est quod ad dubia per te proposita, Sanctitas Sua, re mature perpensa, ad *primum* affirmative, ad *secundum* negative respondit.

Verum cum non ubique datum sit in huiusmodi delicti prosecutione ea omnia deducere ad praxim, quae ex eisdem Apostolicis Constitutionibus, et tribunalium institutis sancita sunt, hinc est quod Sanctitas Sua, pro sua eximia sapientia, mandavit ut tibi aliqua praescribatur methodus,

[1] Cf. N. 4991.
[2] Cf. N. 309.

iuxta quam in re huiusmodi procedere possis, in quantum harum regionum circumstantiae tibi permittent, ad impediendum, saltem ex parte, ne tam immane facinus late serpat, neque altius radices agat in perniciem fidelium animarum tuae curae concreditarum, atque in maximum scandalum infidelium et detrimentum christianae religionis et fidei.

In primis tibi pro regula tenendum est, quod omnia iura vetant ne ad criminum punitionem deveniatur, nisi prius per probationes a lege praescriptas constet de delicti perpetratione.

A lege statutum est ut probationes huiusmodi habeantur tantum vel ex rei confessione, vel ex attestatione duorum saltem testium probatae fidei, qui dictis vel factis, de quibus testimonium ferunt, una simul praesentes adfuisse nitide et absolute testentur.

Privilegium tamen est in causis quae instituuntur de crimine sollicitationis, quod, ut plurimum, remotis arbitris secreto perpetratur, ut ad plenam probationem faciendam admittantur etiam attestationes singulares mulierum vel virorum de facto proprio denuntiantium, dummodo tamen numerum trium personarum attingant. Huiusmodi denuntiationes tibi tamquam Superiori iurisdictionem habenti secreto deferri debent, neque a nemine omitti possunt absque culpa lethali.

Sed cum in summa difficultate itinerum in his regionibus, fere impossibile erit ut personae sollicitatae ad tuam audientiam accedant, ut rite defedas, modo ut supra enuntiato, aliquem sacerdotem probatae fidei, qui tamen non sit de ipsa sollicitatione vel suspectus vel denunciatus.

Acceptis per te, uno vel altero modo, denuntiationibus, quae semper esse debent iuramento firmatae, earum pondus, qualitates et circumstantias serio et accurate perpendas necesse est, et praesertim ullam curam non praetermittes ut tibi perspectum et exploratum evadat, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel odio, vel inimicitia, vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.

Praemissis, his, et audito reo eo modo quo commode fieri poterit, si ex omnibus rite et accurate perpensis, tibi satis perspecta evadat admissi criminis veritas, tunc demum poteris devenire ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates in id muneris eidem, etiam per quodcumque privilegium, vel etiam ab ipsa S. Sede impertitas. Praeterea, declarare poteris eumdem reum obnoxium esse ceteris poenis spiritualibus in Constitutionibus, et praesertim in Gregoriana [1] sancitis. Tibi quoque fas erit illum suspendere a sacrosancti Sacrificii celebratione.

Cum vero difficillimum sane erit, in his tam dissitis et disparatis regionibus, haec omnia adamussim servare, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur ut poenae infligantur adversus reos de quorum crimine

[1] Cf. N. 201.

tali pacto adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse ages, si in huiusmodi causis extra iudicii ordinem procedas ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos tibi suggeret in casibus particularibus tua perspecta prudentia cum animarum zelo coniuncta, et cura quam debes habere praecipuam de conservanda pace et concordia inter operarios apostolicos, praesertim diversi Instituti et nationis. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 509].

4569.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Mission. Loanghi), 30 aug. 1775.

Quomodo (quaeritis) se gerere debeant (missionarii) cum parentes infideles suos filios baptizandos ad ecclesiam longe positam deferri nolunt; et an hoc casu, vel alio quolibet haud praeviso, Baptismi caeremonias omittere aut differre, ac etiam aqua communi uti possint. In primis vos serio monitos voluit (Sanctitas Sua), ne sacro lavacro abluatis infantes parentum infidelium nisi vobis ex circumstantiis prope certum appareat, quod iidem infantes, postquam adoleverint, sint in christiana religione educandi (excepto tamen ab hac regula casu periculi imminentis mortis ipsorum infantium), ne tantum Sacramentum profanari contingat, quod sane eveniet, si homines effecti filii Dei per sacrum regenerationis lavacrum, et pro eius cultu indelebili charactere obsignati, efficiantur postea una simul daemonum mancipia, et sacrilegi idolorum cultores.

Hoc praenotato, profecto ignorare non potestis fuisse a primis saeculis in more positum in Ecclesia, ut Sacramentum Baptismi nonnisi in ecclesiis, vel in sacris aedibus divino cultui dicatis conferri possit, excepto casu necessitatis.

Exposuistis in his partibus frequenter contingere, quod infideles non permittant, quod eorum parvuli ad suscipiendum baptismum ad ecclesiam deferantur. Ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debebitis, ut parentes ipsi ab hac sua irrationabili contradictione recedant; quod si id vestris persuasionibus, et monitis non obtinebitis, tunc vobis persuadere poteritis rem esse deductam ad casum necessitatis: impossibile enim erit hos infantes baptizare, obsistentibus parentibus in quorum sunt potestate. Proinde tunc vobis licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra ecclesiam, et in privatis domibus, vel ubi a parentibus vobis permissum erit, omissis sacris ritibus, et caeremoniis, animo tamen retento eas supplendi in ecclesia quamprimum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur, quod parentes infantium in eorum pertinacia manentes nunquam assensum suum sint praestituri, ut neque decursu temporis infantes sui ad ecclesias pro supplendis caeremoniis deferantur, tunc satius erit, ut in ipsis privatis domibus ritus et caeremoniae consuetae per Rituale praescriptae in actu collationis Baptismi adhibeantur,

[1] V. Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide, 25 iulii 1883. – Cf. N. 4902.

aqua, si fieri poterit, per vos benedicta, quod facile praestare poteritis. Tunc etiam nulla causa subesse poterit parentibus puerorum, ut ad haec peragenda impedimentum afferre debeant. Potius est enim, ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit maiorem erga hoc Sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis, quae ex adhibitis super eos sacris caeremoniis in eorum animabus ex Ecclesiae institutis multipliciter derivantur.

Si vero indomita parentum infidelium pervicacia eo usque perveniet, ut vel praetextu angustiae temporis, vel ex aliis causis non permittant ut sacrae Baptismi caeremoniae neque in ipsorum privatis domibus adhibeantur, tunc etiam omitti poterunt: melius enim est, ut parvuli baptizati bonis spiritualibus non necessariis, quae proveniunt ex caeremoniarum usu, destituantur, quam ex omissione necessarii regenerationis lavacri eorum animae in aeternum pereant. Curabitis tamen capere quamcumque occasionem, si quae aliquando vobis se offerat, supplendi omissas caeremonias, quod facile vobis evenire poterit, saltem quando pueri baptizati effecti fuerint compotes sui, ac proinde constituti in sua libertate.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 510].

4570.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 19 aug. 1776.

S. C. declaravit: Non licere celebrationem Missae pro turcis et schismaticis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 514].

4571.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 3 ian. 1777.

1. Multi sunt inter christianos, praesertim novos, qui tempore gentilitatis promiserunt in matrimonium filias suas gentilibus: maxima autem difficultas est rescindendi huiusmodi contractum, neque ulla via ad id possunt cogi infideles, qui ad Praefectos appellant, quando puella ipsis denegatur, et causam semper obtinent consequenter ad leges Imperii. Quaeritur num istae puellae ante adultam aetatem licite possint baptizari, saltem quando harum pater vel mater, vel uterque, fidem amplectuntur, ab iisque usque ad matrimonii tempus possunt christiane educari. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte quod si baptizentur, et postea cogantur gentilem ducere, forsan, deficientibus conditionibus requisitis, non erit locus dispensationi, et tunc matrimonium nullum erit, aut gravissimas molestias a Praefectis sustinebunt, qui habent ius per vim illas maritis tradendi, quando puellae matrimonium recusant. Ex altera parte, forsan ante matrimonii tempus resiliet a sponsalibus futurus maritus; vel ipse

morietur, vel ipsa puella; vel fiet christianus; vel saltem locum dabit conditionibus quas exigit S. C. ad dispensandum. Nihil nunc probabiliter determinari potest, quia futuri sponsi adhuc in infantili aetate constituuntur.

2. Utrum mulier christiana, quae, postquam viro infideli coniugio fuit copulata, baptismo fuit abluta, cuiusque fides tuta est sub iugo mariti sui, sed eo vivente nullatenus tuta est fides prolis ex eo sive iam susceptae sive suscipiendae (separatio autem obtineri non possit absque gravibus damnis), ad Sacramentum Poenitentiae admitti possit absque eo quod praecedat divortium, ad minus quoad thorum.

3. Utrum dicta mulier saltem tum ad Sacramentum Poenitentiae admitti possit, cum ei praeclusa sit omnis spes prolis habendae, absque eo quod praecedat divortium, saltem quoad thorum.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, dummodo promittat se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana.

Ad 3. Affirmative iuxta modum ut supra.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 516].

4572.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 3 ian. 1777.

Plures sunt inter christianos qui tempore gentilitatis vendiderunt proprias uxores gentilibus, postea fidem amplexi sacrum Baptisma receperunt, et bona fide novum matrimonium inierunt cum christianis mulieribus absque ulla praevia monitione, sive quia ipsius necessitatem ignorabant, sive quia nimis distabat vendita uxor, sive quia nesciebant ubi nunc degeret, sive tandem quia timebant ne propter monitionem male haberentur apud secundum maritum, et religione christiana apud Praefectos accusarentur. Quaeritur:

1. An matrimonium in his circumstantiis factum validum sit.

2. Num et quandonam competat Vicariis Apostolicis huius partis ius dispensandi a praedicta monitione, praecipue si ex secunda uxore christiana liberos susceperit christianus. Si vero non competat, suppliciter postulatur.

3. Quando istae mulieres sic venditae ad provincias migrarunt in quibus abundat christianorum numerus, nec possunt inveniri, nec ullum nuntium de illis est: num ignorantia facti utrum forsan christianae factae fuerint antequam venditor transiret ad secundas nuptias, dispensationem debeat impedire.

4. Denique utrum, in hypothesi in qua possint moneri istae mulieres, sufficiat semel ipsas hortari sive per se, sive per alium, ut fiant christianae, nihil dicendo de matrimonio ita ut si hac vice nolint praedictae mulieres converti, licitum sit parti fideli transire ad novas nuptias.

R. Supplicandum SSmo pro concessione Indulti iuxta decretum et Instructionem S. Officii anni 1760 quae transmittatur,[1] et Breve Gregorii XIII anni 1585.[2]
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 517].

4573.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Fokien.), 3 ian. 1777.

Il governatore della provincia esige una colletta per fabbricare un tempio a Confucio, e vi concorrono alcuni cristiani.
R. Omnino non licere.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 518].

4574.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Sutchuen.), 3 ian. 1777.

S. C. prohibuit, decreto sub die 28 decembris 1770 dato[3] ne scripta quaecumque vel libri publicentur, sive de religione directe vel indirecte tractantes, sive disserentes de rebus ecclesiasticis, absque praevio examine atque approbatione ipsius S. C. – Quaeritur: 1. Num sub hac prohibitione comprehendantur scripta vel libri latini, aut alterius idiomatis apud catholicos in Europa passim communes, veluti *Imitatio Christi*, *Evangelia et Epistolae totius anni*, *Catechismus D. de Fleury*, *Mores israelitarum et christianorum* (*eiusdem auctoris*), *Acta Martyrum D. Ruinart*, caeterique id generis qui in sinicum sermonem verti possunt, aut iam versi, huiusque Imperii fidelibus verbo Dei per unum annum, et quandoque amplius destitutis, maxime utiles forent.

2. Licetne quosvis libros, iam ante decretum supradictum impressos erroribusque expurgatos, praevio examine et approbatione solius Vicarii Apostolici, aut alterius ab ipso ad id deputati, de novo typis mandare et publicare.

3. Si ex Cocincina et ex Cambodia, ad quas non extenditur supra memoratum S. C. decretum, ad nos mittantur scripta vel libri sinici de religione vel rebus ecclesiasticis disserentes, posito quod iudicio Vicarii Apostolici aut eius deputati nullus reperiatur in iis error, licebitne ea divulgare et publicare? Ratio quaesiti nobis est quia Vicarius Apostolicus praedictarum regionum intendit libros sinicis characteribus exaratos pro bono suae Missionis componere et publicare, quorum exemplaria Missioni Sutchuen. promisit.

R. Attentis peculiaribus circumstantiis, permitti posse Vicario Apostolico ut in eius districtu, praevio ipsius examine atque approbatione eiusdem

[1] Cf. N. 811.
[2] Cf. N. 155.
[3] Cf. N. 4552.

S. C., edi ac publicari possint, etiam lingua sinica, libri iam in Europa compositi et vulgati cum communi approbatione ecclesiastica, exceptis prohibitis a S. Sede vel nominatim vel generaliter in Indice expurgatorio, inter quos videntur esse nonnulli ex enunciatis nuper ab eodem Vicario. In reliquis servetur Decretum ann. 1770.
[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 519].

4575.

S. C. de Prop. Fide, instr. 17 apr. 1777.

Retulit ad hanc S. Congr. P. Didacus a Varallo, qui Tripolitanis missionibus multos annos praefuit, plurimas, non sine gravi animarum detrimento, inter earum partium verbi divini administros subortas esse circa Baptismum dubitationes: An et quemadmodum pro diversis cum personarum tum periculi circumstantiis liceat ipsis, aut etiam ex debito incumbat, salutari lavacro infidelium, qui sibi consulere non possunt, necessitati subvenire. Quas dubitationes decem capitibus comprehensas, sed insuper multis velut incidentibus quaesitis implicatas S. Congregatio, diligenti examine adhibito, facile agnovit non tam nova ulla sanctione seu definitione indigere, quam simplici quadam explanatione communis doctrinae, quae de Baptismo infidelium filiis praebendo ex veteri Ecclesiae consuetudine profecta, multis identidem declarata est et confirmata Sacrarum Congregationum decretis et Apostolicis Constitutionibus, quarum summam duobus novissime decretalibus Benedictus XIV complexus est,[1] opportunisque pro casuum et circumstantiarum varietate partitionibus velut distinctis luminibus illustravit. Atque ex his quidem tria imprimis documenta suppetunt ad subiectam materiam propius pertinentia, e quibus in omni eius generis dubitatione sacri ministri consilii capiendi agendique normam petere debebunt. Sunt autem 1. Extra imminens mortis periculum non licere invitis aut insciis parentibus baptizare infantes filios eorum infidelium qui aut suis legibus vivunt, aut christianorum imperio vel dominio civiliter tantum subiecti sunt. 2. Nec baptizandos eiusmodi filios infantes, ultro etiam ac sponte a parentibus oblatos, si post baptismum, in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. 3. Sic infantibus eisdem in proximum vitae discrimen adductis baptismum impertiendum, modo id fiat sine scandalo: quae plane constabunt ex decretis inferius proferendis. Ne vero in huius generalis doctrinae applicatione ad peculiares casus ambigendi locus relinquatur, censuit Sacr. Congregatio singulis quaestionum propositarum articulis totidem esse responsionibus satisfaciendum.

I. Primum quaesitorum caput tria haec dubia complectitur: 1. Utrum licite baptizari queant infidelium filii amentes a nativitate, de quibus nulla spes est fore ut aliquo deinceps rationis intervallo potiantur. 2. Utrum

[1] Cf. N. 377, 418.

sacri administri teneantur de huiusmodi amentibus inquirere eosdemque baptizare. 3. Utrum per se, an per alios.

R. Quoad primum communis est doctorum sententia duce S. Thoma 3 p., quaest. 68, art. 12, amentes a nativitate in quibus nec praesens apparet, nec futurus speratur usus rationis, inter infantes computari, et quoad susceptionem Baptismi, eodem casu esse per totam vitam atque pueri qui versantur in proximo mortis periculo: sicut enim isti pueri, quia nondum rationis usum attigerunt, consulere sibi non valent, sic nec illi amentes ullo vitae tempore providere sibi possunt, quia, utpote perpetuo amentes, nunquam rationis usum attingunt. Quatenus ergo vere probabili ac prudenti iudicio censeatur illa rationis impotentia, licite baptizari possunt. Neque enim quoad huiusmodi amentes locum habet ea ratio quae generatim obstat ne licite baptizentur filii infidelium invitis parentibus, quod nimirum, praecavendae perversionis causa, non sine parentum offensione essent ab eorum cura et potestate abstrahendi: non, inquam, valet haec ratio quoad perpetuos amentes, quos a perversionis periculo subtrahit perpetua ipsorum amentia, tutoque ideo possunt in cura et potestate parentum relinqui. Caute tamen ac prudenter in illis aut inquirendis aut baptizandis gerere se sacros ministros oportebit, ne in christianam religionem infidelium odium, et saevitia in fideles concitetur.

Quoad secundum: cum sacris ministris id imprimis propositum esse debeat, ut Christo et Ecclesiae quamplurimas possunt animas lucrifaciant, non est ambigendum quin ad inquirendos et baptizandos huiusmodi amentes, teneantur moralem eam omnem diligentiam praestare, quam proprii muneris ratio in rebus gravissimi momenti exposcit: ea semper cautione adhibita, quam ad vitandum scandalum christianae prudentiae leges praescribunt.

3. Ad id vero tenentur missionibus addicti sive per se ipsos, quatenus legitime impediti non sint, sive per alios, quorum vicariam operam tum maxime laudabiliter adhibebunt, cum perspexerint commodius ac tutius per alios quam per se ipsos amentium saluti consultum iri.

II. Secundo dubio quaeritur quemadmodum se gerere missionum administri debeant erga filios infidelium amentes, quorum non ita stupida est amentia, ut non aliqua edant rationis indicia, in his maxime quae ad animalis vitae rationem pertinent, in quibus videlicet imbecilla quaedam se prodit vis et facultas rationis qualis apparet in pueris quatuor vel quinque annorum, quique adeo praecipua fidei mysteria percipere satis non valent. Quaeritur insuper an peccent ministri qui amentes huiusmodi quasi praescitos habentes, omnem de illis curam et sollicitudinem abiiciunt.

R. Ubi difficultas suboritur in gradu velut amentiae diiudicando, res eo demum revocanda est ut exploretur, an ii de quibus quaeritur tali rationis usu polleant, quo boni et mali moralis discrimen agnoscere, atque adeo in malo eligendo, culpae se reos reddere valeant. Hinc triplex casus emergit: vel enim moraliter constat eos tali facultate pollere, vel moraliter constat non pollere, vel denique post sufficiens examen dubium incertumque manet an polleant. Primo itaque, si prudenti iudicio peccati capaces

existimantur, utendum regula quam praescribit S. Thomas 3 p., quaest. 68, art. 12, his verbis: *Quidam sunt qui, etsi non omnino sanae mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possint de sua salute cogitare et intelligere Sacramenti virtutem: et de talibus idem est iudicium, sicut de his qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.* Isti ergo more adultorum ad baptismum adducendi sunt. Qua in re servandae omnino regulae quas Ecclesia praescripsit, quasque utpote in Catechismo Romano dilucide explicatas, non attinet hoc loco repetere.

2. Si prudenti iudicio culpae capaces non censentur, velut pueri qui non adhuc sufficientem rationis usum attigerunt, tum distinctione utendum; vel enim ista rationis impotentia perpetua fore prudenti etiam iudicio existimatur, suntque baptizandi, ut superius ad primum dubium dictum est; vel spes aliqua subest fore ut deinceps sese magis in ipsis facultas rationis exserat, tumque iterum distinguendum: aut enim in proximo mortis periculo versantur, suntque baptizandi, modo id fiat sine scandalo; aut non adest huiusmodi periculum, suntque expectanda certiora rationis indicia, ut more adultorum ad fidem et baptismum adducantur.

3. Quod si dubia tantum signa suppetunt, locus erit prudenti regulae quam suppeditant probati doctores, nimirum: si necessitas non urgeat, expectari potest ac debet commodior et maior cognitio; si autem necessitas urgeat, tunc in casu dubio inclinandum in favorem religionis et fidei christianae, et spiritualis salutis baptizandi.

Ceterum qui eiusmodi homines quasi damnatos iam ac desperatos negligunt, turpem negligentiam turpiori excusatione obtegere satagunt. Deo soli compertus est electorum numerus in superna felicitate locandus, estque prorsus insanae temeritatis id sibi iudicium arrogare: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* (ad Rom., II). Hoc potius cogitent religiosi viri nolle Deum aliquem perire, sed omnes ad veritatis agnitionem venire, ipsosque in partem eius muneris vocatos, quod a Christo discipulis suis demandatum est, ut eant et fructum afferant, ut pro Christo legatione fungantur, atque in salute hominum procuranda Christo inserviant et collaborent.

Nusquam igitur fas est amentes illos negligere, sed intentis semper oculis et animis prospiciendum, ut siquidem in proximo mortis periculo versentur, eos prudenti cautione adhibita minister baptizet; sin minus, opportuna momenta expectet, ut, cum sufficientia rationis indicia ediderint, eosdem more adultorum ad suscipiendum Baptismum rite praeparet.

III. Utrum ipsi ministri, antequam ad Baptismum amentibus huius secundi generis aut praebendum aut negandum sese inducant, rem totam, ubi sine gravi incommodo fieri potest, ad Episcopos, Vicarios vel missionum Praefectos referre teneantur, ab eisdemque consilium et agendi normam petere?

R. Tenetur quisque in suo munere fungendo errandi periculum, quoad licet, praecavere, omnemque quam rei gravitas postulat diligentiam in id adhibere. Nil porro tam consentaneum ecclesiasticae disciplinae et ordini hierarchico a Christo in Ecclesia instituto, quam ut inferiores in sacris

muneribus obeundis a superioribus dirigantur. Proinde ubi casus incidit quo sacerdos missionibus addictus anceps animi pendeat, num, attentis circumstantiis, fas sit nec ne Baptismum ministrare, non satis ille errandi periculum precavere censendus est, si, ubi commode fieri potest, maiores suos adire negligit, et paratum sibi in eorum sententia consilio et auctoritate subsidium respuit.

IV. Ubi non adsunt Episcopi, Vicarii aut Praefecti, num qui missionibus dat operam, proprio consilio inducere sese debeat ad baptizandos praedictos amentes, adhibito prius diligenti examine implorataque Sancti Spiritus ope.

R. Tenentur sane religiosi ministri eo casu et diligens examen adhibere, et divinam opem enixe implorare. Sed meminerint in eo studium suum imprimis versari oportere, non ut ipsi novas sibi regulas fingant, sed ne in applicandis Ecclesiae regulis aberrent. Quae sint autem istae regulae, quod ad proposita dubia pertinet, partim ex iam dictis intelligi possunt, partim ex dicendis innotescent.

V. Utrum licite ageret minister qui post diligens examen ambiguos illos amentes, praetermissa instructione, occulte baptizaret, hac vel simili conditione adhibita: *si incapax es auditus fidei, vel irremediabilis et invincibilis ignorantiae tenebris involutus:* aut etiam simplicius: *si incapax es instructionis et doctrinae adultis necessariae ante susceptionem baptismi, ego te baptizo etc.*

R. Nil ad hoc praecludendum dubium aptius afferri potest praeclara illa sententia D. Thomae 2-2, quaest. 10, art. 12: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiae, consuetudo, quae semper et in omnibus aemulanda.* Huius consuetudinis auctoritate potissimum inductus est S. Doctor, ut negaret licere filios infidelium invitis parentibus baptizare, ut habetur in Const. *Postremo mense*, n. 6,[1] quo minime mirum est illam S. Thomae doctrinam et ab aliis communiter receptam, et cum aliorum tribunalium ecclesiasticorum, tum etiam Supremae Inquisitionis sententiis atque iudiciis roboratam et confirmatam esse, quemadmodum testatur Benedictus XIV laudata Constitutione *Postremo mense*, n. 2, et Constitutione *Probe*, n. 10.[2] Eiusdem porro consuetudinis auctoritas perinde valet ad illam excludendam conditionis formulam, quae in Baptismo ministrando adiicienda proponitur. Tribus fere de causis comperimus Ecclesiae consuetudine invaluisse ut conditio in Baptismo conferendo adhibeatur, cum de Baptismo antea collato, utrum nec ne valeat prudenter dubitatur; cum necessitas cogit dubiam materiam adhibere; cum dubitatur num subiectum capax sit Baptismi, velut in mostruosis partubus, vel, ut in partu difficili, cum dubitatur num Sacramentum confici valeat eam partem abluendo quae sola potest ablui. Uno verbo: conditio ex Ecclesiae consuetudine in Baptismo tum adhibetur, cum dubitandi locus est, num aliquid defuerit aut desit quod ad valorem Sacramenti requiratur. Quoties vero constat nil tale deesse, nusquam auditum est licere ministro, dum ritum Baptismi exequitur, conditiones ex

[1] Cf. N. 377.
[2] Cf. N. 418.

suo arbitrio adiicere quibus Sacramenti confectio impediatur. Proinde quod in illo primo casu S. Thomas concludebat, hic etiam concludendum est, periculosum esse praeter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, hanc de novo assertionem inducere. Quamobrem sacros ministros ab usurpanda proposita formula omnino abstinere oportebit, eamque normam sequi quae ad secundum dubium praescripta est.

VI. Utrum missionum ministris id liceat quod ab Honorato Turnelio propositum dicitur, qui, exposita quorumdam theologorum sententia existimantium infantes filios infidelium omnes insciis parentibus baptizari posse, subiicit, ut fertur, se in eo casu ad Sanctam Sedem aut ad viciniores Praelatos petendi oraculi causa recursurum: hoc praesidio deficiente, imploraturum Sancti Spiritus opem, atque ex eius ductu agendi consilium sumpturum, ac demum in tali materia unumquemque in sua sententia relicturum.

R. Doctorum opiniones ad Ecclesiae decreta sunt exigendae, non ipsa decreta ad opinantium libitum inflectenda. Proinde quidquid Turnelius aut privati alii senserint, firmior hic adest auctoritas posita in Summorum Pontificum constitutionibus et Sacrarum Congregationum decretis, quae omnem nunc fidem penitus abrogant ei opinioni, quae isto quaesito suscitari quodammodo videtur, quae generatim statuit licere infantes filios infidelium invitis aut insciis parentibus baptizare. Sane Bened. XIV, const. *Postremo mense*, num. 7 proponit, velut fixum ac ratum, *quod nefas sit hebraeorum infantes reluctante parentum arbitrio baptizare*, nisi tamen urgeat mortis periculum, ut deinceps explicat. Ac ne quis per calumniam vellet aliud esse *invitis*, aliud *insciis* parentibus agere, inane istud ac plane commentitium discrimen exploditur constitutione *Probe*, num. 10, ubi S. Thomae doctrinam probat, qua docet infantes infidelium *sine parentum consensu* nequaquam baptizari posse. Quam doctrinam Pontifex ait et communiter receptam, et ecclesiasticorum tribunalium iudiciis confirmatam.

Ad planiorem porro huius doctrinae explanationem operae pretium fuerit tria hic potissimum S. Congregationis (S. Off.) decreta subiicere, quae superius indicata quidem fuere, sed quae reiicere in hunc locum oportuit, ut responsorum series dubiorum seriei responderet. Primum anno 1705 die 18 febr., quo in constit. *Postremo mense*, num. 8, quaestioni respondens felicis memoriae Praesulis Caroli Naigrot: « An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus? » editum est sequens responsum: « Emi audito voto DD. Consultorum dixerunt, non licere, nisi in articulo mortis ». Alterum quo ad postulatum Episcopi Quebec. de infantibus, quos parentes ultro et sponte ad baptismum offerunt, responsum est die 3 maii 1703: « Non licere si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo ». Cui consentaneum est aliud editum die 15 martii 1770: « Non licere extra mortis periculum conferre Baptismum (infantibus) ab utroque parente infideli oblatis, quoties iidem infantes post receptum Baptisma sub potestate et educatione eorumdem infidelium genitorum sunt relinquendi ». Tertium die 28 ian. 1637[1]

[1] Cf. N. 724.

ad dubium de infidelium infantibus filiis in proximo vitae discimine constitutis responsum est: « Baptismum posse conferri infantibus in articulo mortis moraliter certe constitutis, si tamen id fiat sine scandalo ». Ex quibus decretis tres illae generales praeceptiones eruuntur, quae initio attingendae fuerunt, ut ad ipsa dubia enodanda ratio et via praemuniretur, nimirum: 1. Non licere nisi in articulo, seu moraliter certo imminentis mortis periculo infantes infidelium filios invitis seu insciis parentibus baptizare. 2. Neque licere extra idem periculum seu articulum (siquidem in decretis *articulus* et *periculum* promiscue recipiuntur) infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. Neque ad huius praescriptionis vim infringendam aut effugiendam valere debebit discrimen, quod obiici solet inter materialem et formalem perversionem. Hanc distinctionem non ignorabat magnus ille Pontifex Benedictus, qua tamen non attenta, generatim pronunciat (Constit. *Postremo mense*, num. 23), grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Idemque constat ex allatis decretis omnino praecavendum. 3. In ipso quoque mortis articulo baptizandos quidem filios infantes infidelium, sic tamen ut scandalum vitetur, nec proinde maius quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia concitetur. Proinde in omni eventu divinam sane opem implorent sacri ministri, ne unquam aut istorum decretorum oblivio eos capiat, aut fas sibi esse putent privatum suum iudicium eisdem anteferre.

VII et VIII. Utrum liceat opinione illa superius exposita saltem uti, cum, saeviente peste, de centum pueris, ut plerumque accidit, nonaginta pereunt; aut cum populares morbi pessimae indolis multo maximam partem absumunt puerorum, antequam rationis usum attingant?

R. Repetenda hic sententia D. Thomae de maxima parte auctoritatis, quae inest in Ecclesiae consuetudine, quae semper in omnibus est aemulanda, et adversus quam periculosum est nova inducere. Non defuerunt primis Ecclesiae saeculis, dum christiani cum infidelibus permixti degebant, vastitates et pestilentiae; nec propterea in more unquam positum fuit, ut Ecclesiae SSmi Pastores pueros infidelium quibuscum vivebant, invitis vel insciis parentibus baptizarent. Degunt etiam nunc vel in alma Urbe inter christianos hebraei, suisque moribus vivere permittuntur; nec tamen Summi Pontifices unquam concessere, ut sive palam sive occulte infantes hebraeorum filii invitis aut insciis parentibus baptizarentur ob eam causam, quod saeviente populari lue multo plures ex illis infantibus intereunt. Ex quo facile intelligitur, duplicem, quod ad praesens institutum pertinet, periculi rationem distingui oportere, videlicet: periculum illud commune et vagans, quod sanis etiam hominibus in iis locis impendet, quae populari morbo affliguntur; alterum proprium et certum, in quo sunt, quos mali tabes inficit, aut qui quocumque modo in praesens vitae discrimen adducuntur. Pontificum porro constitutiones et Congregationum decreta, dum filios infidelium invitis parentibus baptizari vetant praeterquam in mortis periculo, loquuntur de isto praesenti periculo quod hominem bapti-

zandum determinate attingit, quodque interdum velut per synonymam vocem nomine *articuli mortis* exprimitur, non autem loquuntur de illo communi et vaganti periculo, in quod nec vocabulum nec notio articuli mortis ullo modo convenit.

Deinde animadvertendum, tametsi vi morbi plerique infantes absumantur, semper tamen nonnullos superesse vel quibus mors parcit, vel qui morbum vincunt. Isti porro, si omnes indiscriminatim infantes baptizantur, consequens est, ut sub cura infidelium remaneant, pravis eorum superstitionibus imbuendi. Atque hoc ipsum est, quod fieri vetant Pontificum constitutiones et Sacrarum Congregationum decreta.

In illa tamen vastitate, quam interdum barbaris praesertim regionibus exitiales morbi afferunt, erit plane in quo religiosi viri laudabilem operam impendant ingentemque laborum suorum fructum referant. Multum proficient illos baptizando, qui *in articulo mortis moraliter certo constituti*, ex laudatis decretis, caute semper ac prudenter baptizandi sunt. Qua in re studiose providere debent ne quis eorum incuria et negligentia pereat. Deinde illis calamitosissimis temporibus contingere quandoque poterit, ut extinctis parentibus dissipatisque incolis, plerique pueri abiecti ac deserti iaceant omni humana ope destituti. In illis perquirendis miseris infantibus praesentem et eximiam suae charitatis significationem edent religiosi viri missionibus addicti, non ut eos raptim baptizatos denuo abiiciant, sed colligant, paterna pastoralique ope iuvent curentque, ut sive sua, quoad facultates ferent, sive exterorum opera, quibus illos rite commendare poterunt, ii pueri ab infidelium convictu seiuncti ad christianae vitae officia, simulque ad honestum aliquod laboris vel opificii genus instituantur.

IX. An potiori iure infantes filii haereticorum vel schismaticorum, qui sub dubia materia vel forma baptizari solent, denuo sub conditione baptizari queant, dum videlicet non adhuc idonei sunt percipere speculativos errores parentum?

R. Involuta quaestio ac per partes singillatim enodanda. Quaeritur enim: 1. De baptismo infantibus haereticorum vel schismaticorum filiis ministrando. 2. De causa baptismi sub conditione iterandi. 3. De usu vel facultate rationis in puero baptizando.

Quoad 1. Certum est quidem penes Ecclesiam ius esse baptizandi infantes filios haereticorum, vel schismaticorum, ac praepedire, ne parentum erroribus imbuantur: neque de hoc Ecclesiae iure ulla dubitatio moveri potest. Cardo proinde difficultatis in hoc vertitur, quid agendum, cum Ecclesia ius illud suum exequi non potest, nec periculum amovere, quod infantibus illis imminet, dum sub cura et potestate manent parentum haereticorum vel schismaticorum. Hinc non immerito sacri ministri uti poterunt praestantium theologorum sententia, qui censent: « Idem dicendum videri in eo casu de haeretico et de quocumque alio infideli, si idem sit morale periculum ». Ex quo concludunt, ut minister catholicus licite baptismum praebeat, « necessarium esse, ut probabilem spem concipiat, fore ut huiusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui.

Quodsi nulla via possit huiusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a baptismo abstinere, supponendo, parvulum non esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest ».

Quoad 2. Ubicumque ad alias haereticorum pravitates haec etiam accedit, ut ad Baptismum dubiam materiam vel formam adhibeant, id sane satis est causae, cur Baptismus sub conditione iterari debeat. Verum hac in re non quibuscumque rumoribus plane fidendum; sed ritus, quo puer baptizatus est, diligenter, quantum fieri potest, ac sollicite indagandus, tumque, si dubius manet valor prioris baptismi, baptizandus iterum erit sub conditione, siquidem casus incidat quo ex superiore doctrina Baptismus sit ministrandus.

Quod 3. Latet aliquid ambiguitatis in extrema illa clausula, dum haereticorum vel schismaticorum filii *nondum idonei sunt percipere speculativos errores parentum*. Hic subobscure significatur provectior aetas in qua adolescens, licet iam usum rationis attigerit, non eo usque tamen adhuc progressus est, ut subtiles parentum errores dignoscere valeat. De tali puero vel adolescente quaeri videtur, num minister catholicus licite possit illum vel absolute vel sub conditione baptizare, nullo verbo habito de illis speculativis erroribus, hoc praetextu quod nondum valet satis illos percipere. Uno verbo quaeritur utrum puer pollens iam usu rationis, in haeresi vel schismate educatus eique adhaerens, licite baptizari queat, quin antea de illius sectae erroribus, quibus iam imbutus est moneatur, atque ad illam sectam detestandam eiurandamque adducatur. Responsio petenda ex his quae de preparatione ad Baptismum adultis ministrandum in Rituali et Catechismo Romano praescribuntur, ac passim a catholicis doctoribus explicantur. Adultus baptizandus petit *ab Ecclesia* fidem, proindeque ipsum praecipua fidei christianae capita edoceri oportet, eamque fidem profiteri quam Sancta Catholica Romana Ecclesia tenet ac profitetur, eique Ecclesiae ac Supremo eius Capiti Romano Pontifici debitam obedientiam spondere. Quamvis ergo puer, de quo quaeritur, nondum valeat speculativos parentum errores propria velut intelligentia introspicere ac penetrare, non licet tamen eum ignorare sectam illam pravos errores profiteri ab Ecclesia damnatos, debetque omnino et illam sectam et eius errores eiurare ac detestari, seque catholicum romanum profiteri. Religiosi viri qui missionibus navant operam, id sibi muneris datum esse existimare debent, ut oves quae perierunt ad ovile Christi adducant. Quis autem ad ovile Christi pertinere illos censeat, qui sectis adhaerent quae ovile Christi insectantur, hostilemque animum instar luporum adversus Ecclesiam gerunt? Amplificatur Ecclesia illis aggregandis qui eam ut matrem ac magistram agnoscunt, audiunt et colunt, nec ut suos agnoscit qui datam sibi a Christo potestatem iuxta fidem ac praescriptum ipsiusmet Ecclesiae agnoscere ac vereri impie detrectant.

X. Utrum sub gravi teneantur missionibus addicti operam ac studium adhibere, ut idonei paresque fiant exequendis muneribus de quibus hactenus dictum est, ne perire sinant tot animas quae ipsorum incuria et laboris impatientia damnantur.

R. Nullus hic ambigendi locus. Certum est apud omnes unumquemque teneri moralem quam potest diligentiam in eo ponere, ut aptus idoneusque suis muneribus obeundis reddatur. Quae obligatio eo gravior est, quo gravioris momenti sunt ipsa munera quibus quisque fungitur. Ex quo patet quam gravi se culpa obstringeret ille minister cuius incuria et negligentia, quod Deus avertat, perire contingeret minimum quemque pusillorum, pro quibus Christus sanguinem suum fudit. Quocirca suum imprimis studium in id conferre debent sacri ministri, ut ea doctrinae subsidia comparent quae sibi necessaria sunt ad sua munera rite obeunda. Haec autem petere illos oportebit ex probatis auctoribus, iisque maxime qui de rebus ad missiones pertinentibus pertractarunt, quos, utpote satis notos, haud opus est hoc loco nominatim percensere. Imprimis vero respicere nusquam desinant in decreta et rescripta Sedis Apostolicae inviolabili auctoritate comprobata, quam Christus fidelibus suis voluit esse, ut omnis salutaris veritatis, sic omnis verae pietatis certissimam ducem ac magistram.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 522].

4576.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Chaldaeis), 6 dec. 1777.

Rispetto all'uso del Calice, Monsig. Elia (Patriarca de' Caldei) rappresenta l'insuperabile attaccamento di alcune popolazioni, aggiungendo ancora gli ingiusti rimproveri, che dagli eretici si fanno ai Prelati, che insistono per abolirlo, quasi che si proibisca quello che da Cristo fu a tutti accordato, anzi (come essi pretendono) comandato, onde cerca direzione in tali scabrosi frangenti. — Gli abusi e disordini per tal uso, succeduti in passato, e troppo facili a rinnovarsi in avvenire, fanno desiderare, che dai laici si tralasci in ogni luogo l'uso del calice. Contuttociò se in alcuni paesi e contrade della giurisdizione di Monsignor Elia, trovandosi attualmente vigente un tal uso, si vuole assolutamente ritenere, nè apparisce possibilità di levarlo senza gravi scandali, tolleri per ora tale repugnanza, purchè però fondata meramente sulla tenacità dell'antico costume, e non derivata dalla falsa persuasione, che l'uso del calice per i laici sia di precetto divino, ed abbia errato la Chiesa in proibirlo, poichè, in questo secondo caso, deve colle opportune istruzioni, e giusta spiegazione dei passi dell'Evangelo, di cui abusano i nestoriani, procurare di ritirare gli erranti dalla falsa eretica opinione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 524].

4577.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Siam), 21 ian. 1778.

Duo sunt quae postulas tibi ut diserte explicentur ad rectam et cuiusque erroris suspicione vacuam institutionem christiani gregis, quem tuae fidei et vigilantiae traditum esse laetamur.

Primum postulatum manat ab impia illa et stulta superstitione quae siamensium mentes ita occupat, ut falso putent sibi non licere quidvis animatum est interficere ac perdere; propterea non pullos, non gallinas, nullum animal enecant; quinimo neque audent ova infringere, vel integra coquere, ne germen vitae quod iis inest praefocent atque interimant. At christiani qui isthic versantur, ut aliquid utilitatis et quaestus ex infidelium stultitia occupent, ipsi gallinas, ipsi pullos iugulant, ipsi ova ovorumque cacumina praecidunt, et siamensibus vendunt, qui ea omnia sibi ad victum comparant et nonnunquam ad sacra idolis suis adhibenda. Quaeris igitur, utrum christianis ea venditio permitti debeat?

Hic autem primum occurrit animadvertendum, tantum abesse ut christiani cum, aut gallinas enecant, aut ovorum cacumina abscindunt, siamensium erroris suspicione afficiantur, quinimo erroris illius perversitatem et stultitiam facto ipso refutent, improbent et contemptui ac ludibrio habere videantur. Animadvertendum praeterea actiones illas christianorum, quas indicavimus, esse per se et suapte natura indifferentes, quas tamen et perniciosas et illicitas fieri posse intelligitur, si malus usus irrepat infidelium, quo iisdem rebus abuti velle praevideatur ad superstitionem et impietatem. Theologi autem inter sese conveniunt omnes, licere cuique res suas absque ullo culpae metu vendere, si emptorem iisdem rebus abuti velle plane ignoretur; imo neque teneri asserunt investigare et quaerere ad quem usum emere emptor velit. Vendit mercator cuivis, sive christianus sive infidelis sit, merces suas: vendit stragulatam vestem, scyphos, hydrias, lapides pretiosos, aliasque cuiusvis generis res: ignorat autem utrum iisdem rebus emptor uti velit ad ornatum sponsae, an ad cultum idoli splendidiorem. Numquid tenetur ipse ab emptore exquirere quid sibi in emendo propositum habeat? Minime quidem. Emit e macello christianus homo, qui apud infideles versatur, carnes ad vescendum: ignorat autem utrum eaedem carnes petantur a victimis quas infideles falsis diis immolarunt; teneturne antequam eo cibo utatur, sciscitari diligentius? Negat Paulus Apostolus ad Corinthios scribens (I ad Cor., cap. X, v. 25): *Omne, quod in macello vaenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* At secus contingit si quis infidelis te ad coenam invitet, et profiteatur atque declaret epulas paratas reliquias esse victimarum, quae nefario in sacrificio immolatae fuerint. Tum quidem abstinere ab epulis debes, ne aliis sis offensioni et scandalo: *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam.*

Habes nunc regulam et normam, quam sequi debes in quaestione quam proposuisti. Venditio actio est indifferens; ignorat christianus utrum emptor abuti velit re vendita ad superstitionem et impietatem; quinimo scribis plerumque contingere ut siamensis emptor et gallinas et ova decacuminata adhibeat ad victum domi suae particularem: licebit ergo christiano homini res illas vendere, neque tenetur ad quem usum siamensis eas sibi comparet sciscitari.

Sed quo cautius procedatur, cavendum ne mercatura illarum rerum fiat iis in locis, quae profanis idolorum templis propiora sint. Quod si infidelis siamensis profiteatur emere ut idolis et talapoinis offerat, non est integrum neque omnino licet vendere, *propter illum qui indicavit, et propter conscientiam.* Neque enim licet unquam christiano homini offensionis et scandali occasionem praebere, multoque minus illi licita est ulla vel remota actio quae ad impietatem vel superstitionem prolabatur et confluat, cum nullo modo liceat *Christi famulis Belial inservire* (II Cor., VI).

Secundum quod scribis est eiusmodi: Duas isthic bellicorum tormentorum explosiones fieri solere, alteram, novo ineunte anno e moenibus civitatis, alteram circum aram numinis *Attana;* utramque vero eodem tempore, quo huius falsi numinis festus et solemnis agitur dies. Postulas igitur utrum christianis, si primae tantum tormentorum explosioni, nullam autem secundae dent operam, id sine ullo superstitionis periculo fieri possit, permittendumque sit.

Huic postulato breve est quod respondetur. Quodcumque sit discrimen quod ex infidelium ritu alteram ab altera explosionem tormentorum distinguat, si semel ac eodem tempore, eademque profani festi occasione, tormentorum explosio e moenibus civitatis fiat, haec quoque ad falsi numinis cultum dirigi facile intelligitur, et propterea, sin minus superstitione, culpa tamen ac scandalo a christianis omnino vitando non vacat. Quaevis enim actio quae aut loco aut tempori ita accommodatur ut superstitioni consentanea videatur, certe quidem superstitionis contagione contaminatur. Ergo actionis auctor, licet alio mentem animumque conferre prae se fecerit, reipsa tamen a falsi cultus suspicione non vacat. Declarant, inquis, christiani et profitentur se, dum explodendis tormentis e moenibus urbis dant operam, id unice agere ad celebrandam ineuntis anni laetitiam, praeterea nihil; sed, cum ex communi earum gentium opinione id ad cultum numinis *Attana* solemniori ritu celebrandum dirigatur, certe quidem sine periculo offensionis et scandali fieri non potest, et propterea nullo modo permitti debet. Quid vero, si utraque tormentorum explosio idcirco fiat ut daemones e civitate expellantur? Scribis enim: *Opinio vulgaris et communis est omnia tormenta illa bellica simul explodi ad expellendum diabolum.* Hoc sine ulla dubitatione ferendum non est, tum quod erroris opinionem confirmaret, quasi tormentorum strepitus valeret ad diabolum deterrendum atque expellendum; tum maxime quod sacris Evangeliis adversatur, ex quibus intelligimus in solo Iesu nomine, et orationibus atque ieiuniis posse daemonia eiici atque exterminari.

Tuae igitur vigilantiae tuaeque diligentiae partes erunt, christianos isthinc homines monere ut, quo robore animi a tormentis circa aram falsi numinis explodendis abstinuerunt, eodem negent velle quidquam suae operae et laboris conferre ad explosionem tormentorum e moenibus civitatis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 526].

4578.

S. C. de Prop. Fide, decr. 28 mart. 1778.

Cum plurimum intersit ut catholicae Ecclesiae Pastores, qui inter infideles et haereticos apostolico munere funguntur, non solum praedicatione et verbo, sed etiam exemplo sint populis in aedificationem, nullamque infidelibus et haereticis occasionem praebeant praetexendi excusandique proprios errores catholicorum factis, sed quae Christi sunt pie casteque administrent, cumque relatum sit nonnullis in locis turcarum ditioni subiectis abusum vigere ut Episcopi, dum Confirmationis Sacramentum fidelibus conferunt, lances ad excipiendam a confirmatis pecuniam exponant: Emi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, ad removendam in hoc genere quamcumque offensionis causam decreverunt, atque omnibus Episcopis in quibuslibet Aegaei Maris Insulis ac caeteris Europae partibus quae turcicae potestati subsunt, degentibus, in virtute sanctae obedientiae mandarunt ut in administratione praefati Sacramenti nemini ipsorum in posterum omnino liceat pecunias quovis titulo excipere, etiamsi ultro offerantur, lances ad hunc finem exponere, ac fideles ad huiusmodi pecuniarias largitiones quomodolibet incitare.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 528].

4579.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Praef. Mission. Thibet), 1 maii 1779.

Essendosi communicato alla Santità di N. S. il dubbio proposto da V. P. in materia dell'assoluzione dall'eresia, apostasia dalla fede, e scisma: cioè se in vigore della facoltà concessa ai missionarii nella Formola IV, n. 10,[1] debbano questi assolvere i delinquenti con quegli atti esteriori, che vengono prescritti nel Rituale oppure assolverli soltanto nel foro interno, ancorchè siano publici: Sua Beatitudine si è benignamente degnata di dichiarare qual sia su di ciò la sua volontà, commettendo a questa S. C. di Propaganda di parteciparla alla P. V. per proprio lume e governo. In adempimento adunque delle pontificie disposizioni, debbo notificarle, che la clausola apposta nel num. 10, delle suddette facoltà *et hos in foro conscientiae tantum*, si deve riferire a tutte quante le persone ivi nominate, e che il senso della clausola è questo, cioè che l'assoluzione vaglia soltanto

[1] Facultas sub num. 10 Form. IV ita se habet: « Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint; nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi, in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum ».

per la coscienza, e nulla suffraghi ai delinquenti nel foro giudiziale esterno quante volte accadesse di dover dedurre in giudizio il delitto.

Rapporto poi alli neofiti del Tibet, i quali hanno pubblicamente apostatato dalla Fede, è mente di N. S. che ritornando questi al grembo della S. Chiesa, previa l'abiura da farsi alla presenza dei cattolici, si debbano assolvere dalla scomunica nella consueta forma della Chiesa, che vien descritta nel Rituale Romano, Tit. 8, Cap. 3, e quindi ammetterli alle sacramentali confessioni, impostegli però gravi e salutari penitenze ad arbitrio del confessore.

Su la data distinzione dell'uno e dell'altro foro, penitenziale e giudiziale, Ella ben vede, che non solo rimane ben provveduto alla coscienza di quei fedeli, che sono trascorsi in somiglianti eccessi, ma si mantiene anche viva ed intatta la processura del foro giudiziale, in caso che dovesse pronunciarsene: come pure illesa si conserva l'autorità di chi deve giudicare su tali materie. Egualmente proprio e convenevole è il modo accennato, che dee tenersi nell'assolvere i neofiti di cotesto Regno, che caduti in apostasia ritornano alla Chiesa, poichè non potendosene istruire un formale processo, basta per rimuovere un publico scandalo che essi alla presenza dei soli cattolici ne facciano l'abiura, e quindi siano assoluti nella forma sopra indicata.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 533].

4580.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Mission. Caiennae), 8 maii 1779.

Circa il costume che pretendesi sia stato introdotto nelle Missioni dell'Isole francesi dell'America di battezzare i negri quasi subito che sono stati presi dalle coste dell'Africa, senza veruna preliminare istruzione, non possono certamente prescriversi dalla S. Congregazione di Propaganda altre regole da osservarsi ai missionari direttori, e mediatori, se non che quelle, che siano in tutto consentanee a quanto su tale articolo prescrivono tanto il Rituale, quanto il Catechismo Romano. Leggesi nel Rituale al cap. III, *de Baptismo adultorum*, § I: *Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam in Christiana Fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquos dies in operibus pietatis exerceri, eiusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens, et volens probeque instructus baptizari.*

Il Catechismo Romano poi lodando la pratica, e consuetudine della Chiesa nel differire per qualche tempo agli adulti che si convertono dall'infedeltà l'amministrazione del santo Battesimo: *neque enim* (prosiegue alla pag. 153 dell'ultima edizione romana dell'anno 1761) *ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere supra dictum est, coniunctum habet; cum illis qui rationis usu praediti sunt, Baptismi suscipiendi propositum, atque consilium, et malae actae vitae poenitentia satis futura sint ad gratiam et iustitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quominus salutari aqua ablui possint; contra vero haec dilatio aliquas videtur afferre utilitates. Primum enim,*

quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, nequis ad hoc Sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptismum petunt, magis exploratur atque perspicitur... deinde in Fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius etc.

Due adunque essendo le principali disposizioni delle quali debbono esser forniti gli adulti per ricevere validamente e lecitamente il sopradetto sagramento, cioè: 1. il consenso, se non attuale ed espresso, virtuale almeno, ed interpretativo, come dai teologi appellasi; 2. la fede, ossia una sufficiente nozione dei principali misteri della Religione Cristiana, dicendosi presso S. Marco, cap. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit:* per quanto sembri inconveniente l'esigere che i mori sopraccennati prima di essere battezzati vengano istruiti, come s'istruiscono preliminarmente in Europa li turchi e gli ebrei che si convertono alla nostra santa Fede, non sa comprendersi, perchè non possa farsi a meno di battezzare alcuni di essi (quando non siano affatto privi dell'uso di ragione), come se fossero fanciulli allora nati, vale a dire senza veruna istruzione preliminare.

In una Istruzione della S. Congregazione di Propaganda emanata sotto li 17 aprile 1777 [1] sopra vari dubbi e questioni proposte intorno all'amministrare il Battesimo ai figliuoli degli infedeli, o di quegli eretici, che battezzano con dubbia forma e materia, al seguente dubbio: *Utrum puer pollens iam usu rationis in haeresi vel schismate educatus, eique adhaerens, licite baptizari queat, quin antea de illius sectae erroribus quibus iam imbutus est moneatur, atque ad illam sectam detestandam eiurandamque adducatur,* conchiudesi che la risposta ad un tal quesito devesi onninamente desumere, *ex his, quae de praeparatione ad Baptismum adultis ministrandum in Rituali et Catechismo Romano praescribuntur, ac passim a catholicis doctoribus explicantur:* aggiungendosi immediatamente: *adultus baptizandus petit ab Ecclesia fidem, proindeque ipsum praecipua Fidei Christianae capita edoceri oportet, eamque fidem profiteri, quam Sancta Catholica Romana Ecclesia tenet ac profitetur, ac supremo eius capiti Romano Pontifici debitam obedientiam spondere.*

Non possiamo adunque dipartirci da tali regole nel definire e determinare le disposizioni necessarie per ammettere al Sagramento del Battesimo li negri e gli indiani adulti, vale a dire il consenso, e la Fede; nè potranno giammai costoro validamente e lecitamente battezzarsi senza veruna previa istruzione, e come se fossero fanciulli allora nati, se non nel caso in cui ne siano affatto incapaci per mancanza totale di ragione: *Communis est doctorum sententia* (dicesi nella recente istruzione or ora citata) *duce S. Thoma,* 3 part., quaest. 68, art. 12, *amentes a nativitate in quibus nec praesens apparet, nec futurus speratur usus rationis, inter infantes computari, et quoad susceptionem Baptismi eodem casu esse per totam vitam atque pueri qui versantur in proximo mortis periculo: sicut enim isti pueri, quia nondum rationis usum attigerunt, consulere sibi non valent, sic nec illi amentes ullo vitae tempore providere sibi possunt, quia utpote perpetuo amentes nunquam rationis usum attigerunt.*

[1] Cf. N. 4575.

Quatenus ergo vere probabili ac prudenti iudicio perpetua censeatur illa rationis impotentia, licite baptizari possunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 534].

4581.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Scodren.), 11 sept. 1779.

1. Esponeva Ella la gran fiducia, che hanno non solo i fedeli, ma anche i musulmani di coteste parti nei brevetti scritti e distribuiti dai sacerdoti cattolici, e quindi la pratica di dispensarli sì agli uni, che agli altri. Su di che dovrà Ella avvertire i suoi sacerdoti e missionari a non discostarsi punto su questo particolare dall'Istruzione e formola prescritta dalla S. C. del S. Offizio nel suo decreto emanato gli 11 decembre 1749, copia del quale a quest'effetto le accludo. [1]

Rapporto poi all'altra consuetudine di esorcizare i turchi ossessi, sarà cura di V. S. l'avvertire i missionarii e sacerdoti, che saranno stati da lei autorizzati ad un simile ministero (giacchè agli altri non si permette), perchè in primo luogo osservino bene le regole e le cautele prescritte dalle rubriche del Rituale Romano al tit. X, *De exorcizandis obsessis a daemonio,* non usando altre formole ed orazioni fuori di quelle, che nel medesimo Rituale si leggono espresse; ed in oltre, che non fomentino nei turchi la falsa credenza che presso di noi vi sia alcuna umana scienza ed arte per liberare le creature di Dio dalle infestazioni, o dal possesso degli spiriti maligni, ma che s'istruiscano, e procurino di persuaderli che quanto dai ministri della Chiesa si opera in questo genere, tutto è in vigore dell'autorità conferita e lasciata alla sua Chiesa da Gesù Cristo, a cui compete ogni potestà in cielo e in terra, ed a cui obbediscono tutte le creature nell'aspettativa della di lui gloriosa manifestazione, quando verrà a giudicare i vivi ed i morti.

2. Circa la celebrazione della Messa, amministrazione dei Sagramenti, e predicazione, che costì si esercitano con molta frequenza non solo dei cattolici, ma anche dei turchi, i quali senza commettere irriverenze spesse volte vi assistono o per curiosità, o per voti fatti a coteste chiese, fa d'uopo avvertire non esser contro lo spirito della Chiesa, che gli infedeli assistano alla predicazione della cristiana dottrina, massime ove pongasi loro in vista la purità e perfezione della morale evangelica, senza molto internarsi nella esposizione dei misteri superiori alla loro capacità, e direttamente contrari alle loro infelici prevenzioni. Ma per quel che riguarda la celebrazione della Messa, e l'amministrazione dei Sagramenti, Ella ben sa la clausola espressa nella formola delle sue facoltà, ove si permette è vero di far tuttociò anche in presenza di persone estranee dalla comunione della Chiesa, ma con la condizione, *si aliter celebrari non possit;* e però si dee, quanto è possibile senza pericolo di maggior danno, procurare che gli infedeli si ritirino dal-

[1] Cf. N. 801.

l'assistere alle nostre sacre funzioni, e specialmente al Sacrificio dell'Altare, alla comunione del quale nè realmente nè formalmente si ammettono altri, che i veri fedeli di Cristo.

3. Circa la pratica di portare il Viatico senza lumi, e di celebrar talvolta in casa dell'infermo per comunicarlo, fin dall'anno 1776, in risposta alla sua altra relazione, le fu trasmessa copia del Decreto dei 14 decembre 1668.[1] Ora ne le accludo nuovamente una copia, aggiungendole, che nella Enciclica *Inter omnigenas* fu stabilito da Benedetto XIV che *extra summae necessitatis causam apud infirmos, in aedibus non sacratis, Missam celebrare non licet*. E perciò ordinò, che il SSmo Sacramento, *siquidem sine periculo possit, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferatur*, soggiungendo immediatamente il modo da tenersi, ed il rito da osservarsi, secondo le diverse circostanze, nella delazione del medesimo, come si legge nel § 21 *Dum autem sacerdos etc.*[2]

4. Nè parimenti si può approvare, che fuori de' casi nei quali non possa differirsi ai bambini il Battesimo senza pericolo della lor morte, e non possano i medesimi senza egual pericolo essere, portati alla chiesa, vadano i parrochi a battezzare nelle case dei genitori: pratica riprovata anche dal Concilio Albanese (parte II, cap. II, *de Baptismo*); non potendosi comprendere come non vi sia difficoltà di portarveli pubblicamente per supplire alle sagre ceremonie, e solo s'incontri ostacolo per portarli a ricevere il Sagramento secondo le leggi e il rito della S. Chiesa. Neppur veggo il motivo perchè debbano escludersi dall'officio di padrini i consanguinei del bambino e dei suoi genitori, quandochè è ben noto, che per l'assistenza prestata al compimento delle sagre ceremonie, quando realmente non si amministri il sagramento del Battesimo il preteso padrino non contrae alcuna vera cognazione spirituale nè col preteso figliano, nè coi genitori di lui.

5. Osservabile sopra tutto è sembrato l'articolo che tratta del Battesimo, ove Ella ne ha riferito che il Sagramento medesimo si amministra con la semplice acqua santa, per mancanza dei Fonti Battesimali. Conviene adunque premettere, che Benedetto XIV nella citata enciclica *Inter omnigenas* coerentemente ai sacri canoni, e specialmente ai decreti del Concilio Albanese dell'anno 1703 espressamente prescrive: *ne extra casum necessitatis communis et naturalis aqua, vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae, iuxta praescriptum Ritualis Romani.* Indi prosiegue dicendo che difficilmente potrà addursi motivo ragionevole, per cui non si faccia nelle parrocchie la benedizione solenne dell'acqua battesimale con i riti, e nei tempi stabiliti dalla Chiesa, che sono il Sabato Santo, e la vigilia della Pentecoste. Al che può aggiungersi che il non avere, nè il potersi ritenere stabilmente nelle chiese parrocchiali il Fonte Battesimale, non sembra motivo sufficiente per omettere la solenne benedizione

[1] Cf. N. 4480.
[2] Cf. N. 339.

dell'acqua a questo effetto destinata, potendo questa adattarsi con tutta proprietà in un decente vaso amovibile, quale poi si conservi presso del parroco, con quella cautela e decoro con cui si conservano e gli Olii Santi, e le altre cose sacre. Ma succedendo, che per inevitabile ostacolo non siasi potuto eseguire nei tempi debiti la benedizione dell'acqua battesimale, oppure che sia venuta a mancare quella che era stata benedetta col solenne rito prescritto nel Messale Romano, a questo caso ha ben provveduto il Rituale Romano nel tit. II, cap. VII, che ha per argomento *Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur:* ove sono prescritte le preci, e formole da usarsi in tal benedizione solenne, e sopra tutto l'infusione degli Olii Santi, cioè di quello de' catecumeni, e del sacro Crisma. Ciò presupposto, non può assolutamente approvarsi la pratica da Lei replicatamente indicata di amministrare il Battesimo, fuori dei casi di necessità, o con l'acqua comune, o con la semplice acqua benedetta, che suole denominarsi *acqua santa*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 537].

4582.

S. C. de Prop. Fide, decr. 26 aug. 1780.

Cum deceat viros qui saecularibus soluti curis per Regularia vota arctioris vitae institutum sunt professi, ab omni mulierum familiaritate abhorrere, hinc est quod tam Generalium ac Provincialium Conciliorum decretis, quam Summorum Pontificum, ac novissimis praesertim S. Pii V,[1] Gregorii XIII,[2] ac Benedicti XIV[3] Constitutionibus sancitum est, ut intra Religiosorum virorum septa, mulieribus quibuscumque non pateat aditus, sub gravissimis poenis inflictis, tam viris qui foeminas quocumque praetextu intra Regularium domorum ambitum admiserint, quam foeminis quae earumdem domorum clausuram violaverint. Saluberrimis hisce sanctionibus inhaerens Sacra Congregatio, etsi Praefectos Missionum identidem monere non destiterit, si quos aliquando ea in re non admodum vigilantes fuisse intellexerit: temporis tamen intervallo, vel legis oblivione, vel quod proclive est hominis ingenium ad legum quarumcumque sanctissimarum vim elevandam, saepius accidit, quemadmodum multorum litteris eidem Congregationi renunciatum est, quod in stationibus ac hospitiis missionariorum admissae quandoque fuerint mulieres, et in cubiculis, vel in aliis locis intra hospitiorum ambitum Poenitentiae Sacramentum susceperint. Quod quidem quam indecorum sit, quamque periculosum, probe noscens Sacra Congregatio, quae missionarios suos inter christiani nominis hostes versantes, non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali abstinere desiderat, ut, iuxta Apostoli monitum, sine offensione sint iudaeis, et gentibus, et Ecclesiae Dei; referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario,

[1] Cf. N. 115, 136.
[2] Cf. N. 147.
[3] Cf. N. 322.

statuit ac iussit hospitia et stationes, seu domos quaslibet cuiuscumque Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularis, in locis Missionum ubicumque existentes, in quibus duo vel tres missionarii latini ritus commorantur, seu commorari contigerit, clausurae legibus subiici, ita ut nemini regulari cuicumque omnino liceat, ullam foeminam intra privata eorumdem hospitiorum, seu stationum cubicula, mansiones, recessus, sub quovis titulo, specie, ac praetextu introducere, multoque minus sanctissimum Poenitentiae Sacramentum ibidem ipsis administrare; nec mulieribus sub quarumcumque licentiarum obtentu praedicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi, sub poenis a sacris canonibus, ac supra memoratis Pontificum constitutionibus inflictis adversus clausurae violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias, ac loca, ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateat accessus, ut sacrosancto Missae Sacrificio, aliisque ecclesiasticis functionibus, intersint, atque Sacramentum Poenitentiae suscipiant; eadem Sacra Congregatio declarat, ac decernit, admitti posse mulieres in internis ecclesiis, cappellis, aut oratoriis publicis hospitiorum praedictorum, ad quae tamen recto tramite accedant, nec in cubicula, aut privatas mansiones deflectant, et per eamdem, per quam accesserunt, viam, revertantur. Iubet praeterea, et praecipit Sacra Congregatio, ut mulierum Confessiones palam in ecclesiis, cappellis, aut publicis oratoriis, ubi adsunt: ubi vero desiderantur, in alio loco patenti, ac pervio, et ianuae hospitii quantum fieri potest viciniori, a respectivis Ordinariis, et his deficientibus, a localibus Missionum Superioribus designando, interposita crate ferrea, vel alio repagulo inter os confessarii, ac mulieris poenitentis, audiantur. Qui secus fecerint, ac saluberrimis hisce ordinationibus contraiverint, poenas contra clausurae violatores, ac sacrorum canonum, et Apostolicarum Constitutionum praefatarum contemptores incurrant.

Quod Sacrae Congregationis Decretum SSmo D. N. Pio Pp. VI, relatum in audientia habita per eumdem D. Secretarium, die 2 iulii currentis anni, Sanctitas Sua benigne confirmavit, Apostolicae Suae auctoritatis robur adiiciens, et ab omnibus sub memoratis poenis inviolabiliter observari iussit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 545].

4583.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Superior. Mission. Malabaren.), 2 sept. 1780.

De venia celebrandi Missam in locis non benedictis non est cur quaeras; habes enim tanquam Superior istarum Missionum facultatem *celebrandi sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctorum.* Sin autem per huiusmodi petitionem intelligis de facultate celebrandi sine altari benedicto, vel sine tabula seu lapide sacro altaris, id quidem S. Sedi non est in more concedere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 828].

4584.

S. C. de Prop. Fide, litt. 11 oct. 1780.

I missionari latini non debbono assolutamente amministrare i sacramenti, ed in specie li parrocchiali ai cattolici di rito orientale, se non in difetto del parroco della propria nazione, oppure quando non ostante la presenza del parroco suddetto, i nazionali non possono se non difficilmente ricevere dal medesimo i sacramenti, e però non si vieta ai missionari latini di potere amministrare in caso di necessità ai moribondi orientali il sacro Viatico e l'Estrema Unzione, siccome chiaramente viene espresso nella Costituzione *Demandatam* di Benedetto XIV, [1] ed in particolare pei Copti nelle due celebri Istruzioni pastorali dello stesso Pontefice che cominciano *Eo quamvis,* [2] e *Anno vertente.* [3]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2253].

4585.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Siamen.), 15 febr. 1781.

Constans probataque Apostolicae Sedis doctrina est non posse infidelium filios invitis parentibus baptizari, nisi in probabiliter certo mortis periculo sint constituti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 574].

4586.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 2 aug. 1781.

S. C. censuit: Facultatem dispensandi in ieiuniis ita concessam esse missionariis, ut ea uti nequeant nisi *cum personis particularibus,* et iustis occurrentibus causis, super quibus, eorum conscientia onerata, standum eorum iudicio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 548].

[1] Haec ibi: « Declaramus licere (missionariis latinis) parochialia munia obire circa graecos melchitas, eisque sacramenta administrae in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum, aut alium Antistitem graeci ritus ». — Cf. N. 338.

[2] In const. *Eo quamvis tempore* (4 maii 1745) haec habentur (§ 12): « Aequum visum est ut parochi ritus cophti, valide tamen ac rite ordinati, qui ex atra errorum, in quibus versabantur, caligine in lucem catholicae veritatis emergunt, capaces sint, etiam inter catholicos, administrationis sacramentorum parochialum qua prius in schismate potiebantur, quamvis haec ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente parocho catholico, *tributa etiam sit Patribus Missionariis, et ab illis exerceatur* ». – Cf. N. 357.

[3] Cf. N. 407.

4587.

S. C. de Prop. Fide, decr. 8 sept. 1781.

Cum compertum fuerit nonnullos missionarios, qui ad apostolicum excercendum ministerium mittuntur, de suo adventu parum sollicitos, vel profectionem differre, vel diutius in itinere immorari; proindeque multum temporis, quod ipsis ad sacras missiones obeundas praefinitum est, frustra teri non sine spirituali earundem missionum detrimento; Sacra Congregatio (die 27 augusti) statuit ac decrevit, tempus in missionariorum deputatione praefixum in posterum non ab expeditione decreti, sed a die singulorum adventus, sive ingressus in designatam Missionem omnino esse inchoandum; adeoque mandavit Missionum Praefectis, ut huiusmodi ingressus diem in Litteris Patentibus eorumdem missionariorum notare teneantur, ut exinde tempus cuique decernatur ad peragendas missiones praestitutum.

Hac ipsa occasione renovat Sacra Congregatio, seduloque inculcat Missionum Praefectis observantiam decreti alias editi, ac praesertim sub die 2 martii 1668 ac 28 septembris 1722, nimirum non licere Praefectis licentiam concedere missionariis redeundi, etiam completo tempore suarum facultatum, nisi prius Sacra Congregatione praemonita, atque expectato adventu in Missionem aliorum operariorum, qui per eamdem S. Congregationem deputati fuerint. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2254].

4588.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 30 dec. 1781.

Exposito dubio de consecratione electi Episcopi Pekinensis, nondum receptis Litteris Apostolicis peracta, eo quia ex una parte adiuncta postulabant ne ulterius eadem consecratio differretur, ex alia habebatur certa et authentica notitia de earum Litterarum expeditione et transmissione, S. Congregatio respondit ut sequitur: Consecrationem in casu esse legitimam. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 551].

4589.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 iun. 1782.

S. C. respondit: Improbari a S. C. abusum recipiendi eleemosynam a poenitentibus titulo vel occasione administrationis Sacramenti Poenitentiae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 555].

[1] Cf. N. 4477.
[2] Cf. N. 236.

4590.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Sutchuen.), 13 ian. 1783.

Cum S. Franciscus Xaverius, missionariorum exemplar, moneat ut quaerantur diligenter infantes baptizandi, mittuntur prudentes et iam senescentes mulieres, quae, sub obtentu medicinae, baptizant infantes quos in periculo mortis iudicant, vel ratione morbi, infirmitatis, paupertatis etc., vel etiam quia recenter nati multis futuris periculis exponantur, ita ut experientia constet quod ex quatuor partibus baptizatorum, moriantur tres partes ante usum rationis, et vix supersit una pars, praesertim in urbibus. Porro missionarius non audet prohibere ut baptizentur recenter nati, et caeteri quos istae prudentes mulieres, attentis omnibus circumstantiis, praevident multis, sive praesentibus, sive futuris mortis periculis subiacere, quae innumera sunt in Sinis; sed monet tantum ut in dubio orent ut Spiritus Sanctus dignetur cor suum iuxta divinam voluntatem inclinare.

R. Renovetur instructio anno superiore tradita, [1] et praeterea transmittatur exemplum Epistolae Bened. XIV ad Archiepiscopum Tarsensem Urbis Vicegerentem: *Postremo mense*, [2] ut (Vic. Ap.) regulis ibidem praescriptis se conformet et suos missionarios conformare faciat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 558].

4591.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Orient.), 13 ian. 1783.

1. Utrum famulis et filiisfamilias licitum sit emere, coquere aut quovis modo praeparare edulia extraordinaria, sacrificio aut oblationi superstitiosae deputari solita, quando bene sciunt talia edulia a dominis, maritis, aut parentibus ad sacrificium aut oblationem suis defunctis faciendam destinari. Et quatenus negative:

2. An eisdem hoc saltem liceat ob gravem metum, seu damnum quod sibi ipsis, probabiliter, vel certo, de dictis eduliis non praeparandis modo exposito, imminet, et praemissa protestatione quod eorum animus a superstitione omnino alienus sit.

3. An hoc eisdem liceat, quando illa extraordinaria edulia emuntur, coquuntur etc., si in maiori quantitate fiat (sive ex mutua collusione familiae, sive non) quam necessarium sit pro dicta mensa superstitioni deserviente instruenda, quando finis primarius dictae praeparationis est praedictam mensam superstitiosam facere, quamvis ciborum pars quae superest, occasionaliter et accessorie ad licitam comestionem deserviat.

[1] Cf. N. 4575.
[2] Cf. N. 377.

4. An eisdem licitum sit illos cibos modo itidem exposito praeparare pro mensis quas, peracto sacrificio, domini, mariti, et parentes afferunt ad sacrificii locum, ut insimul cum sacrificatis per modum unius comedantur, vel in alio loco adeo propinquo ponuntur, et eorum consummationis, sacrificii, seu oblationis tempore comeduntur, ita ut unus moraliter locus et una moraliter comestio censeatur.

5. Qualis sit verus et genuinus sensus illorum verborum: *il mangiare solito della famiglia* contentorum in responsione Episcopi Lorymensis (*Vic. Ap. Chen-si et Chan-si*) approbata a Sancta Sede die 26 septembris 1718; an possit intelligi de cibis extraordinariis qui ad convivia aliquando per annum occurrentia parantur, an vero praecise de eduliis quibus quotidie, seu regulariter, sive communiter et ordinarie familia vescitur seu utitur.

R. Ad 1. 2. et 3. Negative.

Ad 4. et 5. Generaliter respondetur: licere coquere et praeparare cibos, si agatur de ordinariis servis et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi ministerio sunt addicti, si extraordinaria huiusmodi convivia pro laetitia familiae, pro hospitibus, aliisque occasionibus minime superstitiosis primario fiant: quamvis non ignoretur aliquam eorum partem idolis offerendam fore; si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant pro oblatione superstitiosa, aliquae pro cibo convivarum, sed destinatio pendeat ex arbitrio patrisfamilias; si nulla dapes sit specialiter directa et praeparata pro idolo; si in divisione epularum nec in eorum appositione ad locum sacrificii vel ad mensam idoli cooperentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 559].

4592.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Orient.), 13 ian. 1783.

Iudicium Sacrae Congregationis exquiritur circa sequentem ritum seu caeremoniam ab ethnicis huius regionis communiter observatam in morte parentum et maritorum, qui quidem ritus originem trahit a secta idoli *Thich cà*, cuius sacrificulis, dum eiusdem cultui mancipantur, comam deponere praecipitur, illamque postea nutrire prohibetur, et est ut sequitur: Mos est in Tunkino ut quarto die a morte parentum seu maritorum sacrificulus accerseatur, ut filiis aut uxoribus ante cadaver genuflexis capillos incidat in parte anteriori, posteriori, ad aures, et in capitis summitate. Pro conficiendis forcipibus praescribitur ferrum ex quodam monte imaginario, quia inde omnia fausta sibi obvenire vana observantia sperant. Filiis igitur aut uxoribus sic genuflexis haec oratio seu adprecatio a sacrificulo recitatur: « Mons Con-lon (ille mons imaginarius) lapides et ferrum gignit unde forfices conficiantur, quibus capilli in debitum erga parentes obsequium abscinduntur. Filii suos parentes honorantes felicitatibus replebuntur, et postea eorum animae ad regnum idoli pervenient, illorumque

filii ac nepotes divitiis et nobilitate amplificabuntur »; qua apprecatione finita capilli inciduntur. His praenotatis, quaeritur num licitum sit filiis et uxoribus christianis, quarto die vel alio post mortem suorum parentum vel maritorum, hanc caeremoniam peragere non per sacrificulum, sed per aliquos viros christianos cum forfice communi et usuali, et remotis tam falsa credulitate, quam illa apprecatione. Ratio quaesiti est quia, adhuc iis exclusis, factum vere superstitiosum est.

R. Secundum ea quae proponuntur, non videri actum superstitiosum, dummodo nulla fiat genuflexio ante cadaver, nec coma recidatur per sacrificulum, sed per quemcumque quem maluerint virum christianum, nec cum forfice particulari, sed communi et usuali; nec praeterea observetur certus dies ad comam recidendam; demum absit omne scandalum, omnisque removeatur falsa credulitas, nullaque adhibeatur oratio vel apprecatio, ita ut civilis omnino sit actus, nec ullo modo superstitionem redoleat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 560].

4593.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Sophiae), 18 febr. 1783.

Se possa il Vic. Ap. lecitamente servirsi per tutti i Sacramenti del vecchio Olio Santo finchè non gli arrivi il nuovo da Costantinopoli.

R. Posse ipsum uti veteribus Oleis Sanctis quoties, adhibita diligentia, olea recenter consecrata a catholico Episcopo cum Romana Ecclesia communionem habente, paschali tempore recipere nequeat, urgeatque necessitas Sacramenta administrandi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 561].

4594.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 febr. 1783.

Scribendum esse Vicario Apostolico Sophiae catholicos sive mares sive foeminas habentes uxores aut viros ex photianorum aliorumque haereticorum secta in matrimonium coniunctos a turcarum ministro, non accepta missionariorum benedictione, quippe qui illicitis huiusmodi nuptiis non benedictionem modo, sed nec ullum omnino consensum nec praesentiam praestare valent, eosdem inquam catholicos, nisi aliud obstet canonicum impedimentum, si de gravissimo, quod patrarunt, crimine dolentes, manifesta dederint poenitentiae signa, impositis salutaribus poenis, impositaque praesertim lege tam utriusque sexus prolem educandi in catholica religione, quam haeretici coniugis conversionem procurandi, admitti posse ad Ecclesiae Sacramenta. Quo vero ad photianos armenosve haereticos tam mares quam foeminas habentes uxorem aut virum catholicum, optantesque catholicam amplecti religionem, si manifesta dederint poenitentiae signa, abiurata prius haeresi, emissaque catholicae fidei professione, recipi eos

pariter posse, eisdemque Sacramenta administrari, etiam secreto, si eae adsint loci temporisque circumstantiae in quibus fas illis sit catholicam, quam susceperunt, religionem occultare, eisdem praeterea coniugibus insinuare ut suarum nuptiarum benedictionem a catholico missionario petant, non tamquam ad validitatem matrimonii necessariam, sed tamquam eisdem maxime profuturam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 562].

4595.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Mission. Malabar.), 9 apr. 1783.

Distinctius explicare constituimus quinam sit verus nostri decreti sensus circa separationem inter *pareas* et *choutres*, quam ad avertenda graviora damna *pro nunc* tolerari posse respondimus 7 ian. 1778.[1]

Animadvertendum itaque est, ex duplici principio oriri posse aversionem seu abominationem istam, qua nobiles malabarici adversus *pareas* afficiuntur, quorum unum prorsus erroneum, superstitiosum, et christianae religionis documentis essentialiter contrarium, idque est credendi, uti revera plerique ex ista natione credunt, *pareas* gentem esse a Deo reprobatam, aeternae salutis incapacem, atque ideo indignam cum qua ipsi ullam habeant communionem. Contra gravissimum hunc errorem, qui divinae bonitati iniuriam facit, quasi apud Deum esset acceptatio personarum, specialiter diriguntur condemnationes et decreta Apostolica, quibus absolute praecipitur, ne quis ad Baptismum admittatur, qui huiusmodi praeiudicio laborans, non se prius promptum praebuerit ad illud deponendum, mandando insuper missionariis ut, necessitate postulante, ad ipsa *parearum* tuguria accedere minime renuant, eosque aegrotos solari, piis sermonibus, precibus et Sacramentorum pabulo recreare curent, et nulla charitatis officia cum iis praetermittant, quae a sancta nostra religione praescribuntur.

Alterum vero principium, ex quo praedicta separatio oritur, esse potest praeiudicata opinio vilitatis et infamiae illius miserae gentis, et consuetudo mere civilis, contraria tamen humilitati et perfectioni religionis christianae. De tali separatione ab huiusmodi praeiudicio emanante nulla reperitur mentio in Constitutione sa. me. Benedicti XIV, quae incipit *Omnium sollicitudinum*.[1] Verum cum in ipsa praecipiatur, ut missionarii in hos etiam *pareas* diligenter curam impendant, eosque in iisdem ecclesiis in quibus nobiles conveniunt, admittant, eodemque divini verbi et Sacramentorum pabulo reficiant, luculenter evincitur, ab Apostolica Sede magnopere exoptari, ut isti nobiles praeiudicatam huiusmodi opinionem, charitati et humilitati christianae adeo adversantem, tandem aliquando exuant, et infelices illos *pareas* uti fratres ac proximos benigne respiciant et, si fieri potest, fraterno amore complectantur. Talis etiam fuit huius Sacrae Congr. sententia in supradicto decreto. Quod si, ad maiora damna avertenda, censuit tolerari posse *pro nunc* divisionem de qua agitur, hac ipsa clausula praeclare ostendit, quam longe absit ab huiusmodi separatione approbanda, et quantum exoptet, ut, christiana religione maiorem in dies apud malabares progressum faciente, deplorabilis iste abusus penitus aboleatur. Quamobrem Eminentissimi Patres haud levi molestia affecti sunt, audientes, in recenti malabaricae istius ecclesiae restauratione, non modo non diminuta, ut par erat, controversae separationis indicia, sed adeo notabiliter aucta, ut missionarii, qui operi praefuerunt, nedum abusum tolerare, sed quasi approbare ac promovere visi fuerint. Quod quidem missionariis zelatoribus iusta causa fuit dolendi, et vehementer conquerendi apud Sacram hanc Congr. Quare Ampl. Tuae omni ope curandum est, ut nova ista separationis indicia, quantum fieri potest, aboleantur, et singuli missionarii semper prae oculis habeant debitum quo districte tenentur ad evellendam ex neophytorum animis nefariam istam praeventionem, ideoque ipsis inculcare assidue studeant fraternam charitatem, qua omnes cuiuscumque generis christiani inter se invicem diligere atque amplexari debent tamquam fratres, et eiusdem Patris coelestis filii atque haeredes; quae quidem charitas, si, Deo adiuvante, in eorum cordibus diffusa fuerit, minime dubium est, quin ex neophytorum animis praeiudicatas huiusmodi opiniones eradicet ac prorsus expellat. Quod ut facilius impetrari possit, omnino necessarium est ut missionarii, unum atque idem sentientes, omnes ad eumdem scopum tendere curent, neque inter se opinionum varietate dissideant; quo nihil funestius Dominico gregi accidere potest. Quod attinet ad alium litterarum articulum, quo A. T. exponit istos gentiles vehementer abhorrere nigra vestimenta, affirmatque plurimos christianam fidem amplexuros si togae albi coloris missionariis et clericis permitterentur: S. C., pro fine tam recto tantique momenti, minime dissentit quin missionarii in istis regionibus cuiuslibet coloris vestes adhibeant, dummodo a modestia et gravitate sui muneris minime abhorreant, ac praesertim nullum adsit periculum aut suspicio superstitionis, neque sit signum protestativum falsae religionis. Intendit tamen quod nihil innovetur nisi de consilio et communi consensu missionariorum, ut concordia et uniformitas, quae adeo missioni bene gerendae necessaria est, nullum detrimentum capiat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 563].

[1] Nella Costa del Coromandel le chiese sogliono costruirsi in forma di croce, di maniera che chiaramente si vede la distinzione del luogo che vi ha fra i *pareas* ed i nobili. Dice per altro (il superiore di detta Missione) che il passaggio dell'uno all'altro luogo è libero a tutti, e che il Sagramento del Battesimo si conferisce sempre in un medesimo luogo, quantunque vi è la consuetudine che un catecumeno malabarese ha l'ingresso per una parte, ed un *parea* per l'altro. Riguardo poi agli altri spirituali soccorsi riferisce non esservi fra i neofiti alcuna differenza se non che rapporto al luogo di sedere, che tengono nella stessa chiesa. Or dimanda il Prelato se possa tollerarsi questa piccola divisione, come pure la distinzione del luogo delle sepolture, ad oggetto di evitare l'apostasia di quasi tutti i nobili.

R. Separationem loci et ingressus in ecclesiam iuxta exposita, et distinctionem sepulchrorum, pro nunc tolerari posse. — Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 525.

[1] Cf. N. 348.

4596.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Constantinop.), 1 sept. 1783.

Se i Prefetti delle Missioni, attese le facoltà della S. Sede loro concesse, possano nei luoghi ove si trova l'Ordinario, indipendentemente da esso: 1. Dispensare i secolari per l'uso dei latticini o carni, riguardo a persone particolari. 2. Se possano concedere ai loro religiosi la stessa dispensa; 3. E dare ai medesimi la facoltà di celebrare la S. Messa nelle case private, ove non sia il privilegio dell'oratorio privato.

R. Ad 1. et 2. Affirmative pro iis missionariis qui gaudent facultatibus Form. IV, et qui Vicario Patriarchali eas praesentaverint.

Ad 3. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 564].

4597.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Latin. Babylonen.), 23 sept. 1783.

Monere primum necesse est missionarios omnesque alios qui per Orientem praedicandi Evangelii ac propagandae religionis praeclaro munere funguntur, in visceribus Iesu Christi obsecrare, ut digne ambulent vocatione qua vocati sunt, cum omni humilitate et mansuetudine, cum omni patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Praecipuum illorum munus est, Dominicum agrum excolere, plantare, rigare; super fundamentum, quod est Christus Iesus, superaedificare aurum, argentum et lapides pretiosos; quin unquam inanis aucupandae gloriae cupidine abrepti, se supra ceteros extollant, suis studeant commodis, alienis invideant, sed potius suos conatus, curasque omnes eo tendant, ut nihil omnino ad sese, sed ad proximum omnia, et ad Deum referant, *nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (ad Cor. I, c. 7). Qualiscumque enim fuerit Evangelii praeco, sive latinus ab hac Apostolica Sede missus, sive orientalis a proprio Episcopo constitutus, noverit se *adiutorem Dei esse, christianam autem plebem sibi commissam, Dei agriculturam, Dei aedificationem, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei, sed qui gloriatur in Domino glorietur*, quemadmodum eodem loco tradit Apostolus. Atque utinam in missionariis praesertim latinis, christianae humilitatis et coniunctionis spiritum adaugeat Deus, ut reminiscantur et intelligant, non se fraternae charitati consulere, neque ex Deo esse, si inter diversos eiusdem Missionis operarios, atque inter populos diversi ritus, eam, quam inter Corinthios acriter reprehendit idem Apostolus, foveant aemulationem: *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego autem sum Cephae;* sed illud suis mentibus infigendum, populisque tradendum studiose curent, Christum divisum non esse, et firmamenta christianae religionis illum convellere penitus ac disiicere, qui pro privatis rationibus salutem animarum negligat, fratrum consensionem non tueatur, ab officio praedicationis discedat, praepositorum mandatis non obtemperet.

Cum igitur ita affectos esse missionarios oporteat, eoque studio solum incensos, ut in Ecclesiae sinum, interque piae matris amplexus orientales populi reducantur, quid sane dicendum esset, si qui non aequo animo ferrent, quod orientales catholici Episcopi suos mitterent operarios ad pascendas oves in regionibus sibi subditis dispersas, imo eos perturbarent, impedirent, aspernarentur? Quid si invidiam quandoque pareret id, de quo maximopere laetantur Caelicolae, cum orientalis aliquis Episcopus, aut quilibet animarum Pastor, suae sectae erroribus repudiatis, probataque apud Summum Romanum Pontificem, Christianorum omnium Patrem et Magistrum, fide et coniunctione sua, popularium suorum regimen ac pastoralem curam susciperet? Quid si novarum harum segetum fructu, potiora ducerent sua iura et praerogativas, iisque ita mordicus insisterent, ut orientalium potestate redintegrata, suam laedi arbitrarentur?

At vero hoc fuit semper in nostrorum more positum institutoque maiorum, quod qui haereseos aut schismatis labe infecti, in sacris fuissent Ordinibus constituti, et erroribus ac schismate abdicato, in semitam veritatis reverterentur, nedum permanerent in Ordine clericali, sed suis etiam, quas prius obtinebant, dignitatibus, eademque, qua in suos antea pollebant, auctoritate, quantum iuxta catholicae Ecclesiae leges permitti poterat, fruerentur. Sic transacta res est cum novatianis in concilio Nicaeno can. 8;[1] sic gestum cum donatistis in celebri illa Carthaginensi collatione anni 411; sic cum graecis et iacobitis ab Eugenio IV in concilio Florentino;[2] sic a Clemente VIII cum ruthenis:[3] sic demum cum iisdem graecis, atque etiam cophtis a Benedicto XIV, cuius verba in decretali epistola *Demandatam* ad Patriarcham atque Episcopos graeci ritus an. 1743 transmissa,[4] hic exscribere operae pretium ducimus, ut quaenam sit huius Apostolicae Sedis mens atque sententia, in hoc ecclesiasticae disciplinae capite, e purissimo fonte hauriatur. « In omnibus (sic inquit doctissimus Pontifex) hisce decretis, venerabiles fratres, quae praevio maturo examine, ut supra diximus, audito que consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque praestantium integritate ac doctrina virorum, statuenda, edenda, ac vobis denuncianda esse iudicavimus, minime dubitamus, quin agnoscatis nihil aliud nobis propositum fuisse, quam ut, et venerabiles Ecclesiae graecae ritus ac mores in suo vigore persistant, et debita vobis a populis obedientia, vestraque simul in eos auctoritas et iurisdictio sarta tecta servetur. Quorum utrumque ex una eademque animi ac iudicii aequabilitate proficiscitur, per quam et varias ecclesiarum institutiones et consuetudines iusta aestimatione pensantes, unum illud ad anima-

[1] C. 8, C. I, q. 7.
[2] Cf. N. 51, 54.
[3] Const. *Magnus Dominus*, 25 dec. 1595. - Bull. Rom., tom. 5, II, p. 87-92.
[4] Cf. N. 338.

rum salutem omnino necessarium in votis habemus, ut scilicet omnes, qui ubique terrarum catholico censentur nomine, unico fidei atque unitatis vinculo teneantur; et supremam huius Sanctae Sedis auctoritatem, qua super alias divina institutione praeeminet, ad promovendam omnium ecclesiarum utilitatem solummodo interponentes, de cetero fraternitatibus vestris intacta manere volumus iura omnia ac privilegia, et liberum iurisdictionis vestrae exercitium, ad regendas oves vestrae fidei commissas, easque per semitas mandatorum Dei ad salutis aeternae metam, adiuvante divina gratia, dirigendas ».

Qua vero graecum Patriarcham et Episcopos charitate complectebatur Benedictus Pontifex maximus, eadem cophtos quoque parochos ad catholicam Ecclesiam redeuntes prosequutus est. In instructione enim pastorali *Eo quamvis tempore*, ad eorum Vicarium generalem data, [1] post plura commemorata exempla ecclesiasticae lenitatis erga illos, qui in aliquo ordine aut dignitate apud haereticos et schismaticos constituti, catholicae Ecclesiae reconciliabantur, sic loquitur: « Praeclara haec lenitatis argumenta attento nobiscum animo repetentes, aequum visum est, ut parochi ritus cophti, valide tamen ac rite ordinati, qui ex atra errorum in quibus versabantur caligine, in lucem catholicae veritatis emergunt, capaces sint etiam inter catholicos administrationis sacramentorum parochialium, qua prius in schismate potiebantur, quamvis haec ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente parocho catholico, tributa etiam sit PP. Missionariis, et ab illis exerceatur... Ex hac porro indulgentia uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium. Probe enim intelligent, nos Pastoris Iesu Christi vicem in terris tenentes, tantum quaerere, et salvum velle, quod perierat; ovesque inventas non virga timoris, sed officio charitatis ad ovile congregare ».

Neque vero missionarii latini suarum partium studium praetexere, aut conqueri possunt, vel sublatum vel imminutum iri suam potestatem, qua ab Apostolica Sede ornati sunt, si liceat orientalibus Praelatis suorum popularium curam capessere, et plenaria in illos iurisdictione potiri. His enim tergiversationibus, quaerimoniisque occurrit Benedictus XIV in ea, quam laudavimus, ad cophtos instructione; ita enim pergit: « Nec conqueri iure poterunt missionarii suam auctoritatem hoc pacto videri imminutam, si opportune in memoriam revocaverint, quae ab eorum patre et institutore S. Francisco in suo testamento scripta leguntur: *Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes in parochiis in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem praedicare.* Cui sententiae consona sunt documenta S. Bonaventurae in suo tractatu: *Quare fratres Minores praedicent: Temperatissime*, inquit Sanctus Doctor, *disposuit divina sapientia, et instituit Sedes Apostolica, ut per ordines praenotatos, in praedicatione et confessione defectus cleri suppleatur, et animae salventur, et nec in spiritualibus nec in temporalibus ius clericorum aliquatenus minuatur.* Parique censura in simili negotio cum graecis melchitis nuperrime discusso, a nobis

[1] Cf. N. 357.

definitum est: *Licere tantum fratribus Ordinis Minorum S. Francisci custodiae Terrae sanctae parochialia munia obire circa graecos melchitas, eisque sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem graeci ritus* ».

Complura alia hic proferri possent Sacrae huius Congregationis decreta, Summorum Pontificum auctoritate munita, quibus semper est definitum latinos sacerdotes in orientem missos latinorum curam cum omni potestate gerere primum debere: orientalium vero in subsidium, et quasi adiumentum, si forte alicubi (quod saepe accidit) nullus catholicus eiusdem ritus reperiatur Antistes, vel aut propter sacerdotum inopiam, aut etiam culpa sua negligat idoneos pastores praeficere, qui sacramenta administrent, populosque rudes, atque etiam parum in fide firmos, salutaris doctrinae pabulo reficiant. Potissima enim semper ab Apostolica Sede orientalis ritus habita ratio est, quem certe violari necesse esset, si non suis, sed latinis Pastoribus orientales subderentur. Quo autem iure, quave etiam utilitate fieri posset, ut tot gentes consuetudinis, ritus, atque etiam linguae a nostris societate disiunctae, latinis pastoribus parerent, cum suos habere possent nobiscum fidei et charitatis vinculo coniunctissimos? Suopte ingenio ac natura, orientales suis sunt moribus ac institutis addictissimi, nec ad conflandum orientale schisma plus valuit, quam iniusta ab obtrectatoribus dolo malo excitata in latinos invidia. Quamobrem vetus est, sed pura putaque haereticorum calumnia, voluisse Romanos Pontifices rectas probatasque consuetudines, ac ritus orientales delere, latinorumque mores et instituta subrogare, quam egregie refellit idem Pontifex Benedictus XIV in ea encyclica, quam ad *Missionarios per Orientem deputatos* scripsit, quaeque vulgata est tom. IV Bullarii eiusdem Pontificis num. XLVII. [1] Ergo unum missionariis omnibus latini ritus, qui Evangelium orientalibus annuntiant, debet esse propositum, quod Apostolus Paulus vere de se praedicabat, scribens II ad Corinthios, 12, 14: *Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.* Totis enitantur viribus, ut ab orientalium mentibus errores depellant, ut eos ad catholicae Ecclesiae communionem traducant, ut Romano Pontifici, tamquam eius capiti sese obedientes, ac morigeros praestent: eos pascant, foveant, amantissime tueantur, quoadusque proprii pastoris solatio destituuntur; ipsos etiam pastores imperitos aut desides urgeant, sublevent, opitulentur: non autem appetant illorum iura, neque id quod ipsis detraxerint, sibi assumant, omnemque praesertim de iurisdictione contentionem studiose devitent, quam si ad se quisque rapiat, continuo dissolvetur mutua animorum consensio, quae ad fidem propagandam omnino necessaria est, et charitas sine qua christiana religio incolumis esse non potest, penitus extinguetur.

Prorsus de medio tollat (Ep. latinus Babyl.) discordias et contentiones inter latinos missionarios et sacerdotes orientales; si cives alicuius ritus sacerdote carentes reperiantur, sed tamen adsit sacerdos alterius ritus orientalis, qui iis Sacramenta possit administrare, ultro sinat eos, si ita

[1] Cf. N. 434.

lubet, ad hunc sacerdotem potiusquam ad missionarios latinos in spiritua-
libus indigentiis confugere, quum longe inter se, ritu latino, proximiores
sint diversi ritus orientales, praesertim si huiusmodi orientales fermentati
usum facerent in Coena Eucharistica. Denique totius spiritualis sui regi-
minis sit veluti dux ac norma, virtutum omnium regina, charitas nimirum,
*quae non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non
quaerit quae sua sunt*. Quin igitur latinus episcopus Babylonensis cum Prae-
sulibus aut presbyteris orientalibus de iurisdictione contendat, si pro virili
parte ea omnia praestiterit, quoad eius fieri poterit, ad eam excitandam,
regendam, augendamque, ut totis viribus enitantur populares suos in
viam salutis reducere; si etiam ad omnes illarum regionum necessitates
exponendas sese communem veluti interpretem penes Sedem Apostoli-
cam declaraverit, ac relationum omnium, quibus frequenter indiget Sacra
Congregatio, ordinarium quodammodo internuntium ac ministrum prae-
buerit, mirum quam amplam messem colligere poterit in regionibus erroris
aut superstitionis tenebris ac nocte circumfusis. Sic autem veram solidam-
que gloriam consequetur, dum propositum sibi finem, cuius caussa in tam
dissitas regiones ab Apostolica Sede ablegatus fuit, obtigisse, et antiquiore
Apostolatus sui munere functum esse cognoscet; siquidem, uti recte S. Cy-
prianus *de Unit. Eccl.* pronunciat, *nos unitatem firmiter tenere, et vindicare
debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque
ipsum, unum atque indivisum probemus.*

Si missionarii latinorum curam suscipiant, iisque sacramenta admini-
strent, procul dubio ab Episcopi (latini) nutu ac potestate pendere debent;
ipse enim omnimodam habet supra latinos spiritualem iurisdictionem, eique
propterea incumbit tota ea provincia, quae ad eorum curam spiritualem
spectat, atque ad sacramentorum administrationem.

Si vero missionarii latini orientalium etiam regimen capessere debeant,
vel quia nullus illis praesit catholicus Antistes, vel quia omnis deficiat
eiusdem ritus sacerdos, denique vel ob nonnullam aliam ex iis caussis quas
supra commemoravimus, debent tunc a latino Babylonensi Episcopo veniam
petere, ut suis facultatibus, quas ab Apostolica Sede impetrarunt, uti queant.
Consentaneum enim est, ut quemadmodum in iis casibus auxiliarem ac
subsidiariam latini Episcopi Babylonensis potestatem exercendam esse in
superiori dubio constituimus: ita etiam, qui illius esse debent adiutores
atque administri, eidem tamquam capiti subsint, illumque de imposito
munere reddant certiorem, eiusque exequendi ab ipso petant facultatem.
Ita quoque statuit Benedictus XIV in saepius commemorato Decreto
anni 1745, num. XV.[1]

Verum quoniam non raro accidit, vel latinos Regulares missionarios
suis privilegiis, atque ea qua donati sunt ab hac S. Sede Apostolici muneris
gratia, nimium confisos, parochialia munia tam supra latinos, quam super
orientales obire, despecta prorsus Episcopi auctoritate; vel etiam, e contra,
Episcopos ita contemnere missionariorum operam, ut quamvis maximo

[1] Cf. N. 357.

sumptu incredibilique labore, vel ab hac Sacra Congregatione, vel a Praesi-
dibus Regularium Ordinum illuc missi, ut in vinea Domini excolenda labo-
rent, otiosi tamen, et nihil agentes quandoque remaneant, ob denegatam
ab Episcopo exercendi sui muneris potestatem; hinc Sacra Congregatio
censuit huic malo, quantum quidem fieri potest, occurrere, eo saluberrimo
consilio, quod nihil detrimenti afferat Episcopali iurisdictioni, nec missio-
nariorum laborem aut laboris fructum impedire quoquo modo possit.
Itaque secum animo reputans, quantum removendis dissidiis inter missio-
narios atque Vicarios Apostolicos Sinarum, utilitatis attulerit provida Cle-
mentis PP. IX Constitutio edita anno 1669, quae incipit *Speculatores*,[1]
eadem prorsus ratione ac methodo, omnem de Apostolicarum facultatum
usu in Missionibus Babylonicis controversiam, inter missionarios et Epi-
scopum Babylonensem componendam esse decrevit.

Itaque primo iubet, quod omnes et singuli regulares cuiuslibet Ordinis,
Instituti et Congregationis, qui in Assyriam, Mesopotamiam, Mediam, ac
regiones Bassorae et Mossul, ad sacras peragendas Missiones, sive a suis
Superioribus ablegati sunt, sive specialiter ab hac Sacra Congregatione
deputati, suas Patentes, seu alias quascumque eorum deputationis et consti-
tutionis litteras, Episcopo Babylonensi, seu illius Vicario aut Vicesgerenti
exhibere, et licentiam suas facultates exercendi petere debeant et teneantur:
et si quis id praestare neglexerit aut recusaverit, possit Episcopus tam-
quam Sedis Apostolicae Delegatus prohibere, ne facultates sibi per lit-
teras huiusmodi concessas exerceat. Statim ac autem missionarii praedicti
suas patentes litteras Episcopo exhibuerint, et veniam exercendi suas facul-
tates ab ipso postulaverint, nequeat ille, sub inscientiae aut alio quovis
praetextu impedire, quominus imposito sibi munere perfungantur; nisi
in casu gravis caussae eidem Sacrae Congregationi statim communicandae.
Quotiescumque vero iidem missionarii latinorum, aut eorum orientalium
qui iuxta superius recensitos casus Episcopo Babylonensi subsunt, spiri-
tuali curationi operam dabunt, quoad parochiales functiones eiusdem Epi-
scopi visitationi et correctioni subiecti sint, ab eo sancta olea et sacrum
chrisma accipiant, ac demum illum de statu atque incremento Missionis
identidem certiorem faciant, et coniunctis cum eo viribus, catholicae fidei
propagationi, atque animarum saluti sedulo ac vehementer incumbant. Hac
tamen sibi tradita potestate, caveat Episcopus, ne unquam ea in Missionis
detrimentum abutatur, et quae illi ab hac Sacra Congregatione, ad cultum
regionum eius fidei ac regimini concreditarum, suppeditantur, apostoli-
corum operariorum praesidia et adiumenta, inania ac vacua esse patiatur.
Urgeat imo atque instet, illorum operi advigilet, ut quisque suo muneri
cumulatissime satisfaciat, et in ea praesertim agri dominici parte excolenda,
quae vepribus ac dumetis magis redundat, eorum consilium, laborem, ac
solertiam quam aptissime adhibeat, ac demum praestitutis temporibus,
iuxta sacramentum ab ipso in episcopali consecratione praestitum, de statu
ac ratione Missionis Babylonicae Sacram Congregationem certiorem red-

[1] Cf. N. 245.

dat, et si quid gravioris momenti inciderit definiendum atque explanandum, eidem referat, eiusque iudicio atque auctoritati committat.

Cum vero missionarii adiutricem operam suam navabunt circa populos orientales in Missionibus Babylonicis commorantes, qui proprios habent Episcopos, aut presbyteros ab ipsis constitutos, quoniam, ut supra definitum est, suis iidem populi Pastoribus subesse debent, tum Missionarii praedicti, si pro imposito sibi munere in iisdem Missionibus exercendo veniam et permissionem Episcopi Babylonensis, ut supra dictum est, semel petierint et obtinuerint, suis more solito facultatibus ab Apostolica Sede impetratis, durante eorum officio, uti libere possint erga orientales huiusmodi, absque ulla dependentia ab Episcopo Babylonensi, imo potius, quantum fas est, per locorum intervalla atque itinerum difficultates, quidquid agendum in procuratione salutis horum orientalium erit, suis Episcopis referre, atque cum eorum assensu perficere, maxime convenit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 565].

4598.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.), 29 apr. 1784.

Quod apud vos, quereris, in tanta messis copia exiguum reportari fructum, multosque christianos avaritia, fraudibus, aliisque flagitiis inquinari, plurimos vero, nullo religionis studio incensos, omnis boni operis cessatione torpere, dolendum quidem est fusisque lacrymis prosequendum. Attamen a Divo Paulo edocti quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, caelestem vineae cultorem toto corde deprecemur, ut steriles istas christianorum plantas dimittat adhuc, nec veniens succidat, sed sinat circa illas fodi, et stercora immitti, ut acriori ac vehementiori zelo atque industria excultae, atque a spinis vepribusque purgatae, retardatos fructus tandem aliquando lectiori ubertate compensent. Quod si forte, incomprehensibili Dei iudicio, inanes fuerint labores vestri ac vacuae sollicitudines, vestra vobis semper in caelis constabit beata merces, nec ultra quidquam certe a vobis exigetur. Vinea Domini exercituum erat domus Israel; hanc ipse plantaverat, turres ac torcular in medio eius extruxerat, sepibus vallaverat, nihil demum praetermiserat quin speciosissimam redderet, uvasque gigneret feracissimas. Pro uvis tamen, praeter Domini expectationem, exortae labruscae sunt et sterilis evasit vinea, inculta atque deserta. Non id profecto vitio ac culpae cultoris vineae tribuendum est; nosque hoc exemplo edocemur animarum salutem, tota quanta est, Dei opus esse, suaque solum omnipotentia corda hominum ad bonam frugem converti, atque fidei, spei, charitatis studio inflammari; nihil praeterea aliud ab animarum pastoribus exigi, nisi ut in omni patientia ac doctrina, arguant, obsecrent, instruant; et cum omnibus sui muneris partibus cumulatissime satisfecerint, dicant quod Apostolis Dominus praecepit: *Sic et vos cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*

Quoad institutionem societatis Virginum Christianarum, quibus cura incumbit edocendi puellas in doctrina christiana, nihil sane est reprehendendum, si omni vitio careat, si nullum adsit offensionis periculum apud gentiles, si caste, prudenter ac religiose christianae virgines hoc pio munere perfungantur. Ut haec omnia assequi possint, optime cautum optimeque consultum erit, si regulae retineantur quas bo. me. D. Martillac, Episcopus Ecrinensis, servandas praecepit, quasque tu sapientissime renovasti. Ut autem, Apostolicae Sedis accedente auctoritate, et illis robur accrescat, et nonnullae aliae adiungantur quibus istiusmodi Virginum Societas sancta et inviolata coalescat, haec missionariis nostro nomine observanda praecipies.

1. Nullo modo permittant in publico virorum conventu Virgines illas vel verbum Dei praedicare, vel docere, aut palam legendo, vel singulariter praecinendo, quodam modo annuntiare; hoc enim vetitum est ab Apostolo qui ait: *mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui sed subditas esse, sicut et lex dicit.*

2. Votum castitatis Virgines non emittant nisi praetergressae fuerint annum aetatis vigesimum quintum, neque illud perpetuum sit, sed ad triennium duraturum, renovandum deinceps cum consensu missionarii singulis trienniis, si earum probata fuerit vitae sanctimonia et si eadem voluntas sese a nuptiis abstinendi perseveraverit.

3. Neque ad votum admittantur illae quae in domo paterna ali minime possunt, sed coguntur vagari, et aliorum domos circumire, ut victum sibi quaeritent. Decet enim virgines Deo devotas omne virorum consortium devitare, ac domi se continere, ut silentio, precibus ac sensuum custodia, a Deo impetrent quod pie sancteque voverunt.

4. Provectiores aetate, et si fieri poterit, saltem anno trigesimo iam transacto, moribus, scientia ac prudentia caeteris excellentiores eligantur ad munus docendi puellas.

5. Non in qualibet domo hoc munus ab ipsis exerceatur: sed vel in propria, vel in aliena a missionario designanda, in qua tamen viri non commorentur, vel nullus saltem ipsis pateat accessus, cum puellae ad audiendam doctrinam christianam in eam convenerint.

6. Haud ita crebri sint omnium puellarum conventus, ne forte in suspicionem veniant gentilium; sed potius magistrae seorsim puellas in propria, vel in illarum domo erudiant, atque ita demum se gerant ut non modo apte doceant, sed etiam cum magna prudentia circumspiciant, ne quid christiana res, quae in tantis periculis isthic versatur, detrimenti capiat.

Has tu regulas missionariis tuis nostro nomine denuntiabis, praecipiesque ut iis pareant exacte ac diligenter. Si vero perspexeris huiusmodi leges, propter locorum, temporum aut personarum circumstantias, retineri minime posse, satius quidem est hanc Christianarum Virginum Societatem dissolvere quam vos, fideles, ac ipsam religionem christianam in grave aliquod discrimen adducere. Tu ipse tamen pro tua prudentia videbis quod interea optimum factu sit; missionarii autem sciant tuis monitis ac praeceptis sese morigeros ac dociles esse debere, ni velint de gravissimo inobedientiae crimine coram Deo et coram hominibus incusari.

Petis ab Ap. Sede tamquam Ecclesiarum omnium magistra, ut talibus te praeceptis instruat, quibus tuam agendi rationem conformare possis, et gliscentes, si qui sunt, abusus prorsus exterminare. Aequissimae huic postulationi tuae, atque in Ap. Sedem observantiae atque obsequio plenissime satisfacere aggredimur, ex sententia S. Congregationis, atque etiam ipsius Summi Pontificis Pii VI. Ac in primis abusus circa Poenitentiae Sacramenti administrationem, quos tribus prioribus articulis comprehendis, vel in gravioribus poenitentiis pro satisfactione infligendis, vel in diuturna nimiaque absolutionis dilatione, vel etiam in reiiciendis omnino criminosis quibusdam a Poenitentiae sacramento versantur.

Quoad poenitentias satisfactorias, id primum pro certo habeant missionarii, non eas esse exigendas ante absolutionem, si quidem poenitens sit rite dispositus. Qui secus faceret, constantem Ecclesiae disciplinam plane interveteret, et recentiorum quorumdam sequeretur errorem iam ab Ecclesia improbatum. Satisfactio enim non est pars essentialis sacramenti Poenitentiae, sed integralis tantum, quae peracto iam Sacramento, potest accedere. Deinde et illud pariter retineant, pro occultis criminibus secretas quoque poenitentias imponendas esse; pro publicis vero et gravioribus, etiam publicas, si tamen urgeat necessitas scandali reparandi, si aliis exemplo esse possint, si acrius denique incendant animum peccatoris ad sua crimina detestanda. Egregie enim inquit Concilium Tridentinum (Sess. 14, cap. 8, *de satisfact.*) neminem unquam catholicorum sensisse *quod sacramentum Poenitentiae sit forum irae atque poenarum.* Ea quippe semper, in publicis poenitentiis irrogandis, Ecclesiae mens fuit, ut dum atrociora crimina publica aliqua poena ulcisci oporteret, non in contemptum et ignominiam poenitentis id fieret, sed in aliorum exemplum atque in ipsius delicti detestationem. At vero in publicis poenitentiis iniungendis optime se facturos missionarii arbitrentur, si nihil proprio marte decernant, sed vel simul plures conferant consilia sua, vel quod satius est, si tempus permiserit, nullumque adfuerit violandi secreti sacramentalis periculum, te, utpote illorum patrem ac magistrum, consulant, tuaque iussa, ut decet, exequantur.

Quae vero et quanta, vel pro occultis, vel pro publicis criminibus decernenda sit a confessariis poena satisfactoria, difficile dictu est. Illud prae oculis continuo habere debent quod Patres Concilii Tridentini in supra laudato capite sanxerunt, et praesertim quod huiusmodi poena non tantum sit *ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum vindictam et castigationem.* Quot autem sint opera satisfactionis, ex Cataechismo Rom., *De Sacram. Poenit.*, part. 2, art. 74 ediscant, qui sic habet: *Verum omne satisfactionis genus Pastores docebunt ad haec tria praecipue conferendum esse, orationem, ieiunium, et eleemosynam,* propter eas rationes quae ibidem fusius declarantur. Tandem si velint adhuc in hanc rem quasdam proponi sibi regulas, quibus certo possint insistere, consulant praeclarissimas Instructiones S. Caroli Borromaei ad confessarios datas. Nihil in iis nisi sanctum, rectum, atque huic qua vivimus Ecclesiae disciplinae accommodatum reperient; ex quibus haec dumtaxat excerpsisse

sufficiat, ut omnibus isthic tecum in vinea Domini laborantibus innotescant: *Pro imponenda poenitentia prudens esse debet confessor, nec ita levem adhibeat, ut clavium potestas inde contemnatur, et ipse peccatorum alienorum evadat particeps; nec ita etiam gravem aut diuturnam, ut poenitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur. Ideo sacerdos canones poenitentiales consulat, quibus, licet cum prudentiae discretione et modo, pro poenitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis, uti debeat, tamen iuxta eos, quasi traditam sibi regulam, sacerdos se gerat, prout expedire ei visum fuerit; et quando poenitentiam canonum rigori omnino conformem non imponet, eam tamen poenitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, et leviorem iniunctam poenitentiam ipse ardentius exequatur, motus scilicet ex hodierna Ecclesiae benignitate, qua antiquioris disciplinae rigor mitigatur.* Optimis hisce institutis imbuti, eamque ineuntes rationem missionarii isti tui, quam S. Carolus in administratione Sacramenti Poenitentiae confessariis explanavit, sperandum profecto est poenarum severitatem ita cum prudentia et lenitate temperaturos esse, ut nec illa lapsos deterreat, quin, perversitate abiecta, ad poenitentiae et emendationis semitas revertantur, et ad Sacramentum reconciliationis rite suscipiendum accedant; nec istos peccantes ita molliter corripiat, et sine congrua castigatione dimittat, ut ipsi peccata sua leviora putantes, occasione accepta, in eadem vel graviora deinde labantur, thesaurizantes sibi iram in die irae.

Alterum abusum in eo collocas quod absolutionis sacramentalis beneficium nimium differri suspicaris. In hac re certum iudicium ferri minime potest. Confessarius, qui tamquam iudex pro tribunali sedet, et tamquam medicus medicinam parare debet aegrotis, ipse solus scrutari potest quanta sit criminum atrocitas, quae aegritudinis pertinacia, quae dispositio poenitentis. Oportet propterea ipsum diligenter investigare, num qui ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, eo animi dolore commissa crimina execrentur, qui a Concilio Tridentino (Sess. 24, cap. 4, *de contritione*) ad Sacramenti integritatem requiritur; num vitae novae inchoationem, ac praeteritae odium, non voce dumtaxat ac labiis, sed intimo cordis affectu polliceantur; num, in testimonium bonae huius ac firmae voluntatis, cessasse iam se aliquamdiu a peccatis doceant; num eas occasiones, quae vel per se, vel ex propria malitia aut pravitate, ad peccatum inducunt, si in eorum potestate fuerit, plane dimiserint; num remedia alias ipsis proposita adhibuerint, quorum praesidio peccatum in necessariis atque involuntariis occasionibus devitent; num consuetudinem peccandi abiecerint; num, si alias beneficium absolutionis obtinuerint, iterum in eadem crimina ex propria malitia relapsi, in eodem fuerint coeno volutati: num rerum, famae atque honoris in quo proximum laeserint, parati ac prompti sint sarcire damnum aut iniuriam, si vires aut occasio suppetant. Haec, pluraque alia quae a laudatis S. Caroli instructionibus petere missionarii possunt, diligenter ab ipsis expendenda sunt, priusquam beneficium absolutionis impendant. Sed cum haec ipsa inter arcana Confessionis delitescant, difficile sane est iudicare, an ea, quam superius innuimus, iudicis potestate ac medici auctoritate abutantur, vel asperius ac durius cum poenitentibus rite dispositis se gerant.

Caveant tamen diligenter missionarii, ne, si quandoque poenitentia
publica sit iniungenda, atque etiam aliquanto tempore protrahenda, quem-
piam interim sinant sacramentalis absolutionis beneficio privari, dummodo
is nullum ex sua parte obicem ponat, dignusque habeatur cui gratia recon-
ciliationis cum Deo in foro conscientiae impertiatur. Non enim vos latere
arbitramur plurimum inter se differre privatam peccatorum absolutionem,
in foro sacramentali poenitentibus indulgendam, ac publicam cum Ecclesia
reconciliationem. Nemini illa deneganda est qui rite sit affectus et neces-
sarias prae se ferat ad hanc gratiam consequendam dispositiones. Benigna
enim ac misericors est sancta mater Ecclesia, nec patitur manere quempiam
sub iugo ac servitute diaboli, Dei hostem, omnibus carentem bonorum
operum meritis, qui ex corde, et vera animi ac mentis contentione veniam
a Deo suorum delictorum deprecatur. Altera vero, publica videlicet recon-
ciliatio, iudicio Episcopi est reservanda, qui pro locorum ac temporum cir-
cumstantiis statuet quid factu opus fuerit, atque ita severitatem cum leni-
tate conciliabit, ut et noxiis poenam, et frenum insontibus sit allatura.

Non est hoc loco praetereunda istorum pariter missionariorum consue-
tudo, qui nimiae forsitan severitati inhaerentes, nonnullos, quamvis sua
crimina confessi ac detestati fuerint, arcendos tamen iudicant a Commu-
nione Eucharistica. Nemo profecto inficias iverit, quin antequam quis ad
Eucharistiam accedat, praeparatum animum habere oporteat; quae autem,
aut qualis huiusmodi praeparatio sit, aptissime docet Catechismus Romanus
(*De Sacr. Eucharist.*, n. 55, 56, 57), quam missionarii saepius consulent;
est enim liber et doctrina et auctoritate caeteris omnibus anteponendus.
Praeparatio autem alia est huic Sacramento maxime conveniens ac consen-
tanea, alia vero omnino necessaria, de qua loquitur Apostolus inquiens:
*Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim
manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Concilium Triden-
tinum de hac necessaria animi praeparatione disserens, Sess. 13, cap. 7,
sic inquit: *Quare communicare volenti revocandum est eius praeceptum,
scilicet Apostoli:* probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consue-
tudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis
peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali
Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* In capite vero 8 pro-
xime sequenti fideles hortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter
suscipiant.* Ac demum, Sess. 22, *de sacrificio Missae*, cap. 6, sic loquitur:
*Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non
solum spirituali affectu, sed sacramentali Eucharistiae etiam perceptione com-
municarent.*

Itaque si, ex his simul sumptis sententiis, Tridentinorum Patrum men-
tem penitus perscrutemur, illud certe exploratum habebimus, illos quidem
ab Eucharistica mensa omnino removendos esse qui, peccati mortalis con-
scientia oppressi, tanto ac tam singulari Dei dono censentur indigni; caete-
rum frequentem Eucharistiae usum Tridentinos Patres fidelibus suadere;
optare imo, ut in singulis Missis adstantes fideles de eucharistica mensa
participes fiant: quod sane non modo optari, sed nec sperari quidem posset,

si eucharistico pane ii solum reficerentur qui ab omni levioris etiam culpae
labe immunes essent. Haec si missionarii tui diligenter perpendant, vide-
bunt profecto num laudanda sit illorum consuetudo, qui, pro dignitate
Sacramenti Eucharistiae, singulares quasdam et vix sperabiles dispositiones
exigunt a fidelibus, longeque maiores quam quae sufficiunt ad absolutionem
in sacramento Poenitentiae consequendam. Excitanda certe maior fidelium
devotio est; acrius incendendi ad detestationem praeteritorum criminum,
quaedam veluti fames ac desiderium vehemens in cibum Eucharisticum
excitandum, ut qua maiori possunt reverentia atque pietate suscipiant;
verum, quemadmodum corporis vires alimento sustentantur, ita animae
languor atque infirmitas cibo hoc spirituali, quo pascimur, depellitur ac
roboratur. *Quotidie peccas, quotidie sume*, inquit Augustinus (in sermone
De verb. Apost.); *Et si quis attenderit diligenter*, subiungit Catechismus
Romanus, *omnium Patrum, qui hac de re scripserunt, sententiam eamdem
fuisse comperiet.*

Atque eo praesertim promptiores facilioresque decet esse istos Sinarum
missionarios in admittendis fidelibus ad hoc coeleste convivium, quod
rarissime illos se praebeat occasio eucharistico pane reficiendi. Aut semel
aut bis in anno, propter regionis amplitudinem, sacerdotis copiam habent:
urget praeterea lex Communionis Paschalis; senectus, aegritudo, egestas,
gentilium rabies atque ira, caeterae demum vicissitudines ac vitae huius
nostrae discrimina, mortem aut prope adesse, aut adventare denuntiant.
Numne nulla hora ratio habenda est, ut christiani et Ecclesiae praecepto
pareant, et in tantis periculis constituti, ac mortem fortasse haud longo post
tempore subituri, coelesti hoc pane et quasi arrha beatitatis aeternae refi-
ciantur ac recreentur?

Neque tamen haec dicta volumus, quasi nulla sit facienda distinctio
inter eos qui ad eucharisticam coenam accedunt, omnesque passim sine
diligenti probatione sint admittendi; consilium inde, rationem, iudicium
huius probationis animarum pastoribus committendum esse ultro conce-
dimus. Nec ignoramus, praeter actualia et per se mortifera peccata, inordi-
natas aliquando cupiditates et vitiosas quasdam habitudines hominum
animis alte infixas reperiri, per quas ad pietatis studium desides, et ad venialia
peccata proclives redditi, ad graviora deinde admittenda crimina facile
dilabuntur, quibusque extirpandis pii et docti animarum curatores salu-
taria quandoque medicinalis severitatis remedia adhibenda esse non
dubitant. Sed si nimius sit in hac agendi ratione rigor, et si plerique eorum
qui sacramentalis absolutionis beneficio digni habiti sunt, a dominica Com-
munione indistincte et sine gravi causa repellantur, non probamus.

Neque propterea aliunde evenire putamus (id quod non sine admira-
tione animadvertimus) in tanta copia Confessionum, tam exiguum esse
numerum illorum qui eucharistico pane refecti nuntiantur. Ebriosi, foene-
ratores, impuri, sacrilegi, pacis perturbatores, inconstantes in fide, hypo-
critae, qui filias nuptui tradunt gentilibus, scandalosi, aliique demum qui
gravioribus flagitiis coinquinantur, a mensa Domini segregandi sunt, imo
et repellendi iuxta regulam traditam in Rituali Romano, tit. *De Eucharistia*.

At vero si miseros ac coinquinatos istiusmodi homines suorum criminum vere et salubriter poeniteat, si ea remedia, quae a confessariis tradita sunt pro emendatione vitae, pro alienarum rerum restitutione ac scandali reparatione, iuxta superius traditas regulas adimpleverint, atque propterea dignos exhibuerint poenitentiae fructus, quibus eos et veniam a Deo sperare, et relaxationem suorum criminum a poenitentiario sacerdote impetrare nihil prohibet, cur, ad Eucharisticam Communionem non admittantur? At sutchuenses christiani non haec produnt certa doloris ac poenitentiae argumenta: ergo non solum Eucharistiae Sacramento probantur indigni, verum criminum etiam relaxatione. Itaque si ex doloris indiciis atque ex novae vitae emendatione non dubitant missionarii quin illis sacramentalis absolutio impertiri possit, nec ambigere debent quin satis dispositi sint ad Dominicum panem manducandum, praesertim si aliqua urget necessitas ex iis casuum circumstantiis quas paulo ante commemoravimus, et nisi forte publice infligendae poenitentiae instet occasio, cum videlicet sacramentalis quidem absolutio non denegatur, sed ob grave aliquod palam patratum scelus, quod multorum oculos offendit, publica differtur cum Ecclesia reconciliatio, quae tamen, ut supra dictum est, non temere, neque, si fieri potest, ex privati cuiuslibet sacerdotis opinione, sed cum consilio aliorum atque praesertim Episcopi est imponenda.

Tertia quae te commovet abusuum suspicio est, quod non modo times criminosis quibusdam sacramentalem absolutionem differri, sed eos etiam, levi forsitan ex causa, a tribunali Poenitentiae repelli. Non satis tamen declaras, quomodo res ista procedat. Neque enim suspicari fas est missionarios istos, quos tu ipse fateris egregiam navare operam in procuranda animarum salute, et pietatis ac charitatis studio plurimum apud te commendari, ita misericordiae ac lenitatis fuisse oblitos, ut peccatores, aliquo poenitentiae stimulo excitatos, ad se pro Confessione suarum culparum accedentes, repellant: absolutionem enim sacramentalem immerentibus denegare in potestate sacerdotis est; at criminum confessionem non audire, flagitium esset non ferendum. Quaestionem igitur a te propositam sic accipiendam esse existimavimus, ut de iis dumtaxat peccatoribus quaerendum sit, qui iis criminum nexibus implicantur, quibus a iure adiuncta est excommunicationis poena. Atque in hanc rem illud maxime considerandum videtur, num aliquis per sententiam iudicis fuerit excommunicatus ac publice denuntiatus, an vero eam censuram a iure contraxerit, haud quidem iudicis sententia declaratam, sed cum crimen, propter quod in excommunicationem incidit, ita notorium ac manifestum sit, ut nulla possit tergiversatione celari, aut iuris suffragio excusari, hinc passim apud reliquos fideles pro publico peccatore habeatur. Uterque profecto a Sacramento Poenitentiae repelli debet; nequeunt enim excommunicati participes fieri Sacramentorum. Discrimen tamen inter utrumque intercedit, quod excommunicatus et denuntiatus sententia iudicis, cum a caeterorum fidelium communione separetur, vitandus etiam est, ideoque nec in ecclesiam admitti potest, ut incruento Sacrificio assistat, publicas preces fundat, caeterisque communibus religionis officiis adstet, excepta dumtaxat verbi Dei praedica-

tione, quam excommunicatos audire a iure permissum est, cap. *Responso*, 43, *De sententia excommunicationis*. Is vero cui excommunicationis nulla est indicta sententia, vel iudicialis declaratio, nec a fidelium coetu repellitur, neque aditu ecclesiae prohibetur, nec a publicis precibus excluditur; Sacramentorum tamen participatione, sicut in seipso incapax est, ita a fideli mysteriorum Dei dispensatore merito arcendus, propter criminis sui notorietatem et pertinaciam; ex quo, cum publicum scandalum exortum fuerit, nisi cessaverit, et apta ac convenienti poenitentia fuerit emendatum, indignus omnino censendus est ut mysteriorum Christi particeps fiat, ne contra Evangelii praeceptum margaritae mittantur ante porcos. Quae autem et quanta esse debeat poenitentia sontibus irroganda, qua ratione scandalum tolli possit, statuant missionarii oportet, libratis locorum ac temporum circumstantiis, atque illud praesertim curent, ut nihil nisi te auctore ac iudice decernatur, si te consulendi detur potestas. Atque hinc propterea haud probanda est illorum agendi ratio qui, nulla adhibita distinctione inter excommunicatos vitandos, et inter toleratos, omnes passim prohibent, diebus etiam festis, ab aditu ecclesiae, atque a sacro fidelium conventu. Nam si id agunt quod excommunicationis eam esse vim arbitrentur ut, qui illi subiicitur, statim arcendus sit ab omni fidelium communione, memoratae distinctioni repugnant, atque ideo errant; si vero hanc ipsi poenam, arbitratu suo, omnibus passim excommunicatis decernunt, de nimia severitate sunt corripiendi. An vero qui puellas, a parentibus gentili viro desponsatas, invitas rapiunt et traducunt ad domum sponsi, in excommunicationis poenam incurrant, sic habe: aut sponsalia inita sunt a parentibus priusquam puellae usu rationis potirentur, nec constat post rationis usum illa confirmasse ac rata habuisse; cum haec sponsalia irrita omnino sint, profecto qui raptui harum virginum consilium, auxilium aut favorem praebent, sunt ipso iure excommunicati iuxta caput 6, Sess. 24, *de reformatione matrimonii*, Concilii Tridentini; secus vero, si sponsalia cum earum consensu vel primum inita, aut deinde confirmata sunt, ac proinde firma ac valida reputantur; non enim raptorum poenis subiiciuntur, qui sponsas ad sponsum vi pertrahunt, quamvis invitas et renuentes.

Expediti ab iis quaestionibus quas pro administratione Sacramentorum proposuisti, gradum facimus ad quartum querelarum tuarum caput. Itaque angeris animo missionarios quosdam isthic esse, qui christianitates aliquas derelinquunt, eo quod frustra in iis excolendis laboraverint, quamvis nec christiana fides, nec orandi studium in iis cessaverit. Aiunt enim in tanta messis copia et operariorum paucitate, operam potius impendendam esse in agro frugifero quam in sterili, a quo fructum sperare vix possunt. Hoc tamen nos arbitramur non missionariorum iudicium esse debere, sed tuum. Tibi potissimum istius vineae Domini Sabaoth est demandata plantatio. Tu vigiles qui vineam custodiant disponere, tu sepibus munire, tu muro cingere, tu infrugiferas arbores eradicare debes; qui tecum serunt, colunt, laborant, cooperatores tui sunt tuisque propterea iussis obtemperare oportet. Exemplo autem suo nobis Dominus commendavit, maiori studio atque animi contentione peccatoribus operam nostram navandam esse quam iustis.

Ipse de se inquit: *Non veni quaerere iustos, sed peccatores;* atque iterum: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel.* Idcirco boni pastoris formam et similitudinem, qui dimissis in deserto nonaginta novem ovibus, illam unam quaerebat quae perierat, nobis ante oculos posuit, ut hoc exemplo doceret qua ipse charitate ac benignitate peccatores quoscumque complexus est, eadem nos prosequi debere. Fixa enim atque immota in evangelicorum operariorum mentibus haerere debet divina eiusdem Servatoris nostri sententia: *Dico vobis quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia.* Imitentur itaque egregii isti tui cooperatores cultorem vineae in eodem Lucae Evangelio commemoratum, cui cum aliquando eiusdem vineae dominus dixisset: *ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum ex ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid terram occupat?* statim rogavit enixe ut arborem illam quamvis sterilem alio saltem anno vigere sineret, promisitque se fossione ac stercoratione foecundaturum. Ne tamen et alterum eiusdem Servatoris nostri Iesu Christi monitum contempsisse videamur, cum Apostolis suis dixit, ut etiam pulverem e pedibus excuterent, ubicumque non fuissent recepti, ita charitatem quae patiens ac benigna est, quae omnia sperat, omnia sustinet, infirmis impendamus, ut nihil validioribus detractum sit. Utrique colendi, hortandi, amplectendi; sed quo quisque in Fidem studio fertur, eo magis vel excitandus, vel confirmandus. Prudentia tua maxime qua gregi isti universo praesides, quaeque agendarum rerum magistra et gubernatrix est, providebis ne cui quidquam debeas, atque omnium veluti amantissimus parens ac doctor existimeris.

Quae multa congeris sub quinto abusuum capite, de orationibus, ieiuniis, abstinentiis, vigiliis, corporis cruciatibus, aliisque consuetudinibus, quas aliqui missionarii tui, bono quidem zelo, sed nimia forsan austeritate, cui plurimum addicti sunt, permoti, ad istos christianos invexerunt: de iis haud profecto possumus certi aliquid exploratique ad te scribere. Quoniam si hac austeriori disciplina, in fidei et charitatis operibus magis fideles isti proficiunt, non est istiusmodi austeritas improbanda; si vero perterriti hoc agendi rigore, a levi ac suavi iugo Christi se potius subducunt, tunc sane ea agendi ratio, nec utilis, nec probanda videretur. Quapropter generatim dicimus quod cum nos, tanto locorum intervallo disiuncti, minime de his iudicare possimus, tua esse debet deliberatio, atque a te maxime perspiciendum, quid in usibus istis atque consuetudinibus, ad pietatem, iustitiam, humilitatem, animique in fide constantiam maxime conducat; et quum tibi constiterit alacrius ferventiusque christianos viam mandatorum Domini cucurrisse, quo magis acrioribus severitatis stimulis excitati sunt, permittere sane poteris novas hasce missionariorum asperiores institutiones.

Caeterum, ut aliqua etiam singulatim tibi a nobis hac de re suppeditentur monita, quibus tuam agendi rationem accommodes, tibi in primis, ac etiam missionariis tuis, regulas a Catechismo Romano traditas, tam *de poenitentia* quam *de oratione*, maximopere commendamus. Si enim omnium manibus aureus iste teratur liber, atque eius praeceptis, institutis, monitis

ac disciplinae arctissime adhaereant missionarii, minime ambigendum, quin et similis omnium futura sit in animarum procuratione institutio atque etiam fructus uberrimus.

Praeterea, haud nobis probari potuit opinio illa, quae apud plures missionarios isthic recepta videtur, videlicet iugum sinensibus christianis aggravandum potius esse quam minuendum. Non ita sane se gessit Apostolus in praedicatione Evangelii; cum enim ad Hebraeos scriberet, recenter ad fidem conversos, reconditorum mysteriorum capaces eos esse non arbitratus est, *quoniam imbecilles* erant *ad audiendum* et *quibus lacte opus erat, non solido cibo* (c. V, 11, 12); perfectorum autem est solidus cibus; atque hoc ipsum Corinthiis neophytis confirmavit (I Corinth., c. III, 1), ait enim: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* Ad Romanos autem (XIV) inquit: *Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet: is qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non iudicet.* Et paulo infra (XV) subiungit: *Debemus autem nos infirmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Ex his autem Apostoli sententiis, certe consequitur solidiorem cibum escamque firmiorem iis solummodo praebendam esse, qui confirmati in fide, ac spiritu Dei pleni sunt; lacte vero atque escis tenuissimis nutriendos esse neophytos, viribus enim destituuntur, nec adhuc tam valida charitate roborati sunt, ut, et praeceptis christianae legis pareant, quemadmodum par est, et aliis graventur oneribus, a quibus absque peccati noxa liberi ac soluti esse possunt. Ita quoque beatus Apostolus Petrus recenter ad fidem perductos, teneros veluti infantes alloquitur: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem:* eademque tandem spiritus lenitate ac charitatis temperamento usus est Dominus cum Apostolis, inquiens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quapropter oportet ut missionarii isti tui asperioris zeli studium temperare curent, commisereantur infirmis, non pharisaeorum more oneribus importabilibus eos aggravent, sed potius suave illud Apostoli in animarum directione monitum prae oculis habeant: *Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; ... super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Neque etiam laudari potuit ab EE. PP. huius S. C. ea severitas prohibendi coniugibus ne quibusdam festis diebus ac ieiunio dicatis debitum coniugale deposcant. Quoad hoc quum Ecclesia nihil coniugibus praecipiat, ancipitisque iudicii sit certas in hanc rem leges praescribere, satius est ut missionarii quoque nihil districte iubentes, coniuges dumtaxat inducant, secundum indulgentiam, et non secundum imperium, ad sequendum illud Apostoli monitum: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos sata-*

nas propter incontinentiam vestram (I Corinth., VII, 5); quodque etiam coniugibus inculcare debent sacerdotes in Missa benedictionis nuptiarum, iuxta Rubricam Missalis Romani: *Moneat eos sacerdos ut orationis tempore, et praesertim ieiuniorum ac solemnitatum, casti maneant*. Verumtamen, si qui huiusmodi monitis non obtemperaverint, haud legis seu praecepti alicuius violatores censendi sunt, neque de commisso crimine culpandi, sed potius hortandi ut continentiae bonum precibus a Deo impetrent, illudque Augustini effatum saepius ex corde repetant: *Da, Domine, quod iubes: iube quod vis*.

De multis longisque precibus a missionariis pariter isthic invectis, secundum ea quae a te proposita sunt, nihil iubet, nihil vetat haec S. C. Non enim ambigit quin unusquisque vestrum probe teneat Apostoli Pauli sententiam, *unumquemque* videlicet *proprium donum habere ex Deo, et alius quidem sic, alius vero sic*. Id unum monet, in precibus praesertim quae a toto fidelium coetu in ecclesia persolvuntur, eam adhibendam esse moderationem, ut ne nimis longae onerent precantium mentes, nec nimis breves vacuae sint spiritu et devotione; in omnibus sectamini charitatem. Eam tamen consuetudinem interponendi inter primam et secundam partem Salutationis Angelicae illa verba: *Benedictus Iesus Salvator mundi: rogo Deum ut nobis det Iesum cognoscere, in Iesum credere, in Iesum sperare, amare Iesum, Iesum imitari*, abrogandam omnino a te esse, atque ex mandato huius S. C. prohibendam. Nihil quidem in ea precatione continetur quod non sit sanctum et pium: sed Salutationem Angelicam quae tantam in Ecclesia obtinet auctoritatem disiungi, atque inter eius primam ac secundam partem intermisceri aliam precandi formulam quae ab Ecclesia recepta non est, haud tolerandum esse ducit S. Congregatio. Recitent quidem pro lubitu suo fideles piam illam precem, sed nihil immutent Ecclesiae morem recitandi integram Salutationem Angelicam, nec quidquam novi ibidem ex arbitrio interserant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 569].

4599.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1785.

Ex relatione Praefecti Missionum Insulae Curaçao expositum fuit S. Congregationi de Propaganda Fide, in eadem insula legem adesse (quae lex aliquoties obsoleta, sed in praesenti tempore renovata fuit) vetantem catholicis, ne contrahant matrimonium coram proprio parocho, nisi prius contraxerint coram magistratu acatholico, vel ministro protestante, sub poena quingentorum florenorum a parocho catholico solvendorum. Ut autem contrahant coram magistratu acatholico, vel ministro protestante, solvendi sunt ab ipsis contrahentibus quinquaginta floreni, ita ut si illi vere pauperes sint, et non habeant huiusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possint: siquidem nec parochus catholicus illorum nuptiis assistere potest, ne inflicta quingentorum florenorum mulcta puniatur. Quaerebatur ergo, quomodo parochus gerere se deberet in huiusmodi

circumstantiis, cum et indicata lex vigeat, et duo catholici matrimonium inter se contrahere velint, et modum solvendi quinquaginta florenos non habeant.

Circa quod S. Congregatio Instructionem Praefecto Missionum Insulae Curaçao mittendam esse censuit, quae talis est, videlicet: Nihil obstare quin catholici antequam matrimonium contrahant iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae, se sistant coram magistratu acatholico, actum quemdam civilem coram ipso exhibituri, dummodo nullus sacer ritus, preces, aut benedictio interveniant. Attamen qui huiusmodi civilem actum magistratui praestiterunt, nec coniuges reputandos esse, nec simul cohabitare posse, nisi verum ac legitimum matrimonium coram parocho catholico iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam [1] contraxerint.

Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere 50 florenos iuxta renovatam legem, tum parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac illorum inopiam veram esse, permittat ut, absque etiam sua adsistentia, matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei; ac ita celebrato matrimonio, teneantur coniuges citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud, saltem secreto, adnotet, cum indicatione diei, ac nominibus testium qui praesentes fuerunt. Ita se gerat Praefectus Missionis in casu necessitatis, et magnae contrahentium inopiae. Videat tamen, ne sub paupertatis praetextu fraus aliqua fiat contra Tridentini Concilii decretum Sess. 24, cap. 1, *de ref. matrim.*, quod isthic publicatum fuisse ipse etiam fatetur. Videat etiam, si saepius contingat celebrari huiusmodi secreta pauperum matrimonia, inscio atque inconsulto magistratu civili, aut ministro protestante, ipsoque etiam parocho catholico absente, ne catholica religio quidquam detrimenti capiat. Valde enim timendum est, Insulae gubernatorem, aliosque magistratus acatholicos, siquidem, quod facile contingere potest, huiusmodi matrimonia clam celebrata, in fraudem suae legis detexerint, novas easque graviores mulctas catholicis indicturos, et omnem fortasse catholicae religionis publicum cultum, ac professionem prohibituros. Super his duobus capitibus rem bene perpendat Praefectus Missionis, et suam sententiam, uberioremque informationem S. Congregationi transmittat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 571].

[1] Sess. 24, *de ref. matrim.*, c. 1.

4600.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Chan-si), 17 mart. 1785.

Se il decreto della grata per le donne s'intenda solo doversi osservare negli oratorii stabili delle cristianità; e se quando il missionario è obbligato a confessar donne nelle case particolari, per mancanza di oratorio stabile, basti che queste con un velo si coprano tutto il volto.

R. Affirmative ad primam et secundam partem, si aliter fieri nequeat. [Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 572].

4601.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 apr. 1785.

Secluso inter sponsum et sponsam omni contractu de praesenti, necdum impertita nuptiali benedictione, quaeritur:

1. Ex tribus supra relatis caeremoniis (nempe, protestatione coram pago, nuptiarum celebratione, et traductione nurus), quanam completa caeremonia inter christianos censeri debeat constitutum matrimonium. Utrum requirantur omnes, an ex iis quaelibet sufficiat. Et quatenus affirmative pro alterutra quaestione, quaeritur:

2. Quid, si voluntatem habeant sponsus et sponsa, adimpletis hisce omnibus caeremoniis, accedendi ad Sacramenta, nuptialemque benedictionem petendi, antequam simul cohabitent? Et quatenus, habita ratione ad illam utriusque sponsi et sponsae voluntatem, iudicetur, praeviis etsi tribus supradictis caeremoniis, inter eos nondum contractum censeri matrimonium:

3. Quid, si, rebus superstitiosis implicato sponso, sola ad Sacramentum reconciliationis accedere intendit puella, antequam ad sponsi domum traducatur, vel una cum ipso cohabitare acquiescat?

4. Quid, si implicatus uterque superstitionibus, id unum sibi proponant animo, ad sacerdotem accedere, ut simul habitandi licentiam postulent? Talis est enim consuetudo cleri saecularis christianorum, ut, iam desponsatae puellae, perpaucis exceptis, antequam ad cohabitationem eant, si benedictione nuptiali uniri non possunt, saltem Poenitentiae Sacramento et Sacra Communione refici curent, antequam sponsi domum ingrediantur: verum apud extinctae Societatis (Iesu) christianos nondum invaluit ille usus. Et quatenus, attentis sponsi et sponsae his dispositionibus coram sacerdote se sistendi, decernatur ratum nondum esse eorum matrimonium, quamvis impletae iam sint omnes Regni caeremoniae:

5. Quid, si indifferentes omnino se teneant quando iuxta morem patrium peraguntur omnes caeremoniae, absque ulla positiva consensus exhibitione ad matrimonium, nec sine aliqua aut tacita aut expressa intentione

adeundi sacerdotem priusquam introducatur nurus ad sponsum, sed unum intendentes obsequium praestare parentibus, quos timent valde?

R. Matrimonium christianorum in iis locis in quibus promulgatum non est Decretum Concilii Tridentini, capite 1, Sess. 24, *de reformatione matrim.*, quod in Sinis exploratum est minime promulgatum fuisse, per legitimum viri et mulieris consensum perficitur; consistit enim in contractu legitimo, qui sine consensu duorum fieri omnino nequit. Consensus autem necesse est ut sit de praesenti, et non de futuro; ut sit internus, mutuus, per verba aut alia signa sensibilia expressus, plene deliberatus, liber, et a metu gravi iniusto immunis. Solemnitates autem, aliique sacri nuptiarum ritus, scilicet: Missa, benedictio sacerdotalis, preces, et sponsi ac sponsae Communio Eucharistica, in christianorum matrimoniis adhibere optimum sane est, ac laudabile institutum; attamen, si ritus isti praetermittantur, nihil matrimonii validitati detrahitur; imo, in dissitis istis regionibus, in quibus sacerdotum copia facile haberi nequit, si ineundi matrimonii necessitas urgeat, haud damnandi sunt christiani, si duobus aut tribus adhibitis testibus, nulloque obstante canonico impedimento, invicem inter se coniungantur, eorumque sic initum matrimonium validum esse nemo inficias ibit. Cum vero sacerdotis adeundi occasio sese sponsis obtulerit, tunc benedictionem ab ipso petere possunt, non ad Sacramenti firmitatem, sed ad eius uberiorem gratiam consequendam. Itaque, cum de matrimonii alicuius valore apud missionarios quaestio excitatur, postquam exploratum habuerint nullum inter coniuges intercessisse dirimens impedimentum, tota investigatio redigenda est ad consensum, ac diligenter inquirendum an vir et mulier, vel quispiam alius, de expresso eorum mandato, illum praestiterit verbis, aut aliis quibuscumque signis, quae utrumque coniugem ex animo consensisse aperte ostendant. Videndum praeterea an consensus fuerit liber, an a metu iniusto immunis, an denique deliberatus. Haec si missionarii accurate perpendant, facile se ab omni dubio ac anxietate liberabunt.

Itaque ad 1 dubium respondetur: Nullam ex praedictis caeremoniis, constituere apud christianos Sacramentum Matrimonii; quaenam vero ex illis tanti facienda sit, ut certum inducat argumentum consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, pendere ex singulorum casuum circumstantiis, quae a prudenti missionario inquiri ac ponderari diligenter debent.

Ad 2. Voluntas sponsi et sponsae accedendi ad Sacramenta, nuptialemque benedictionem a sacerdote petendi, si ab utroque, aut verbis, aut signis, ita exterius pandita fuerit ut internum consensum in praesens, et non in futurum matrimonium praestitisse certo videatur, sat erit ut eorum matrimonium validum reputari possit, quin officiat quod sinenses caeremoniae vel adhibitae non fuerint, vel matrimonium praecesserint, aut subsecutae fuerint, sive etiam quod nuptialis christiana benedictio praetermissa sit. Neque enim illae quidquam conferunt, neque ista necessaria est ad matrimonii validitatem uti dictum est.

Ad 3. Admitti posse ad Sacramentum reconciliationis si puella sit

rite disposita, et matrimonium ab ea contractum validum iuxta praemissa censeri possit.

Ad 4. Si ad sacerdotem accedunt postquam valide matrimonium per mutuum consensum contraxerunt, posse quidem admitti ad Sacramenta, si tamen isti animo sint dispositi, ut digni existimentur fieri participes mysteriorum Dei. Quod si uterque tam vir quam uxor, ut supponitur in dubio, superstitionibus implicantur, nec ab iis abstinere volunt, a Sacramentis sunt repellendi.

Ad 5. Si agatur de matrimonio contrahendo, debere missionarium ab utroque coniuge exquirere consensum verbis expressum, aut saltem aliis signis exterioribus declaratum quae interni consensus praebeant indicium; si vero de contracto et consummato, non esse de consensu ambigendum, quem vel ab initio praestitum fuisse, vel renovatum ob copulam affectu maritali cum viro secutam iure optimo coniecturari licet, nisi certis argumentis contrarium demonstrari possit; si denique matrimonium ratum dumtaxat fuerit et non consummatum, et circa consensum controversia excitetur, debere missionarium singulorum casuum circumstantias diligenter expendere iuxta regulas superius traditas, et iuxta doctrinam probatorum auctorum quos consulat in casibus dubiis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 573].

4602.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 5 apr. 1785.

Ex quo responsiones de contractu pignorationis, qui viget in hac provincia, ab ista Sacra Congr. transmissae die 8 septembris 1779 huc pervenerunt, [1] neminem ex christianis, qui hunc contractum inierunt, et

[1] In hac instructione (Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 531) n. 2 quaerebatur, num christiani proselyti sutchuenses, aut ipsorum heredes obligandi sint ad restitutionem, si antea bona fide contractum inierint agros aut domos in pignus accipiendo, data rei domino summa pecuniae maiori vel minori, habita ratione redituum agri aut utilitatis domus, ea conditione, ut expleto oppignorationis termino, qui vulgo plurium annorum est, rei dominus reddat mutuatori integram pecuniam quam accepit, et ad id coram iudice cogi possit, mutuator vero rem oppignoratam restituat domino, sibique retineat fructus integros, quos durante contractu percepit, etiamsi valore superent laborem, industriam et expensas, quae contulit in excolendo agro, itemque nihil deducat ex summa restituenda pro solvendo pretio utilitatis quam ex domo percepit, quamvis interea rei oppignoratae dominus solverit tributa et in se susceperit alia publica onera. — S. C. propter casuum diversitatem nullam capere poterat resolutionem. Quamvis enim Vicarius Ap. referat alios oppignorationis contractum bona fide perfecisse, vel quia contractus illiceitatem ignorassent, vel quia ex contractu ditiores facti non essent, vel denique quia primario ad talem contractum ineundum determinati essent: tamen exinde absolute pronuntiari nequit omnes ex dictis christianis a restitutione excusari posse; nam bona fides in iis quae iure divino naturali prohibentur (quemadmodum usuram certum est prohiberi), non semper excusat. Praeterea bona fides atque invincibilis ignorantia excusare fortasse quandoque poterit contrahentem a peccato, non autem a restitutione alienae pecuniae ex iniusta acceptione perceptae. Neque porro indiscriminatim affirmari potest ita contrahentes ex contractu locupletiores non esse factos, nam licet locu-

nullum aliunde habuerunt titulum fructus percipiendi, a restitutione eximo (ego missionarius), sive tempore gentilitatis, sive post conversionem; sive bona, sive mala fide initus fuerit contractus: hanc praxim sequutus sum auctoritate fretus R. D. Episcopi, et omnium huius provinciae missionariorum, quam quidem praxim quoad christianos, qui mala fide contraxerunt, libenter: quoad illos autem, qui bona fide, nonnisi invite sequor, eo quod mihi magnum insit dubium, cuius solutionem nec in consultationibus, nec in libris, qui hanc tractant materiam reperire potui; et christiani, qui bona fide contraxerunt, plurimi sint, antea persuasum habentes, fructus ex pignoratione perceptos esse suos, et a se licite retineri, et quidem prudenter, cum huiusmodi contractus antea a Vicariis et missionariis App. fuerit permissus; insuper ubi data fuit responsio hunc reprobans contractum, statim, quantum in se fuit, resciderunt, et alium inierunt: itaque isti S. Congregationi dubium meum propono, ut solvere dignetur, scilicet:

In hoc Imperio nulla est lex civilis, quam sciamus, quae vel praescriptionem statuat, vel eamdem prohibeat, nec quidem nomen praescriptionis unquam audivimus. Posito autem silentio legis, possumusne cogere christianos ad restitutionem fructuum ex pignoratione bona fide perceptorum? Nonne potius praesumi debet legislatorem post detectam huius contractus iniustitiam, obligationem restituendi tollere, praesertim cum innumeri sint, et fuerint pignoratarii? At vero ius canonicum, quod praecipue bonum animae spectat, approbat indistincte praescriptiones bonae fidei, et quidem determinat numerum annorum, quibus bona, sive mobilia sive immobilia, praescribuntur; itaque:

Cum fructus ex pignoratione percepti referantur ad bona mobilia, quaero an christiani possint, silente lege civili, sequi ius canonicum, et in foro conscientiae retinere fructus ex pignoratione ultra triennium bona fide perceptos, donec per sententiam iudicis ad restitutionem obligentur.

R. Emi Dni nihil ultra addi posse existimarunt, pro uberiori declaratione, ad ea, quae iam in Instructione anni 1779 ad secundum dubium tradita sunt. Atque propterea missionarios adhaerere debere principiis, et doctrinae in eadem Instructione prolixe explicatae. Itaque ea etiam dubia, quae modo proponuntur circa praescriptionem, iisdem regulis definienda sunt, quae in eadem Instructione de reliquis causis, quae pariter tunc afferebantur ut omnis restituendorum fructuum tolleretur obligatio, amplissime sunt pertractatae. Nam etsi praescriptio in iure canonico admittatur pro tuenda alicuius possessione, attamen si titulus acquisitionis est vitiosus

pletati non fuerint aliqua bonorum accessione, certe ditiores facti sunt aliena pecunia lautius vivendo vel rei suae parcendo, eamque amplificando. Tandem quod intentionem attinet, praeter hanc certe aliae quoque conditiones exiguntur, ut contractus ab usurae labe sit expers et contrahentes a restitutionis onere immunes. Ceterum vix credendum sinenses divitiis inhiantes oppignorationis contractum usurae labe conspersum ea mente inire, ut — si aequior contractus suppeteret — hunc potius inire mallent. Denique monet S. C., ut in singulis casibus diiudicandis prae oculis habeantur Benedicti XIV litt. *Vix pervenit*, a. 1745 (Cf. N. 363), cum instructione S. Off., 17 apr. 1749 (Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 369).

(quemadmodum certe est contractus usurae labe conspersus), vel si possessor durante tempore praescriptionis in mala fide versatus fuerit, nullo modo liberari poterit, quin sortem et fructus dimittat. Singuli igitur casus, ac uniuscuiusque contractus circumstantiae ac conditiones expendendae sunt, ut aliquid certo definiri possit, nec pro omnibus generalis quaedam regula in tanta regionum distantia, ac morum et legum ignoratione tradi potest. Quare missionarii consulant probatae doctrinae auctores; nihil in casibus dubiis arbitratu suo definiant, sed ad Vicarium Apostolicum deferant, ut iunctis caeterorum consiliis, et Dei lumine impetrato, statuant id quod fidei ac moralis christianae regulis magis consonum iudicaverint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 574].

4603.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 5 apr. 1785.

Coemeteria ad sepeliendos mortuos nullum hic habent pretium commune, sed variatur pro situ eorumdem coemeteriorum, et iudicio magistri superstitionum, quem accersunt pagani ad inspiciendum, modo suo superstitioso, coemeterium emendum. Si magister iudicet situm esse boni ominis, et multa prospera familiae, quae vult emere, ex ipso coemeterio esse eveniendа, pagani tunc maximo pretio emunt illud, adhibitis mediatoribus, qui quidem pretium determinant, quod aliquando est decies maius quam pretium commune reliquorum territoriorum, et contractu scriptis facto. Quaero igitur: 1. An christiani possint licite coemeteria modo praedicto superstitiose inspecta paganis vendere.

2. An licite possint illa vendere pretio maiori quam reliqua territoria.

R. Ad 1. Affirmative, dummodo christiani nullo modo conveniant cum magistro superstitionum ad inspiciendum locum pro coemeterio vendendum, ne superstitionis ritibus cooperentur. - Ad 2. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 575].

4604.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 apr. 1785.

1. Utrum in proposito casu quo decretum est [1] non licere christianis mulieribus ad vitandam iram superstitiosi et iracundi mariti praeparare carnes quas sciunt idolis progenitorumque spiritibus offerendas, etiam prohibere intendat S. Sedes earum carnium emptionem et coctionem, proinde aliud remotum magis circa illas ministerium; ita ut vox illa *praeparare* secum inferat moralem significationem verborum *emere* et *coquere*, *orizam ventilare* etc.; et quatenus affirmative, id est, si in praedicta

[1] Cf. N. 826.

hypothesi non liceat coquere cibos nec emere, nec etiam ventilare orizam:

2. Utrum saltem christianis mulieribus liceat emere et coquere carnes, quas sciunt idolis progenitorumque spiritibus offerendas, ea intentione ministrandi maritis, ut ministrare consueverunt in omnibus et singulis conviviis; et quatenus negative:

3. Utrum id liceat ea intentione parandi familiae cibos et convivium amicis, qui de more in solemnioribus diebus invitantur ad epulas, quibusque, si in certis diebus non pararentur, maxima esset iis, qui parere debent, confusio et opprobrium durissimum. Et si negative:

4. Utrum id liceat ea intentione debitum solvendi vicinis et pagi primariis, quod si non solveretur, id, praeter opprobrium, exigerent a marito cum usura, tum quia Regni consuetudo et lex est ut quisque certis anni temporibus, iuxta ordinem, toti pago mensas paret, ac praesertim cum mortuis suis ultimos honores reddunt, tum quia ille maritus aliorum mensis pluries accubuit, et eorum bonis plerumque per multos annos absque sui dispendio saturatus est; nunc et aliis debet ipse vicem, vel, ut aiunt, buccellam reddere.

5. Utrum id liceat cum pars illarum carnium aut ciborum non offerenda, ad commune familiae et particulare quorumdam amicorum convivium domi destinatur. Et iterum, si negative, si nempe singulatim positis his totidem intentionibus, non detur mulieribus praeparare nec coquere, nec emere carnes quas sciunt offerendas:

6. Utrum, positis his congregatim omnibus intentionibus, illas carnes, sin minus praeparare, saltem emere et coquere licet. Et quatenus tunc affirmative:

7. Tandem quid si omnibus his rectis intentionibus accederet, aut has praecederet illa alia minus recte intentio vitandi nempe (iram) superstitiosi et iracundi mariti? Carnes enim cum emunt mulieres, coquunt et praeparant, quandoque hae omnes simul concurrunt intentiones.

R. Septem dubiis propositis circa cooperationem ad superstitiosa Emi PP. sic generaliter respondendum esse decreverunt, videlicet: Omnem directam christianorum cooperationem ad superstitiosa vetitam esse, eosque praeterea actus prohibitos, qui iuxta communem gentis existimationem ad cultum idolis exhibendum referuntur. Neque eiusmodi actus excusari posse propter agentis aut ministrantis intentionem, eo quod non ad superstitiosum idolorum cultum, sed ad aliud indifferens ministerium animum intendant: privata enim agentis intentio haud valet a culpa abstergere actum, qui apud infideles, tamquam ad cultum superstitiosum directus existimatur. Ita quoque non satis idoneam excusationem praestare potest quod christiani levi dumtaxat opera ac remoto ministerio ad superstitiosa concurrant. Qualiscumque enim opera sit, quae directe pro superstitiosis impenditur, et quodcumque quamvis remotum ministerium, quod pro cultu idolis exhibendo praestatur, si ad causam indifferentem referri in communi existimatione nequeat, semper illicitum atque vitiosum est. Istis principiis innixus missionarius facile propositas quaestiones diluere poterit: ac prae-

sertim si accurate perpendat decreta S. Congregationis, primum die 15 decembris 1769, [1] alterum nuperrimum die 13 ianuarii 1783. [2] Si quis autem adhuc haereat scrupulus, negotium conferat cum suo Episcopo Vicario Ap., atque collatis consiliis cum aliis missionariis, proponat dubia non in abstracto, sed cum suis facti circumstantiis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 576].

4605.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin. Occident.), 5 apr. 1785.

In hac Missione consuetudo est ut qui in sylvis aliorum caedunt ligna, qui piscantur in mari alieni districtus, qui in agris non suis pascunt boves et bubalos, qui incolae sunt in terra aliena, et qui ex aliorum pago uxorem ducunt ad suum, hi omnes plerumque quasi tributum solvere teneantur pago illi a quo aliquam percipiunt utilitatem, fructum aut bonum. Consistit autem tributum illud in modica pecuniae summa, aut in lagena vini, quae, ut plurimum, semel in anno toti pago praesentatur in communi domo, cum ludis assistunt et cantionibus quae fiunt in honorem genii titularis. Et datur illa pecunia in praemium mimis et cantoribus, et quod superest inter se dividunt pagi maiores. Vinum vero, antequam bibant, prope altariolum deponunt genio consecratum; etsi (autem) de eo non sumatur ad sacrificium, nec in scyphis offeratur, quia aliud offerendum habent, saltem de odore sacrificii participare videntur. Quaeritur utrum christianis liceat tales pecuniae aut vini contributiones exhibere, saltem praevia protestatione se tributum solvere pago pro uxore ducta, pro loci habitatione, pro ligna caedendi etc. concessa sibi facultate, praesertim si aliunde uxores ducere nonnisi difficillime, aut si locum aut artem lignarii, piscatoris etc. non nisi cum maxima iactura, imo cum certo sui ipsius et totius familiae paupertatis et famis sustinendae periculo deserere non potuerint.

R. Secundum ea quae proponuntur, licere, praemissa protestatione, et dummodo christiani non assistant ludis, cantionibus, aliisque superstitiosis ritibus qui fiunt in honorem genii titularis, et transmittatur exemplum resolutionis anni 1645. [3]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 577].

[1] Cf. N. 826.
[2] Cf. N. 4591.
[3] Cf. N. 4459.

4606.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sveciae), 6 sept. 1785.

Si è preso in seria considerazione da questa S. C. tutto ciò che V. S. ha esposto in varie sue lettere per ottenere la permissione di assistere alla celebrazione di matrimonii misti, e di dare ai medesimi la benedizione nuziale. Ma tutte le ragioni da Lei esposte non hanno potuto persuadere la medesima Congregazione, e la Santità di N. S. a cui di tutto si è fatta relazione, a concederle quanto Ella dimandava.

La somma dei motivi da Lei esposti, riducesi alla speranza di poter colla sua ingerenza e autorità sopra tali matrimonii, procurare la educazione cattolica di tutta la prole, e di ritenere il coniuge cattolico nell'osservanza dei patti, che avesse fatti innanzi il matrimonio per la suddetta educazione. Ma è sembrato alla S. Congregazione che a questa parte del suo pastorale officio Ella potesse soddisfare, senza assistere e benedire queste nozze. Conciossiacchè già a Lei incombe per proprio debito, e per ubbidire alla regia dichiarazione, di dissuadere ed impedire, per tutti quei mezzi che può, tutti i matrimonii promiscui. Ma se anche il coniuge cattolico non si arrendesse alle sue persuasioni, ed ostinato fosse in voler contrarre l'illecito matrimonio, non si vede come Le venga impedito di esortarlo almeno, e confortarlo a fare i patti antenuziali, per educarne cattolicamente tutta la prole. È bensì vero che essendo cotesti cattolici sì languidi nella pietà e deboli nella fede, e curando sì poco l'educazione della lor prole, che taluni giungono persino a lasciar vivere i propri figli nella professione del luteranismo, di poca utilità possiam lusingarci, che sieno per essere le sue esortazioni, e i suoi consigli. Dall'altra parte nulla di più profitterebbe Ella, se assistesse, e se impartisse la benedizione alle loro sacrileghe nozze, giacchè essendo precedute quelle convenzioni, che non fossero intieramente conformi alla santità della cattolica religione, non vi sarebbe più luogo allora di ritrattarle, senza timore di tumulto e di scompiglio. Ma nulla poi di più indecente ed irregolare sarebbe, quanto di assistere, e di benedire quei matrimonii, ne' quali si fosse convenuto, che la prole o di ambedue i sessi, o di uno almeno educata fosse in una falsa religione. Se questa indecenza ed irregolarità provenisse soltanto da una legge ecclesiastica, potrebbe pure temperarsi con qualche dispensa di quella suprema autorità di cui è fornito il Romano Pontefice; ma nei matrimonii promiscui, che si fanno in Svezia, vi si incontra l'ostacolo del diritto divino. Imperocchè quando in un matrimonio, che si contrae tra un cattolico e un eretico, vi è il pericolo della perversione del coniuge cattolico, non è assicurata con espressi e giurati patti l'educazione cattolica di tutta la prole, e niuna fondata speranza si può avere della conversione del coniuge eretico, allora il matrimonio non può rendersi lecito per qualunque dispensa, ed è vietato dallo stesso gius naturale e divino, il quale non permette mai al cristiano di esporsi al prossimo pericolo di perdere la vera religione, e di generare de' figli, per educarli un giorno fuori del grembo della Chiesa cattolica. Quindi è

pertanto che l'assistenza e la benedizione a questa sorta di matrimonii non può mai esser lecita, nè tollerata, perchè sarebbe un atto approvativo di un'azione peccaminosa.

Ora è sembrato alla S. Congregazione che la massima parte dei matrimonii di Svezia sieno di questo genere. Imperciocchè quando il padre sarà luterano, allora per le leggi del Regno non vi è speranza alcuna di far educare la prole di qualunque sesso nella religione cattolica. Quando poi sia egli cattolico, e luterana la madre, oppure di qualunque altra religione, allora viene certamente permesso di convenire avanti le nozze, in qual religione debbansi educare i figliuoli. Ma se questa convenzione non comprendesse la prole d'ambedue i sessi, sarebbe sempre il matrimonio illecito, ed illecita pure l'assistenza, che vi prestasse il sacerdote cattolico. A tutto ciò s'aggiunge, che il favor del sovrano per la religione dominante, l'impegno de' ministri luterani per impedire ogni progresso della religione cattolica, e la sopraccennata languidezza dei cattolici nella fede, fanno giustamente temere, che i patti favorevoli all'educazione cattolica della prole non saranno osservati, e che in simili matrimonii vi sarà sempre un prossimo ed evidente pericolo della perversione del coniuge cattolico, senza speranza della conversione dell'eretico.

A riflesso dunque di queste circostanze non è possibile che un sacerdote cattolico concorra nè tampoco colla sua presenza ad approvare nozze sì empie e sacrileghe, dalle quali tanto pregiudizio deriva alla cattolica religione.

Ma quando pur mai avvenisse il caso, in cui potesse il Vicario Apostolico assicurarsi con morale certezza, che in uno di questi tali matrimonii fosse escluso il pericolo della perversione del coniuge cattolico, e si fosse coi precedenti patti assicurata l'educazione cattolica di tutta la prole, potrebbe pur allora tollerarsi, che egli vi assistesse, ma non giammai che benedicesse queste nozze, e recitasse sopra dei coniugi le sacre nuziali preghiere. L'assistenza dovrebbe esser nuda, semplice e materiale, imperciocchè sebbene fosse allora il matrimonio contrario alla sola legge ecclesiastica, e non alla divina, contuttociò indecente egli è che il sacerdote benedica queste illecite nozze, e mandi voti al cielo per la santificazione di un matrimonio odioso a Dio, detestato dalla Chiesa e cagione di gravissimo peccato ai coniugi. Queste sono le regole, dalle quali la Sede Apostolica non si è mai allontanata; anzi pur anche quando ha ella data la dispensa acciocchè tali matrimonii promiscui si celebrassero, quantunque in tal caso per parte del cattolico divenisse lecito il matrimonio, ha però sempre vietato, che si facesse in chiesa, che si desse la benedizione, e che si celebrasse la Messa, come può vedersi nell'opera *de Synodo* di Benedetto XIV, lib. 6, cap. 6, § 4, 5.

Che se dunque per avventura accadesse, che alcuna volta si credesse V. S. in necessità di assistere a taluno di questi matrimonii da contrarsi con le accennate condizioni, si astenga onninamente da ogni rito sacro, e sopratutto non ammetta mai, che alla celebrazione di questo matrimonio vi assista insiem con Lei il ministro luterano, e che questi venga nella

chiesa cattolica, o Ella si porti nell'eretica, come sembra che venga disposto dalla regia dichiarazione del 1781 nel § *Minoris*.

Non è da temersi che mancando tali matrimonii di ogni assistenza del parroco cattolico, possano essere invalidi. L'impedimento di clandestinità non è stato introdotto, se non dal S. Concilio di Trento in quei luoghi soltanto, ed in quelle parrocchie, ov'è stato pubblicato il suo decreto della Sess. 24, cap. 1, *de ref. matr.* Ora è certissimo, che in Svezia ove seguì il fatal cambiamento di religione nel 1523, non potea esser pubblicato il decreto suddetto, che fu sì posteriore a detta epoca, e nè tampoco si potè pubblicare di poi, perchè non è stato mai più libero l'esercizio della religione cattolica in quel Regno; e quando vi andò il Possevino nell'anno 1578 poco o niun profitto ricavò dalla sua apostolica legazione, e a tutt'altro pensar dovette, che alla pubblicazione del decreto su i matrimonii clandestini nelle parrocchie di Stockolm. Nè importa l'antica osservanza, che i matrimonii dei cattolici sieno stati contratti sempre innanzi ai cappellani delle Legazioni. Imperocchè anche prima del Concilio di Trento si facevano i matrimonii avanti i ministri della Chiesa, e colle ceremonie da lei prescritte, ma non per questo quando si celebravano clandestinamente si reputavano per nulli. La nullità è stata introdotta dopo il Concilio di Trento, e in virtù del decreto accennato; e quindi qualunque osservanza, che non sia correspettiva a detto decreto, non può aver vigore d'indurre un impedimento dirimente del matrimonio. Deponga dunque su questo V. S. ogni dubbio, e se mai accadesse che dopo contratto qualche matrimonio avanti i ministri protestanti, il coniuge eretico volesse far divorzio dal cattolico, Ella non permetta mai a questo di passare a seconde nozze, purchè non siavi stato qualch'altro canonico impedimento.

Se questa S. Congregazione, e la Santità di N. Signore è stata così costante a ritenere le regole dei Canoni, e la disciplina della Chiesa sull'assistenza e benedizione dei matrimonii promiscui, dovea per coerenza di massime, e pel concorso delle stesse ragioni, ripugnare ancora alla permissione da Lei richiesta, di poter dispensare in essi dagl'impedimenti, se mai taluno se ne incontrasse. La Sede Apostolica, non suole concedere grazie a quei figli, che sono a lei ribelli, e molto meno in pregiudizio della Religione. E così appunto avverrebbe, se invece di detestare ed impedire più che sia possibile cotesti matrimonii promiscui, li facilitasse, e aprisse loro la via col favore delle dispense. Questa facoltà così ampia non è mai stata data a veruno, e quando pure per qualche caso si è creduto di dispensare dagl'impedimenti per questi matrimonii promiscui, ciò si è fatto sempre per cause urgentissime, e di pubblica utilità, e con averne esatte le tre sopradescritte condizioni della sicurezza e della costanza del coniuge cattolico nella sua religione, della promessa di educare cattolicamente tutta la prole, e di una lusinga di convertire l'eretico, come potrà Ella riconoscere dalle due Encicliche di Benedetto XIV, 29 giugno e 8 agosto 1748,[1] dirette ai Vescovi di Polonia, e stampate nel 1º Tomo del Bollario di quel Pontefice, N. LI e LIX.

[1] Cf. N. 387, 389.

Non sono poi sembrate molto gravi le difficoltà da Lei proposte, o del disordine, che può seguire da questo rigore, o del regio disgusto per la contravenzione ai suoi ordini. Imperocchè per parte dei luterani non vedesi, che possa nascervi mal contentamento, anzi all'opposto saranno essi contenti, che il parroco cattolico non si ingerisca in tali matrimonii, e ne lasci a loro ogni cura e pensiero. Gli esempi da Lei allegati ne fanno una prova convincentissima. Non vi sarà neppure disordine per parte dei cattolici, poichè la severità della disciplina, e l'abborrimento della Chiesa a questi matrimonii, allontaneranno qualche cattolico di più timorata coscienza dal contrarli. E quando pure se ne celebrasse qualcuno, è da compiangersi piuttosto la ruina spirituale di quell'anima, ma non è mai da approvarsi con qualche condiscendenza e facilità della Chiesa, ove specialmente si corra il rischio, o che egli faccia naufragio nella religione, o che la prole da nascere sia educata in una falsa credenza. Finalmente neppure può temersi la mala soddisfazione del Re, avendo egli ordinato: « Ecclesiae ministris eiusmodi matrimonia diligenter dissuadendi officium demandatum esto ». Il parroco cattolico eseguirà puntualmente quest'ordine se non solamente procurerà di dissuaderli e impedirli, ma ricuserà ancora di assistervi e darvi la benedizione. E sebbene altrove leggasi in esso, che « Caeremoniis in utriusque partium contrahentium ecclesia usitatis copulatio administretur, una tamen, eademque occasione »: questo però non sembra che sia ordinato precettivamente, ma soltanto, *ut omnes evitentur dissensiones*, come ivi letteralmente sta espresso. Se dunque il parroco cattolico, senza eccitar discordia, e senza nulla pretendere, lascia, che i ministri di aliene religioni celebrino tutti i matrimonii promiscui, non sarà discaro a sua Maestà, che in cotal guisa si conservi la pace, e che i pastori della religione dominante del paese usino di un diritto, a cui il parroco cattolico ben volentieri rinunzia. Per queste ragioni dunque dalla S. Congregazione, coll'approvazione e oracolo di N. S., si è presa la seguente risoluzione, cioè che Ella abbia per validi i matrimonii promiscui che si celebrano in Svezia: Che celebrati che siano avanti il ministro eterodosso, Ella non permetta la separazione dei coniugi, e molto meno il passaggio ad altre nozze del coniuge cattolico, quando l'eretico ne volesse fare il divorzio: Che se il coniuge cattolico si pentisse di vero cuore del sacrilegio commesso, e desse segni non equivoci del suo ravvedimento, e della sua costanza in professare la religione cattolica, con promettere inoltre, per quanto potrà da lui dipendere, di procurare l'educazione di tutta la prole nella religione cattolica, e la conversione del coniuge eretico, potrà Ella riconciliarlo alla Chiesa, e ammetterlo alla partecipazione dei Sagramenti. Non Le si permette però d'assistere a tutti quei matrimonii promiscui, ne' quali non siasi antecedentemente ottenuta la promessa giurata d'ambedue le parti dell'educazione cattolica di tutta la prole, e non siavi la moral sicurezza della rimozione d'ogni pericolo della perversione del coniuge cattolico, congiunta con una qualche speranza della conversione dell'eretico, e che quando pure si ottengano, allora, se così esigono le circostanze, potrà pure assistere il sacerdote cattolico, prestando però solamente la sua mera presenza, e non nella chiesa, nè in compagnia del ministro eretico, e senza dare la benedizione nuziale e recitare le preghiere prescritte dal Rituale. Che finalmente si astenga di dispensar mai per cotesti matrimonii da qualunque impedimento, secondo le facoltà che ne tiene, delle quali può solamente servirsi per i matrimonii dei cattolici; e piuttosto se alcun caso mai urgentissimo accadesse, in cui facesse di mestieri di accordare una tale dispensa, n'esponga le circostanze e le cause alla Sede Apostolica, che non si lascerà allora di provvedere da N. Signore secondo che sarà conveniente al bene della religione e alla salute delle anime.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 579].

4607.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad. Vic. Ap. Constantinop.), 1 oct. 1785.

Dalla risposta ai cinque quesiti fatta dal Vicario degli armeni, si è rilevato, che in tre classi si posson dividere quegli armeni, i quali si presentano avanti il giudice turco per contrarre il matrimonio. Alcuni vi vanno per prendere una concubina, e questi non possono intendere di celebrare il contratto del matrimonio, ma di paliare in tal guisa la loro libidine. Altri si presentano al ministro turco per fare una semplice dichiarazione del matrimonio già contratto, oppure da contrarsi in breve, ma non intendono di contrarre allora un vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti*. Altri finalmente compariscono pure innanzi al medesimo giudice, per prendere una donna per vera moglie, quale non è stata talvolta loro accordata dalla Chiesa per motivo di qualche impedimento impediente: ma non sapendo questi tali, che il loro matrimonio celebrato in tal guisa avanti il ministro turco, possa essere un vero e valido matrimonio, sebbene illecito, non possono intendere di contrarlo, sebbene ne abbiano la volontà, e si credono piuttosto di contrarre un concubinaggio; ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo. Questa è la sostanza dei dubbii tratta dalle stesse parole della risposta del Missirli, a cui la S. C. ha risposto, che i matrimonii contratti da quei della prima classe avanti il giudice turco sono nulli ed irriti, perchè la volontà dei contraenti, ed il loro consenso è diretto al solo concubinato, e intanto esternamente dicono di celebrare il matrimonio, in quanto che vogliono con questo colore ricoprire la loro incontinenza. Ma se per avventura questa intenzione fosse stata occulta nella mente di un solo dei contraenti, il quale si fosse diportato in tutti gli atti esterni, come se avesse voluto celebrare un vero matrimonio, e in tal guisa avesse con astuzia e con frode ingannato l'altro coniuge, in questo caso se della frode e dell'inganno non può aversi legittima prova, quantunque il matrimonio possa esser nullo nel foro interno, non si dovrà però formare l'istesso giudizio nel foro esterno. Sarà pertanto obbligato il Vicario Ap. quando avvenga il caso di dover decidere sopra uno di tali matrimonii contratti con finta intenzione e con

animo di prendere una concubina e non una moglie, sarà obbligato, dissi, di bene esaminare le circostanze del fatto, e di non prestar fede alle sole assertive del coniuge ingannatore, specialmente se la donna era affatto ignara dell'inganno; e dovrà obbligarlo a perseverare nel matrimonio, e rinnovare l'interno necessario consenso; imperocchè *sub mortali de novo consentire et verum matrimonium efficere tenetur*, come ne insegnano tutti i teologi, e come richiede il dovere.

Per gli altri della seconda classe, che si presentano innanzi al giudice turco, ma non vogliono contrarre allora vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti*, intendendo di contrarlo dopo, se non l'hanno contratto prima, si dovrà dal Vicario Apostolico verificare la circostanza, se il matrimonio sia stato contratto validamente prima di presentarsi avanti il giudice turco, oppure se si debba contrarre in appresso. Nel caso che il matrimonio fosse già stato contratto validamente prima, la comparsa avanti il giudice turco, quando si faccia per un atto veramente civile, e per ubbidire alle leggi del Principato, non è proibita, come insegna Benedetto XIV nella sua Costituzione LXXXIX, tom. I Bullarii, § 10,[1] e niente nuoce alla validità del matrimonio già celebrato; se poi il matrimonio o non fosse stato contratto, o non lo fosse validamente, siccome, quando costoro si presentano innanzi al giudice turco, non hanno intenzione di contrarre allora un vero matrimonio, così, mancando in essi il vero ed interno consenso, e trovandosi soltanto disposti a prestarlo allora quando celebreranno il matrimonio, non possono riputarsi per legittimi sposi, nè può dirsi valido il lor matrimonio. Ma dovrà anche per questi star bene avveduto il Vicario Ap. a non prestar così facilmente fede alle intenzioni occulte dei contraenti, quando per gli atti esteriori risulti il contrario di quel che asseriscono.

Per gli altri finalmente della terza classe, i quali *hanno volontà di prendere una vera moglie*, ma sono nell'errore, che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi innanzi al giudice turco, ma *se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo*, la S. C. coerentemente a quel tanto, che a lui fu scritto il dì 19 aprile 1783, rapporto ad un matrimonio consimile di una donna armena, ha deciso, che questi matrimonii siano validi, quando non v'intervenga qualche altro canonico impedimento. Imperocchè secondo le circostanze del caso proposto, non può dubitarsi del vero, legittimo, interno e reciproco consenso dei contraenti. Il loro errore di non potersi contrarre validamente il matrimonio avanti il giudice turco, non può renderlo nullo; imperocchè non concerne, nè appartiene alla sostanza del matrimonio, e non toglie la precedente volontà di chi volea celebrarlo, ma cade solamente nella sua forma e solennità, e così non può renderlo invalido, giacchè si nel matrimonio, come negli altri contratti, quando l'errore è concomitante, e non influisce sull'essenza della cosa che si vuole, ma sulle sue qualità accidentali, rimane il contratto valido. E neppure osta alla validità di tali matrimonii l'opinione invalsa presso la nazione armena, che non possa un

[1] Cf. N. 339.

matrimonio contrarsi avanti il ministro turco, ma faccia di mestieri di celebrarlo avanti la Chiesa, e con la benedizione sacerdotale. Questa opinione non è costante, non è nè tampoco comune presso tutta la nazione, e gli ecclesiastici che hanno studiato teologia, sanno pensare diversamente, come l'afferma lo stesso Vicario Missirli nella sua risposta. Inoltre non è questa opinione corredata da verun canone sinodale armeno, non è approvata dalla Sede Apostolica, ma piuttosto deriva dall'ignoranza degli armeni, i quali non distinguono il matrimonio invalido dall'illecito.

Vuole pertanto la S. C. che, quando avvenga il caso di simili matrimonii, Ella li tenga per validi, e non permetta mai, che i coniugi, che così hanno contratto avanti il giudice turco, possano passare ad altre nozze; ma siccome è certo ancora, che questi matrimonii contratti avanti il giudice turco, sono illeciti, perciò i coniugi che così hanno contratto, dovranno esser privi de' Sacramenti, fin tanto che non abbian certi segni del loro pentimento. E quando siano veramente pentiti, e ambedue sieno cattolici, Ella dovrà riconciliarli alla Chiesa, e dovrà supplire alla cerimonia della benedizione nuziale, e potrà eziandio ricevere da essi il nuovo consenso per una maggiore cautela; ma quando mai ricusassero di rinnovarlo, non per questo potrà loro permettere di contrarre altro matrimonio.

Ad effetto poi, che non accada sovente il caso di contrarre simili matrimonii avanti il giudice turco, per essersi negate le dispense dagli impedimenti impedienti, si contenti V. S. di usare della facilità in accordarle, sempre che vi sia una qualche legittima causa, e si tema che per il rifiuto della dispensa non vadano taluni a congiungersi in matrimonio innanzi al turco.

Sarà pure opportuno, che a poco a poco vada V. S. disingannando gli armeni dal loro errore, che per la validità del matrimonio sia necessaria la presenza del sacerdote. La necessità dell'assistenza del parroco ai matrimonii è introdotta soltanto nella Chiesa latina dal Decreto del S. Concilio di Trento,[1] e gli armeni i quali, come scriveva Benedetto XIV, nella nota istruzione del 1754, non hanno mai sentito parlare di questo Decreto, non possono essere per conseguenza a quello soggetti. E quindi quando celebrano il loro matrimonio alla presenza di due o tre probi e onorati testimonii, oppure innanzi al giudice turco, siccome non può dubitarsi allora del legittimo consenso reciprocamente manifestato per contrarre il matrimonio, così non può rivocarsi in questione la sua validità.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 580].

4608.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 28 nov. 1785.

Commendandum esse Archiepiscopum (Antibarensem) quod per se ipsum catechismum habeat ad populum, et eidem significandum quod ex dispositione S. Concilii Tridentini omnibus animarum pastoribus prae-

[1] Sess. 24, *de ref. matr.*, c. 1.

ceptum est ut in Dominicis et festis diebus sermonem habeant ad populum, et pueros doceant rudimenta fidei. [1] Quoties Archiepiscopus praedictus omnia per seipsum adimplet in Ecclesia in qua residet, ad eadem onera subeunda minime tenetur eiusdem ecclesiae parochus. Ast si Archiepiscopus et Evangelii explicationem et expositionem catechismi non fecerit, tunc et eo casu parochus expleat munus eidem incumbens, vel omissam ab Episcopo Evangelii expositionem, vel explicationem catechismi peragendo, ita ut utrumque habeat populus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 581].

4609.

S. C. de Prop. Fide (C. G.-Antibar.), 28 nov. 1785.

Se abbia ad interloquirsi nell'uso che hanno i parrocchiani di Spizza, i quali sono più distanti dalla chiesa, di far battezzare i bambini nelle proprie case.

R. Si periculum adest quod infantes in via periclitentur, tolerandum esse morem ut eisdem Baptismatis Sacramentum domi administretur; remoto tamen periculo, et postquam Baptismum receperint, adferantur ad ecclesiam pro supplendis sacris caeremoniis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 582].

4610.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Limericen.), 8 apr. 1786.

S. C. declaravit: Non est necesse ut qui a catholica fide defecerunt, ad eamque postmodum reverti cupiunt, publicam abiurationem praemittant, sed satis est ut privatim coram paucis abiurent, dummodo tamen promissa servent, ac revera abstineant communicare cum haereticis in spiritualibus, aut quidquam facere quod haeresis protestativum sit. Idem sentiendum de iis qui haeresim, in qua usque ab initio educati fuere, privatim abiurent.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1686].

4611.

S. C. de Prop. Fide, decr. 20 maii 1786.

Etsi per Breve s. m. Benedicti XIV quod incipit *Ex sublimi* [2] sapientissime sancitum fuerit, ut Vicarii Apostolici Indiarum Orientalium qui neque Episcopum coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex clero

[1] Sess. 5, *de ref.*, c. 2; Sess. 22, *de sacrificio missae*, c. 8; Sess. 24, *de ref.*, c. 4, 7.

[2] Cf. N. 423.

sive saeculari, sive regulari, generalem habebant, statim atque ad unumquemque eorum notitia huiusmodi sanctionis pervenisset, deputarent Vicarium ex clero sive saeculari, sive regulari, habilem tamen atque idoneum, qui veniente cuiusvis Apostolici Vicarii, sine coadiutore cum futura successione, obitu, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, teneretur assumere regimen, et gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam a novo Vicario Apostolico possessionem: quoniam tamen experientia docuit, interdum accidisse, ut et ipse Vicarius designatus, ante factam a Sede Apostolica alterius Vicarii deputationem, e vivis excesserit, et latissimae provinciae omni legitimo superiore destitutae remanserint, idcirco S. Congregatio (*in Consessu diei 23 ianuarii*) censuit memoratis Episcopis et Vicariis Apostolicis concedendam esse, si SS̃mo D̃no placuerit, facultatem sibi eligendi, quatenus ita ipsis ad rectum Vicariatus regimen expedire visum fuerit, non unum tantum, sed duos pro-vicarios, qui in casu mortis aut absentiae Vicarii Apostolici omnimodam potestatem, et iurisdictionem habeant. Recedente autem uno ex hisce pro-vicariis plena iurisdictio et administratio in altero superstite consolidetur. Itemque si evenerit unum tantum pro-vicarium a Vicario Apostolico deputatum fuisse vigore memorati Brevis *Ex sublimi*, ipse pro-vicarius moriens possit alterum in suum locum nominare et substituere, dummodo tamen nondum per S. Sedem eidem Vicariatui fuit provisum.

Quam S. Congregationis sententiam SS̃mo D. N. Pio PP. VI relatam per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium in audientia habita die 29 dicti mensis (ianuarii) et anni, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, praedictamque facultatem Vicariis Apostolicis Indiarum Orientalium benigne concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 583].

4612.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Avae et Pegù), 29 maii 1786.

Il caporale dei cannonieri, che ha sotto di sè ancora varii gentili che fanno un corpo solo coi cristiani, è cristiano. L'ufficiale maggiore è un signore birmano. Questi più volte comanda al suo caporale di mandargli uomini o cannonieri per aiutarlo nelle sue funzioni di religione birmana. Il caporale cristiano comanda ai cannonieri gentili di andare a servire in tale circostanza. Si domanda se il caporale possa comandare simile servizio di religione.

2. Quando il re vuol fare la solenne funzione di lavarsi il capo in publico, manda a pigliare acqua a tutti i fiumi del Regno: si dimanda se sia lecito ai cristiani andare a prendere la detta acqua, o assistervi aiutando, per essere cose superstiziose.

3. Nelle feste che i governatori fanno per la salute del re ordinano le lotte ed alcuni giuochi davanti le pagode, e forzano i mercatanti a dar loro,

per fare i regali ai vincitori, o pezze di seta, o pezzuole, o altre cose; si cerca se possono *acquiescere*.

4. Se i cristiani che hanno schiavi gentili possano dar danaro e mancie ai loro schiavi nelle loro feste, per soddisfare alle loro divozioni di limosine ecc.

5. Così i cannonieri se possano alle feste della *discesa dell'angelo*, che è il cominciamento dell'anno, e all'altre feste solenni ricevere quei piccoli regali, e dar fuoco ai cannoni per dar segno della festa.

R. Ad 1. Non licere, si mandatum expresse commissum fuerit pro cooperatione ad superstitiosa; licere autem, si fuerit generale, ut milites serviant duci militiae.

Ad 2. Non licere si, prout exponitur, actio sit superstitiosa.

Ad 3. Affirmative, secundum ea quae proponuntur.

Ad 4. Negative, si donaria dentur pro superstitiosis.

Ad 5. Detur decretum Congr. S. Officii habitae coram SSmo feria V die 13 nov. 1777, quod est huiusmodi: « Il Vicario Ap. del Regno di Siam propose il dubbio, se si possa permettere ai cristiani di dar fuoco all'artiglieria e sparar cannoni in segno di pubblica o comune allegrezza sull'entrar dell'anno nuovo, quando sogliono i Siamesi celebrar la festa del loro nume *Attana*. SSmus huic dubio respondendum esse decrevit: *Secundum ea quae proponuntur, non licere* ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 584].

4613.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 30 ian. 1787.

Se nel privilegio di consagrare i calici, le patene e gli altari portatili con l'olio benedetto dal Vescovo, dove non siano Vescovi, o siano distanti due giornate, o sia vacante la Sede, quella clausola *ubi non erunt Episcopi* s'intenda ancora *ubi non erunt Vicarii Apostolici;* e se i calici, patene ecc. consagrati da un semplice missionario apostolico, dove è il Vicario Ap. ordinario, siano validamente consagrati. E nel caso che si risponda sì, se possa il missionario apostolico ove vi sia il Vicario Ap. consagrar calici, patene, altari portatili, non solamente per sè e per la sua chiesa, ma ancora per qualunque altro sacerdote secolare o regolare, e per qualunque altra chiesa.

R. Quoad consecrationem sacrorum utensilium et altarium, licere iuxta Formulam IV[1] missionariis, quatenus ab Apostolica Sede opportunas facultates reportaverint; pro eorum tamen usu tantum, et non pro aliis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 585].

[1] In hac Formula facultatum quae Praefectis Mission. conceduntur, datur facultas: « Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel sedes vacet ».

4614.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 5 mart. 1787.

Decretum 26 augusti 1780[1] sustinendum, sed accommodandum locorum et temporum circumstantiis, ideoque servandum tantum esse in iis domibus quae ad missiones spectant, et in quibus stabiliter permanent duo vel tres missionarii regulares.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 587].

4615.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Sutchuen.), 5 mart. 1787.

1. Christianus recenter conversus cum secunda uxore quam, vivente prima, casu post nuptias in insaniam lapsa, tempore gentilitatis in matrimonium duxerat, nunc sacrum Baptismum postulans, simul petit ut ipsi liceat cum secunda uxore valide contrahere. Cum autem vivat adhuc prima eius uxor, eique cohabitet, atque propter insaniam qua perpetuo affligitur, monitio aut interpellatio fieri nequeat, quaeritur num dictus christianus dispensari possit ad effectum cum secunda uxore nubendi.

2. Gentiles sunt qui, exercendae mercaturae causa, proprium locum ad tempus deserunt ut se ad alias provincias conferant, in distantiam decem aut quindecim dierum itineris, et aliquando amplius, ibique alias uxores, primis viventibus, ducunt. Unus ex istis nuper ad fidem conversus est cum secunda uxore; tunc nuntium accipiens primam uxorem de eius conversione dolere, imo et ipsum hortari ne fidem amplecteretur, Baptismum postulavit, promittens se, contentum secunda, hanc primam absolute derelicturum, nec ad propria reducem ullo modo ei cohabitaturum. Votis annuit missionarius quidam sinensis, cui a Vicario Apostolico nullatenus concessa fuerat facultas dispensandi a monitione, ratusque in hac circumstantia nullum esse dubitandi locum, christianum hunc simul cum secunda uxore baptizavit, eosque ad renovationem consensus adactos solemni iunxit matrimonio. Postea christianus ille reversus, primam uxorem mutatam invenit, et omnimode dispositam ad amplectendam fidem. Quaeritur num in casu proposito validum sit matrimonium cum secunda uxore initum. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte, quod missionarius iste nullam facultatem habuerit dispensandi a monitione; ex altera vero parte reclamant plures missionarii, fatendo equidem in hoc casu matrimonium cum secunda uxore illicite celebratum fuisse, non vero ita certo invalide: tum quia, die 3 ian. 1777 a nobis interrogata S. C. de Prop. Fide, num matrimonia quaedam huiusmodi propter ignorantiam sine dispensatione celebrata, invalida forent, nihil respondit, licet ad alia responderit; tum

[1] Cf. N. 4582.

quia, teste s. m. Benedicto XIV, *De Synodo dioec.*, lib. 6, cap. 4, art. 3, et lib. 13, cap. 21, art. 6 plerique theologi asserunt iudicialem interpellationem licite omitti posse, quoties nullius utilitatis fore reputatur; hanc vero sententiam Summus Pontifex non respuit tanquam falsam, eamque solum non satis tutam in praxi declarat. In casu autem proposito inutilis ipsis visa est interpellatio, cum tunc clare constiterit de voluntate prioris uxoris.

R. Ad 1. Affirmative in casu de quo agitur.

Ad 2. Attentis circumstantiis in facto concurrentibus, coniuges, de quibus agitur, non esse inquietandos: sed caveant missionarii dispensationem ab interpellatione coniugis impertiri, si careant huiusmodi facultate.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 589].

4616.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. Sutchuen.), 5 mart. 1787.

Iam a paucis annis mos obtinuit inter gentiles huius partis, tempore siccitatis, solemni ritu pluviam deprecari ab idolo, quod pluviarum rectorem fingunt. Ritus porro est huiusmodi: Statuto tempore a pro-regis edicto, mandatur singulis qui intra civitatem apothecas aperiunt in anteriori parte domus quae publicam viam respicit, tabellam in honorem praetensi huius rectoris erigere ex flavi coloris papyro, quem quidem colorem non videntur adhibere nisi honoris causa, quatenus auri similitudinem et colorem magis referat, ipsoque in edictis condendis Imperator utatur. In huiusmodi autem tabella scribuntur characteres aliquot, quorum sensus est *Long-Vang* (nomen idoli) *enixe rogamus ut nobis pluviam emittat;* vel etiam alios characteres quibus praedictum idolum magnificant. Multi coram ipso accendunt candelas, thymiamata, aliosque odores comburunt. Cum autem valde urgeat mandatum pro-regis, et civitatis inferiores praefecti huc illuc discurrant ad examinandum num edictum executioni mandetur, magnas inter angustias deprehenduntur christiani. Unus ex ipsis ductus ad praefectum et interrogatus quare nollet obedire, respondit se christianum esse, nec idolo praedicto, quemadmodum et caeteris, ullo modo credere posse. Respondit praefectus: *Saltem Deo quem colis tibi credere licet. Quare illum non oras ut mittat pluviam?* Et fustibus caesum dimisit, mandans ut tabellam erigeret. Christianus iste timore correptus scripsit tabellam supra flavi coloris papyrum, ibique characteres exaravit desumptos ex oratione quam christiani in libris precum habent ad postulandam pluviam. Oratio manifeste dirigitur ad verum Deum *Tien-Tchou* qui in eadem nominatur. Sunt alii christiani qui utuntur tabella christianorum consueta, ubi haec leguntur: *Creator coeli, terrae, hominum, rerum, verus Dominus, Spiritus;* ac coram dicta nihil accendunt aut comburunt.

Quaeritur num, ad vitandam plurimorum apostasiam, tolerari possit iste usus, aut saltem num inquietandi forent christiani si huiusmodi characteres christianos exararent supra papyrum diversi coloris ab eo quo utuntur gentiles in huiusmodi caeremoniis, ita ut christianorum tabellae differentia hoc modo facilius a gentilibus deprehendatur.

R. Licere, dummodo tabella a christianis erigenda vero Deo dirigatur, et christianis precibus inscripta sit, et, omni etiam coloris superstitione remota, ita a tabellis gentilium appareat distincta ut nullo modo cum illis confundi possit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 590].

4617.

S. C. de Prop. Fide, decr. 19 sept. 1787.

Referente Emo et Rmo D. Card. Antonelli Praefecto, quod licet omnibus fere casibus per Sanctam hanc Sedem provisum esse videretur, ut decedentibus Episcopis aut Vicariis Apostolicis, alter adesset, qui spiritualem gregis administrationem legitime susciperet, interdum tamen acciderit omnes hasce curas propter subrogatorum obitum in irritum cessisse, Emi Patres, ut huic incommodo plenius et stabilius pro futuris temporibus provideatur, decernendum censuerunt (in Congr. 5 martii) quod liceat in posterum Episcopis et Vicariis Apostolicis Indiarum et Sinarum, non modo unum designare vicarium iuxta Breve s. m. Benedicti XIV, quod incipit *Ex sublimi,*[1] vel etiam alterum, iuxta Decretum anno superiore ab hac S. C. editum,[2] qui non simul et cumulative, sed prius qui prior fuit nominatus, et in eius defectu alter, debeat, vel in casu absentiae, vel in casu obitus Episcopi aut Vicarii Apostolici sine Coadiutore ab Apostolica Sede sibi deputato, Vicariatus aut Episcopatus administrationem suscipere; verum etiam, si forte contingat Episcopos, aut Vicarios Apostolicos nemine in praedictis casibus nominasse, vel, etiam si nominaverint, utrosque decessisse, neque ab his quempiam in eorum locum subrogatum fuisse, ita ut nemo sit qui Episcopatus aut Vicariatus administrationem in spiritualibus et temporalibus gerere possit: tum senior in Missione, is videlicet qui ex Europa prior in provinciam ingressus fuerit, et longiori tempore animarum ministerio fuerit mancipatus, censeatur delegatus ab Apostolica Sede ad suscipiendam Vicariatus aut Episcopatus administrationem cum omnibus facultatibus ordinariis atque extraordinariis Episcopo competentibus, exceptis iis quae sunt Ordinis Episcopalis, usque dum Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro Pio PP. VI relatam per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium in Audientia habita die 11 mensis (martii) et anni praedicti Sanctitas Sua in omnibus approbavit et seniori missionario omnimodas facultates in casu, ut supra, benigne concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 591].

[1] Cf. N. 423.
[2] Cf. N. 4611.

4618.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 21 ian. 1788.

1. Se sia plausibile che ai bambini vengano amministrate le acque battesimali da chicchessia (nell'assenza dei missionari) ancorchè non facciano temere della loro vita, atteso il pericolo a cui rimangono esposti nell'essere tenuti nel letto coi loro genitori.

2. Se il danaro che dai sacerdoti degl'idoli che si convertono, vien sottratto (nell'abbandonare i templi pagani) per valersi del medesimo a procurarsi l'esistenza, abbia la qualità ed il carettere di cosa furtiva.

Ad 1. Affirmative, et laudandum.

Ad 2. Secundum ea quae proponuntur, non licere, nihil enim profertur quod noxam furti excusare possit in casu de quo agitur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 593].

4619.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad N. Mission. in Syria), 23 febr. 1788.

Ha ben recato maraviglia che V. S. alle istanze del Console inglese di Aleppo siasi indotto a permettergli di battezzare la prole che nascerebbe dalla moglie di lui, dovendo essere a Lei ben noto che non è lecito ai cattolici di battezzare i figli degli eretici, quando i medesimi non si offrono formalmente alla cattolica religione, nel qual caso spetta al legittimo parroco, e non ad altri il diritto di battezzare la prole suddetta secondo il nostro rito, di farla tenere al sacro fonte da patrino e matrina cattolici, e di potergli fare a suo tempo il catechismo cattolico; mentre come può assicurarsi che, cresciuta la prole, sarà Ella a portata di istruirla, o che la medesima seguirà veramente la religione nella quale fu battezzata? Sarà dunque suo debito di non ingerirsi affatto in tale battesimo, venendole ciò apertamente vietato dalle canoniche disposizioni.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 576].

4620.

S. C. de Prop. Fide (Coromandel), 21 apr. 1788.

Se si abbia a permettere e con quali cautele di contrarre nuovo matrimonio a quei mariti che dopo 10 o 14 anni non abbian potuto aver notizia della propria moglie.

R. Cuiuscumque temporis lapsum non sufficere ut coniugibus liceat novas inire nuptias nisi prius constiterit morali certitudine priorem coniugem obiisse, prout ex cap. *In praesentia*, 19, *De sponsalibus*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 595].

4621.

S. C. de Prop. Fide, 21 iun. 1788.

Episcopus Pekinen. et Vic. Ap. Chan-si moneantur ne penicillum adhiberi sinant in Extrema Unctione peragenda, et, si abusus iste inoleverit, sensim evellere studeant. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 596].

4622.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Coadiut. Superior. Mission. in ora Coromandel), 5 iul. 1788.

Mos inter ethnicos vigens, ut uxore defuncta illius sorori nubant, ab Ecclesiae legibus longe abhorret, adeoque fideles perperam putant, assequi se posse super huiusmodi impedimento ab Episcopo S. Thomae dispensationem. Cum tamen plures esse nunciaveris, qui cum defunctae uxoris sorore matrimonia inierunt, SS. D. N. Pius PP. VI, aeternae illorum saluti prospicere cupiens, Apostolica benignitate huiusmodi matrimonia validavit. Distinguendum vero voluit circa modum. Si enim coniuges, de quibus agitur, sub praetextu obtentae dispensationis, quamvis nulliter concessae, quam ipsi tamen validam et ratam censent, idcirco vivunt in bona fide, sanatis a SS. D. N. in radice illorum matrimoniis, inquietandi non erunt. Si autem sunt in mala fide, Sanctitas Sua cum iis benigne dispensat super impedimento primi affinitatis gradus, eorum matrimonia revalidans, prolemque susceptam ex iis legitimam decernens, renovato

[1] Quid in casu infirmorum peste infectorum? Afferri potest decr. S. Officii 11 iulii 1754 tenoris seq.: « *Algeriae*. 1. Utrum grassante peste Ssmum Eucharistiae Sacramentum administrari possit lue infectis non immediate manuum porrectione, sed oblonga aliqua virga in cuius extremitate adsit lunecula aurata ex argento quae, post infusam in os infirmi particulam, igne purificetur.

« 2. Utrum infirmis peste detentis administrari possit Extrema Unctio media aliqua virga, in cuius extremitate adsit modicum bombicis.

« 3. Utrum hoc Sacramentum, peste grassante, licite et absque scrupulo omitti valeat.

« 4. Utrum, in hypothesi quod non possit omitti, administrari valeat per unicam unctionem; an vero de necessitate perficiendae sint singulae illae unctiones quae in Rituali Romano praescribuntur.

« R. Sua Santità si degnò ordinare che in risposta si raccomandasse alla vigilanza e zelo del Vic. Ap. il procurare con tutto lo studio l'amministrazione della SS. Eucaristia e della Estrema Unzione, anche in tempo di peste, perchè quei miseri appestati nelle estreme loro angustie non restino privi di sì grande aiuto e conforto per la salute delle loro anime, e che circa il modo di amministrarli potranno i missionari regolarsi nelle maniere ed usi altre volte praticatisi nelle occasioni di peste, in quei paesi tanto frequente, purchè si faccia con la dovuta decenza, e si cerchi scansare ogni inconveniente che potesse in qualsivoglia modo esporre alla irriverenza un'azione sì sacrosanta ». — Cf. N. 805.

tamen reciproco consensu coram parocho et testibus, iuxta formam Concilii Tridentini.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1232].

4623.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Coadiut. Superior. Mission. in ora Coromandel), 5 iul. 1788.

Ut doceare modum, quo te gerere debeas in nonnullis casibus, qui passim obtingere isthic solent, plura huic S. Congr., tam litteris diei 6 octobris 1784, quam posterioribus, proposuisti dubia. Postulabas imprimis, quid decernendum sit de iis christianis coniugibus, qui aliam duxerunt uxorem, postquam prima uxor nupsit infideli. Ad hoc S. C. respondit matrimonia mulierum christianarum cum ethnicis, de quibus agitur, esse nulla, tum propter impedimentum ligaminis, tum propter alterum disparitatis cultus, easque idcirco non esse admittendas ad Sacramenta, nisi ab huiusmodi matrimoniis recedant, et quatenus possint, ad suos viros revertantur. Nulla item esse matrimonia virorum, qui, prima vivente uxore, quamvis alteri nupta sit, aliam duxerunt, ideoque pari modo esse a Sacramentis arcendos.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1287].

4624.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 21 ian. 1789.

An permittendum sit ut in casu necessitatis Baptismus conferatur aqua expressa ab aliquo panno lineo aut spongia etc.

R. Transmittatur Instructio S. Officii feria V, die 8 nov. 1770.[2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 597].

4625.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 21 ian. 1789.

1. An extra casum urgentis necessitatis, seu extra periculum imminens licite possit sacerdos simpliciter abluere infantes vel adultos, omissis omnibus Baptismi caeremoniis.

2. An id saltem permitti possit sacerdoti suspenso, vel etiam interdicto, ac tantum approbato pro decumbentibus et aegrotis.

3. An in locis ubi non est ecclesia seu oratorium commune liceat sacerdoti solemniter, idest, adhibitis omnibus caeremoniis in Rituali

[1] Sess. 24, *de ref. matr.*, c. 1.
[2] Cf. N. 830.

Rom. praescriptis baptizare liberos christianorum in eorum domibus privatis.

4. An id pariter illi liceat ubi quidem est ecclesia aut domus orationis, sed ista distant, et ad eam infantes suos deferre nolint parentes ne quid ipsis ex aeris intemperie accidat mali, quod supra modum reformidant annamitae.

5. Utrum possit et debeat permitti quod missionarii catechista, vel alius quispiam laicus, infantes vice sui in domibus privatis aquis baptismalibus abluat? Parum enim admodum videtur decere id genus ministerium usurpari ab homine profano seu laico, existente in loco sacerdote.

R. Ad 1. Non posse. Verumtamen non solum imminens periculum mortis esse posse causam legitimam omittendi solemnitates Baptismi, verum etiam aliam quamcumque rationabilem et gravem quae impediat earumdem solemnitatum administrationem, ut ex. gr. si tempus omnino deficiat, si instet periculum a paganis, si sacerdos non habeat neque commode habere possit oleum catechumenorum, sacrum Chrisma, sal benedictum aliaque necessaria pro perficiendis iisdem solemnitatibus. In his autem casibus monendum esse missionarium quod si non omnes, sed solum aliquas caeremonias Baptismi adhibere possit, eas adhibeat; ac deinde cum tempus et occasio opportuna adfuerit, easdem caeremonias, vel omnes vel quas omisit, in ecclesia vel oratorio supplere teneatur.

Ad 2. Sacerdotem suspensum et interdictum nullo unquam tempore administrare posse Baptismum cum solemnitatibus, sed, quando propter necessitatem debeat baptizare, baptizet private.

Ad 3. Non solum licere, sed debere.

Ad 4. Ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debet missionarius ut parentes ab hac sua irrationabili contradictione recedant. Quod si suis persuasionibus et monitis nihil proficiat, tunc sibi persuadere poterit rem esse deductam ad casum necessitatis; impossibile enim erit hos infantes baptizare, repugnantibus parentibus in quorum sunt potestate. Proinde tunc licitum erit iis infantibus Baptismum conferre extra Ecclesiam et in privatis domibus, vel ubi a parentibus permissum erit, omissis sacris ritibus et caeremoniis animo tamen ea supplendi in Ecclesia quamprimum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur quod parentes infantium neque decursu temporis infantes suos ad Ecclesiam pro supplendis caeremoniis deferri permittant, tunc satius erit ut in ipsis privatis domibus ritus et caeremoniae per Rituale Romanum praescriptae in actu collationis Baptismi adhibeantur. Potius enim erit ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit maiorem erga hoc Sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi Baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis quae ex adhibitis super eos sacris caeremoniis ab Ecclesia institutis in ipsos derivantur.

Ad 5. Servandum esse ordinem in Rituali Romano praescriptum, tit. de Ministro Baptismi, ibi: *Sed si adsit* etc.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 598].

4626.

S. C. de Prop. Fide (Paros), 12 mart. 1789.

1. Se sia lecito ai cattolici entrar per padrini nel battesimo dei greci scismatici, e per compari nel matrimonio.

2. Se sia lecito ai cattolici dare elemosine di messe ai preti scismatici.

3. Se sia lecito ai cattolici portar l'effigie, che hanno nelle loro case, di Maria Vergine e di altri santi, nelle chiese scismatiche, occorrendo la rispettiva festa di quei santi; arder delle lampade nelle loro chiese, farvi orazione, assistere per curiosità alle loro funzioni, andar con essi in processione, eccetto la processione che si fa in occorrenza del funerale di alcun defunto.

4. Se sia lecito, avendo qualche cattolico genitori scismatici, di far l'esequie loro di tutto l'anno, arder secondo l'uso de' greci le lampade alla chiesa greca ecc.

R. Non licere in omnibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 600].

4627.

S. C. de Prop. Fide, regulae (pro Sacerd. Coptis), 15 mart. 1790.

I. Sacerdotes omnes tam saeculares, quam regulares ritus coptici teneantur subesse Vicario Apostolico eiusdem nationis ab Apostolica Sede deputato, eius mandatis pareant, eumdemque, uti eorum superiorem venerentur et colant.

IV. Sacerdotes copti Missam celebrare debeant in ecclesia PP. Reformatorum Cayri, unus post alium, idque praesertim observetur in diebus Dominicis, vel festis diebus, in quibus magna esse solet populi frequentia, ut fideles sacrosancto Missae sacrificio interesse commode possint. Quamobrem maxime opportunum erit, si singuli sacerdotes inter se conveniant, distribuantque vicissim horas celebrandarum Missarum, iuxta cuiusque ordinem, ac aetatem, ne matutinis horis ecclesia debitis fraudetur obsequiis. Vicarius autem Apostolicus in urbe Cayri, parochi vero, et pastores animarum in oratoriis superioris Aegypti, vel ipsi per se, vel si fuerint legitime impediti, aliorum sacerdotum opera, aut ante, aut post Missae celebrationem, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut vitam aeternam consequi valeant. Pomeridianis autem horis sacram catechesim populum doceant, aliisque piis exercitationibus occupatum detineant, ne ad ludicra, aut profana dilabatur.

V. Iisdem diebus festis omnes confessarii incumbant cum omni studio audiendis confessionibus, ne inopia, aut incuria confessariorum priventur fideles fructibus tanti sacramenti.

VI. Numquam licebit sacerdotibus coptis e civitate Cayri, vel etiam per unum diem discedere, absque licentia Vicarii Apostolici.

VIII. Vicarius Apostolicus, et missionis Praefectus totis viribus enitantur ut in celebrando sacrosancto Missae sacrificio, atque in administratione sacramentorum ab omnibus sacerdotibus coptis serventur omnino ritus, ac caerimoniae praescriptae in Missali, atque euchologio coptico edito typis S. Congregationis, ac nemini liceat quidquam immutare, addere, vel minuere, cum omnis discrepantia in celebratione mysteriorum Dei, non solum vetita sit a sacris ecclesiae canonibus, verum etiam indecora, ac catholicae religioni noxia plerumque comperiatur. Qui vero deliquerint, ritumque praescriptum quocumque modo variaverint, severioribus poenis coerceantur.

IX. Sacerdotes copti celebrare debeant divina mysteria capite penitus detecto, iuxta decreta huius S. Congregationis annorum 1760, et 1767, excepta gravi valetudinis necessitate, quo in casu ad Apostolicam Sedem recurrant pro dispensatione, iuxta decretum diei 21 aprilis anni 1788.

X. In privatis domibus Cayri, quantumvis privilegio oratorii ab Apostolica Sede decoratis, nemini ex sacerdotibus coptis Missam celebrare liceat nisi de licentia Vicarii Apostolici coptorum, ne publica ecclesia debito cultu privetur, et fideles ab audiendo in ea sacrosancto Missae sacrificio retrahantur.

XI. Caveant sacerdotes copti, ne in administratione Baptismi eos patrinos adhibeant, qui catholicae fidei mysteria omnino ignorant, eosque praeterea instruant de impedimento cognationis spiritualis, quod contrahunt inter baptizatum et illius patrem et matrem: ac praeterea unus tantum sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de fonte suscipiant. Patrinorum autem nomina in baptizatorum libro parochi describant.

XII. Parochi omnes tam in superiori Aegypto, quam Cayri commorantes, teneantur librum habere tam baptizatorum, quam matrimoniorum, mortuorum, et reconciliatorum, iuxta praescriptum in Rituali Romano, ipsumque apud se retinere, aut alio securiori loco reponere, et in casu transgressionis puniantur a Vicario Apostolico.

XIII. Vetitum omnino sit sacerdotibus coptis sacramentum Confirmationis conferre iis, qui a latinis baptizati fuerunt, cum huiusmodi peculiaris, ac extraordinaria potestas Praefecto dumtaxat missionum Aegypti concessa quandoque fuerit, donec aliquis catholicus Episcopus in Aegypto habeatur.

XIV. In eiusdem Sacramenti administratione, sacerdotes copti minime omittant unctionem frontis confirmandi, loco et tempore ab euchologio copto praescripto. Puniatur sacerdos a Vicario Apostolico, si contra fecerit.

XV. Ad evitanda dissidia, et perturbationes, quae in futuro excitari possunt caussa matrimoniorum, si forte oriatur dubium, ea fuisse in gradu prohibito inita, iniungitur omnibus, et singulis sacerdotibus coptis, ne

ad matrimonii celebrationem deveniant, nisi prius facultate in scriptis a legitimo superiore obtenta, quae in archivio cuiuscumque hospitii pro maiori custodia servetur. Superiores autem, vel denunciationibus praemissis, vel alio quo fieri possit aptiori modo, priusquam ineundi matrimonii veniam concedant, diligentissime inquirant, num aliquod subsit dirimens impedimentum.

XVI. Quoad communicationem in divinis cum haereticis, serventur omnino ea omnia, quae praescripta sunt in instructione huius Sacrae Congregationis latine et arabice edita, cuius nonnulla exemplaria transmittuntur ut sacerdotes copti probe calleant ea, quae circa eamdem communionem sunt omnino vitanda.

XIX. In reconciliandis haereticis ad fidem catholicam, sacerdos auctoritate munitus prius eum probe instruat in his, quae ad fidem orthodoxam pertinent, eiusque constantiam, et sinceram voluntatem in amplectenda catholica religione diligenter exploret. Deinde illum admittat ad professionem fidei coram saltem duobus, vel tribus testibus in ecclesia, vel in domo, abiurando haeresim, aut schisma; ac demum absolutionem illi impertiatur, in foro tantum externo propter haeresim, aut apostasiam, aut schisma, uti praescritpum est in professione fidei orthodoxae edita iussu SSmi Domini nostri Urbani Papae VIII.[1] Praeterea nomen, oppidumque personae, eiusque abiuratio scribatur in libro reconciliatorum. Tempore autem opportuno recipiatur ad participationem sacramentorum, facta prius sacramentali confessione omnium peccatorum, et non alias, excepto mortis periculo.

XX. Serventur demum sanctorum Patrum regulae, Conciliorum decreta, et omnes constitutiones Sedis Apostolicae pro orientalis ecclesiae disciplina recte ordinanda editae, et praesertim instructiones pastorales SSmi Domini Nostri Benedicti PP. XIV: *Eo quamvis tempore*,[2] et *Anno vertente*[3] ad coptos transmissae, nec non decreta S. Congregationis de Propaganda Fide pro eiusdem nationis spirituali regimine emanata.

Caeterum meminerint sacerdotes, aliique, qui in aliquo ecclesiastico gradu constituti sunt, quod nihil est, quod magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Quae quidem si ab omnibus sacerdotibus Christi inter catholicas nationes constitutis sectari oportet, quanto magis ab iis, qui inter eas gentes versantur, quae sunt christiani nominis hostes infensissimi? Magnum sane negotium, ac grave onus impositum iis est, qui, quemadmodum Apostolus Paulus, non modo fidelibus

[1] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 227-232.
[2] Cf. N. 357.
[3] Cf. N. 407.

debitores sunt, sed etiam infidelibus, a quibus vel crudeliter vexantur, vel turpiter calumniantur. Habent tamen sacerdotes copti praeclarissimos olim alexandrinae ecclesiae antistites, habent veteres praepositos suos, qui ipsis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitentur fidem (ad Hebr., c. XIII, 7). Longum est ire per singulos: unus pro omnibus sufficiat *beatae recordationis Athanasii alexandrinae ecclesiae prudentissimi sacerdotis exemplum*, de quo sic S. Caelestinus Papa I, ad clerum constantinopolitanum scripsit (Concil. Ephesin, par. I, apud Harduin, tom. I, Concil., pag. 1311): *Cui non consolationi sit illius tolerantia? Cui non sit exemplo eius fortitudo, vel constantia? Eiicitur Arrio prosequente, sed revocatur Domino protegente. Passus est carcerem, passus angustias; nec mirum si vir apostolicus ea passus est, quibus se Apostolus gloriatur exercitatum. In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur. Fugatus illinc, et in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, et in hac Sede quietem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur.* Eadem spe inter eas, in quibus versantur, angustias, sacerdotes, atque universa coptitarum natio sese mutuo consolentur: numquam ipsis deerit Dei omnipotentis auxilium, numquam huius S. Apostolicae Sedis patrocinium, quae strenuos fidei catholicae defensores sua auctoritate fulcire, omnique ope solari in universa Christi ecclesia, ipso Christi Domini ad B. Petrum excitata praecepto *confirma fratres tuos* semper in more habuit.

Has autem regulas SSmo D. N. Pio Pp. VI relatas in audientia habita per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Antonelli S. Congreg. Praefectum die 18 martii 1790, Sanctitas Sua in omnibus adprobavit, eisque apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 601].

4628.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Miden.), 26 iun. 1790.

Quoad quinque postulata a te proposita, quae summatim ad hoc reducuntur, ut docearis quomodo te gerere debeas cum apostatis a catholica fide, qui in Ecclesiae gremium reverti postulant, atque id quidem non publice, sed secreto, ne bona temporalia per apostasiam acquisita, aut alia, quibus antea potiebantur, amittant: equidem constans ac perpetua Ecclesiae doctrina fuit, quod publici a fide apostatae nunquam in eiusmodi Ecclesiae sinum recipiantur nisi prius manifestis poenitentiae indiciis scandalum reparaverint, quod fratribus praebuerunt. Neque enim temporalia bona tanti habenda sunt, ut pro iis retinendis haeresis professio, licet apparens et ficta, tolerari ullo modo possit. Quare Emi Patres in sententia fuerunt, ut apostatae, qui occulte tantum ad catholicam communionem admitti postulant, omnino reiici debeant, nisi prius omnia munera et bona dimiserint, quae retineri non possunt nisi ab haereticis, quaeque iis collata sunt intuitu eorumdem apostasiae ita ut, si ea bona ac munera sibi retinerent,

in communi hominum aestimatione tacitam haeresis professionem praeseferrent. Neque ab hoc praestando eos excusare potest metus amittendi bona temporalia, licet hisce bonis omnino indigeant ad suam suarumque familiarum substentationem. Etenim quum huiusmodi reditus implicitam haeresis professionem inducant, omnino abiiciendi sunt, ut scandalum reparetur quod Ecclesiae ob apostasiam praebuerunt, praestatque eos pauperes evadere cum Christo, et salvos fieri, quam divites esse cum aeterna eorum damnatione.

Neque eos excusat periculum, quod per publicam catholicae fidei professionem, abdicatisque iis muneribus ac bonis, quibus non nisi propter haeresim fruebantur, ipsorum filii in haeresi educentur, illecti fortasse ut in parentum bona succedant. Primum enim non adeo facile est ut id accidat ob libertatem a Gubernio catholicae religioni concessam: deinde, quocumque in casu, quantum in se est, omnino curare tenentur, ut etiam filii catholicam religionem sequantur: et quando id obtinere minime possint, non sibi culpae adscribendum erit, si filii aeternam salutem amittant. Ex hisce rationibus plane evincitur, nullum apostatam ad Ecclesiae sinum admitti posse, qui occulte quidem catholicam religionem profiteri velit, publice autem haeresim, idque ob fines temporales et mundanos.

Quod vero attinet ad ultimum postulatum, an scilicet, pro reparando scandalo apostasiae sufficiat abiurationem emittere coram quatuor aut sex testibus, cum animo scandalum etiam publice reparandi, quatenus circumstantiae non obstarent, S. Congregatio censet quod quando apostatae, iuxta principia praemissa, renuntiaverint omnibus bonis et utilitatibus temporalibus, quae esse solent indicia protestativa haeresis, quum ab solis haereticis possideri possint, et quando parati sint procurare educationem prolis in fide catholica, quantum ab se dependet, et quatenus demum observare velint Ecclesiae praecepta in iis omnibus circumstantiis in quibus eorum violatio haeresis simulationem indicaret, aut scandalum praeberet fidelibus, in hoc casu satis erit quod formalis abiuratio fiat coram Episcopo, et in praesentia quatuor, quinque, aut plurium testium, iudicio ipsius Episcopi. Non enim necessarium videtur quod publice fiat, aut maiori cum solemnitate, quae in Hibernia fortasse gravia religioni detrimenta afferre posset.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 602].

4629.

S. C. de Prop. Fide (C. G.-Scodrae), 22 nov. 1790.

1. Molti che contraggono gli sponsali, resiliggono poi da simili contratti non effettuandoli col matrimonio. Non volendosi questi tali ridurre a dovere ad onta di scomuniche ed altri rigori della chiesa, si domanda qual termine di tempo può prescriversi per tenerli esclusi dalla partecipazione dei fedeli.

2. Più volte le donne restando vedove passano immediatamente a

seconde nozze: dal che non di rado succede qualche disordine; si domanda se alle medesime può essere accordato il permesso di passare a seconde nozze subito che restano vedove, oppure se debba prescriversi qualche termine di giorni.

3. *Sub crepidine vel suppedaneo* degli altari di questi paesi non si è fatto mai scrupolo, nè si fa, di seppellire i morti, con specialità i Vescovi e sacerdoti. Si domanda che cosa debba farsi con quelle ossa de' morti che esistono in tali luoghi, perchè a disotterrarle è cosa difficilissima, non essendovi qui quei commodi che sono nelle parti della cristianità; e che cosa dee farsi con simili altari.

R. Ad 1. Caute procedendum esse in infligenda excommunicatione, et mulieres praesertim a sponsalibus recedentes numquam excommunicandas, iuxta Decretalem Lucii III in cap. *Requisiti*, *De sponsal.*; et si quandoque et ex gravi causa sunt viri excommunicandi, post annum esse absolvendos.

Ad 2. Nullum tempus praefigendum.

Ad 3. Quoad praeteritum nihil esse innovandum: quoad futurum curandum ne amplius ibidem sepeliantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 603].

4630.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 7 febr. 1791.

Quid sentiendum sit de formula inferius scripta quam frequentissime afferunt christiani praefectis, scriptum emendationis exigentibus, quando, finita persecutione, ad propria dimittuntur: *Ego vere christianus sum, et promitto quod, ad propriam domum reversus, muneri meo absque ullo crimine incumbam, neque umquam perversam religionem sectabor.* Quaeritur num formula haec saltem tolerari possit: pauci enim inter christianos (erunt) qui in actuali circumstantia audebunt scribere se in posterum adhuc christianos futuros, licet sat ordinarie coram praefectis ore id praedicent: quia tunc praefectus formulam hanc, quam debet in archiviis sui praetorii servare, procul dubio non acceptaret, christianosque in carceres diutissime restitueret cum periculo apostasiae.

R. Non licere, et formulam esse reprobandam, palamque, si interrogati fuerint ab habentibus potestatem, se christianos esse, et in religione christiana usque ad mortem perseveraturos profiteri omnino tenentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 604].

4631.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Hiberniae), 25 iun. 1791.

Haec S. C. cuius vos estis *gaudium et corona*, quosque in oculis habet, ac singulari charitate complectitur, observantiam momentosiorum disciplinae capitum vobis commendandam suscepit, quae ab Episcopis absque

gravissimo animarum detrimento, quae eorum curae concreditae sunt, praetermitti non possunt.

Ac primo quod spectat ad Matrimonii sacramentum, enixe commendat ut quod in cap. 1, Sess. 24, *de reform. matr.* a sacrosancto Concilio Tridentino providentissime praescriptum fuit, fideliter adimpleatur. Haud semel nobis nuntiatum est, apud parochos nequaquam adservari libros ubi matrimoniorum, quae rite celebrata sunt, et baptismorum a se collatorum numerus diligenter adnotari debet. Quapropter in usum revocanda sunt saluberrima eiusdem Concilii monita, quod in Capite superius memorato ita praescribit: « Habeat parochus librum in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodit ». Itemque in Cap. II: « Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat ». Quin imo peropportunum videretur si iidem parochi ipsas quoque dispensationes matrimoniales in eodem libro exacte recenserent. Item rumor quidam ad nos usque percrebuit, matrimoniorum denunciationes omnino negligi, quae ob nimiam Episcoporum indulgentiam in iis dispensandis, absque parochorum interventu clanculum celebrari solent. Id etiam Tridentini legibus aperte adversatur, quod in eadem Sess. 24, *de ref. matr.* sic habet: *Idcirco S. Concilii Lateranen., sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhaerendo praecipit* (sancta Synodus), *ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* Quod si Episcopi interdum gravi urgente causa satius ducerent ab iisdem denunciationibus dispensare, tunc normam ac regulas a Benedicto XIV praescriptas in Const. 35, tom. I sui Bullarii omnino sequi debent. [1]

[1] In Const. seu Litt. encycl. Bened. XIV, 17 nov. 1741 ad omnes Episcopos haec habentur: « ... Periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura vobis a Concilio Trid. exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse si praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho et duobus testibus praesentibus, matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas, non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus; quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere. — Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi ne, post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur. A sacro Nostrae Poenitentiariae tribunali, eo potissimum casu fit potestas ata celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes,

Alterum vero gravissimum disciplinae caput quod praecipue in populorum sanctificationem redundat, est optima, quoad fieri potest, parochorum electio, qui haud impares ad tanti muneris onera sustinenda vires habere demonstrent. Pluries huiusce S. C. decretis iussum est ut ad paroecias obtinendas concursus adhibeatur, iuxta monita Concilii Tridentini in Sess. 24, *de ref.*, cap. 4. Et si singulae formilitates a Concilio Tridentino praescriptae pro concursuum celebratione observari minime possent, tunc ea saltem cura quatuor Metropolitanis incumbit, ut altera communi consilio statuatur ratio ab Episcopis ineunda pro paroeciarum collatione, quae eorum prudentiae, ac vigilantiae magis accommodata videbitur. Sic enim agi sapientissime voluit idem Concilium quod quum praevideret formam ab se pro memoratis concursibus praescriptam aliqua de causa teneri non posse, alteram viam ineundam demonstravit in § *Si tamen* eiusdem loci.

Quapropter saluberrimis hisce monitis insistentes, haec saltem sanctissime iubete, ne paroeciae plus semestri spatio viduae relinquantur; ne ab Episcopis conferri possint, praeterquam iis qui fuerint ab examinatoribus rite adprobati; utque ex iis, qui examen subierunt, is semper praeferatur, qui maiori pietate, prudentia, ac religionis amplificandae studio instructus, diuturniorem animarum curae experientiam adeptus est.

Quod si fortasse examinatores synodales alicubi deessent, tunc eorum supplemento, quotannis viros morum probitate, ac scientia spectatos quilibet Episcopus destinare posset, accedente Capituli adprobatione, ubi adsit: ubi vero desit, parochorum aetate provectiorum consensu.

Hoc idem examen praemitti quoque necesse esset pro illarum paroeciarum collatione, quae ab Apostolica Sede conferuntur, etiamsi propter resignationem, aut coadiutorem collatae sint. [1]

et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent; facile enim quisque coniiciet quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint in quibus dispensari expedist, sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus quos intimo cordis moerore recensuimus. Hunc porro in scopum vos hortamur et impense admonemus ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio: an scilicet eius qualitatis, gradus et conditionis sint quae id probe exposcant; an sint sui vel alieni iuris; an filiifamilias quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae; ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum facilem praeberi filio inobedientiae occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus Ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes certa et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum etc. ». — Cf. N. 319.

[1] In Synodo Plenaria Hiberniae an. 1865 in Decreto XXI haec habentur. « Qui ad ecclesiarum parochialium curam sunt promovendi tales esse debent qui idonei sint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Maximi momenti est ut parochi hisce omnibus dotibus praediti eligantur, atque ad id

Haec autem monita vestrae maturitati ac prudentiae proponimus, ut ea diligenter excutiatis, ac, si quae regionum, ac temporum circumstantiis magis accommodata obversentur, eadem nobiscum communicare ne vereamini, ut universalis, et unisona, iure ac merito Paroecias conferendi forma tandem aliquando statuatur. Enim vero, ut idem Concilium loco citato egregie pronunciat, *expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari.*

Decet quoque, ut presbyteri saeculares in Paroeciarum collatione regularibus praeferantur; verumtamen cavete, quaesumus, ne vobis propterea falso suadeatis, presbyterorum saecularium virtute praeditorum defectu, paroecias regularibus nunquam esse in administrationem conferendas, donec Episcopis ibidem eosdem retinere lubitum erit. Plurimi enim refert, ut Episcopi, quamvis clerum saecularem eximia quadam charitate fovere, ac praediligere debeant, tamen Regulares contemptui nunquam habeant. Secus autem apud vos evenire, non sine magna admiratione rescivimus. Haec enim est praeiudicatae mentis opinio, quae pravis huiusce saeculi novitatibus indulget, a quo Regularibus universis tam saevum, asperumque indictum est bellum. Ecquis autem ignorat, quot, ac quanta beneficia ab Ordinibus Regularibus in Ecclesiam catholicam omni aevo sint derivata? Atqui audite in hanc rem aurea Concilii Tridentini verba (Sess. 25, *de Regularibus*, cap. 1). *Non ignorat Sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur.* Minime nos fugit, isthic locorum monasteria haberi non posse ea forma, iisque legibus constituta, quibus ubi catholica religio dominatur, vigent, ac florent. Scimus tamen quamplures isthic versari Regulares, diversa Instituta profitentes, qui eamdem nunc quoque utilitatem catholicae religioni praestare possint, quam anteactis temporibus feliciter praestiterunt, dummodo ea morum sanctitate vitam ducant, quae religiosam eorum professionem maxime deceat, talesque sint, quibus Episcopi divini verbi praedicationem, et Sacramentorum administrationem indulgere valeant, ut omnes, collatis viribus, ad animarum salutem procurandam amice conspirent. Mirum autem, quantum in hanc rem prodesse poterunt regulae ab immortali Pontifice Bened. XIV sapientissime praescriptae pro Missionibus Anglicanis, quarum observantia istius etiam Regni Missionibus perutilis esse poterit.

Satis compertum habet Sacra haec Congregatio, nihil unquam egregios Hiberniae Episcopos antiquius habuisse, *quam ut ab omni Ecclesiastico Ordine omnis avaritiae suspicio abesse debeat*, quemadmodum Concilium Tridentinum gravissime monet in cap. 1, Sess. 21, *de ref.* Nihilominus,

consequendum forma quaedam concursus a Conc. Tridentino est proposita. Verum cum per circumstantias huius regionis, concursus, quamvis optandus, vix introduci possit, Episcoporum hac in re diligentia et zelus est exercendus ut omni cura et prudentia in tam gravi negotio procedant, diligenterque caveant ne paroeciae conferantur nisi iis qui a synodalibus examinatoribus, si adsint, sin vero a theologis ab Episcopo delectis approbati fuerint, quique moribus ac scientia ceteris praestent ».

quum huiusmodi vitium in abditis animorum latebris apud ecclesiasticos facillime delitescat, quumque avaritia malorum omnium sit fons et origo, ac illius praesertim contemptus, quem ecclesiastici turpi lucro inhiantes apud saeculares sibi conflare solent sacri ministerii vituperio, idcirco vos enixe rogat in visceribus Dñi Nostri Iesu Christi ut non modo ab omnis quaestus cupiditate alienationis exemplum praebeatis, ac vel ipsam huiusce labis suspicionem a vobis quam longissime removeatis; verum etiam ut pravum huiusmodi vitium ab omnibus Sanctuarii ministris funditus evellere curetis, exacta Decretorum Concilii Tridentini observantia in cap. 1, Sess. 21, *de ref.*, in Sess. 22, *de observandis ac evitandis in celebratione Missae*, et in cap. 14, Sess. 24, *de ref.* Quocirca, ubi opus erit, opportunis monitis, atque decretis providete, ut omnes illico, siqui forte in animis ecclesiasticorum excitentur, indebiti quaestus igniculi restinguantur, atque Sacramentorum administratio, beneficia ecclesiastica, dispensationes matrimoniales, sacrorum celebratio omni careant avaritiae suspicione, ac caste sancteque peragantur.

Aequum tamen est, ut quilibet Episcopus a se administrandam retineat paroeciam unam, quam isthic *mensalem* appellant, ut ex eius proventu suum quisque sibi subsidium ad vitam sustentandam comparare valeat. Verum elapsis annis monuit S. Congr., ut in qualibet dioecesi huiusmodi paroeciis mensalibus constitutis, nunquam eas Episcopis resignare liceret, suorum successorum detrimento. Nunc autem hanc ipsam providentiam peculiari quatuor Metropolitanorum curae committit, ne deinceps Episcopi opus habeant Apostolicae Sedis veniam implorare, ut binas paroecias administrandas apud se retineant, id quod Tridentini praeceptis in cap. 17, Sess. 24, *de ref.*, aperte adversatur.

Illud autem summopere expetendum esset, ut collata Episcoporum ope, aliquo modo redituum tenuitas augeretur egentissimarum paroeciarum, quae parochis sufficientes eleemosynas ad vitam alendam minime subministrant. Huic incommodo facile occurrere fortasse possent, si pauperiorum inopiam sublevandam studerent ditiorum paroeciarum subsidiis, vel altera quacumque ratione, quae Episcoporum prudentiae aptior, atque opportunior videbitur.

Praeterea in Episcoporum mentem S. Congr. revocandum esse censet arctissimum residentiae debitum, de quo tam graviter, sapienterque decrevit idem Concilium Sess. 6, *de ref.*, cap. 1, 2; Sess. 21, cap. 3; Sess. 23, cap. 1; Sess. 24, cap. 12. Perspecta Hiberniae Praesulum pietas Sacram Congregationem in eam spem adducit, ut eorum singuli praecipuae huic sui muneris parti sancte ac fideliter perfungantur. Verumtamen si quis eorum diuturno temporis spatio, ac sine legitima causa a propria dioecesi abesse auderet, in id Metropolitani maxime incumbant, ut haec S. Concilii iussa exequantur: *Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes prout cuiusque*

maior, aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Quis autem ignorat, alterum haud levioris momenti debitum ad singulos Episcopos spectare, quod in suarum dioecesum perlustrationibus consistit, quodque tam sollicite ab eodem Concilio inculcatum in Sess. 24, cap. 3, *de ref.* Ceterum supervacaneae omnino redderentur, si licet saepius confectae, ut Concilium praescribit, ad eum praecipuum scopum ac finem non collimarent, quem prae oculis maxime habuit Concilium, ubi ait: *Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cetera ut locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Utinam singuli Episcopi maiori qua possent, frequentia, suas dioeceses percurrerent, caelesti spiritu, atque unico cleri populique mores reformandi studio permoti! Quot ac quanta christianae reipublicae emolumenta redundarent ex hoc usu, quo non tam passibus, quam alte impressis virtutum vestigiis, suas, qua late patent, dioeceses peragrarent, nemo non videt.

Quum vero Episcopi Hiberniae huiusmodi visitationum relationes ad Apostolicam Sedem singulis decenniis transmittere per organum huius S. Congregat., praestita iurisiurandi religione teneantur, eadem S. Congr. haud mediocriter commovetur, quod easdem a plerisque vestrum iamdiu desiderare patiatur. Admodum enim pauci sunt, Praesules, qui postremis hisce temporibus relationes *ad limina* nuncupatas, rite transmiserint. Porro, si recte sentiunt, huiusmodi usus ab Apostolica Sede institutus tantum abest, ut grave iisdem iugum imponere velit, quin imo suave quoddam vinculum dumtaxat inire cupit mutuae illius, ac iucundissimae communionis, qua Pastores universi cum centro catholicae Ecclesiae in unum debent coalescere et pulcherrimae illius membrorum convenientiae, quae sub uno capite unum corpus mirifice efforment. Sic enim multo facilius iis ex Apostolicae auctoritatis fonte promanant fructus, atque praesidia, quae pro ovium suarum salute possunt exposcere; quum viceversa Pastori universali Ecclesiae catholicae onus incumbat a Servatore nostro Apostolorum Principi, suisque successoribus praescriptum, pascendi non tam oves quam agnos, ac proprios fratres confirmandi, diligendi, sublevandi. Quid quod mutuum huiusmodi omnium Ecclesiarum cum prima Sede commercium, atque amica membrorum omnium cum capite coniunctio, Ecclesiae unitatem imprimis conservat; ideoque suum usque ab eiusdem Ecclesiae incunabulis ortum duxit? Nonne enim ab Episcopis in celeberrimo Concilio Sardicensi congregatis Iulio Pontifici scriptum fuit: *Hoc enim optimum, et valde congruentissimum esse videtur, si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes?*

Quae vero huiusmodi relationum de vestrarum Ecclesiarum statu forma esse debeat, minime ignoratis. Illud harum relationum caput praecipuum, quod maxime in votis habet haec S. Congr., est scholarum auctio, et iuven-

tutis institutio. Haud latet, propter temporum iniquitatem, ac longe aerumnosam conditionem vestram, Seminaria nequaquam erigi posse iuxta regulas Concilii Tridentini.[1] Cur tamen huic defectui suppleri non potest scholarum erectione, nonnullius Academiae institutione, ac sedula parochorum opera teneram adolescentium aetatem, quae sicut mollissima cera ad nostrum arbitrium formatur ac fingitur, fidei rudimentis imbuendi?

Et sane incensum adeo est S. Congregationis studium pro huiusmodi scholarum erectione, ut in hanc rem quotannis Archiepiscopo Dubliniensi scut. mille summam ex proprio aere libentissime subministret. Abunde satis perspecta eiusdem amplissimi Praesulis virtus dubitare non sinit de recta eiusdem summae in singulas dioeceses erogatione, atque usu ad normam decretorum S. huius Congregationis. Nihilominus pergratum haberet, si Episcopi in transmittendis relationibus indicabunt, quae sunt gymnasia eadem pecunia sustentata; ubi sint instituta; qui sint praeceptores; qui demum profectus a studiosa iuventute, Deo favente, retrahatur. Vix enim, aut ne vix quidem dici queat, quanta voluptate perfundi poterit S. Congr., si fructum a suis largitionibus perceptum valeat agnoscere. Ac profecto si asperis hisce temporibus, tot alias Missiones, Galliae subsidiis repente infelicissime orbatas, alere, ac sustentari coacta non esset, ad longe effusiores liberalitates novum inde sumere posset incitamentum.

Paroeciarum vero status, et nomina sapientiorum parochorum promerita, unum ex praecipuis relationum *ad limina* capitibus conflare deberent. Sic enim quotiescumque essent Ecclesiae suo viduatae Pastore, S. Congr. in antecessum probe nosceret viros episcopali munere digniores.

Porro haec habebat S. Congr. potiora ecclesiasticae disciplinae capita, quae Metropolitanis, ac cunctis Hiberniae Regni Episcopis pro suo munere commemoraret; ut quaecumque a veteri morum studiorumque ratione dilapsa, ad pristinam semitam revocanda sint, ac severioribus legibus vincienda videantur, ea statuere facilius, ac sancire possitis, quae ad Apostolici ministerii vestri rationem maxime conferant. Haec autem omnia non nova, neque ad severiorem disciplinam exacta, sed ex illius universalis Concilii decretis profecta sunt, quod postremis temporibus, tanto bonorum plausu, tantaque Ecclesiae utilitate omnes abusus extirpare curavit, qui sensim in rei Catholicae perniciem irrepserant.

Studium vero singulare, quo S. Congr. vehementissime flagrat, ut Hiberniae Ecclesiae florentiores, ac splendidiores in dies appareant, hanc epistolam conscribendam suasit ut Pastores ea caritate magis, magisque incitati, qua illos par est communi consilio, ac vigilanti cura pro Ecclesia excubare, flagrantius excitentur, cum ad ampliorem fructum ex illius bonis cum gaudio percipiendum, tum et ad mala deflenda ac detestanda, quae infelicissimis hisce temporibus graviora esse non posse, summopere dolemus atque ingemiscimus. Quapropter curate diligenter, ut damna eidem illata, maiori qua licet pensatione reparetis, catholicam fidem acriori studio amplificantes, bonorum religionem excitantes, malorum perfidiam reprimentes,

[1] Sess. 23, *de ref.*, c. 18.

omnibus rectam vivendi normam praebentes, ne adversarii nostri loquantur mala de nobis, quinimo, licet inviti, fateri cogantur, verum religionis spiritum, charitatem, mansuetudinem, ceterasque virtutes apud veros Ecclesiae catholicae cultores unice domicilium habere. Verum ad tantae rei finem assequendum, iterum ac tertio inculcabimus, nihil amplius valere posse, quam recta ecclesiasticorum vita et exemplum, in quos ceteri, tamquam in speculum intuentur. Ad hoc omnes conatus intendite, atque ea praesertim occasione, cum inter vos convenitis de negotiis provinciarum vestrarum tractaturi. Maxime enim oporteret, ut non praepropere, ac festinanter illos conventus ageretis, sed mature collatisque consiliis, atque etiam rogata sententia praecipuorum Episcoporum. Tunc opportunum foret rectae cleri institutioni consulere, revocare in memoriam quae saepius ab hac S. Congregatione sancita sunt, ea praesertim Epistola Encyclica ad omnes metropolitanos scripta die 20 augusti an. 1768, illaque parare remedia, quae abusibus, ac corruptelis resecandis apta videbuntur, zelum cum lenitate temperantes, ne per nimiam humilitatem subditorum vitia convalescant, neque per immoderantiam severitatis sacra Episcoporum potestas contemnatur. Tandem, ut aliquando huic epistolae, longiori fortasse, quam antea putabamus, finem imponamus saluberrimis Concilii Tridentini praeceptis, quibus eam incepimus, totamque respersimus, enixe rogamus vos, atque obtestamur, ut quidquid ab eo sapientissime praescriptum fuit circa vitam, exemplum, mores, singulasque ecclesiasticorum actiones, continenter prae oculis habeatis, atque animo penitus insculpatis. Itaque omnino mentibus vestris haereat grave illud ac plenum sapientiae monitum, quo Gregorius Magnus Numidae Antistites olim hortabatur ad pacem, ad Ecclesiae defensionem, ad sollicitudinem de proximorum animabus: *Quaeso ergo*, inquit, *vosmetipsos invicem alterna pace diligite in Christo, et haereticis vel inimicis Ecclesiae uno cordis intuitu obviate. De proximorum animabus estote solliciti, ad fidem quos valetis praedicatione caritatis, praetenso etiam terrore futuri iudicii, suadete: quoniam Pastores constituti estis, et Dominus gregum ab iis, quibus commisit, Pastoribus fructum multiplicati gregis expectat. Qui si proprii gregis augmentum, adhibito studio diligentiori, prospexerit, multiplicibus profecto vos caelestis regni muneribus decorabit.* Vota sunt haec nostra erga vos, Praesules amplissimi, ac dum verbis utentes SSmi Pontificis, fraternae dilectionis alloquium persolvimus, Deum enixe precamur, ut vos diutissime servet incolumes.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 605].

4632.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Pro-Vic. Ap. Tunkin. Occident.), a. 1792.

Te non latere arbitror quidquid per sacros Canones hac super re (de secundis nuptiis) sancitum est. Nam cap. 2, *De secundis nuptiis* quemlibet ad secundas nuptias transire vetitum est, nisi constet firma certitudine

quod ex hac vita migraverit eius coniux. In cap. *In praes., De sponsalibus*, iubetur ut nemo auctoritate Ecclesiae contrahere secundas nuptias possit donec certus nuntius recipiatur de morte prioris viri. Et iure quidem optimo: cum enim ex divina lege nexus coniugii non alia causa quam alterius coniugis morte dissolvatur, ita ut qui alterum duxerit, vivente coniuge primo, moechiae scelere coinquinetur, consequens est certum nuntium expectari debere de morte prioris coniugis, priusquam novae nuptiae permittantur. Neque sufficit rumor incertus, aut diuturna coniugis absentia, aut probabilia argumenta illum interiisse, sed vel testem omni exceptione maiorem adesse oportet, qui vidisse se mortuum priorem coniugem sacramenti religione confirmet, aut tales coniecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita plane esse morali quadam certitudine persuadeant. Allatae a vobis calamitates belli, famis, captivitatis, aliaeque huius generis, quae vastitatem regioni ac plurimis interitum attulerunt, non tanti ponderis sunt ut viris aut mulieribus, qui coniuges amiserunt, passim permitti possit novas nuptias appetere. Quamobrem, si qui iam nova coniugia contraxerunt, et quidem in bona fide, existimantes se per interitum coniugis a priori coniugii vinculo absolutos, relinquendi sunt in bona fide, quia bonae fidei possessor turbari a possessione non debet. Si eorum alter dubius et anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere. Si demum uterque mala fide contraxit, iam sunt omnino separandi. Cavendum praeterea et illud est, quod si fortasse contigerit priorem coniugem, quem mortuum putabant, adhuc in humanis existere, tunc secundae nuptiae sunt omnino irritandae, et, dimisso posteriori coniuge, ad priorem reverti unusquisque tenetur. Consuli hac de re potest S. Leo Magnus ad Nicetam Aquileiensem. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 606].

[1] In epistola S. Leonis Magni ad Nicetam Episcopum Aquileiensem haec habentur: «Cum per bellicam cladem et per gravissimos hostilitatis incursus quaedam dicatis divisa esse coniugia, ut, abductis in captivitatem viris, feminae eorum remanserint destitutae, quae, cum viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam a dominatione crederent liberandos, ad aliorum coniugium, solitudine cogente, transierint. Cumque nunc, statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur perisse, remeaverint, merito charitas tua videtur ambigere quid de mulieribus, quae aliis iunctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum quod *a Deo iungitur mulier viro* (Prov. XIX, 14), et iterum praeceptum agnovimus ut *quod Deus iunxit, homo non separet* (Matth. XIX, 6), necesse est ut legitimarum foedera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis malis quae hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit reformetur, omnique studio procurandum est ut recipiat unusquisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis indicetur, et tamquam alieni iuris pervasor habeatur qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quae ad eos qui in captivitatem iussi sunt pertinebant, in ius alienum transire potuerunt, et tamen plenum iustitiae est ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris, aut etiam in domibus et possessionibus rite servatur, quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate turbatum est pacis remedio reformetur. Et ideo si viri, post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum coniugum perseverent, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. Si autem

4633.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Pondicher.), 15 febr. 1792.

Superioribus litteris quaerebas: « Potestne tolerari usus qui viget in *Telegou* regione, quo christianae mulieres in fronte depictum deferunt signum rubei coloris, *bottou* dictum, ad ornamentum, et ut distinguantur a viduis, sine ullo respectu ad idololatriam, sine ulla superstitionis idea? »

Ita sane proposita quaestio nullam difficultatem habere videbatur quin affirmativum responsum daretur, sed obstabant litterae D. Magny, quarum exemplum adiunctum transmiseras. Ipse enim affirmabat ex illius gentis opinione, superstitiosi aliquid contineri in illo signo *bottou*, et rubeum colorem suspicionem aliquam falsae religionis praeseferre. Itaque tota facti erat inter vos controversia.

Ea tamen penitus sublata est altera epistola tua diei 20 septembris anni 1789; ipsum enim D. Magny, re magis explorata, mutatoque consilio fateri aiebas, nulla superstitionis labe infici signum illud *bottou rouge*, *concam*, nihil aliud esse quam indicium mulierum nuptarum, quo illae ad ornatum utuntur, neque ullius sectae significationem praeseferre, neque aliquam cum falsis numinibus relationem habere. Haec confirmasti eiusdem D. Magny epistola ad te scripta die 26 maii, cuius etiam exemplum ad nos misisti. Cum igitur nunc in eamdem sententiam ambo conveneritis, sublataque sit ea praecipua dubitandi ratio, num signum illud aliqua superstitione inficeretur, vestro etiam indicio consensit S. C., et illius signi usum minime christianis prohibendum esse duxit. Id autem concinere etiam videtur Constitutioni Apostolicae Gregorii XV, quae incipit *Romanae Sedis Antistes*.[1] In ea enim quaedam signa Indis deferre permissum est, iis tamen legibus et conditionibus, quae omnem omnino superstitionis aut scandali speciem removerent. Et quamvis decretum Cardinalis de Tournon generatim iubeat: « Quaecumque alia signa albi vel rubei coloris quibus Indi superstitiosissimi in fronte vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus »; attamen animadvertendum est, istud decretum in Pontificiis Constitutionibus Clementis XII *Compertum*[1] et Benedicti XIV *Omnium sollicitudinum*,[2] hac adiecta conditione confirmatum fuisse, videlicet servata in omnibus Constitutione Gregorii XV, edita die 31 ianuarii 1623, quae incipit *Romanae Sedis Antistes*. Ita vero conveniunt tam decretum Card. de Tournon, quam Constitutio Gregorii XV, quod utriusque iudicio omnia quaecumque signa, quae levem etiam superstitionis speciem praeseferunt, omnino prohibeantur, permittantur autem cetera, quae ad ornatum, ad civilem cultum, ad corporis munditiem passim ab omnibus, absque ulla ad religionem relatione, adhibentur.

aliquae mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captae, ut malint his cohaerere quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandae; ita ut etiam ecclesiastica communione priventur, quae de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod iusta remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia, neque ullo modo ad opprobrium malae voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hae mulieres, quae reverti ad viros suos nolunt, impiae habendae sunt, ita illae, quae in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandae ».

[1] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 15-17.

Alterum dubium erat: « an liceat mulieribus ungere croco funiculos, quibus appensus est *taly*, quem ad collum gestant? »

Ex eadem epistola tua 20 septembris 1789 accepimus sublatam quoque fuisse hanc inter te et ipsum D. Magny controversiam, ob eamdem causam, quod idem D. Magny, quibusdam bracmanis interrogatis, certior factus sit, nihil superstitionis unctione illa contineri, sed morem esse mulierum in iis praesertim regionibus, in quibus gemmatum *taly* deferre minime solent. Quare utriusque sententia istiusmodi unctio croci christianis non est prohibenda, utpote nulli obnoxia superstitioni. Vestro iudicio acquiescere Emis Patribus visum est, verum haud sine aliqua animi molestia, et trepidatione. Nam in ipsamet epistola quam Tu die 1 augusti anni 1788 ad D. Magny scripsisti, cum inter vos haec controversia agitaretur, libenter fassus es: « quant au second article, jamais on n'a permis d'oindre le cordon de safran; et vous ne pouvez pas non plus le permettre ». Vel igitur non satis intelleximus, in quo potissimum vestrae controversiae cardo verteretur, vel rebus ac praesertim facti circumstantiis inter vos melius explanatis, omnis ambigendi ratio cessavit. Verumtamen, quoniam in tanta locorum distantia, ac tam diversis, ac disparatis moribus atque usibus regionum, non ita dilucide explicari omnia possunt, ut dubiis quae circa facta versantur aptae accommodari possint responsiones, id unum vos animadvertere enixe rogamus, ne in permittenda unctione cum croco, aliqua ex antiquis, forsitan iam abrogatis, superstitionibus, redintegretur. In secundo enim decreto Cardinalis de Tournon, Apostolicis Constitutionibus confirmato, ita habetur: « Et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus, et *croceo succo* delinitus, quo plerique dictum *taly* appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum et unctionem ». Vides igitur duo praesertim hoc decreto prohiberi, superstitiosum numerum filorum, et unctionem crocei succi. Nulla nunc movetur quaestio de numero filorum, quem superstitiosum esse nemo inficias iverit, apud gentes praesertim, quae in certo illo, ac determinato 108 filorum numero, falsam quandam religionem subesse arbitrantur. De unctione crocei succi aliter videri posset, si crocum, atque eius unctio passim in usum regionis adhiberetur, neque quid religiosi aut divini in eo fructu contineri eiusdem regionis incolae perperam existimarent. Pravam hanc apud illos opinionem tempore Cardinalis de Tournon invaluisse minime dubitari potest: neque enim aliter

[1] Cf. N. 296.
[2] Cf. N. 348.

prudentissimus ac religiosissimus Cardinalis unctionem crocei succi, quae
per se innoxia atque indifferens est, severissime prohibuisset, neque haec
Apostolica Sedes illius decretum approbasset. Investigandum igitur ac
sedulo inquirendum a te est, num crocum in aliquo honore apud Indos
sit, aut alicui numini dicatum, ut propterea eo delinire funiculos, quibus
taly est appensus, religiosum quidpiam praeseferre et cultu aliquo numen
illud prosequi palam habeatur. Si ita est, minime istiusmodi unctio est
toleranda: si secus, permitti poterit, eo ferme modo, quo Gregorius XV
in sua Constitutione *Romanus Pontifex* quaedam Indis permisit: *Quum*
civilem dumtaxat usum a qualibet vel levissima culpa aut macula, nedum ab
impurissima superstitionis labe purgatum defecatumque permittere intendamus.

Quoad balneorum usum, quod tertium caput erat vestrae disputationis,
praemittendum est quod iubet Constitutio Gregorii XV, quodque Card. Tour-
nonius certe praescribit. Gregorius XV in laudata Constitutione *Romanae*
Sedis Antistes ita disponit: « Lavacra non alia occasione et fine quam cor-
poris reficiendi, et naturalibus sordibus mundandi, permittuntur, reiectis
tamen penitus orationibus et ritibus circa tempus, modum et alia, si quae
adhiberi solent, sive ante ablutionem, sive post, sive in ablutione ipsa ».
Sic autem in dubio XIV a Card. Tournonio statutum fuit: « Declaramus
praeterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papae XV incipientem
Romanae Sedis Antistes ad petitionem PP. Societatis Iesu editam, qua indi-
genis Christi fidelibus lavacra, non alia occasione et fine, quam corporis
reficiendi, et naturalibus sordibus mundandi ab Apostolica Sede permit-
tuntur, interdictis tempore et modo, quibus a gentilibus adhiberi solent,
aeque afficere evangelicos operarios, quibus praeterea non licet sub qua-
cumque alia causa et fine, etiam ad effectum, ut existimentur, *sanias* seu
bracmanes, prae caeteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim
statutis eorum horis, et ante vel immediate post quamcumque factam
functionem ».

Quod igitur Apostolica Sedes huiusmodi decretis praecipue cautum
voluit, illud est, ut nempe lavacra permittantur, dummodo circa modum,
ac circa tempus nihil redoleant superstitionis, neque preces ullae recitentur,
aut ritus ulli adhibeantur, vel ante, aut dum balneum conficitur, vel post-
quam sit absolutum.

Nunc autem controversiam inter te et missionarium Magny exortam
discutiamus. Ambo convenitis: 1. Balnea propter corporum munditiem,
commodum, ac sanitatem esse licita. 2. Illa vero quae conficiuntur astro-
rum, solis, eclipsis, aliorumque huiusmodi observatione esse illicita. 3. Cae-
teros quoque ritus, observantias, caeremonias, quae a gentilibus usurpan-
tur, a balneis christianorum esse eliminandas. — Itaque in regulis ac legibus,
quae primam recte agendi normam constituunt, nulla est, nec esse potest
inter vos sententiarum discordia; super eo tantum dissentitis balneorum
usu, quae a gentilibus adhiberi solent, ut a legalibus immunditiis abluantur.
Horum tria a missionario Magny afferuntur exempla: nimirum balnea,
quae ante nuptias conficiuntur, vel post puerperium, vel postquam extrema
soluta sunt officia cuipiam mortuo, vel morituro; ac denique illa, quae

promiscue cum gentilibus in eodem lavacro adhibentur, in quibus etiamsi
nulla sit legalis immundities, eidem tamen missionario videntur illicita,
quod cum ipsis gentilibus conficiantur. Itaque contendit ille, christianos,
licet a superstitionis huiusmodi finibus sint immunes, balneorum usum in
illis circumstantiis adhibentes, scandalum praebere, quod, saltem in spe-
ciem, legalibus immunditiis et ipsi adhaerere videantur.

Tu contra hisce rationum momentis minime commoveris, ac doces,
christianos potius monendos esse, ne superstitioso fine, quo a gentilibus
adhiberi solent, balneis utantur; ac si forte scandalum suboriri posset,
protestationem esse inculcandam. Caeterum huiusmodi responsa haud
satis recte quadrare videntur. Enimvero si, ut par est, Constitutionibus
Apostolicis obsecundare velimus, illud pro certo habendum est, balnea
profecto esse illicita, quae iuxta tempus et modum a gentilibus in more
habitum usurpantur: *reiectis circa modum et tempus ritibus, quae a gentilibus*
adhiberi solent. Idque recte omnino ac sapienter est constitutum; christia-
nus enim quilibet, qui ritibus, atque usibus gentilium morem gerit, supersti-
tionem suam manifeste declarat. Neque vero, aut recta ipsius intentio, aut
protestatio, quam ea occasione faciendam esse consulis, illum excusare
unquam poterit. Siquidem christianos recto esse animo minime prodest,
si externis quoque actionibus non respondeant, nam *corde creditur ad iusti-*
tiam, ore autem confessio fit ad salutem. Si vero christiani balneis utuntur
dumtaxat tuendae valetudinis causa, aut ob corporis munditiem procu-
randam, tunc etsi gentilibus offensioni essent, eorum scandalum esset
generis pharisaici; si quidem cum christiani abluuntur, actionem praestant
licitam, ac prorsus indifferentem, et scandalum ab aliena malitia ortum
ducit. Verum quum ii, qui sese omni tempore possunt abluere, lavacri
occasionem sumunt in nuptiis, in foetibus gignendis, in funeribus persol-
vendis, idque palam facere non verentur, tunc eorum actus haud amplius
perstant innocui, quod a potiori nationis parte supponitur eiusmodi lavacra,
eo tempore atque occasione peracta, superstitiosis finibus adhiberi. Neque
etiam proposita protestatio superstitionis labem abstergeret: quippe quae
contra factum omnino esset, ac facilius forsan obesse, quam prodesse pos-
set; facere enim quod superstitiosum ab omnibus existimatur, et profiteri
verbis se a superstitione abhorrere, pugnant inter se, eamdemque rem, quae
facto comprobatur, verbis negare indecorum est. Quapropter EE. PP. cen-
suerunt, servandam esse Constitutionem Gregorii XV et decretum Cardi-
nalis de Tournon, et propterea prohibenda esse christianis lavacra, quae,
occasione nuptiarum et funerum, fiunt temporibus a gentilibus iuxta eorum
ritus usitatis. Extra vero ea tempora lavari cum gentilibus, si non adsit
scandalum, permitti posse.

Transeo nunc ad nuptiales caeremonias, de quibus quarto loco quaesi-
tum est. Cardinalis de Tournon in VIII decreto statuendum duxit: « Caere-
moniae etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot sunt, tantaque
superstitione maculatae, ut tutius remedium aptari non possit, quam eas
omnes interdicendo, quum undique noxia gentilibus labe scateant, et diffi-
cillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero ut faciliori conversio-

num viae, et neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, missionariis et praecipue Missionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo superstitiosa omnia a dictis caeremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod christianam pietatem offendat, et gentilium superstitionem redoleat, et signanter praeter eas, quas audivimus, iam statutas in hac materia ab iisdem missionariis reformationes, ramus arboris *Aresciomara* omnino auferatur; ferculorum numerus non minus ac cibi praescripta qualitas varietur; circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia omittantur; et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, et prohibitum intelligatur ». Emi dixerunt: *Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.*

Itaque nemo non videt, minime nunc agi de caeremoniis ac ritibus a Card. de Tournon expresse interdictis. Nihil enim superstitionis lumina, lac, *iagre* (quod tamen quid porro sit, plane ignoratur) continere videntur, atque ex multorum relationibus omnes superstitiosos nuptiarum ritus prorsus eliminatos fuisse compertum est. Quum autem missionarius Magny hac de re in suis ad te datis responsionibus obiecerit, plane confidimus, tua prudentia, ac sagacitate omnem hanc controversiam sublatam iri absque ullo Tournoniani decreti detrimento.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 607].

4634.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Chan-si et Chen-si), 9 iul. 1792.

Si costuma in Cina la cerimonia seguente: Ogni anno vanno i cristiani ai sepolcri di lor famiglia, e rincalzando la terra caduta per le piogge dell'estate, rinnovano quella figura cubica che da principio fu fatta nel seppellire. Interrogati perchè ciò facciano, hanno risposto: « per riconoscere il luogo del cadavere, che altrimenti, appianandosi la terra, non più potrebbe distinguersi ». Interrogati di più perchè ciò facciano in un giorno determinato, hanno risposto: « perchè questo è il costume di tutto l'Impero; ma con tal differenza, che i gentili fanno ivi in tal giorno molti sacrificii e banchetti ed altri riti con superstiziose opinioni, e dai cristiani nulla di tale vien praticato ». Si cerca se sia lecito questo rito.

R. Permitti posse, dummodo id non peragatur simul cum gentilibus, neque eadem die qua illi id faciunt, sed die atque anni tempore penitus diverso; neque praeterea una pro omnibus christianis praestituta sit dies ad expurganda sepulchra, sed indiscriminatim quocumque die et quocumque anni tempore unicuique commodo id faciant, ac demum omnis absit superstitiosus ritus, sed potius christiani preces pro defunctis iuxta ritum catholicae Ecclesiae recitent.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 608].

4635.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 sept. 1792.

S. C. censuit: Episcopum posse decernere intra fines suae facultatis quidquid expedit ad reformationem morum, et ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam suae dioecesis, nec necessarium esse ut consilium excipiat suorum sacerdotum; id tamen valde profuturum pro pace et concordia servanda cum suo clero, ac pro meliori suae dioecesis regimine.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 609].

4636.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 sept. 1792.

S. C. censuit: Tolerari non posse obligationem impositam parochianis sese sacramentaliter confitendi proprio parocho aut alii presbytero, de eius tamen licentia, tempore paschali.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 610].

4637.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Pekin.), 14 ian. 1793.

1. An cum christiani genua flectunt, vel genibus flexis manent, etiam absque prostratione *ko-teou*, quando feretrum exit de domo ad eundum in sepulchrum, sicut ante feretrum, quando demittitur in foveam, tales genuflexiones, in similibus circumstantiis, contineantur in Bulla *Ex quo*,[1] inter Permissiones Patriarchae Alexandrini.

2. An liceat christianis, in suis funeralibus, portare signum dictum *fan*, et equum cum umbella a tergo, dictam *lim-ma*, atque lecticam cum umbella in parte anteriori, dictam *lim-Kiao*.

3. An aliquis christianus, dictis rebus utens in funeralibus, clare et absque tergiversatione dicendus sit superstitiones adhibuisse.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative in omnibus.

Ad 3. Secundum ea quae proponuntur, affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 613].

[1] Cf. N. 329.

4638.

S. C. de Prop. Fide (Tunkin. Occident.), 17 ian. 1793.

Anno 1790 ingressus est in Tunkinum iuvenis quidam Gallus ex dioecesi Nannetensi oriundus, qui idoneus videtur ad Ordines suscipiendos, et intendit se devovere Missioni tunkinensi. In dubio autem, an possint litterae dimissoriae obtineri ab eius natalis dioecesis Episcopo, quaeritur an non liceat Vicariis Apostolicis ordinare, absque litteris dimissoriis, illos quorum Ordinarii ita distant ut ad ipsos difficillimus sit recursus, praesertim, postquam ordinandi, de quibus agitur, per tres saltem annos commorati sunt sub iurisdictione Vicariorum Ap., ipsorumque expensis sustentati, tanquam de eorum familia?

R. Non licere, sed permitti posse Vicario Ap. Tunkini, in casu iuvenis Galli ex dioecesi Nannetensi, attentis circumstantiis, illum clericali militiae adscribere, et ad Ordines promovere sine litteris dimissoriis sui Ordinarii, si nullus extiterit impedimentum, et quatenus idoneus reperiatur. — SSm̃us approbavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 615].

4639.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Quebecen.), 4 iul. 1793.

Nemini incompertum est, usuram divino, ac naturali iure prohiberi, ex quo consequitur nulla principis auctoritate ac lege permitti posse, quamvis sit exigua. Quidquid enim in mutuo absque titulo lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi extrinseci in propria pecunia recuperanda, praeter sortem exigitur, etsi minimum sit, usurae labe conspergitur. Certissima haec iuris principia sunt, quibus nemo ullus catholicorum repugnare potest, quae fusius etiam pertractata invenies in Epistola Encyclica Benedicti PP. XIV[1] cuius exemplum tibi transmitto (V. Instr. S. Congr. de Prop. Fide anno 1873).[2] His constitutis iam vides, legem isthic latam, quod ex mutuo possent percipi usurae, dummodo fructus non excedant sex nummos pro quolibet centenario, iniquam esse, iurique divino ac naturali adversantem. Itaque catholici neque illius legis praesidio pecuniam foenori dare possunt, neque ullo modo iubere, aut consentire, quod ex illius auctoritate foenus ab aliis recipiatur, aut solvatur, aut iniuste solutum non repetatur. Iudices igitur qui compellunt ad usuras solvendas, vel vetant ne solutae repetantur; advocati qui usurarum patrocinium suscipiunt; notarii qui scienter instrumenta conscribunt favore foeneratorum, graviter peccant, quoniam sunt causa efficax damni mutuatario illati, atque

[1] Cf. N. 363.
[2] Cf. N. 4880.

participes sunt criminis a mutuante patrati. Accipe quaeso quod in hanc rem sanxerit Clemens V Pont. Max. in Concilio Generali Viennensi; sic enim loquitur: « Nos igitur perniciosis his ausibus obviare volentes, sacro approbante Concilio, statuimus ut quicumque communitatum ipsarum potestates, capitanei, rectores, consules, iudices, consiliarii, aut alii quivis officiales statuta huiusmodi de caetero facere, scribere vel dictare, aut quod solvantur usurae, vel quod solutae, cum repetuntur, non restituantur plene ac libere, scienter iudicare praesumpserint, sententiam excommunicationis incurrant ».[1] Gradum nunc facio ad tutores. Quaestionem quam proposuisti, omnino similem agitat probatissimus theologus gallus Antoine his verbis: *An liceat tutoribus* auctarium *exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eo quod per leges cogantur eorum bona integra reddere, et simul ex eis lucrum facere in commodum eorumdem sub poena compensationis;* sic autem respondet: *Negative, quia cum usura sit intrinsece mala et a Deo absolute ac indistincte prohibita, nullam ob causam potest esse licita.* At, inquies, durum est teneri tutores rem utilem pupilli gerere, nullaque alia suppetente lucrandi occasione, adigi ad foeneratitium lucrum captandum, quod si neglexerint, adstringi imperio iudicis ad compensationem cum propria iactura. Verumtamen possunt tutelae officio se excusare; multae enim in iure huius excusationis produntur causae. Sed si quandoque officio iudicis compellantur, qui erubescunt ante tutelae susceptionem, in actis et coram iudice profiteri, omnem se curam ac diligentiam in pupillari administratione usuros, nunquam tamen pupillaris pecuniae versuram cum foenore facturos, eo quod catholicae religionis iure id sibi vetitum esse sciunt? Si hac conditione susciperent, nullam posset pupillus in tutorem suum, soluta tutela, actionem intendere ad compensandum lucrum ex usura non perceptum, quoniam ea conditione suscepit, ut ea lege non teneretur.

Praeterea num ne in istis provinciis, quae commercio terra marique florent, deesse potest occasio conficiendi negotia, quibus honesti quaestus absque ulla usurae labe fiant? In his animum atque operam suam tutores intendant, omnique periculo vacabunt cum malae gestae tutelae, tum propriae aeternae salutis. Caeterum quocumque tandem modo res casura sit, illud omnino et absque ulla dubitatione est retinendum, minime fas esse tutori lucrum ex foenore pupillo quaerere, etiamsi suarum fortunarum iacturam facere cogeretur, *quid enim prodest homini, si universum mundum lucraverit, animae vero suae detrimentum patiatur?* Hac una Servatoris Dñi Nostri Iesu Christi sententia omnis sublata est quaestio: quod enim divina lege turpe est et indecorum, qualis certe est usura, propter humanarum rerum commodum nunquam est faciendum.

Caeterum si isti foeneratores ad Sacramentum Poenitentiae accedunt, cum iis agendum est ac cum caeteris lethali peccato obnoxiis. Suaviter hortandi, monendi, acrius etiam, si oporteat, increpandi, et Dei iudicio, ac poenarum aeternarum terrore ac periculo concutiendi, ut ab usurario foenore abstineant. Si monitis sacerdotis poenitentiarii pareant, et constantis

[1] C. un., *de usuris*, V, 5, in Clem.

emendationis argumenta praebeant, sacramentali absolutione erunt expiandi, secus si non resipiscant, tunc enim erunt tractandi, quemadmodum caeteri peccatores obdurati, atque indigni Sacramentorum participatione. Habenda quoque ratio est restitutionis lucri ab usurario foenore percepti. In usura enim, quemadmodum in furto, restitui res debet iniuste mutuatario ablata. Sed nihil te hac de re moror, cum sis ea scientia praeditus, ut probe calleas regulas quae a doctoribus theologiae moralis traduntur; quomodo, quando, a quibus, quo ordine et cui sit facienda rerum ablatarum restitutio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 616].

4640.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Quebecen.), 4 iul. 1793.

Circa consuetudinem iampridem isthic invectam exigendi quamdam pecuniae taxam in elargiendis dispensationibus matrimonialibus: probe nosti tales dispensationes gratis concedendas esse, quemadmodum iubent Concilii Tridentini Patres cap. 5, Sess. 25, *de ref. matr.* Quid enim turpius, ac magis a sacris canonibus absonum, quam pacto pretio relaxare saluberrimam impedimentorum dirimentium disciplinam tam sancte ad nuptiarum honestatem ab Ecclesia constitutam? Quapropter cum huius generis dispensationes inter eas, quae sunt gravioris momenti recenseantur, et magis instet periculum ne iudex ab Apostolica Sede delegatus muneribus corrumpatur, hinc factum est, ut in aliquibus indultis, et in iis praesertim, in quibus dispensandi in proximioribus gradibus facultas ab eadem Apostolica Sede conceditur, ea conditio adiiciatur, ut dispensatio *gratis* indulgeatur, alias nulla sit.

Illam igitur consuetudinem probare minime possumus, eamque ut penitus evellas, enixe volumus, et rogamus. Neque enim excusari vel diuturno usu potest, neque confirmari eo quod rariores ita dispensationes fiant, cum multi illam taxam solvere aut non possint, aut recusent. Usu quippe nulla consuetudo invalescere potest quae est contra legem saepius in Pontificiis Litteris repetitam, quod dispensationes impedimentorum gratis concedantur: rariores autem dispensationes facere metu taxae solvendae indecorum est, sola enim animarum utilitas spectanda est in dispensando; praeterea nihil. Attamen cum pauperum inopiae cui potissimum sublevandae ea erat invecta consuetudo, nec nos oblivisci oporteat, nec deceat, idcirco tibi, ac successoribus tuis indultum a Summo Pontifice impetramus, ut liceat in dispensationibus matrimonialibus aliquam pecuniam exigere, iis tamen legibus, ac conditionibus, quas in eodem indulto hic alligato expressas perleges. [1] Ita nec alendis pauperibus deeris, nec lucri

[1] Huiusmodi indultum Episcopo Quebecen. denuo concessum est anno 1807 a Pio PP. VII, quo indulto ei potestas facta est ad decennium *modicas mulctas exigendi, in elargiendis dispensationibus matrimonialibus, tam a divitibus quam a pauperibus iuxta vires (exceptis tamen mendicis) in pios usus omnino erogandas.*

cupidus videberis, nec abs te Apostolicae Sedis beneficium vendi insimulaberis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 616bis].

4641.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 13 ian. 1794.

In arbitrio et potestate Episcopi esse erogare in usus pios reditus bonorum Ecclesiae, qui vel ad peculiarem usum non fuerunt a benefactoribus destinati, vel, satisfacto onere a testatoribus iniuncto, aliquid aliud superest de iisdem reditibus in usus pios erogandum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 617].

4642.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 13 ian. 1794.

Paulus III in Indulto suprememorato [1] enumeratis diebus in quibus vult neophytos ab operibus servilibus cessare, addit: *ceteros vero dies festos illis indulgemus;* porro quaeritur: An huiusmodi indulgentia restringi debeat ad opera servilia, prout in his regionibus plerique opinantur, quin ad Sacrificium Missae extendatur, adeo ut in praedictis ceteris diebus festis fideles neophyti Missae interesse teneantur.

R. Indultum Pauli III non eximere christifideles a praecepto audiendi Missam in omnibus diebus festis in quibus per idem indultum permittitur fidelibus vacare operibus servilibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 618].

4643.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 13 ian. 1794.

Christiani perditae vitae ac falsis gentilium superstitionibus pertinaciter addicti, qui Sacramenta, cum bene valent, percipere negligunt, si fortasse repentino morbo corripiantur, et nullum dent contritionis signum, missionarii pro iis absolvendis observent rubricam Ritualis Romani, tit. 3, de Sacram. Poenit., c. 1, num., 22 et 24. In singulorum autem casuum circumstantiis consulant probatos S. Theologiae Moralis doctores. Illi vero qui bona valetudine utuntur, quique superstitionibus dediti ab iis non abstinent (nisi fuerint apostatae a fide, et palam paganismum profiteantur), pro excommunicatis haberi non debent; idcirco ad Confessionem excitari debent, imo etiam admitti; sed nisi certa et stabilia de eorum emendatione indicia praebeant, non sunt sacramentaliter absolvendi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 619].

[1] Cf. N. 81, 4459.

4644.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Mission. Sin.), 16 febr. 1795.

Commune est et viris et mulieribus catholicis cum infidelibus matrimonio coniunctis, ut coniux fidelis modis omnibus quibus potest, procuret conversionem coniugis infidelis atque educationem prolis in fide catholica. Quae duo quidem eo faciliora debent esse viris catholicis quod per leges sinenses maxima est virorum potestas super proprias uxores; itaque ea potestate uti possunt ut prolem, nullo metu, in fide catholica educent, atque ut persuasione, exemplo, ceterisque modis charitatis et prudentiae propriis, uxorem ad fidem convertant. Sed (si agatur de uxoribus catholicis) haec ipsa uxorum catholicarum ethnicis maritis subiectio in causa est cur illae, in hac vitae consuetudine cum viris ethnicis, multis difficultatibus implicentur ad catholicam religionem rite conservandam exercendamque. Itaque missionarius his mulieribus haec quae graviora usuque frequentiora sunt potissimum inculcet et doceat: 1. ut plane caveant ne suorum maritorum superstitionibus assentiantur, vel cooperentur; 2. ut in diebus etiam festis nullo scrupulo vacent operibus servilibus, si ea mariti ab ipsis exigant non in odium et contemptum christianae religionis, sed solum ad victum comparandum; 3. nullo modo nulloque actu falsam mariti religionem simulent, aut etiam propriam christianam occultent in iis casibus et circumstantiis quando eam palam profiteri tenentur. Ac quinam sint hi casus et circumstantiae a missionariis edoceantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 623].

4645.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Sutchuen.), 31 ian. 1796.

An fideles teneantur sacrificio Missae assistere diebus Dominicis et festis in quibus vacare possunt operibus servilibus.

R. Affirmative, ex responso S. Off. die 13 iulii 1769 et S. Congr. Propag. 13 ian. 1794. [1]

Verum cum ea sit certarum regionum asperitas et solitudo, ut ad loca, in quibus sacra celebrantur, nonnisi via longa et saepe deterrima ex dissitis aliis locis perveniri queat, atque ideo vel ipso itinere conficiendo vix satis temporis reliqui esset ad obeunda opera servilia quae permittuntur, consulendum SSmo pro venia Vicariis Apostolicis facienda dispensandi nomine S. Sedis per seipsos aliosve subdelegatos ab obligatione audiendae Missae diebus festis, quibus opera servilia permittuntur, cum id, spectato regionum situ et incolarum necessitatibus, expedire in Dño videbitur. — Sanctitas Sua dignata est benigne annuere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 627].

[1] Cf. N. 823, 4642.

4646.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 31 ian. 1796.

An sit concedenda Vic. Ap. Sutchuensi facultas dispensandi cum fidelibus tribus (primis) diebus novi anni sinici, super abstinentia et ieiunio, cum inciderint in dies abstinentiae et ieiunii.

Dentur decreta alias edita a S. C. S. Officii praesertim 4 septembris 1663, 28 februarii 1760, 12 iulii 1770. [1] His decretis perspectis plane constabit quoties illa petita est dispensandi facultas, toties reiectam fuisse. Sane merito visum est non expedire locum fieri dispensationi qua, qui uterentur christiani, tanti facere viderentur dies festos gentilium ut prae illis non dubitarent sacra sua contemnere. Qua in sententia, pro ea quae legibus Ecclesiae debetur plena obsequii reverentia, proque sanctissimae religionis maiestate tuenda, S. C. statuit esse omnino persistendum. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 628].

4647.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Sutchuen.), 31 ian. 1796.

1. An missionarii dispensare possint, in impedimento disparitatis cultus, cum muliere fideli, quamvis rapta fuerit nec loco tuto reddita, dummodo ipsa libere in matrimonium consentiat.

2. An sit concedenda facultas a missionariis petita convalidandi matrimonia mulierum fidelium cum apostatis contracta, seu per vim seu post raptum, et antequam ipsae loco tuto redditae fuerint.

R. Ad 1. Cum in decreto facultatis extraordinariae, quae ad tempus concedi solet Episcopis et Vicariis App. Indiarum orientalium, dispensandi super impedimento disparitatis cultus, omissa sit clausula quae in aliarum facultatum formulis apposita legitur: *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*, hoc ipso concessum videtur quod non est in concedentis decreto restrictum. Cum tamen etiam de vi huiusce facultatis extraordinariae dubium exortum sit inter sinenses, ne suspensi maneant animi de valore matrimonii, responderunt EE. PP. in proposito casu supplicandum Sanctissimo, ut dignetur declarare Episcopos et Vicarios Apostolicos, quibus concessa est extraordinaria illa facultas dispensandi super disparitate cultus, uti ea valere, gravibus de

[1] Cf. N. 4469, 4530, 829.

[2] Modo facultas de qua agitur, nonnullis adiectis conditionibus conceditur. In Formula *b* facultatum extraordin. pro Vicariis Apostolicis Sinarum sub n. 16 datur facultas: *Dispensandi fideles sibi subiectos a ieiunio et abstinentia in casu coincidentiae exordientis anni sinensis sive cum prioribus Quadragesimae diebus, sive cum aliis diebus, extra Quadragesimam, abstinentiae consecratis, iuxta Instructionem adiectam* (10 iunii 1868. — Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1330).

causis, in singulis casibus, prout in dicto decreto exprimitur, etiam in casu quo mulier rapta fuerit, necdum tuto loco restituta, constito ante de libero eius consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelis consensu in cohabitationem absque contumelia Creatoris. Insuper, ut pro tranquillandis conscientiis dignetur Sanctitas Sua convalidare ad cautelam, et quatenus opus sit, matrimonia vi praecedentium dispensationum ante contracta, existente muliere in potestate raptoris, quatenus nullum aliud obstet impedimentum dirimens. — Sanctitas Sua utrique supplicationi dignata est benigne annuere.

Ad 2. Consulendum Sanctissimo pro concessione petitae facultatis, dummodo fides mulierum sit in tuto, ipsae libere consentiant, ac possint habitare cum apostata sine contumelia Creatoris. — Sanctitas Sua benigne dignata est petitam facultatem concedere. — Hac porro dispensatione concedenda sedulo Pastor mulierem admonere non omittet de gravi obligatione qua tenetur omni ope curare ut per bonam conversationem virum apostatam a suscepta impietate revocatum Christo lucrifaciat, tum ut et suscepta proles in christiana religione rite instituatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 629].

4648.

S. C. de Prop. Fide, 6 iun. 1796.

Se debba approvarsi il seguente decreto fatto dal Visitatore per la diocesi di Alessio: « Il secolare non debba citare il sacerdote al tribunale turco; nè il sacerdote debba esporre le sue querele al detto tribunale senza previa licenza del suo Ordinario ».

R. Affirmative ad 1. partem. Ad 2. Venia non concedatur nisi gravibus de causis; et, in criminalibus, facta protestatione ad formam sacrorum canonum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 630].

4649.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Vic. Ap. Sutchuen.), 31 iul. 1796.

Qua ratione providendum ut fideles qui temporibus vetitis absque solemnitate contrahunt, benedictionem postmodum recipere valeant? Exponit Vicarius Ap. saepius evenire ut qui sine solemnitatibus matrimonium contraxerunt, iidem, sive propter nimiam distantiam sacerdotis missionarii, sive propter prohibitum tempus, quod frequenter in reditu missionarii ad loca priora rursus occurrit, eo quod nonnisi post annum elapsum eadem visitare valeat, benedictionem solemnem non recipiant, vel saltem nonnisi post plures annos, non raro tres quatuorve, eamdem recipere valeant. Unde humillime supplicat ut S. C. huic incommodo remedium benigne afferat, ne fideles tanto tempore tam optata benedictione priventur.

R. Firma remanente lege non impertiendi benedictionem tempore vetito, relinquendum prudentiae et arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo, ut, spectata personarum conditione quoad faciliorem aut difficiliorem accessum ad missionarios, tum ex maiori minorive diuturnitate temporis quo expectanda foret benedictio, ipsemet Episcopus Vicarius Ap. facultatem largiri valeat eius benedictionis impertiendae, facta per ipsum missionarium declaratione eam benedictionem ad validitatem matrimonii antea valide contracti non pertinere, ex Decreto S. Off. mense ian. 1780. — Sanctitas Sua benigne annuit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 631].

4650.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Scodren.), 28 nov. 1796.

Se si può permettere il matrimonio ad un cattolico battezzato, il quale per essere maggiormente in grazia del governatore, si fa turco, e dopo un tempo prende per moglie una cattolica.

R. Negative durante apostasia.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 632].

4651.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 16 ian. 1797.

1. Quae sit mens S. Congregationis circa renovationem facultatum retardatam absque culpa.

2. Concessa fuit Vicario Apostolico (Tunkini occidentalis) facultas dispensandi in 1 affinitatis gradu ex copula illicita etiam lineae rectae cum his restrictionibus: *in occultis tamen et in foro interno*. Quaeritur utrum his verbis *in foro interno*, seu, ut explicat P. Antoine *in actu confessionis sacramentalis*, intelligatur confessio cui in ipso actu coniungitur absolutio, an vero sufficiat confessio in ordine ad absolutionem in posterum recipiendam, quando scilicet sublatus fuerit obex qui cogit ad eam differendam et qui aliquoties diu durat.

R. Ad 1. Facultates concessas valere etiam post elapsum tempus concessionis usque ad novae prorogationis concessionem.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 633].

4652.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 16 ian. 1797.

In casu matrimonii dissolvendi ex privilegio in favorem fidei promulgato ab Apostolo, duo haec tantum spectanda de quibus fieri debet interpellatio: 1. Utrum pars infidelis velit converti. – 2. Utrum saltem velit cohabitare sine contumelia Creatoris; nulla praeterea habita ratione utrum nec ne praecesserit sive adulterium sive repudium.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 634].

4653.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 16 ian. 1797.

Utuntur Tunkinenses ad Baptismum sola aqua benedicta, non Oleo sacro, neque Chrismate foecundata. Ratio huius diversitatis a primis Vicariis App. data haec est quod nimirum in his regionibus Fontes desint baptismales. Insuper ob nimium calorem cito putrescit aqua oleo immixta, et in parvo vase contenta. Ipsa sola aqua naturalis, nisi magna salis quantitate misceatur, cito pariter foetet: hinc in benedicenda aqua consuetudo est salem multum adhibendi, quae tamen consuetudo aliquod dubium ingerit, utrum ad Baptismum aqua illa uti liceat?

R. Servandos ritus praescriptos in Rituali Romano, praeter casum necessitatis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 635].

4654.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Vic. Ap. Sutchuen.), 16 ian. 1797.

Non raro evenit propter itinerum asperitates, et etiam opificum imperitiam, ut sacri calices rumpantur, ita ut post restaurationem ipsorum debeant in maxima distantia ad Episcopum deferri pro nova consecratione, interimque missionarii, qui alterum substituendum non habent, sat diu expectant, vel nonnisi cum magna difficultate alium sibi valent procurare. His ultimis tribus annis, quinque vel sex calices sic fractos, in distantia decem dierum itineris, denuo consecrandos recepi; unde supplico, ut aliquot huius Vicariatus missionariis benigne concedatur facultas consecrandi calices et patenas, ac determinetur in quanam distantia ab Episcopo dicta facultate poterunt uti. Rursus et supplico ut nobis liceat uti calicibus et patenis ex stanno confectis, licet intus non deaurentur, cum enim habita ratione mox expositae difficultatis, quamvis etiam missionarii aliqui petitam facultatem obtineant, adhuc saepe magnae distantiae erunt, convenit calices multiplicare; at paupertas nostra difficulter admodum expensas pro deauratione facienda sustineret. *Hinc dubia:*

1. Se al Vic. Ap. del Sutchuen debba impetrarsi la facoltà di delegare alcuni missionari per consecrare i calici e patene; e qual distanza dal Vescovo in ciò sia da prescriversi.

2. Se debba impetrarsi a quei missionari la facoltà di celebrare in calici e patene di stagno, anche non indorati.

R. Ad 1. Affirmative iuxta modum contentum in formula IV, [1] facto verbo cum SSmo.

Ad 2. Affirmative ad normam Constitutionum s. m. Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 1742 pro italo-graecis [2] et *Imposito nobis*, 1751 pro sacerdotibus polonis ritus latini. [3]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 636].

4655.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 16 ian. 1797.

Multis in locis, christianorum precibus victi, gentiles non cogunt ipsos mensas deferre quae idolis vel progenitoribus offerantur, sed iisdem permittunt ut eas extra sacrificii locum seponant. Finito autem sacrificio deferuntur mensae illae nequaquam oblatae, partimque cedunt in tributum et honorem virorum in pago praecipuorum, partim vero a suis dominis domum deferuntur. Sed aliquando fit ut mensae illae in locum sacrificii delatae ibidem comedentibus apponantur, ita tamen, ut christiani praedictis conviviis interesse non audeant mensaeque modo memoratae nullo actu superstitioso vitientur.

R. Secundum ea quae proponuntur tolerari posse, secluso scandalo, et ne concitetur aliqua persecutio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 637].

4656.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 16 ian. 1797.

Indigenae sacerdotes nec non plures missionarii europaei, ad uniformitatem servandam, et quandoque ob multitudinem occupationum, inter baptizandos adultos, solent uti caeremoniis pro infantium baptismate praescriptis.

R. Servandum omnino praescriptum Ritualis Romani, praeterquam in casu necessitatis. [4]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 639].

[1] Id est: *Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas diaetas, vel sedes vacet.*

[2] Cf. N. 328.

[3] Cf. N. 410.

[4] Anno 1803 die 30 ianuarii. — Ssmus instante Vic. Ap. Tunk. Occid. Apostolica auctoritate ac indulgentia, declaravit servari posse consuetudinem, quam in Tunkino vigere

4657.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Chan-si), 4 ian. 1798.

Se convenga obbligare sotto reato di colpa i cristiani che non possono ascoltare la Messa per mancanza di sacerdoti, ad intervenire nei giorni festivi in luogo di essa alle pie adunanze che si tengono dai fedeli.

R. Monendos fideles, qui in proposito casu Missam audire non possunt, non ideo solutos esse obligatione sanctificandi festum per precationes aliave pia opera; ideoque magnopere hortandos, nec tamen sub reatu peccati (tamquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandos, ut satagant piis illis conventibus interesse, in quibus pabulo verbi Dei, aliisque religiosis exercitationibus instrui et enutriri valeant, et coniunctis precibus in spiritu charitatis, divinam opem efficacius implorare valeant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 642].

4658.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 4 ian. 1798.

Se sia da proibirsi ai cristiani di subire gli esami dei cinesi per la laurea dottorale, attese le circostanze che accompagnano tutta questa funzione. In questi esami si propone dal giudice a spiegare e professare al candidato un testo di Confucio, tra' quali testi molti sono superstiziosi e superstiziosamente da tutti interpretati. Riuscendo nell'esame debbono i candidati, quando *accipiunt gradus, ingredi templum istius magistri, et facere genuflexiones, et offerre ante eius altare ex candelis et odoribus.* Cose tutte già proscritte da questa S. C. Non mancano però dei laureati cristiani i quali vanno al tempio, ed accompagnando il mandarino esercitano tutti gli accennati atti superstiziosi; e si ha per atto eroico di religione ciò che alcuni praticano, di corrompere cioè il giudice col danaro acciò riconosca per legittima la scusa che essi mandano di sopraggiunta improvisa infermità, e con questo inganno esentarsi dall'andare al tempio.

R. Non licere ex decreto S. Congregationis edito anno 1656 incipiente: *In praedicto Regno,* [1] nec etiam licere mendacium quo nititur adducta infirmitatis excusatio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 643].

expositum est, utendi in baptizandis adultis caeremoniis pro infantium Baptismate praescriptis, ubi id rationabilis necessitas, vel temporis angustia ad caeteras sacri ministerii functiones explendas, seu nimia missionariorum defatigatio exigat.

[1] Cf. N. 730.

4659.

S. C. de Prop. Fide (C. P.), 14 ian. 1798.

Curet Episcopus (Pekinensis) quoad omni meliori modo fieri possit, pro suo zelo et prudentia, visitationis munus, etiam extra civitatem, per seipsum; sin minus, quamdiu legitime impeditus fuerit, per idoneos ministros adimplere, iuxta praescriptum Tridentini (Sess. XXIV, cap. 3, *de reform.*).

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2259].

4660.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Chan-si et Chen-si), 20 febr. 1801.

In queste provincie gl'infanti, o figli o figlie, che muoiono, non si seppelliscono nel proprio sepolcro della famiglia, ma altrove; il che procede dall'errore dei gentili i quali fanno così perchè i suddetti non hanno prole che possa piangerli, e prestar loro gli ossequi delle riverenze e prostrazioni. *Hinc dubium:* Se gl'infanti e i celibi possano seppellirsi altrove che nel sepolcro della propria famiglia.

R. Quoad eos christifideles qui commune habent sepulchrum cum gentilibus, licere, dummodo superstitionis error absit; curetur tamen ut in loco benedicto sepeliantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 649].

4661.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 febr. 1801.

Quoad plures consuetudines in terris et provinciis Vicariatus Apostolici Xan-si et Xen-si inolitas occasione tumulationis defunctorum, exequutioni danda sunt ac retineri oportet decreta alias edita, ac praesertim Instructio S. C. anni 1793 ad Episcopum Corricen. Vicarium Apostolicum Tunkini Orientalis in qua haec habentur: « Intelligat etiam (Dominatio Vestra) habenda esse tamquam superstitiosa, aut saltem superstitionis graviter suspecta, ac per consequens nullo pacto in praxim redigi posse ea omnia quae ab his gentilibus populis adhibentur in cultu progenitorum propinquorumque defunctorum, iis exceptis officiis, quae vel spectant ad naturalem pietatem, puta collocare in feretro et humi mandare, vel quae pertinent ad civilia obsequia, qualia sunt retinere ad posterorum memoriam imagines defunctorum, vel insignia civilis magistratus quem exercuere dum viverent vel in publicis ac privatis conventibus eorum laudare gesta aut officia. Licitum tamen est christianis erga fideles defunctos eas omnes

caeremonias eaque adhibere obsequia quae iuxta consuetudinem et ritus Ecclesiae catholicae solent a christianis exerceri pro iis qui in eiusmodi Ecclesiae communione obiere ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 650].

4662.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 febr. 1801.

Talora i missionari visitando i loro distretti s'incontrano in qualche malato etico o d'altro morbo, che a certa sperienza durerà molti mesi, ma dentro l'anno perisce: si cerca se in tale caso il missionario possa somministrargli il Viatico e l'Estrema Unzione per la ragione che, quando sarebbe veramente nel grado suo di riceverla, allora il missionario non si potrà trovare presente nel luogo per la grande distanza, e per altre circostanze impeditive.

R. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 651].

4663.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Chan-si et Chen-si), 20 febr. 1801.

1. An tolerari debeant *Mouen-Kioun*, id est custodes seu gubernatores portae, quae sunt duae figurae depictae vel sculptae in vestibus militaribus, quarum una faciem habet nigram, et altera rubram, quaeque apponi solent ad portam maiorem praefectorum militarium?

2. An christianis licitum sit habitare in domibus paganorum, cooperiendo figuras superstitiosas ibidem appositas, quas vocant *Pasien* et *Pakia*?

R. Ad 1. Licitum non esse adhibere insignia quae non ad decus tantum familiae, aut ad significationem honoris munerisve quo quisque fungitur, sed titularis cuiuspiam opis implorandae causa, consueto superstitioso more ac ritu, prae foribus aut in aedibus appendi solent a gentilibus.

Ad 2. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 655].

4664.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 febr. 1801.

Reservatio criminum quoad absolutionem in Sacramento Poenitentiae concedendam, arbitrio et conscientiae pro tempore Vicarii Ap. relinquenda est.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 656].

4665.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 20 febr. 1801.

La s. m. di Clemente XIV sotto i 19 settembre 1773, concesse ai confessori di ciascun confratello del Rosario, che si trova fra gli eretici o infedeli, la facoltà di commutare i pii esercizi della detta Confraternita in altre opere sante: si cerca se tale commutazione si debba fare entro il tribunale di Penitenza, ovvero anche fuori.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 657].

4666.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 20 febr. 1801.

S. Sedes hortatur fideles ad supplendam benedictionem nuptialem parochi in matrimoniis clandestine celebratis. Quaeritur utrum intendatur sola benedictio solemnis quae habetur in Missali, an vero etiam benedictio annuli?

R. Affirmative in omnibus. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 658].

4667.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 14 ian. 1802.

Se debba approvarsi la consuetudine introdotta nel Tunkino Occidentale di non unire i sacri olii all'acqua battesimale a motivo della scarsezza di questo liquore.

R. Negative, et dentur decreta S. C. Sancti Officii ad dubium propositum a missionariis Sinarum die 30 ian. 1765, et S. C. Prop. Fidei ad dub. I Bulgariae 17 aprilis 1758. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 659].

[1] Hoc est (ut declaratum fuit in Congreg. 27 ianuarii 1805) benedictionem esse dandam in omnibus et per omnia ad formam Ritualis Romani, scilicet etiam cum annuli benedictione.

[2] Cf. N. 817, 4525.

4668.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 14 ian. 1802.

1. Utrum Episcopus Vicarius Apostolicus altaria sine reliquiis Sanctorum, quamvis authenticas in promptu habeat, propter super exposita[1] tuta conscientia possit consecrare.

2. An habita copia altarium cum Reliquiis consecratorum, liceat missionariis super alia sine Reliquiis consecrata celebrare: vel an habeant iterum cum Reliquiis consecrari, ut super illa Missae Sacrificium licite celebretur.

3. An illa facultas missionariis pro casu necessitatis concessa, celebrandi nempe super altaria fracta, aut sine Reliquiis sanctorum, intelligatur praecise de illis altaribus quae cum Reliquiis fuerunt antea consecrata, postea vero propter fractionem vel motionem sepulchri execrata fuerunt; vel id etiam intelligi possit de illis altaribus quae, ut supra dictum est, ab initio absque ullis Reliquiis fuerunt consecrata.

R. Ad 1. Ad D. Secretarium cum SSmo pro dispensatione; et transmittantur decreta S. C. S. Officii sub die 14 maii 1681.[2]

Ad 2. Negative ad primam partem, quando commode haberi possint altaria cum Reliquiis consecrata, ita ut in iis possit celebrari. Quo vero ad secundam provisum in praecedenti, et, si cum dispensatione Summi Pontificis altaria sine Reliquiis rite consecrata fuerint, iterum non esse consecranda.

Ad 3. Provisum in Formula facultatum[3] et in duobus praecedentibus dubiis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 660].

4669.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Pondicherien.), 3 apr. 1802.

Etiam atque etiam A. T. hortor ac moneo, ut compares tibi operarios, et quoniam nostrates satis esse non possunt, da operam, ut probati iuvenes Malabares, quorum tibi perspecta sit pietas et ingenium, quosque idoneos

[1] Hoc est, *atteso il pericolo di facile rompimento o apertura del sepolcrino a motivo della grande umidità, e la gran difficoltà di conservare le Sagre Reliquie ne' sepolcrini anche ben chiusi per causa delle frequenti persecuzioni: nel qual caso o vengono spezzate le pietre sagre dai persecutori per la lusinga di trovare oro ed argento o dai cristiani stessi vengono gettate le sagre Reliquie in luoghi immondi per timore d'essere scoperti.*

[2] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 223.

[3] Haec in n. 23 Formulae I: « Celebrandi..., per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro, et sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit ».

iudicaveris, ad sacros Ordines promoveantur; nisi enim nationales initiaveris, nunquam tibi poterit sufficiens operariorum copia suppetere. Neque deterrearis velim ex eo, quod Malabarensis iuvenis abs te nuper promotus insanierit. Id enim ex morbo accidisse patet, neque exinde arguere licet idem etiam de aliis esse eventurum. Ne igitur te in incolis ordinandis tam difficilem praebeas. Fateor equidem haud ita facile in promptu haberi posse iuvenes bene moratos, qui promoveri possint ad Ordines, nisi locus sit, in quo instituantur: verum ex eo A. T. debet inferre, quanta sit amplificandi ac perficiendi istius Seminarii necessitas. Hoc magnum opus tibi faciendum superest; quo peracto, apostolici ministerii stabilitati ac successioni in istis partibus satis consultum erit. Hoc itaque alacriter aggredere, ad hoc totis viribus incumbe; et si quid in eo perficiendo Sacra haec Congr. tibi prodesse poterit, lubentissime faciet.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 221].

4670.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Sedis Patriarchalis Syror.), 25 sept. 1802.

La elezione dei Patriarchi non può aver vigore nè effetto, se non è confermata dal Sommo Pontefice. Ciò presupposto, Ella faccia intendere all'eletto, che prima d'ogni altra cosa mandi alla S. Congregazione la professione di fede cattolica segnata di proprio pugno e sottoscritta da testimonii nelle forme legali, e trasmetta insieme gli atti della sua elezione, deputando in Roma un Procuratore, il quale agisca in nome del medesimo per riportare dal S. Padre non men la di lui conferma in Patriarca de' Siri che il Sacro Pallio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 30].

4671.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Pekin.), 16 ian. 1803.

1. Num verba divi Pauli (I ad Corinthios, cap. VII, v. 15): *quod si infidelis discedit, discedat*, intelligenda etiam sint de catechumenis, seu potius utrum Titius catechumenus possit ducere Bertham catechumenam, et a suo marito infideli propter religionem repudiatam?

2. Praedicta Bertha tenereturne redire cum primo marito, si postea conversus illam revocaret?

3. Tenereturne adhuc redire cum illo, si, Titio iam baptizato, illam nondum baptizatam revocaret?

R. Ad 1. Negative quia matrimonium non solvitur nisi per Baptismum. Ex quo patet responsio ad reliqua.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 665].

4672.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Chan-si), 16 ian. 1803.

An durante revocatione facta a Rev. Episcopo (Pekinensi) facultatis absolvendi omnes et singulos ex familia illius qui concubinam acceperat, legitima uxore dimissa, quidam ex ea familia, qui, non manifestantes intra Confessionem se esse ex supradicta familia, fuerunt ad Sacramenta admissi, monendi sint ut iterent Confessionem?

R. Poenitentes de quibus agitur, si sint in bona fide, non esse inquietandos.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 668].

4673.

S. C. de Prop. Fide, instr. 16 ian. 1803.

Questa S. C. non ha creduto potersi intieramente approvare il sistema ch'Ella dice avere adottato coi penitenti che non si emendano, sia per rapporto alla maniera che tiene nell'imporre ad essi le multe pecuniarie, sia nel non ammetterli alla Confessione. Il non ammettere alla Confessione i penitenti che non si emendano, è un togliere loro uno dei mezzi più forti per l'emendazione, giacchè nel presentarsi al confessore ricevono sempre delle esortazioni e stimoli a mutar vita; sembra dunque più utile che anzi loro prescrivano i confessori di tornare spesso, sebbene debbano negare loro l'assoluzione. L'imporre poi multe pecuniarie ai penitenti potrebbe allontanare molti dal sacramento per non volersi privare del loro denaro, e potrebbe rendere odioso il sacramento medesimo con la supposizione che si amministri ad oggetto di ritrarne profitto. Perciò tali multe non debbono imporsi se non con grandissima cautela e circospezione, nè debbono giammai esigersi dal confessore; ma se in qualche caso verranno imposte, si avranno a far consegnare in mano altrui nella maniera più conveniente.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 498, nota 1].

4674.

S. C. de Prop. Fide, 30 ian. 1803.

S. C. apostolica auctoritate ac indulgentia, declaravit servari posse consuetudinem, quam in Tunkino vigere expositum est, utendi in baptizandis adultis caeremoniis pro infantium Baptismate praescriptis, ubi id rationabilis necessitas, vel temporis angustia ad caeteras sacri ministerii functiones explendas, seu nimia missionariorum defatigatio exigat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 669].

4675.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Antibar.), 2 aug. 1803.

1. Se possa permettersi ai cattolici di accompagnare i cadaveri degli scismatici alla sepoltura con candele accese in mano.

2. Se possa permettersi che i cattolici facciano da patrini nei battesimi degli scismatici, e che intervengano come testimonii nei matrimonii dei medesimi.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative quoad utramque partem.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 672].

4676.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 16 ian. 1804.

Se nelle chiese non solennemente benedette, come sono colà per la maggior parte a scanso degli inconvenienti che occorrono in tempo di persecuzioni, possano erigersi le confraternite del SSmo Sacramento, del Nome di Gesù e del Rosario.

R. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 673].

4677.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Cochinchin.), 16 ian. 1804.

An privilegio utrique Indiae olim a S. Sede concesso, nonnisi singulis Quadragesimae feriis sextis, Sabbato Sancto, et Vigilia Nativitatis Domini ieiunandi, uti liceat sacerdotibus indigenis harumce partium, utpote ad gentem neophytam, et viribus infirmam pertinentibus. Ratio dubitandi est quod quidam dicunt illos sacerdotes, ex quo Ordines sacros susceperunt, non debere amplius inter neophytos computari.

2. In quibusdam locis (Cocincinae) iniungitur catechistis vel etiam aliis prudentioribus laicis ut quoscumque christianorum infantes cito baptizent, licet isti bene valeant, cum abest sacerdos, vel est eum adeundi difficultas.

R. Ad 1. Concessionem de qua agitur, sacerdotes etiam indigenas comprehendere.

Ad 2. Consuetudinem de qua agitur probandam esse.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 674].

4678.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Cochinchin.), 11 febr. 1804.

1. An matrimonia possint in foro externo declarari nulla atque invalida, quando eorum nullitas in foro conscientiae cognoscitur, sed non potest in foro externo probari.

2. An praefati coniuges ad aliud possint admitti matrimonium, quamdiu impedimentum sui prioris matrimonii manet occultum, atque nullitas praedicti sui matrimonii non est probata in foro externo.

3. Quomodo agendum sit cum iis, qui ad alias nuptias transiere, quamvis impedimentum prioris sui matrimonii occultum maneat, neque probari possit in foro externo.

4. An liceat huiusmodi coniugibus, si nullum adsit neque timeatur scandalum, in posteriori suo matrimonio remanere, quamvis nullitas prioris in foro externo probata non fuerit.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. In foro externo secundum matrimonium nullum esse habendum.

Ad 4. In foro externo non licere; monendi tamen coniuges ut impedimentum notum faciant, et Vic. Ap. utatur facultate dispensandi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 675].

4679.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Cochinchin.), 11 febr. 1804.

In folio facultatum quas S. Sedes Vicariis Apostolicis concedit, sic habetur n. 10: *Hae vero dispensationes matrimoniales videlicet sexta, septima, octava et nona, non concedantur nisi cum clausula* dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, *et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.* Porro tempore persecutionum quae aliquot in locis grassatae fuerunt, dispensationes matrimoniales ne scripto quidem tradebantur, sed verbo tenus. Posterioribus vero temporibus, in huiusmodi dispensationibus, insertum quidem est quod conceduntur ex facultate a S. Sede obtenta, sed a quibusdam neque expressum est tempus ad quod Vicariis Ap. praedicta facultas fuerat concessa, neque exposita est clausula *dummodo mulier rapta non fuerit.* Dubium autem facessit hoc quod reperitur in Bullario s. m. Benedicti XIV, tom. 2, pag. 223. Quaeritur igitur utrum huiusmodi praefatae dispensationes sint licitae, an saltem validae?

R. Omissionem clausularum concessionum validitati non officere, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 677].

4680.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 27 ian. 1805.

Posse sed non debere (missionarios) occasione qua infantes in periculo mortis constitutos in privatis locis baptizant, adhibere, si tempus ferat, omnes caeremonias quae in Rituali Rom. pro Baptismo solemni praescribuntur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 678].

4681.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Helvetiae), 7 mart. 1805.

Se sia da tollerarsi che i cattolici ritengano nella sagrestia comune ai protestanti l'Olio Santo, il S. Crisma e la SS. Eucaristia.

R. Serventur in loco non promiscuo cum acatholicis, et si alius desit, in aedibus parochi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 681].

4682.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Smyrnen.), 29 iun. 1805.

Intorno al di Lei quesito: dato che il clero secolare debba avere la precedenza sopra il regolare, quando si trova in corpo, se per formarsi tal corpo debba esservi il Vic. Ap. come capo. Al che Le rispondo non esservi alcuna necessità del Vic. Apostolico. I preti secolari di numero non meno di tre, portando veste lunga, cotta e berretta, uniti insieme nelle sacre funzioni formano da se medesimi corpo.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 222].

4683.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1806.

Trattandosi di sola benedizione nuziale, dovrà piuttosto ai coniugi dichiarare che una tal benedizione, benchè utile e salutare, non è però necessaria alla validità e insolubilità del loro coniugio, e recitare perciò sopra gli sposi ciò che prescrive il Rituale Romano, prescindendo dal richieder loro la rinnovazione del consenso, e dal proferir le parole *Ego vos coniungo etc.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 522, nota 1].

4684.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 14 ian. 1806.

S. C. censuit: Esse improbandam praxim praebendi in ipso tribunali Poenitentiae chartulam sigillo signatam iis fidelibus quibus permittitur Communio, qua postridie exhibita, ad sacram Mensam admitti possint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 683].

4685.

S. C. de Prop. Fide, decr. 14 ian. 1806.

Cum pluries a S. C. de Prop. Fide et a S. C. S. Officii quaesitum fuerit, quomodo intelligenda esset conditio illa apposita facultati dispensandi super impedimento disparitatis cultus, ut ea dispensatio locum habeat in locis tantum *ubi sunt plures infideles quam christiani*, utrum nempe necesse esset ut in ipso pago vel vico, ubi dispensatio conceditur, plures essent infideles quam fideles; an potius sufficeret, ut in tota toparchia pluribus pagis constante plures essent infideles quam christiani, etiamsi secus esset in pago ad eam toparchiam pertinente, in quo dispensatio concedenda est; utraque S. C. constanter respondit, vi verborum facultatis, opus esse ut in ipso pago, in quo dispensatio conceditur, plures sint infideles quam christiani. Verum anno 1736, cum Episcopus Coricensis Visitator Ap. Missionum Tunkini occidentalis, idem dubium proposuisset, atque incommoda gravissima exposuisset, quae saepe orirentur si in singulis pagis ea conditio observanda esset, re ad S. Congr. S. Officii mandata, dubioque ibi his verbis concepto: *Utrum per ly* locis *intelligatur unus tantum pagus, etsi tenuis, vel extendatur ad unam v. g. toparchiam, vel etiam ad totum districtum uniuscuiusque missionarii*, sequens prodiit rescriptum: *Verba facultatis dispensandi in locis tantum ubi sunt plures infideles quam christiani intelligenda esse stricte pro singulis pagis*. An autem sit amplianda facultas dispensandi ad unam toparchiam vel ad integrum districtum uniuscuiusque missionarii, dixerunt: *Pro extensione quoad unam toparchiam tantum, si SSmo D. placuerit*. Et fer. IV, die 12 supradicti mensis septembris 1736, facta per R. P. D. Assessorem S. Officii, in solita audientia relatione SSmo D. N. Clementi PP. XII, Sanctitas Sua petitam extensionem et facultatem benigne concessit.

Nuper vero S. C. de Prop. Fide, animadvertens eadem ipsa incommoda ab Episcopo Coricensi tunc exposita, in aliis etiam Indiarum orientalium locis vigere, si in singulis pagis vel vicis ea conditio implenda sit, stricte retenta illorum verborum significatione iuxta antiquas supra memoratas resolutiones, censuit supplicandum SSmo, ut facultatis extensio a sa. mem. Clemente PP. XII facta, ut supra, Episcopo Coricensi, concedatur iis etiam omnibus, quibus in Sinis et universis Indiis orientalibus a S. Sede

facultas data iam fuit, vel in posterum dari contigerit, dispensandi super impedimento disparitatis cultus ea cum conditione *in locis ubi sunt plures infideles quam fideles*, ita ut vi ampliationis praedictae conditio illa, in casu de quo agitur, generatim in posterum intelligenda sit, non de singulis pagis vel vicis, sed de singulis toparchiis.

Insuper, ad omnem dubitationem praescindendam, supplicandum item SSmo decrevit, ut dignaretur sanare in radice matrimonia omnia contracta cum dispensatione super cultus disparitatis impedimento, ante cognitum huiusmodi ampliationis seu extensionis generale decretum in pagis vel vicis ubi plures erant christiani quam infideles, eo quod sufficere putaretur ad dispensationem si in tota toparchia, vel ampliori regione, plures erant infideles quam christiani. Quam S. Congreg. sententiam, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, ac petitam extensionem et sanationem benigne concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 684].

4686.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Orient.), 14 ian. 1806.

In facultatibus ordinariis ad num. 11 conceditur facultas *dispensandi cum gentilibus plures uxores habentibus ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fit, retinere possint, nisi prima voluerit converti*. Quaeritur: Utrum *plures* intelligatur simul ac coniunctim praecise, an intelligatur etiam de habentibus plures successive, ita ut vir infidelis qui dimissa prima uxore alteram duxit, et hac pariter dimissa, alii vel aliis successive adhaesit, post conversionem et baptismum quam ex illis maluerit (sive adhuc cum eo habitantibus, sive iam relictis) si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possit nisi prima voluerit converti.

2. Quando petentes dispensationem (matrimonialem) ambo propter cooperationem ad superstitiosa, vel propter alia impedimenta, Sacramentorum incapaces sunt, quamdiu in eo statu permanent, nulla eis conceditur dispensatio; *Quaeritur:*

Utrum dispensatio matrimonialis eis licite concedatur quorum una tantum pars Sacramentorum capax, altera vero superstitiosis contributionibus, vel aliis implicata existit.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Posse concedi huiusmodi dispensationes, concurrente urgentissima causa, et remoto scandalo ac periculo perversionis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 685].

4687.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Chen-si et Chan-si), 8 febr. 1806.

1. An possit permitti ut christiani, occasione matrimoniorum gentilium, et maxime funerum, concurrant ad caeremoniam vulgo *Ly*, dando videlicet parum pecuniae in adiuvamen expensarum, etiam sine praevia protestatione non concurrendi ad superstitiosa. Dubium exurgit quia ethnici semper plus minusve in ipsorum matrimoniis atque praesertim funeribus miscent, emunt, et agunt aliquid superstitiosum.

2. An liceat christianis locare domos et officinas gentilibus? Ratio dubitandi est quia gentiles in nobiliori loco domuum istarum et officinarum appendunt idola, erigunt altare, accendunt lampadem, cremunt thymiamata, reverentiam *koteou* exhibent, ac alia superstitiosa exercent.

3. An sit licita praxis locandi fornacem gentili quando christianus scit ipsum gentilem incoquere lateres pro fanis aedificandis.

Ad 1. Non licere.

Ad 2. Licere locare domos aut officinas gentilibus, si constet domos peti ad inhabitandum, et officinas ad usum indifferentem; non licere tamen, si expresse petantur ad fanum construendum.

Ad 3. Non licere fidelibus locare fornacem gentilibus quando constet fornacem peculiariter et praecise peti aut ordinari ad coquendos lateres pro fanis aedificandis; licere tamen fidelibus locare fornacem gentilibus quando constet eam peti ad coquendos lapides pro aedificiis indistinctim construendis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 686].

4688.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1807.

Precibus Vicarii Apost. Cocincinae et Procuratoris Missionum Indiae, qui supplicant pro facultatibus favore missionariorum, vel, saltem Vicariorum App. ad commutanda in alia opera ipsorum iudicio utiliora, vel in generalem Missionum utilitatem, pia legata et oblationes, particularibus quibusdam casibus offerentium voluntate destinatas, S. Congregatio ita absolute et generaliter annuendum non esse iudicavit. Obstant siquidem generali huic concessioni gravissimae difficultates, ob quas S. Sedes facultatem huiusmodi absolutam et generalem nunquam esse censuit elargiendam. Postulat enim imprimis ius naturale et divinum: iubent canonicae, civilesque ipsae leges: pluribus denique in locis studiose commendat Sacrosancta Synodus Tridentina,[1] ut voluntates fidelium, facultates suas in pias

[1] Sess. VII, *de ref.*, c. 15; sess. XXV, *de ref.*, c. 8.

causas donantium vel relinquentium, diligentissime impleantur, et in eos precise usus, iuxta modum conditionesque iis benevisas, pecunia inde obventa insumatur ad quos destinata fuit, neque in alios convertatur, etsi meliores utilioresque videantur; si secus fieret, fidelium voluntates, quae pro lege habendae sunt, fraudarentur, ipsique, magno cum Ecclesiae detrimento, a piis huiusmodi largitionibus retraherentur. Quibus vero pro eorum munere administratio bonorum seu pecuniarum huiusmodi concredita est, ii nullis laboribus et difficultatibus deterrendi sunt ab iis conservandis, custodiendisque, atque in rationum codicibus conficiendis: eam omnem diligentiam in hisce omnibus adhibentes, quam prudens ac probus paterfamilias adhibere solet in rebus suis. Commutari quidem Sedis Apostolicae auctoritate possunt fidelium voluntates, ex textu in Clementin. *Quia contingit*, tit. *de relig. domib.*, atque *alterari usus illorum quae per fideles donata sunt vel relicta*, uti adnotavit Glossa verbo *Sedis Apostolicae*, sed commutationes ex Tridentino Concilio (Sess. XXII, cap. 6, *de ref.*) *nonnisi ex iusta et rationabili causa fieri debent*, ut Summus Pontifex fidelis et prudens administrator habeatur et sit.

Qua lege cum Summus idem Pontifex obstringatur, qui solus potestatem habet perficiendarum huiusmodi commutationum, ipsius est cognoscere et iudicare de causa, quae in singulis casibus interveniat, talis nempe sit nec ne, ob quam iuste et rationabiliter a voluntate piorum offerentium, sive interpretando sive commutando recedi possit. Saepe enim accidit ut pecuniarum oblatarum pios usus differri potius expediat quam immutari, vel ut oblatas pecunias in unum potius, quam in alterum a postulantibus forte propositum atque expetitum usum converti necessitas aut maior utilitas postulet: in quarum rerum iudicio si ab inferioribus, quibus ab Ap. Sede commissum sit, forte peccetur, supremo bonorum Ecclesiae, rerumque Deo oblatarum administratori ac dispensatori, vitium huiusmodi a Deo iudice imputaretur.

Hisce omnibus de causis fit ut S. Sedes abstineat a facultate huiusmodi deleganda, sed ad iudicium eius particulares casus deferri iubeat, ut perpensis omnibus circumstantiis, quid magis in Domino expediens iudicaverit, ipsa constituat ac decernat.

Quoniam vero in tanta locorum distantia, et in tanta difficultate recursus, ob actuales praesertim earum partium circumstantias, nonnulli casus dari possunt in quibus absoluta necessitas celerem exigat providentiam, idcirco uni Vicario Ap. Cocincinae aliquas facultates certis quibusdam conditionibus alligatas a SSmo D. N. impetrandas censuit S. C. quae in separato decreto exprimuntur, quibus idem Vicarius caute, prudenter, et iuxta modum in decreto expositum utetur. — *En decretum:* « Ex Aud. 25 ianuarii 1807. — SSmus... Vicario Ap. Cocincinae facultatem benigne concessit commutandi eleemosynas et pia legata certo cuidam operi ex benefactorum voluntate addicta, in alios pios usus, in casibus dumtaxat in quibus necessitas urgeat, ac praescripti operis exequutio impossibilis agnoscatur, ita tamen ut in his casibus commutationem faciat in opera meliora, et de consensu missionariorum; eaque demum peracta certio-

rem reddat Sacram hanc Congregationem pro obtinenda Apostolica approbatione ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 689].

4689.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Chen si et Chan-si), 30 ian. 1807.

Inter dubia ab A. T. superiori anno proposita duo, quae hic referuntur, minime resoluta fuerunt: « 2. An queant dispensari super disparitate cultus mulieres illae christianae ab antiquo gentilibus absque praevia dispensatione traditae, quibus a maritis libertas quidem conceditur sese in sacra religione exercendi, sed non est in tuto posita proles, aut nata, aut nascitura, ut possit baptizari, ed in christiano ritu educari: vel potius huiusmodi praxis agat contra regulas ab ista S. C. pro usu similis dispensationis cum S. Thoma datas ». — Ampl. Tua teneri ac sequi debebit Instructionem, quae in casu perfecte uniformi, matrimonia iam contracta respiciente, Vicario Apostolico Sutchuen. missa fuit ex decreto fer. V diei 12 ianuarii 1769.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1271].

4690.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.), 30 ian. 1807.

Responsa seu decreta, alterum Supremae Inquisitionis diei 1 augusti 1759,[2] alterum Sacrae huius Congregationis diei 16 ianuarii anni 1797[3] minime invicem pugnant. Lata enim sunt in casibus, quorum particulares facti circumstantiae inter se diversae erant, quae si attente perpendantur, facili negotio decreta ipsa inter se concordantia et consona reperientur.

In casu enim a Coccinensi Episcopo proposito anno 1759 agebatur de infideli « qui fidelem coniugem non dimittit, sed cohabitare pergit ut coniux, sine contumelia Creatoris, imo cum spe conversionis, idque ad longum tempus, et etiam ad aliquot annos, sed postea mutata voluntate, infidelis discedit, sive odio fidei, sive alia de causa ». Hac posita facti specie quaerebatur, an in casu discessus *in odium fidei* maneret integrum ius parti fideli utendi privilegio fidei, non obstante pacifica infidelis cohabitatione post alterius partis conversionem ad fidem christianam: et responsum fuit: « affirmative ». Quaerebatur insuper utrum parti fideli maneret pariter

[1] Cf. N. 822.
[2] Cf. N. 810.
[3] Cf. N. 4652.

integrum privilegium fidei, etiamsi infidelis ab ea discederet ob alias causas ab eius conversione ac fide independentes: et « negative » responsum fuit, si pars fidelis post longum tempus pacificae cohabitationis post conversionem, praeberet parti infideli iustam et rationabilem discedendi causam puta per adulterium, ob idque additum fuit *dummodo pars fidelis iustum ac rationabile motivum non dederit discedenti.*

Viceversa in decreto huius S. Congregationis anni 1797 actum fuit de casu in quo adulterium partis fidelis perpetratum fuerat ante eius conversionem, repudio inde sequuto et quaesitum fuit an pars iam adultera et repudiata, si postea christianam fidem amplexata fuisset, et pars infidelis cohabitare cum illa recusasset, uti posset privilegio *favore fidei* concesso, ed ad alias nuptias transire: et iuste responsum fuit: *affirmative praemissa interpellatione, nullaque praeterea habita ratione utrum nec ne praecesserit sive adulterium sive repudium*, quoniam adulterii macula praecedens, per conversionem et Baptismum sublata censenda erat, et pars infidelis irrationabiliter et iniuste in suscepto consilio perseverabat minime se parti fideli reconciliandi. Quare si in hoc casu infidelis accepta interpellatione, recipere partem fidelem, et habitare cum illa absque Creatoris iniuria recuset, iustum non est ut ob irrationabilem hanc aversionem, pars fidelis in statu voluntariae continentiae cum peccandi periculo maneat.

Diligenter itaque utriusque quaestionis statu distincto, omnis e medio tollitur ambiguitas. Cum enim agitur de infideli qui secum iam partem fidelem post conversionem retinuit, et retinere in posterum pergeret, si haec illi iustam et rationabilem discessui causam, praesertim per adulterium praeberet, in hoc casu infidelis discessus minime habilem reddit partem fidelem ad alias nuptias ineundas, atque hic casus est ad quem respicit decretum anni 1759. Quum vero agitur de infideli, qui requisitus ut parti quae fidelis evasit se consociet, cum eaque cohabitet, id recuset eam unice ob causam quod, ob adulterium ante conversionem admissum eam repudiaverat, hoc in casu, infidelis recusatio liberam reddit partem fidelem ad alias nuptias convolandi, et hic est casus ad quem refertur decretum anni 1797.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 690].

4691.

S. C. de Prop. Fide, decr. 13 apr. 1807.

Cum innotuerit, plures inter chaldaeos catholicos Patriarchatus Babylonensis irrepsisse abusus, qui orthodoxae doctrinae, et Ecclesiae disciplinae adversantur, Sacra Congregatio ad eliminandos errores circa fidem, et ad instaurandam ecclesiasticam disciplinam, referente Emo ac Rmo Domino Antonio Cardinali Dugnani, regulas et decreta, quae sequuntur, statuit, edixit, atque ab universis catholicis chaldaici ritus inviolate observanda mandavit.

I. Quoniam delatum est, aliquos haereticorum libros inter chaldaeos eiusdem Patriarchatus disseminatos fuisse, Sacra Congregatio vehementer sollicita, ne fidelium animi pravis huiusmodi libris, aut doctrinis inficiantur, mandat Episcopis, ac parochis eiusdem nationis, ut fideles sibi concreditos diligenter moneant, retentionem, ac lectionem haereticorum librorum de religione tractantium, vel, ac multo magis haereses expresse continentium vetitam esse sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque poenis ab Apostolica Sede, et a sacris canonibus constitutis: ideoque teneri fideles omnes eiusmodi libros tradere Ordinariis, vel parochis suis, qui Delegato Apostolico a S. Sede constituto super Patriarchatu Babylonensi illos deferri curabunt. Quoad libros liturgicos, qui nestorianis erroribus infecti sint, providebit idem Apostolicus Delegatus iuxta instructionem quae a S. Congregatione eidem transmittitur.

II. Ad propellendas nestorianorum fraudes, omnemque avertendam erroris suspicionem, Sacra Congregatio decernit, ac praecipit catholicis universis chaldaici ritus, ut in nomenclatione Beatae Mariae Virginis adhibeatur pure ac simpliciter vocabulum *Theotocos*, sive Dei Genitrix; quod ab Ecclesia consecratum est in tesseram quae catholicos a nestorianis distinguit, relicto vocabulo *Christotocos*, quo Nestoriani abutuntur.

III. Episcoporum maxime est ea omnia, quae ad Dei cultum pertinent, diligenter curare. Administrator igitur et Episcopi Patriarchatus Babylonensis omnem dent operam, ut ea, qua decet, munditie ac nitore custodiantur Ecclesiae; ut sacrae supellectiles vasa et ornamenta, ad Ecclesiae ministerium instructa, munda, integra, ac plane decentia sint: ut denique sacra pixis, peracta fidelium communione in tabernaculo reponatur, infligantur pro ratione culpae contra Ecclesiae custodes, vel procuratores, qui haec negligunt, ecclesiasticis poenis.

IV. Domus Dei locus orationis est, ideoque praecipitur, ne in ecclesiis viri et mulieres dormire promiscue audeant: Episcopi, quatenus abusum hunc aliis remediis cohibere opportunum non iudicent, poterunt etiam anathematis poena in illos animadvertere.

V. Administrator Patriarchatus Babylonensis iuxta laudabilem Patriarcharum orientalium consuetudinem in aliquo monasterio, vel saltem penes Ecclesiam residere omnino debebit. Episcopi etiam, si fieri potest, vel in monasterio, vel penes Ecclesias suas degere curabunt, a suarum familiarum contubernio seiuncti.

VI. Monastici instituti abolitionem inter chaldaeos maximo detrimento fuisse compertum est. Quare Administratori, et Episcopis eiusdem Patriarchatus sollicite demandatur, ut omni studio curent vetera monasteria, quae aliquorum malitia obserata fuisse constiterit, in pristinum restituere, illorum bona ab iniustis detentoribus vindicare, et monasticae vitae desiderium in fidelibus excitare, collatis studiis cum Delegato Apostolico, cui opportuna traditur hac de re instructio.

VII. Indecens est presbyteros ad comparandam sibi vitae sustentationem sordidas vilesque exercere artes, quae sacerdotali dignitati dedecus, et contemptum pariant. Quare presbyteri ab huiusmodi artibus se omnino abstineant; si vero necessitate compulsi honestam aliquam artem exercere cogantur, semper liberum aliquod temporis spatium sibi reservent, ut Ecclesiae ministerio vacare possint.

VIII. Qui ad ecclesiasticos Ordines promovendi sunt, a simoniae crimine (quod coeteroquin Ecclesia semper et in omnibus detestatur) diligenter caveant, in quod gravissimis ab Ecclesia poenis animadversum est. Sciant enim, tam simoniace promoventes, quam simoniace promotos ad Ordines, excommunicationem maiorem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrere. Praeterea qui simoniace ordinant, ipso facto a collatione omnium ordinum per triennium suspensi manent; qui vero simoniace ordinati sunt, suspensi pariter manent ipso facto nedum ab Ordinibus, quos simoniace susceperunt, sed etiam ab aliis Ordinibus, ad quos absque simoniae labe promoti fuerunt. Quapropter tam ii qui simoniace manus imposuerunt, quam ii qui simoniace iam ordinati fuerunt, consulant conscientiae suae, et ab exercendis Ordinibus omnino abstineant, nisi prius absolutionem a censuris impetraverint. Quod si irretiti censuris in Ordinibus ministrare praesumpserint, sciant, se irregularitatem etiam incursuros. Pro absolutione autem a censuris, et pro dispensatione ab irregularitate, si forte in eam quis inciderit, ad Apostolicum Delegatum se conferat.

IX. Sedulo etiam caveant tam Administrator patriarchalis, quam reliqui Episcopi, ne dispensationes largiantur, nisi urgens et iusta ratio, et maior quandoque utilitas id postulet; ideoque nunquam dispensent, nisi causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, iuxta mandatum Sacri Concilii Tridentini (Sess. 25, cap. 18, *de ref.*), adhibitis in consilium idoneis, probisque sacerdotibus, ac peritioribus missionariis. Si qui autem simoniace vel absolverint, vel dispensaverint, vel spirituales alias gratias, aut indulta concesserint, absolvi non poterunt, nisi ab Apostolico Delegato, qui in casibus particularibus iuxta criminum gravitatem providebit, vel per se vel per sacerdotes sivi benevisos.

X. Nullus bigamus ad Sacros Ordines promoveatur; sed si Ecclesiae necessitas postulet, recurrant in casibus particularibus ad S. Sedem. Diaconi vero, qui ab haereticis ordinati sunt, si alteram uxorem duxerint, ministerium suum exercere non possint, nisi necessariam ab eadem Apostolica Sede dispensationem obtinuerint.

XI. Plures simultanee Ordines nullo modo ab Episcopis conferantur, sed servatis interstitiis ab Ecclesia statutis: nemo autem ad Ordines promoveatur, nisi praevio maturo examine idoneus repertus fuerit.

XII. Nemini pariter tribuatur facultas excipiendi sacramentales fidelium confessiones, nisi prius diligenti examine instituto de sufficienti peritia sua in rebus moralibus plane constiterit.

XIII. Non licere sacerdotibus fidelium confessiones excipere in privatis aedibus, nisi rationabilis causa excuset: quae cum inciderit, ac aegrotantium praesertim mulierum audiendae sint confessiones, cubiculi ianua sit patefacta, ut conspici tam confessarius, quam paenitens possint.

XIV. Hortandi erunt clerici, ut semel saltem in mense ad Poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta accedant; diaconi vero, ut saltem bis in mense.

Quo vero ad illos, qui, dum peraguntur sacrae functiones, in tabernis, vel
officinis vino epotando dant operam, poterunt Episcopi in eos poenam
suspensionis decernere.

XV. Antistites diligenter invigilent, ut ecclesiarum et monasteriorum
reditus, nec non fidelium oblationes in eos usus penitus impendantur,
pro quibus institutae, vel praestitae sunt; accuratam vero rationem ab
aliis, ad quos pertinet, de illarum erogatione statutis temporibus exigant.

XVI. Singuli sacerdotes sacrificium Missae licite valeant celebrare
iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent. Quod si secun-
dae, et ulteriores oblationes pro eiusdem sacrificii applicatione superad-
duntur, sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles poste-
riore loco offerentes de aliis oblationibus ad eundem finem acceptis, et
nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore decla-
rent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum.
Eorum autem mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, minime adimpleri
a sacerdotibus per solam adiectionem particularum, et commemorationem,
quae in panis praeparatione ante Missae sacrificium fieri solent; cum om-
nino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium
voluntate aliter fiat: quemadmodum declaravit Benedictus XIV in Consti-
tutione, quae incipit *Demandatam*, edita die 24 decembris 1743, § 10.[1]

XVII. Caute invigilent Episcopi, ne confessarii peccata in poenitentiali
iudicio detecta revelare praesumant; et contra delinquentes pro criminis
gravitate procedant ad normam sacrorum canonum, ac praesertim Decre-
talis Innocentii III in Cap. *Omnis utriusque sexus, De Poenit. et remissio-
nibus.*

XVIII. Curent Episcopi, ut in singulis ecclesiis parochialibus, saltem
Dominicis, aliisque festis diebus, inter Missarum solemnia, aliqua ex iis,
quae in Missa leguntur, praesertim vero Evangelium aliaque salutis mo-
nita, vernacula lingua exponantur, delectis ad huiusmodi munus idoneis
ministris; absoluta vero praedicatione, servetur pia consuetudo recitandi
actus virtutum theologalium: quibus functionibus etiam presbyteri, et
diaconi sub poena suspensionis interesse teneantur.

XIX. Singulis pariter diebus festis ad vesperas parochorum munus
erit, pueros, aliosque rudes homines, catholicae fidei rudimenta, nec non
obedientiam erga Deum, ac parentes diligenter edocere, atque in lege
Domini erudire, accitis etiam ad hoc munus aliis de clero expertis viris.

XX. Omni etiam studio adlaborent Episcopi et parochi, ut a parentibus
filii mittantur ad christianam perdiscendam doctrinam, et quoties illa-
rum monita ac praecepta in re tanti momenti suo careant effectu, poterunt
quidem Episcopi ea quoque adhibere remedia, quae in eorum potestate
sunt ad continendos in officio fideles inobedientes. Similiter se gerere
poterunt circa parentes, qui festis diebus ducere vel mittere negligunt
filios suos ad audiendum Sacrum, quique statutis temporibus nihil sol-
liciti sunt, ut filii sui Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta suscipiant.

[1] Cf. N. 338.

XXI. Curabunt Episcopi, ut Sacerdotes excipientes Confessiones
fixum illud immotumque habeant, invalidam esse absolutionem sacra-
mentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* imper-
titur; nec posse homines Deo per huiusmodi sacramentum reconciliari,
nisi prius, excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem Fidei educan-
tur. Sedulo etiam animadvertent confessarii, in aliud tempus reiiciendam
esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate *praecepti* suo vitio
nescit; eoque solum quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se
vincibilis huius ignorantiae reum cognoscat et accuset, intimeque dolens
tum a Deo veniam precetur, tum sacerdoti serio promittat, operam se
impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria
praecepti. Ita Benedictus XIV in Constitutione, quae incipit *Etsi minime
Nobis*, edita die 7 februarii 1742, § 12.[1]

XXII. Curent Episcopi, et parochi, ne matrimonia diutius quam ad
annum post inita sponsalia protrahantur.

XXIII. Denique Episcopi sedulo hortentur fideles, ne se mutuo ad
saecularia iudicia deferant; quod in fidelibus tantopere improbat S. Paulus
Epist. ad Corinth., cap. 6; sed potius se referant ad Episcopos, et si Epi-
scopus desit, ad parochos, qui controversias de bono et aequo componant,
accitis etiam in consilium, si expedire iudicaverint, probis aliis doctisque
sacerdotibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 692].

4692.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Vic. Ap. Siam), 30 apr. 1808.

Non est liturgia in lingua vernacula, nec rituale, nisi quod attinet ad
solemnem administrationem Baptismi adultorum, quod in linguam verna-
culam translatum est. Circa interrogationes, fiunt in lingua vernacula;
circa vero documenta et quaedam alia, est mihi dubium utrum possim legi-
time uti lingua vernacula. Ratione timoris, soleo uti utraque, tum latina,
ut non utar licentia quam non habeo, tum vernacula ut intelligar a reci-
pientibus et adstantibus. Circa quod supplico EE. VV. decernere quid in
posterum facere debeam.

R. Scribendum Vicario Apostolico Siamensi Baptismum in Ecclesia
latina administrandum esse idiomate latino, iuxta Rituale Romanum. Cae-
terum, nihil obstare quominus lingua vernacula explicentur ea omnia quae
pertinent ad ipsum Sacramentum Baptismi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 695].

[1] Cf. N. 324.

4693.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Chen-si), 30 apr. 1808.

1. An christianis fas sit invitare ad funus eos infideles qui, si interve-niant, patrias se esse facturos superstitiones praevidentur, puta *ko-teou* ante feretrum. Ratio dubitandi est quia, nisi invitentur, superstitionibus obsistere nequeunt christiani.

2. Quum in kalendario publico indicentur dies fausti et mali pro ducen-dis uxoribus et sepeliendis mortuis, quaeritur num christiani dies seligere teneantur diversos ab iis qui in praefato kalendario fausti vocantur. Dubi-tandi ratio est quia in Sinis nullum est determinatum tempus, aut sta-bilis consuetudo mortuos sepeliendi, ita ut domi non solum per aliquot dies, verum etiam per menses et annos cadavera in feretro inclusa reti-neantur. Ast si illa dies, qua cadaver humari statutum fuerit, in eam inci-dat quae ut fausta indicatur in eodem kalendario, christifideles, qui pro suo lubitu diversam diem seligere possunt, ne scandalo afficiant infideles, aliam diem in conscientia eligere obligati mihi videntur: eo vel maxime, quia qui hoc advertenter faciunt, sunt divites pompae amatores, (qui) si seligerent diem quae fausta haud est indicata, deridentur a gentilibus, qui etiam funeri interesse renuunt, dicentes, qua de causa non eligatur alia dies fausta indicata in libro *Hoang-ly* europaeorum missionariorum nomine condecorato.

R. Ad 1. Transmittatur Instructio edita pro Vicario Apostolico Tun-kini Orientalis a Benedicto XIV die 14 ianuarii 1753, [1] et extensa ad alias missiones sinenses decreto S. O. anni 1757. [2]

Ad 2. Non teneri; et quatenus in aliquo particulari casu scandalum timeatur, removendum esse opportuna instructione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 696].

4694.

S. C. de Prop. Fide, decr. 28 sept. 1812.

Cum sacrae missiones maxima nunc operariorum penuria laborent, aliunde vero innotuerit, aliquos missionarios, vel arbitratu suo, vel facta pridem potestate, in patriam velle reverti; alios autem ex una ad aliam Mis-sionem pro suo ingenio transire: ad compescendam huiusmodi licentiam, ac ne fideles, qui in partibus infidelium, sive acatholicorum versantur, spiritualibus destituantur auxiliis, ex auctoritate a SSmo D. N. Pio PP. VII specialiter tributa decernitur atque in virtute s. obedientiae mandatur, ne ulli missionariorum liceat, assignatas sibi Missiones quovis obtentu dese-

[1] Cf. N. 4516.
[2] Cf. N. 808.

rere, donec aliter provisum fuerit, suspensa interim remanente omni prae-habita remeandi venia: nec ulli pariter liceat vel ad alienas Missiones, vel in patriam se se conferre absque speciali ac novo S. Congregationis man-dato, sub poena suspensionis; nisi forte aliquis ex noxia vitae ratione, Praefecti iussu, expulsus fuerit; proindeque cunctis Missionum Prae-fectis mandatur, ne aliquem alienarum Missionum absque novis Paten-tibus Litteris S. Congregationis suscipiant, ac ne iis, qui sponte migrare voluerint, itineris sumptus praebeant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 699].

4695.

S. C. de Prop. Fide, 29 dec. 1812.

Qual temperamento si debba prendere sul ricorso del Vescovo maro-nita N. specialmente rapporto alla deputazione del Vicario generale.

R. Spectare ad Episcopum Vicarii generalis electionem, nisi ipse ab episcopatu suspensus vel depositus sit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 700].

4696.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 mart. 1816.

Sacerdos qui dum Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicit, non potest olea sancta aquae benedictae immiscere, vel quia haec illi defi-ciunt, vel ob aliam legitimam causam, potestne fontem nihilominus eo die benedicere, oleorum sanctorum immixtionem ad alium diem diffe-rendo; an vero integram fontis benedictionem omittere eo die tenetur?

R. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et commu-nicetur decretum S. R. C. diei 12 aprilis 1755 in Lucana. *Parochi qui ante Fontis benedictionem olea sancta recipere non potuerunt, illa subinde priva-tim ac separatim in aquam mittere poterunt.* [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 703].

4697.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 mart. 1816.

1. Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum, et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate perseverantis sit de iure divino, atque

[1] Cf. N. 5798.

adeo necessaria ut, ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus: An solum pertineat ad formam iudicialem, nec requiratur nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde constat, indiciis moraliter certis, alterum coniugum nec fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare.

2. Posito quod ad primam partem respondeatur affirmative, quaeritur num sola de Religione amplectenda sufficiat interrogatio, *utrum* scilicet *pars in infidelitate remanens velit converti necne*, quod, Thomae Sanchez auctoritate freti, existimant aliqui ex missionariis; an potius interpellatio, *utrum saltem pars in infidelitate perseverans absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat*, sit quoque essentialis et absolute requisita, ita ut, illa praetermissa, non solum non licite, sed etiam non valide matrimonium dissolvi queat.

3. Utrum solemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus iuxta leges Regni, possit interpellationis locum tenere et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere; an potius, nulla repudii habita ratione, in iis etiam circumstantiis, duplex in iure praescripta ad validitatem dissolutionis matrimonii requiratur interpellatio.

4. Quaeritur quomodo se debeat gerere missionarius erga mulierem infidelem, absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat. Debetne illam de hac re prius interrogare, atque interea baptismum differre, donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque baptismate? Quid autem si consentit, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina.

5. Quaeritur an adulterium ansam praebeat coniugibus infidelibus, sicut et christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro fonte abluta fuerit, aut saeculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare.

6. Cum maritus infidelis suae uxori iam sacri Baptismi aquis tinctae, Religionem quidem servare permittit, nec aliquid peccati mortalis formaliter iubet; at illam in usu matrimonii ad multa gravia contra coniugalem castimoniam adeo importune pellicit ut mulier semper sit in gravi periculo peccandi mortaliter. Quaeritur, in hoc casu, an praefata mulier possit eum relinquere et ad alia vota transire. Quid autem si periculum non veniat ex altero coniuge, sed ab aliis qui in eadem domo sunt v. g. a socero qui suam nurum ad incestum sollicitat, vel a socru, muliere iurgiosissima et superstitionibus addictissima.

R. Ad 1. Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti, in casu de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta, legitimis ex causis, super interpellatione Apostolica dispensatione.

Ad 2. Interpellandum esse coniugem infidelem, non solum an converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum coniuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris, iuxta dispositionem Innocentii III, Cap. *Quanto, De divortiis*.

Ad 3. Faciendam esse interpellationem, etiam in casu de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad Sedem Apostolicam pro obtinenda dispensatione.

Ad 4. Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, Baptisma conferatur.

Ad 5. Coniugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divortium quoad torum, a coniuge infideli, ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris.

Ad 6. Mulierem conversam posse a viro infideli discedere, et ad alia vota transire, in casu quod ille eam pertrahat ad gravia peccata contra coniugalem castimoniam (cap. *Quanto* et cap. *Gaudemus* Innocentii III, *De divortiis*). Quod si pertractio mulieris conversae ad peccatum mortale non proveniat ab eius viro infideli, sed ab aliis qui in eius domo habitant, socero, exempli gratia, vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetant, se subducere ab ea domo, ubi ad graviter peccandum pertrahitur; non vero posse matrimonium dissolvere et ad aliud transire.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 704].

4698.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 mart. 1816.

Vir quidam infidelis, dimissa uoxre infideli, Annam mulierem fidelem duxit, quacum iam a sexdecim annis vivit; quos ex ea genuit filios baptizati sunt et christiane educantur; vult et ipse fieri christianus, at propter ingentem morum pravitatem baptizari non potest. De caetero Anna omnes habet conditiones quae a Sancta Sede requiruntur, ut locus sit concedendae dispensationi circa impedimentum disparitatis cultus. Haec igitur aliquod suae conditioni remedium ab indulgentia Sanctae Sedis Apostolicae confidenter expectat, exoratque humiliter, et eo quidem instantius, quod eam ille vir infidelis dimittere nolit, quodque insanabili ipsa morbo laboret: ubinam vero sit mulier infidelis iam dimissa, imo an adhuc vivat, nemo adhuc detegere potuit.

R. Quatenus obtineri possit moralis certitudo mortis uxoris infidelis dimissae a viro, de quo in casu, conceditur Vicario Apostolico facultas impetranda a Sanctissimo dispensandi cum Anna muliere fideli super impedimento disparitatis cultus, ad effectum contrahendi matrimonium cum praedicto viro infideli. Quod si nullo modo constare possit de secuta morte uxoris eiusdem viri, tentandam omnibus modis huius viri conversionem, ut dignus efficiatur recipiendi Baptismum, a quo non abhorret; ubi autem ipsum baptizari contigerit, facultas impetranda a Sanctissimo

conceditur praefato Vicario Ap. dispensandi cum eodem viro ut, irrequisita uxore infideli, quae inveniri non potest nec legitime moneri, matrimonium cum Anna fideli rite contrahere, in eoque remanere licite valeat. — SSmus adprobavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 705].

4699.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 mart. 1816.

Iulius, dimissa sua prima uxore infideli, post aliquot menses cohabitationis, fit christianus et Martham coram parocho accipit in coniugem absque ulla interpellatione, celato primo matrimonio, adhibitis etiam falsis testibus; paulo post vero prima uxor infidelis alteri etiam nupsit pagano. Iterum Iulius, bis iam consummato matrimonio cum Martha, tertio post nuptias die eam relinquit, secreto aufugiens ad regiones longinquas; ibi tertio duxit infidelem ex qua iam filios suscepit atque per chartam Marthae mandavit ut cuicumque vult nubere nubat. Martha autem, habita ratione aetatis, indolis ac loci et parentum, valde periclitans, licentiam petit alteri viro christiano nubendi. Porro interpellatio primae uxoris infidelis, quae ante matrimonium Marthae omissa fuit, necdum etiam nunc per tempus fieri licuit, nec spes ulla est quod a Iulio unquam fiat, vixque ab alio aliquo fieri poterit. Quod si fieri possit, et dicta illa coniux respondeat se tunc forte vel certo Religionem amplexuram et ad maritum rediturам fuisse, si fuisset interpellata ante matrimonium Marthae, quia ipsa tunc adhuc erat innupta (suspicor ego quod revera tunc erat sic animo disposita): si vero contra respondet negative; in utroque casu, ac etiam in casu quo nulla fieri possit interrogatio, quid sentiendum est de matrimonio Marthae ac de eius petitione ad alias nuptias convolandi? Supplicat vero eadem ut, si qua ratione fieri possit, eius necessitati S. C. benigne subveniat.

R. Matrimonium Iulii cum Martha nullum ac irritum fuisse, atque ideo dandum esse Marthae documentum suae libertatis, si nullum aliud intercedat canonicum impedimentum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 706].

4700.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 5 mart. 1816.

Quomodo se gerere debet missionarius erga poenitentem, cuius matrimonium coram se celebrandum sequenti die benedicturus est, quemque in sacro Poenitentiae tribunali minus dispositum ad recipiendam absolutionem sacramentalem deprehenderit esse?

1. Expeditne huiusmodi poenitentem indispositum hortari ad differendam sui matrimonii celebrationem, donec absolutionis capacem se exhibuerit, praesertim quando nullum praevidet ex ea dilatione oriturum esse grave damnum atque incommodum pro sponsis, vel scandalum pro aliis, et poenitentem suum huic hortamento et consilio obtemperaturum esse?

2. Supposito quod poenitens ille matrimonii sui celebrationem differre nolit, potestne missionarius, post declaratam ipsi necessitatem contritionis perfectae, ad supplendum defectum absolutionis, qua indignus iudicatur, oblataque motiva idonea ad ipsum ad huiusmodi contritionem perfectam excitandum, ei expresse permittere accessum ad matrimonium, modo se ita perfecte contritum legitime censeat, praevidens eum taliter admonitum absque ulla haesitatione accessurum esse?

3. In eadem suppositione, satiusne esset ipsum simpliciter hortari et excitare ad contritionem perfectam, accessum ad Matrimonii sacramentum expresse nec permittendo, nec prohibendo?

4. Si percipiat missionarius huiusmodi poenitentem, vel propter mentis hebetudinem, vel cordis duritiem, contritionis perfectae statim et sine praemissa longiori praeparatione concipiendae minus capacem esse, debetne, saltem in eo casu, ipsi praecipere ut ad aliud tempus matrimonii sui celebrationem differat?

5. In casu quo ambo coniuges matrimonium differre nollent, vel non possent, essetne prudens, poenitenti ad absolutionem haud praeparato suadere ut, elicito prius actu contritionis perfectae, statim ad consortem accedat, et cum eo contrahat et cohabitet, haud recepta benedictione nuptiali?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. et 3. Affirmative, si adsit aliqua iusta causa non differendi matrimonii celebrationem. Quod si nulla talis adsit iusta causa, confessarius hortetur poenitentem ut differat, seque prius disponat ad rite gratiam absolutionis percipiendam, monstrata eidem difficultate eliciendi contritionem perfectam. Quod si ex hac hortatione nullus obtineatur fructus, tunc satius erit illum hortari et excitare ad contritionem perfectam, et inde nec expresse permittat, nec prohibeat accessum ad matrimonium; monendo tamen quod, nisi habeat contritionem perfectam, graviter ac sacrilege peccaturus sit.

Ad 4. Affirmative; debet enim confessarius curare ut poenitens digne ac fructuose sacramentum recipiat; quamobrem, cum iudicat ipsum indigere longiori praeparatione ad excitandam necessariam contritionem, hanc illi praecipere debet, extra casum urgentis necessitatis, quo in casu curabit cum omni meliori modo disponere.

Ad 5. Negative: quando enim suadere missionarius potest poenitenti ut, elicita contritione perfecta, ad matrimonium accedat, non apparet ratio cur a benedictione nuptiali arceatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 707].

4701.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Bardstown), 1 apr. 1816.

An, cum valde difficile hic sit invenire patrinos quales Ecclesia requirit, Baptismus licite conferatur sine patrinis.

R. Si patrini haberi non possunt, absque patrinis non necessariis necessarium Baptisma conferendum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 709].

4702.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 1 apr. 1816.

An banna, seu proclamationes antenuptiales, etiam servanda sunt in matrimoniis servorum seu mancipiorum.

R. Affirmative, nisi accesserit dispensatio Episcopi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 710].

4703.

S. C. de Prop. Fide, 1 apr. 1816.

An lege politica matrimonia irritante, v. g. defectu consensus parentum in minoribus, sic ut declaret infantes illegitimos, matrimonia etiam illa censenda sint irrita in facie Ecclesiae contracta.

R. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 711].

4704.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Bardstown), 1 apr. 1816.

1. An licitum petere vel exigere taxam seu contributionem applicandam aedificandis novis ecclesiis, monasteriis et aliis piis causis, dum dispensatio quaedam v. g. in matrimoniis cum consanguineis conceditur, idque per modum eleemosynae, satisfactionis, etc. — 2. Quale ius habet Episcopus in bona et ad bonorum administrationem, quae a nobis hisce ecclesiis sunt acquisita. — 3. Quale sacerdotibus simplicibus curam Congregationum habentibus competit. — 4. An sacerdos simplex acquirat aliquod ius in similia bona quae intuitu Ecclesiae sunt data, illudque exerceat licite, invito Episcopo.

R. Ad 1. Licere per modum eleemosynae tantum, seclusa taxa. — Ad 2. Episcopos habere ius administrandi bona ab ecclesiis acquisita ad formam Canonum, et iuxta intentiones fundatorum. — Ad 3. Habere sub dependentia Episcopi. — 4. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 712].

4705.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Bardstown), 13 maii 1816.

1. An liceat sacerdoti venam aperire, aut alia quaedam artis medicinae exercere?
2. Quis optimus dicendus modus providendi sustentationi ministrorum hisce in novis regionibus?
3. Qualis obligatio incumbit laicis debitum hoc solvendi?
4. Licitne spirituale ministerium denegare iis, aut personis ad illorum spectantibus familiam, v. g. infantibus sacramentum Baptismi, si huic debito se submittere recusent?

R. Ad 1. Negative, nisi obtenta dispensatione, et in casu verae necessitatis.

Ad 2. Providendum esse ex reditibus ecclesiarum, et voluntariis fidelium oblationibus.

Ad 3. Teneri fideles in conscientia ad sufficientem sustentationem Ministrorum Ecclesiae.

Ad 4. Indignam viro ecclesiastico, et animadversione dignam quaestionem de sacris et ipso Baptismate denegandis iis qui oblationum debito se submittere recusant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 713].

4706.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Bosniae), 5 oct. 1816.

Al dubbio: « Se le facoltà della Form. II recentemente prorogate a V. S. *ad beneplacitum Sanctitatis Suae* expirent per mortem Romani Pontificis, quem Deus O. M. quam diutissime salvum atque incolumem servet », si risponde affermativamente.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 149].

4707.

S. C. de Prop. Fide, instr. (pro Mission. Sin.), a. 1817.

Quoniam Sacrosanctum Concilium (Tridentinum) id optandum proponit (Sess. 22, c. 6), « ut in singulis Missis fideles adstantes... sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent », ac fideles ipsos hortatur eam vitam agere (Sess. 13, c. 8), ut panem illum supersubstantialem *frequenter* suscipere possint, hinc nihil magis esset optandum, quam ut fideles frequenter sacrae Eucharistiae participes fierent, atque isthic praesertim, ut iis ad persecutiones ferendas vires sufficiant. Hoc supersubstantiali pane primis Ecclesiae saeculis Christi athletae quotidie roborabantur; de

hoc quovis die Dominico etiam agricolae participabant, teste Iustino (Apol. 2) aetatis suae mores describente. « Solis (seu Dominico) qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt conventus fit in eumdem locum... Precibus absolutis panis affertur, et vinum et aqua... et cuique praesenti fit distributio eorum in quibus gratiae sunt actae, eisque quisque communicat; absentibus autem per diaconos mittitur ». Non itaque a sacra Communione arcendi, sed excitandi sunt christiani, ut Confessionis Sacramento frequenter se ad sacram Communionem disponant. Sacrorum sit ministrorum probare uniuscuiusque spiritum, sanare infirmos, debiles confirmare, ut ad sacram mensam probati accedant. Pateat cuique quam maxime potest ad probatos sacerdotes accessus. Regulae et consuetudines, si quae iam introductae fuerunt, hisce Ecclesiae desideriis contrariae, prorsus abrogentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 715].

4708.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 18 mart. 1817.

1. Tempore eclipsis lunae siamenses tumultuantur, campanas et alia instrumenta pulsant, explodunt tormenta bellica, ea opinione ducti quod credant draconem magnum deglutire velle lunam aut solem: strepitum magnum sic faciunt ut liberent eum de ore draconis, et sic putant se habere meritum magnum et ostendere gratum animum. Rex Siami solet eleemosynas dare sui corporis custodibus et aliis quos prope se invenit. Possuntne christiani tales eleemosynas recipere, et, si iubeantur, tormenta bellica explodere?

2. Viget consuetudo, raso capite puerorum, servandi capillaturam in vertice. Cum autem annorum decem aut duodecim plus minusve aetatem attigerint, parentes diem assignant qua capilli tonderi debent, invitantur ad caeremoniam cognati et alii quoscumque voluerint. Invitantur et bonzi, qui orant et aquam suam benedictam aspergunt supra modo tonsum. Licet caeremonia sit superstitiosa, videtur tamen, sicut de ore praefectorum siamensium audierunt nostri christiani, eo potissimum fine introducta illa consuetudo, ut pecuniam colligant parentes quae copiose datur occasione illius caeremoniae. Possuntne christiani ad illam invitati, praesertim a praefectis suis, dare pecuniam et ad convivium sedere? Possuntne vendere comestibilia ad huiusmodi convivia facienda? Usque modo prohibuimus nostros. Sunt tamen aliqui qui furtive adiuvant, seclusa omni superstitione: possuntne christiani similem adhibere caeremoniam, eo tantum fine ut laetentur et pecuniam colligant?

3. Siamenses solent emere passeres, pisces, testudines, quas croco liniunt, quas iunctis manibus salutant, et sic in flumen demittunt, et credunt habere meritum magnum, quia sic libertatem et vitam illis tribuunt, petuntque ab ipsis ut in futuro illos adiuvent: possuntne christiani praedicta vendere, quin superstitioni illorum conniveant?

R. Ad 1. Nisi publica opinione explosio tormentorum bellicorum et acceptio eleemosynae ex parte christianorum habeantur in casu, de quo agitur, tamquam actus superstitiosi, christianos non esse inquietandos.

Ad 2. Non licere adesse tonsioni capillorum et quoad eleemosynam et mensam non licere, si haec habeantur ut partes religiosae caeremoniae; si autem habeantur pro laetitia familiae, licere.

Ad 3. Nisi constiterit animalia, de quibus agitur, a christianis vendi gentilibus, ut ab istis libertate donentur aut asserventur ad effectum fovendi superstitionem, non esse inquietandos.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 720].

4709.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Archiep. Mexican.), 22 mart. 1817.

Quod attinet facultates, quas praedecessor tuus, eoque vita functo, Vicarius Capitularis exercere se posse iudicarunt, antequam illae a Summo Pontifice prorogatae... fuissent, quia scilicet omnis ad Apostolicam Sedem interclusus aditus fuerat, non est cur A. T. hac de re sollicita sit; quoties enim consuetarum facultatum rite ac tempestive facta sit postulatio, licet ex temporum iniuria concessio retardetur, atque interim veteres expiraverint, tamen earum usus ex praesumpta S. Sedis concessione continuari potest usque ad illius responsum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 150].

4710.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.), 6 iun. 1817.

1. Difficilioribus christianae reipublicae temporibus, in quibus multorum fides infirmatur et refrigescit charitas, multae persaepe oriuntur quaestiones, eoque partium aestu discutiuntur, ut magis inde fiat animarum periculum unde fidelibus lumen atque ad viriliter sancteque agendum incitamentum esset expectandum.

Ne fideles in Sinarum provinciis degentes aliquid detrimenti capiant ex dubiis illic obortis, S. C. de Prop. Fide, die 18 martii ult. elapsi, dubiis a DD. Fontana et Escodeca propositis opportuna instructione respondendum esse decrevit, ut certis christianae religionis principiis in memoriam revocatis, quid in peculiaribus casibus eligendum, quidque corrigendum sit facile pateat.

Ad tantum perficiendum opus opportunum sane erit quaedam praelibare principia quae theologis sunt cum Angelico Doctore communia. De Fide (quod etiam de caeteris virtutibus dici posset) duplex extat divinum praeceptum, quorum primum *affirmativum* dicitur, quod non obligat ad semper, etsi semper obligat, et obligat pro loco et tempore secundum aliquas circumstantias; secundum dicitur *negativum*, quod obligat semper et in

omnibus temporis et locorum adiunctis. Praecepto affirmativo non iubemur quocumque vitae nostrae momento explicitos fidei actus elicere, sed negativo prohibetur quaecumque voluntaria dissensio a quacumque veritate revelata, etiam ad brevissimum tempus, atque ita, ut huiusmodi dissensio nunquam ex quacumque causa cohonestari queat; fidei enim iniuriam infert non solum qui interius haeresim aliquam amplectitur, sed etiam qui exterius eam negat, quique facto aut verbo falsae religionis se simulat sectatorem.

Neque haec ignorari possunt ab eo qui Scripturas Sacras perscrutetur. *Quid enim* (ait Apostolus, Rom., X) *dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo: hoc est verbum fidei quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et fides* (subdit Augustinus, *De Fide et Symb.*, cap. 1) *officium a nobis exigit et cordis et linguae*, eumque Christus coram Patre suo negabit qui officium linguae reddere recusaverit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* (Matth., X). In die furoris Domini turbae multae in coelo dicent, *quia vera et iusta sunt iudicia eius;* quaecumque enim etiam simulata falsae religionis professio sinceritati christianae contraria est, mendacium in se gravissimum continet, et virtualem fidei negationem maxima cum Dei iniuria proximique scandalo includit, ut docet Benedictus XIV, Const. *Inter omnigenas*, § 3. Bul. tom. 1.[1]

Criminis huius reus fit quicumque *facto et opere externo negat se esse christianum vel catholicum, quod semper est intrinsece malum et Deo graviter iniuriosum* (Antoine, *De virt. theol.*, cap. 3, quaest. 4); quales profecto sunt persecutionis metu perterriti, aut avaritiae cupiditatibus illecti, aut alio quovis quaesito praetextu, sua, non quae Dei sunt quaerunt, in odium fidei aut in idololatriae obsequium superstitiosas tabellas erigunt, catholicas destruunt, aut eo etiam audaciae perveniunt, ut cum gentilium satellitibus ecclesias diripiant, et ecclesiasticos homines et christianos caeteros persequantur. Quotiescumque nulla sit persecutionem evadendi potestas, nisi his aut similibus actibus falsae religionis professionem designantibus, praeceptum urget confessionis fidei, etsi mors vel dira supplicia comminentur, fideique scutum sumendum est, et fidelis quisque tenetur non solum corde credere ad iustitiam, sed ore etiam Christum confiteri ad salutem: *Qui* (enim) *supradicta cum ingenti fidei iniuria nefarie praesumunt... frustra sibi de christianae legis custodia et zelo... blandiuntur, quoniam, vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei... et quisquis, metu cuiuslibet potestatis vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit, quoniam magis timet hominem quam Deum, et momentanea retinere quam aeterna acquirere mavult*, ut ait Benedictus XIV, Const. supra cit. § 4 et 6.

[1] Cf. N. 339.

2. Ex his facile intelligitur severioribus poenis coercendos esse christianos illos qui christianam fidem coram idololatris negaverint, et superstitiosas tabellas erexerint, quamvis occulte christianae religionis officia implere et preces recitare non detrectarunt: etsi enim hi quoad forum internum non sint formales apostatae, tales tamen sunt quoad forum externum, atque illorum numero accensendi qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, ut ait Apostolus ad Titum, I, et gravissimi illius mendacii rei facti sunt, quod maxima cum Dei iniuria proximique scandalo virtualem includit fidei negationem. Tanta igitur impietas coram fidelibus abiuranda ab eis est in illati scandali reparationem; revertantur itaque a viis suis pessimis et poenitentiam agant, dumque benigna Mater Ecclesia cum eis mitissime agit, primorum saeculorum fidelium sibi exempla proponant, quibus teste Cypriano (Lib. *De lapsis*), Ecclesia *ostendebat dura, ut eos potaret vino compunctionis, atque ne charitas et fides in aliis refrigescerent.*

Sed hic quaestio movetur quomodo missionarii, qui nullam in foro externo iurisdictionem habent, similiter peccantes (apostatas) compellere ad haec (ad scandali reparationem, abiurando coram fidelibus, etc.) possint. At ii ex iurisdictionis externae defectu hoc tantum sequi animadvertant, se scilicet non posse contra apostatas procedere iuris ordine servato, nec sententiam damnationis aut absolutionis in forma iuris debita proferre; minime tamen impediuntur quominus in foro conscientiae eos coerceant, et publicam exigant publici scandali reparationem, et ea ipsa ratione qua fur, qui damnum illatum nec reparat nec reparare paratus est, ut beneficii absolutionis incapax, inabsolutus dimittitur, pariter inabsolutus dimittendus erit apostata, quamvis tantum externus, qui illatum scandalum reparare noluerit, neque dignus hic erit, *ut quisquam eorum oblationes accipiat, nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam* (*si in hoc peccato decesserint*) *accipiant sepulturam*, quemadmodum de usurariis manifestis aperte statuitur cap. *Quia in omnibus*. *Eorum igitur quisque satagat ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam*, ut ait Tridentinum Concilium, Sess. 24, *de ref.*, cap. 8. Missionariorum itaque erit, praetermissis iuris solemnitatibus, ab apostatis conversis publicam coram fidelibus retractationem exigere, eisque pro modo culpae tales poenitentias imponere quales conveniunt legitimo suae iurisdictionis in foro conscientiae exercitio: quoniam vero opportunis hortationibus, impositis retractationibus, ac venia a christianis scandalo affectis humiliter imploranda, praefinitos a iure limites minime praetergrediuntur, ideo simili consuetudini a spectatissimis viris iam adoptatae acquiescere tuto poterunt.

Hae autem rationes, cum sint etiam illis communes, qui quamvis fidem non negaverint expressis verbis, nec tabellas superstitiosas erexerint, odio tamen fidei vel persecutionis metu idololatris adhaeserunt, vel cum iis consentire simularunt, miscentes se persecutorum satellitibus in christianorum personis et bonis persequendis ac depopulandis, efficiunt ut idem prorsus de his dicendum sit ac de illis de quibus iam egimus, imposita insuper, quantum in ipsis erit, damnorum reficiendorum obligatione.

Sed iam ad eos venit oratio qui in infelicissimo statu simulatae apostasiae usque ad mortem perseveraverint, et, quamvis ab uxoribus et filiis excitati, superstitiosas tabellas recusaverint deponere, de quibus quaeritur: utrum ecclesiastica sepultura donandi sint et Sacrificium pro illis offerri queat?

Nulla sane rationabilis praesumptio stat pro iis qui, uxorum et filiorum monitis despectis, quae facienda erant facere pertinaciter recusarunt. Deus utique, qui dives est in misericordia sua, semper potest, vel ultimo vitae huius momento, peccatorem ad se trahere, et Spiritui Sancto non resistentem iustificare et salvare; sed utrum hoc factum sit iudicare, Dei, qui corda noscit hominum, reservatur iudicio; Ecclesia vero ab iis, qui manifesti fuerint peccatores, in aliorum etiam exemplum, signa saltem aliqua exigit poenitentiae, ut ecclesiasticae sepulturae participes efficiantur, et nominatim pro iis Sacrificium offerri possit. Hoc supra vidimus statutum: hoc generice Rituale Romanum iubet de iis manifestis et publicis peccatoribus qui *sine poenitentia perierunt*. Cum inter hos recensendi sunt homines de quibus agitur, sequitur eos nec esse ecclesiastica sepultura donandos, nec pro iis incruentum sacrificium esse offerendum, si simulata eorum apostasia notoria fuerit, neque ante obitum notabilia signa dederint resipiscentiae.

Quae huc usque dicta sunt lapsorum respiciunt correctionem; nonnulla nunc addenda supersunt ne ultra quam par est correctionis limites protrahantur. Initio posuimus cum theologis omnibus, praeceptum fidei affirmativum, etsi semper obligat, non obligare ad semper, sed obligare pro loco et tempore secundum aliquas circumstantias. Dubitatum aliquando est utrum liceat catholico ob metum persecutionis non manifestare suam fidem, neque uti signis quae fidem ipsam significent; et de lapsis conversis, utrum publice et coram etiam infidelibus debeant errorem suum abiurare. At utraque quaestio resoluta est iudicio Sacrae Inquisitionis decretis feriae V, diebus 9 decembris anni 1627 et 10 iulii anni 1630, quorum primo permissum est turcis conversis, ut in occulto catholice vivant *ob metum mortis, dummodo nullum actum idololatriae aut fidei christianae quomodolibet contrarium committant;* secundo vero haec regula tradita: *Sanctissimus Dominus* (Urbanus VIII) *censuit apostatas a fide, redeuntes ad poenitentiam, non teneri ad abiurandam apostasiam coram infidelibus, sed sufficit ut eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre; quod si ex illa delatione, ratione personae, aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere cum primum potuerit.* Quae hic de habitu dicta sunt, sinicis tabellis aptari commode possunt; quare patet, amotis omnibus et quibuscumque superstitionis et idololatriae signis demonstrativis, apostatas conversos, in casu de quo agitur, non esse cogendos ad erigenda et affigenda palam in domibus suis christianae religionis signa.

3. Minime praetereundae sunt quaestiones aliae quibus diversa locorum et personarum adiuncta occasionem praebent. Cum enim aliquando fiat,

ut ipsi persecutorum ministri superstitiosas tabellas in catholicorum domiciliis per vim erigant, catholici in iis degentes, ne deteriora patiantur, eas amovere negligunt non sine animarum suarum pernicie; quamvis enim in ipsa earum erectione, ob dissensum ipsa vi illata manifestum, non peccaverint, peccant tamen si, vi remota, factaque eis potestate vel discedendi ab abominationis templo, vel fortiter agendi, ea deponendo signa, quibus inhabitantes ut idololatrae designantur, potius tales eligunt se haberi, quam novis persecutionibus suum corpus obiicere. Ad salutem consequendam satis non est bonum opus incepisse, sed usque in finem in eo perseverare oportet. Nunquam veteres illi christiani, qui gladio impiorum occubuere, se idolorum parietibus defenderunt. Petrus et Apostoli principi sacerdotum interroganti strenue responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. V, 29). Horum sequamur fidem, imitemur exempla. Caesi hi *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (ibidem). Consummantibus cursum, servantibus fidem, reposita est corona iustitiae quam reddet Dominus iustus iudex; sed apponens manum suam ad aratrum, et respiciens retro non est aptus regno Dei. Quid igitur ei timendum non est, qui, virili animo deposito, superstitiosas tabellas per vim a persecutoribus erectas iam ut scutum quo defendatur honorat?

At difficilius fortasse est de iis ferre iudicium, qui mandarini iussu tabellam flavi coloris erexerunt; tabella ipsa a quocumque superstitionis usu immunis supponitur, non inde tamen sequitur licitam statim iudicandam esse earum erectionem. Necessarium non est ut signa essentialem habeant cum re significata coniunctionem; quod per se signum demonstrativum non est falsae religionis, tale ex hominum opinione fieri potest. Praesidis intentio, quae talis asseritur, scilicet *ut apponant hanc tabellam in signum apostasiae*, hoc suadet; videant itaque christiani in Sinis degentes ne coinquinentur signo apostasiae demonstrativo, quod facile ex communi hominum opinione iudicabunt; quo in casu, nec flava tabella esset toleranda, nec ad illas domos sacrorum ministrorum accessus, nec in iis eorumdem occultatio aut caetera huiusmodi: non enim licet persecutionem vitare cum religionis iactura.

Haec sunt quae de tabellis, aut superstitiosis aut aequivocis, dicenda erant; quid vero asserendum erit de christianae religionis tabellis? Numquid, restituta Ecclesiae pace christiani statim cogendi erunt ad eas erigendas? Huic interrogationi quid respondendum sit, ex iam dictis patet; non enim hoc ad negativum fidei praeceptum pertinet, sed ad affirmativum cuius obligatio non urget singulis temporis momentis, aut in quibuscumque rerum adiunctis: imo quandoque prudens ratio suadere potest hic et nunc ex externa fidei confessione, quam persecutor religionis necessariam non reddit, maiora timeri posse mala, quam bona sperari, metus novae persecutionis non irrationalis erit in fidelibus degentibus inter infideles, qui mox religionem christianam fuerint persecuti. Quare in casu non sunt cogendi ad erigenda signa catholicae religionis.

4. Quae huc usque dicta sunt, criminis apostasiae etiam externae gravitatem ostendunt, atque ita ut inde etiam pateat quomodo huius criminis rei

corrigendi sint, atque hoc praesertim evidentibus argumentis demonstratum iam est, non quosdam tantum inter apostatas, sed eos omnes, qui publice tanto scelere Ecclesiam scandalizaverint, retractationis oneri, et iustis pro modo culpae poenis esse subiiciendos; atque ea insuper addita sunt, quibus etiam ii, qui nullam in foro externo iurisdictionem habent, illaesis manentibus Ordinariorum iuribus, veluti manu ducantur, ut solo iurisdictionis in foro interno sibi competentis usu, sine ullo iurisdictionis alienae attentatu, lapsos ad bonam frugem revocare, scandalum arcere, sancta sancte ministrare, et Ecclesiae bono, quantum in ipsis est, consulere possint ac valeant. Ecclesiae itaque ministris haec eadem erunt communicanda, ut eam tamquam regulam in Sacramentorum administratione sequantur.

Quoniam vero minor fructus sperari potest ab eorum ministerio, si in tam dissitis regionibus, in tam exiguo ministrorum numero, in tantis temporum angustiis, tantisque ex persecutione ipsa impedimentis, nova casuum reservatione, arctioribus eorum iurisdictio circumscribatur limitibus, ideo Ecclesiae bonum postulat ne plures nunc casus reserventur, quam canonica lex praescribit, et vetus postulat consuetudo. Quare reservationes noviter indictae erunt omnino revocandae.

Quoniam vero Sacrosanctum Concilium (Tridentinum) id optandum proponit (Sess. 22, c. 6), « ut in singulis Missis fideles adstantes... sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent », ac fideles ipsos hortatur eam vitam agere (Sess. 13, c. 8) ut panem illum supersubstantialem *frequenter* suscipere possint, hinc nihil magis esset optandum, quam ut fideles frequenter sacrae Eucharistiae participes fierent, atque isthic praesertim ut iis ad persecutiones ferendas vires sufficiant. Hoc supersubstantiali pane primis Ecclesiae saeculis Christi athletae quotidie roborabantur; de hoc quotis die Dominico etiam agricolae participabant, teste Iustino (Apol. 2), aetatis suae mores describente. « Solis, qui dicitur, die (seu Dominico) omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt conventus fit in eumdem locum... Precibus absolutis, panis affertur et vinum et aqua... et cuique praesenti fit distributio eorum in quibus gratiae sunt actae, eisque quisque communicat; absentibus autem per diaconos mittitur ». Non itaque a sacra Communione arcendi, sed excitandi sunt christiani, ut Confessionis Sacramento frequenter se ad sacram Communionem disponant. Sacrorum sit ministrorum probare uniuscuiusque spiritum, sanare infirmos, debiles confirmare, ut ad sacram mensam probati accedant. Pateat cuique quam maxime potest ad probatos sacerdotes accessus. Regulae et consuetudines, si quae iam introductae fuerunt, hisce Ecclesiae desideriis contrariae prorsus abrogentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 723].

4711.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 3 aug. 1818.

Se possa tollerarsi che si facciano dei conviti, nei quali i convitati recitino delle preci in suffragio di quelli, che sono morti impenitenti o apostati dalla fede cattolica.

R. Negative quoad eos qui, patratis publicis concubinatus, apostasiae, venditionis filiarum mahumetanis, aliisque huius generis delictis, sine ullo praestito resipiscentiae signo (mortui sunt). Curent vero, quoad poterunt, missionarii, consuetudinem de qua agitur divellere utpote periculosam, atque ab Ecclesiae usu abhorrentem. Et fideles instruantur super modo suffragandi animas defunctorum, quem tenet atque approbat S. Mater Ecclesia.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 729].

4712.

S. C. de Prop. Fide (Siam), a. 1819.

Sunt in Siamo vites sylvestres; uvae sunt mirae magnitudinis (vix credidissem nisi oculis propriis vidissem); potest unus racemus dare ad minus decem lagenas vini. Reperiuntur in una stipe viginti, triginta et amplius racemi. Primo tempore quo in Siamum (ego Vic. Ap.) perveneram, venerunt ad me duo iuvenes super humeros portantes duos istiusmodi racemos; cum mustum expressissem, confeci undecim lagenas vini; residuum proieci. Non multum quidem confidebam tali experientiae. Post octo et decem annos, volens gustare de ultima lagena, inveni colorem, odorem et saporem bonum; cum autem defunctus Episcopus noster diceret non esse vites veras, non poteram mordicus contradicere, licet assentiri ipsi non possem. Solam quam invenio differentiam, haec est, quod scilicet grana seu semina uvarum siamensium sunt multo maiora, et alterius formae quam europaearum; sunt eiusdem figurae et formae, eiusdem magnitudinis, ac grana caffaei; fermentatio fit optime per plures dies. Miserunt ad me, hoc anno, viginti lagenas; sumpsi partim propter stomachum et frequentes infirmitates meas, partim dedi bibere aliis infirmis, et profuit nobis. Quia vero non maturescunt propter defectum solis, debet immisceri saccharum, quod forte etiam necessarium est ad diutius conservandum. Inveniuntur tamen quibusdam in locis, quae ex se sunt dulces. Enixe peto decisionem, utrum tali vino possimus uti in celebratione Missae.

R. Ex hactenus deductis, non constare liquorem de quo agitur esse verum vinum; ideoque non licere eo uti in sacrificio Missae, donec aliter fuerit iudicatum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 732].

4713.

S. C. de Prop. Fide, decr. 14 aug. 1819.

Ad coercendum abusum qui in locis Missionum iamdudum irrepserat, ut scilicet nonnulli Praesules deserentes sub aliquo obtentu Ecclesias, seu Vicariatus suos, episcopalia munia in alienis Dioecesibus, seu Vicariatibus exercerent, S. Congregatio accedente Summi Pontificis auctoritate, decrevit

die 28 martii 1651 ac denuo sub die 26 iulii 1662, [1] ac 17 iunii 1715 [2] ne ullo
modo liceret Episcopis, seu Apostolicis Vicariis in aliena dioecesi, seu distri-
ctu, etiam de consensu Ordinarii, pontificalia munia peragere, sub poena
suspensionis ipso facto incurrendae, ac Romano Pontifici reservatae. Cum
autem compertum fuerit, generalem hanc inhibitionem maximo saepe
incommodo, et detrimento esse, praesertim cum aliquis Antistes ob adver-
sam valetudinem, vicinum aliquem Praesulem ad ea peragenda quae episco-
palis sunt potestatis cogitur accersire, Eñi Patres, referente Eño ac Rño
D. Card. Fontana Praef. censuerunt supplicandum SSño pro eorumdem
decretorum moderatione, ita ut quando rationabili causa, vel urgente neces-
sitate Episcopi, seu Vicarii Apostolici ad alienas dioeceses seu Vicariatus se
conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem pontificalia exer-
cendi, contrariis minime obstantibus praedictis decretis, dummodo tamen
semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de coetero
maneat residentiae praeceptum.

Hanc autem S. C. sententiam SSño D. N. Pio PP. VII relatam in
Audientia habita per R. P. D. Carolum Mariam Pedicini Secretarium die
8 augusti 1819 Sanctitas Sua benigne adprobavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 737].

4714.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Hiberniae), 18 sept. 1819.

Quod D. N. Iesus Christus iam praemonuerat, parabola usus agricolae,
qui seminavit bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines,
venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici (Matth., 13, 24),
id quidem nostris hisce temporibus in Hibernia praesertim, accidere non
sine maximo rei catholicae detrimento videtur. Pervenit enim ad aures
S. Congregationis, scholas *biblicae societatis* in tota fere Hibernia esse insti-
tutas, acatholicorum procerum opibus ac patrocinio suffultas, in quibus
fuco charitatis rudes utriusque sexus adolescentes, praecipue vero ruri-
colae atque egeni, blanditiis, atque etiam muneribus praeceptorum illecti,
mortifero pravarum doctrinarum veneno inficiuntur. Additur huiusmodi
scholarum magistros esse methodistas, qui bibliis utuntur, a biblica so-
cietate Angliae redditis, erroribus refertis, alio nullo sibi proposito fine
nisi seducendi iuvenes, et orthodoxae fidei veritates ex eorum animis
penitus evellendi. Haec cum ita sint, Amplitudo Tua iam videt quanta
sollicitudine, et studio pastoribus vigilandum est, ut gregem suum a lu-
porum insidiis, qui veniunt in vestimentis ovium, sedulo tueantur. Si
pastores obdormiunt, cito subrepet inimicus homo loliumque seret, cito
zizania videbuntur in medio tritici succrescere, illudque operire. Quare

[1] Cf. N. 238.
[2] Cf. N. 4497.

necesse est omnem navare operam, ut adolescentes a lethalibus hisce
scholis avocentur, et monere parentes, ut liberos suos in errorem duci
minime patiantur. Ad vitandas autem adversariorum insidias nihil aptius
esse videtur, quam catholicas erigere scholas in quibus pauperes et ru-
stici bonis disciplinis instituantur. Deerit fortasse modus supplendi sum-
ptibus? Addisci hic facile poterit ab ipsis heterodoxis, qui, ut accepimus,
pro earumdem scholarum sustentatione hebdomadalem unius assis stipem
a singulis de populo rogant. Quid vetat, ne idem catholici faciant? Hor-
tamur igitur ac per viscera Dñi N. I. C. obsecramus Amplitudinem Tuam
ut eo maiori, quem arbitraberis modo, gregem tuum diligenter custodias ab
iis, qui insidiose se immittunt in ovile Christi ut incautas oves abducant; et
memor eorum, quae Petrus Apostolus iam praenunciavit, tradens, quod,
et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis (2 Petri,
2, 1) omni cura des operam, ne orthodoxa iuventus ab his corrumpatur.
Quod quidem facile te assecuturum spero, si catholicae scholae in tua dioe-
cesi erigantur. Ac dum fore confido, ut Amplitudo Tua in re tanti momenti
omnes animi vires adiiciat, ne scilicet bonum triticum zizaniis suffocetur,
Deum O. M. precor etc.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 738].

4715.

S. C. de Prop. Fide, 17 apr. 1820.

Clericus vel Presbyter saecularis sine licentia sui Episcopi aggregari non
potest alicui Communitati Presbyterorum Saecularium, quam tamen licen-
tiam non potest Episcopus illi temere denegare, ne potestate sua abutatur;
et Episcopus potest Clericum vel Presbyterum sibi subiectum ex tali Com-
munitate extrahere, si id maius Ecclesiae suae bonum postulare videatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 225].

4716.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Quebec), 17 apr. 1820.

Quid agendum cum pravis iis catholicis qui renuunt peccata confiteri
priusquam ad matrimonium accedant?

R. Si catholici, de quibus in dubio, sunt vere publici peccatores, non
sunt admittendi, nisi parochus ex causis vere gravibus excusari possit,
quae recensentur penes probatos auctores, quos consulat; si sunt peccatores
occulti, praemissa salutari admonitione, etiamsi peccata sua confiteri recusa-
verint, non sunt a Matrimonio excludendi.

[Collectanea S. C. de prop. Fide, vol. II, n. 2261].

4717.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 26 iun. 1820.

Utrum dilato ex parte fidelis per notabile tempus matrimonio post interpellationem factam, vel post obtentam ab ea dispensationem, nova interpellatio, aut dispensatio nova necessaria sit. Et quatenus affirmative, quod temporis spatium intercedere debeat inter primam et secundam, aut interpellationem, aut ab ea dispensationem.

R. Negative, quatenus fuerit facta interpellatio; affirmative, post annum, in casu dispensationis obtentae ab initio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 743].

4718.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 26 iun. 1820.

Vir infidelis qui cum muliere infideli matrimonium inierat omissa quadam caeremonia, cuius omissio iuxta Tunkini regestas censetur matrimonii impedimentum dirimens, ab ea muliere discessit et aliam uxorem christianam duxit; christianam ipse fidem amplectens, baptismum petit. Teneturne primam ab eo derelictam coniugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri, et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo, et absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat? Si christiana fieri, aut saltem cum praefato viro pacifice cohabitare consentiat illa mulier, teneturne ad illam redire? Si cum priore hac coniuge, facta christiana, reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis renovari consensus? Uno verbo, impedimentum dirimens a Principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi invectum consuetudine, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros et mulieres infideles cum tali impedimento contracta?

R. Esse nullum primum et secundum matrimonium; non esse hinc locum interpellationi, sed esse locum novo matrimonio, servatis servandis; et detur instructio. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 744].

[1] Huiusmodi Instructio iussu S. Congregationis concinnata fuit a Rev. D. Aloisio Frezza Consultore (postea Cardinali) atque Emorum PP. approbationi exhibita in Congregatione Particulari pro Sinis mense septembri an. 1821 una cum quadam alia Instructione, et propositum dubium: «Se, oppure con quali modificazioni dar corso alle due istruzioni ecc.». At responsio Emorum PP. desideratur in Actis. En autem tenor praefatae Instructionis: — Instructio super casu matrimoniali S. Congregationi de Prop. Fide proposito a sacerdote... Eyot in Tunkini Occidentalis Regno missionario. — Cum in literis tuis super quodam matrimoniali dubio huius S. Congregationis sententiam exquireres, Emi PP.

4719.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Siam), 26 iun. 1820.

Est officialis christianus, cuius officium est praeesse quando merces sub hasta venduntur. Aliquando autem reperiuntur libri haereticorum aut alii obscena continentes; teneturne praedictus officialis investigare utrum sint tales libri nec ne?

R. Officialem, de quo in casu, non teneri investigare an inter merces quae sub hasta venduntur reperiantur libri haereticorum aut alii obscena continentes. Quod si casu id agnoverit possitque impedire ne pravi libri obveniant licitatoribus, qui ipsis sint abusuri, id quidem praestet, cum quisque debet proximi peccatum impedire quando id commode potest, aut sine suo gravi damno.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide vol. I, n. 745].

censuerunt tuis votis ita satisfacere, ut opportuna simul instructione tibi significetur, quid his in rerum circumstantiis sentiendum sit. Praestat tamen primo casum referre qui tuis postulationibus occasionem dedit».

Vir infidelis (*sic enim exponebas*) *qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam caeremonia, cuius omissio iuxta Tunkinici regni leges censetur matrimonium dirimens, ab ea muliere discessit, et aliam uxorem christianam duxit; christianam ipse fidem amplectens baptismum petit.* — Quibus expositis sic requirebas:

Tenetur ne primam ab eo derelictam coniugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri, et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo, et absque Creatoris contumelia cohabitare? Si consentiat illa mulier, teneturne ad eam redire? Si cum priore hac coniuge, facta christiana reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis, renovari consensus? Uno verbo impedimentum dirimens a Principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi consuetudine invectum, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros ac mulieres infideles cum tali impedimento contracta?

«Ut tuis igitur postulatis breviter simul et dilucide respondeatur, ab iis fas est exordiri, quae ultimo loco proponis; nimirum num Princeps infidelis, aut antiqua consuetudo statuere possit inter subditos infideles impedimenta matrimonium dirimentia. Hac enim quaestione sublata, coeteris postulatis facilius patebit responsio. Scito tamen, dum haec requiris, quaestionem te instaurare iam ab anno 1786 eorum nomine, qui missionarii munere in his iisdem regionibus fungebantur, huic Sacrae Congr. propositam.

«Triplici itaque sub respectu matrimonium communi doctorum consensu considerari solet, nimirum ut officium naturae, officium communitatis, et Sacramentum.

In quantum est officium naturae (verba sunt Doctoris Angelici S. Thomae Aquinatis in 4, dist. 39, q. 1, art. 1, ad quartum) *statuitur lege naturae; in quantum est Sacramentum, statuitur iure divino; in quantum est officium communitatis, statuitur iure civili, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.*

«Si de matrimonio christianorum sermo institueretur, dubitari nullo modo potest, quin Principes saeculares suis legibus, quatenus ab Ecclesia adprobatae, adoptataeque non fuerint, nullam haberent potestatem in naturalem matrimonii contractum, ac coniugale vinculum. Ex quo enim Christus Dominus matrimonium, naturalem scilicet eius contractum a Deo ipso primitus institutum, ad Sacramenti dignitatem erexit, saeculares Principes nullam amplius in illud eiusque vinculum potestatem retinent. Nam cum res sacra atque materia Sacramenti facta sit, necesse est, ut Ecclesiae ordinationi subiaceat, et potestas ecclesiastica civili potestati praevaleat, tamquam pars nobilior, quae ignobiliorem ad se trahere debet. Unde merito Doctor Angelicus loc. cit. dist. 42, quaest. 2, art. 2 ad 4,

4720.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 26 iun. 1820.

Se accordare ai missionarî la facoltà di amministrare il S. Viatico e l'Estrema Unzione senza cotta e stola, e col solo lume della lampada *ratione periculi*, senza obbligarli a consultare nei casi particolari il Vicario Apostolico.

R. Affirmative, addito quod ipsemet Vicarius Ap. communicet petitas facultates missionariis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 746].

sic concludit: *Dicendum quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matri-*
monii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas quae idem etiam interdicit.
« Sed cum res sit de infidelium coniugio, ratio Sacramenti, quae christianorum matri-
monium Ecclesiae ordinationi subiicit, plane cessat, nec enim non regenerati salutaribus
Baptismatis aquis, Sacramentorum capaces sunt, nec iis qui foris sunt leges suas edicit
Ecclesia. Quare licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturae et
communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a iure naturali et civili plane
est moderandum.
« Sequitur hinc Principes saeculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potesta-
tem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet, appositis impedimentis,
quae iuri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quod ad civiles effectus,
sed etiam quod ad coniugale vinculum penitus rescindant. Qui enim ob reipublicae bonum
suis legibus ad legitimitatem, validitatemque coeterorum contractuum formam quamdam
et solemnitatem praescribere possunt, cur id in matrimoniali infidelium subditorum con-
tractu efficere nequeant, ratio non est: et quod de lege Principis saecularis hoc in casu dici-
tur, intellige etiam de legitima consuetudine, quae vim legis in subditos infideles adepta est.
« His ergo constitutis, iam vides quid sentiendum sit de matrimonio a viro infideli
cum muliere infideli inito non servata ea *coeremonia* seu forma ac solemnitate, quae, sicut
asseris, ad eius validitatem iuxta Tunkini regni leges erat servanda.
« Porro huiusmodi coniunctio, illegitima plane est, nec verum firmumque matrimonium
inter eas personas efficere potest; et cum per leges dissolvi mereatur quod contra leges
praesumitur, planum est concludere virum infidelem ab infideli muliere, quam eo modo
sibi copulaverat, iure discessisse.
« At neque meliori iure aliam uxorem christianam, infideli dimissa, sibi copulavit.
Hic tamen sedulo animadverte sermonem haberi de viro infideli, qui cum christiana mu-
liere matrimonium inire praesumpsit, non impetrata Apostolica dispensatione super impe-
dimento ex cultus disparitate matrimonium dirimente.
« Certum est enim, ab antiqua rationabili eaque legitima consuetudine inductum fuisse
in Ecclesia impedimentum dirimens ex cultus disparitate, adeo ut verum ac firmum matri-
monium iniri non possit inter personas, quarum una fidem per Baptismum susceperit,
altera vero in infidelitatis tenebris sit. Hinc colliges secundum etiam matrimonium a viro
infideli cum muliere christiana initum, plane nullum atque irritum fuisse.
« Ergo ex his omnibus primo concludendum est, ex parte viri illius, qui modo chri-
stianam fidem amplexus est, nullum plane locum esse interpellationi mulieris infidelis,
quam, cum ipse esset infidelis, non servata forma a legibus regni praescripta, sibi copu-
lavit, secundo etiam concludendum est ipsi viro fas non esse in secundo coniugio cum
christiana muliere commorari, eamque pro uxore habere, nisi cum ea verum ac legitimum
matrimonium iuxta sacrorum canonum sanctiones denuo contraxerit ».

4721.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Siam), 26 iun. 1820.

Plurimi de nostris tenentur emere vel coquere, aut apponere carnes omni die ad mensam protestantium. Si cogantur officium dimittere, nullam aliam artem sciunt, qua sibi providere possint ad sustentandam vitam, (et) rediguntur ad extremam egestatem; potestne permitti aut tolerari ut sic faciant, cum sit tantum incommodum, et ex parte protestantium non fiat in contemptum Ecclesiae, de qua parum curare videntur, vel etiam forte non cogitant?

R. Affirmative, ob grave detrimentum quod inde in catholicos oriri poterit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 747].

4722.

S. C. de Prop. Fide, decr. 30 sept. 1820.

Cum aliquoties acciderit Religiosos nonnullos sacris missionibus deputatos, post acceptam a S. C. pecuniam ad iter conficiendum necessariam, iter arripere diutius detrectasse, atque ita ut S. Congregationi manifeste appareret eos vel numquam de sacris missionibus ineundis serio cogitasse, vel a sancto proposito turpiter defecisse, S. C. ad hos coercendos abusus censuit supplicandum SS͠mo ut, firma remanente obligatione restitutionis acceptae pecuniae, privationis vocis activae et passivae poenam, per decem subsequentes annos duraturam, et Sedi Apostolicae reservatam, eum ipso facto incurrere decernat, qui post acceptam missionem et pecuniam, quam viatici nomine designatis missionariis S. C. suppeditat, absque gravi causa ab ipsa S. C. probanda, expetitum et acceptum onus subire recusaverit. Quam S. Congregationis sententiam SS͠mo D. N. relatam per R. P. D. Secretarium in audientia habita die 24 septembr. 1820 SS͠mus in omnibus approbavit et exequi mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 751].

4723.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Hiberniae), 12 febr. 1821.

Se darsi alcun provvedimento intorno alle confessioni delle donne (nelle case private) senz'alcun framezzo.

R. Arbitrio Episcopi, qui perpensis iustis causis, et concessa facultate ad audiendas foeminarum confessiones in domibus privatis, iniungat confessariis nusquam confessiones foeminarum recipere sine cratibus, vel alio quovis opportuno repagulo, exceptis infirmis in lecto recumbentibus, quo

in casu porta cubiculi patens sit ita ut confessor et poenitens sint e longinquo visibiles.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 754].

4724.

S. C. de Prop. Fide (C. G. - Hiberniae), 12 febr. 1821.

Quoties Ordinariis expedire in Domino visum fuerit ut denunciationes, vel omnes vel earum aliqua, remittantur, *nihil quacumque de causa accipiant,* veluti decretum fuit anno 1750 (28 iulii) [1] et renovatum per encyclicam anno 1768 (20 aug.) ad omnes Hiberniae Ordinarios. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 755].

4725.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Sutchuen.), 26 iun. 1821.

1. An distantia decem dierum itineris sit sufficiens ut Vicarius Ap. possit dispensare ab interpellatione coniugis infidelis.

2. Utrum, praeter nimiam distantiam coniugis infidelis, et ignorantiam ubi ille sit, adsint aliae causae in quibus Vicarius Ap. possit dispensare, maxime quando praesumitur, si fiat dicta interpellatio, gravia damna secutura esse christianis.

R. Ad utrumque: Servetur Benedictina Constitutio lata die 16 ianuarii 1745, quae incipit: *In suprema Catholicae Ecclesiae.* [3]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 760].

4726.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Sutchuen.), 6 sept. 1821.

Unum est in illa (circa apostatas) Sacrae Congregationis instructione [4] quod pluribus in locis observatu difficile admodum videtur: nimirum S. Congregatio videtur prohibere missionariis accessum in illas christianorum domos qui gentilium superstitiosas tabellas destruere nolunt; haec prohibitio, si ex parte multum tuetur decorem religionis christianae, quia inde evidenter constat nullam esse posse conventionem Christi cum belial, atque etiam evincitur impossibile esse duobus dominis sibi invicem oppositis servire, ex altera parte quandoque obest quominus multorum

[1] En verba: « Quotiescumque in matrimoniis celebrandis Episcopi expedire iudicaverint, ut denunciationes remittantur, nihil quacumque de causa accipiant ».

[2] Haec ibi: « Monendi erunt (Episcopi) gratis ab iis remittendas esse, cum id expedire censuerint, publicas denunciationes quae ante matrimonii celebrationem fieri debent ».

[3] Cf. N. 353.

[4] Cf. N. 4710.

christianorum, per quos non stat quin superstitiosa illa signa destruantur, spiritualibus necessitatibus succurri possit. Etenim in omnibus ferme apostatarum familiis adsunt aliqui utriusque sexus fideles, ut uxores, liberi, famuli et inferiores domestici, qui Religionem adhuc observant, a superstitionibus abhorrent, multumque desiderium ostendunt ut parentes, aut hi qui primatum in familia gerunt, convertantur, et omnia superstitiosa signa evellant. Non raro autem contingit ut missionarii possint sine periculo ad has domos accedere, et in illis aliquandiu hospitari; quo in casu, si huiusmodi domos ingredi renuant, et dictorum christianorum Confessiones in illis domibus non audiant, dicti christiani qui Religionem observant, omni spe destituuntur Sacramenta suscipiendi, quia illi, et praesertim mulieres, his persecutionis temporibus difficillime possent ad alias domos se conferre, ut sancta Sacramenta suscipere possint. In his igitur et similibus circumstantiis respondi, S. Congregationem non prohibuisse missionarios ne praedictas domos ingrediantur, sed missionariis fas esse huiusmodi domos ingredi, sicut fas est ingredi domos paganorum causa illos adhortandi ut convertantur, aut etiam causa administrandi Sacramenta veris christianis qui in eis sunt, si aliter Sacramenta illis administrari non possint: dummodo ubique declarent obligationem omnibus superstitionibus renuntiandi, futurum alioquin ut nec Ecclesiae Sacramenta suscipere, nec aeternam salutem consequi ullatenus possint. Qua declaratione facta, non prohibui missionariis quin in illorum apostatarum domibus aliquandiu hospitentur, ut possint in aliis cubiculis, ubi nullae sunt superstitiones erectae, illorum, qui non apostatarunt Confessiones audire, qui secus peccata sua confiteri non possent. Non permisi tamen illis ad eas domos se confugere causa facilius vitandae persecutionis, quod illicitum esse clare declaravit S. C.; neque etiam, ob scandalum quod oriri potest, permisi illis Missam celebrare in huiusmodi apostatarum domibus, in quibus erectae manent superstitiosae tabellae: et multum illis inculcavi ut curent, quantum fieri potest, ut christianorum administrationem peragant in illis domibus ubi nulla sunt superstitiosa signa erecta. Verumtamen humiliter rogo S. C. ut dignetur declarare: 1. Quomodo se gerere debeant missionarii in enarratis adiunctis: et etiam, an licet missionariis in praedictis apostatarum domibus Missam celebrare, in cubiculis ubi nullae sunt superstitiones erectae, ut possint Sacramentum Eucharistiae administrare his qui nullo impedimento prohibentur, et qui secus non possunt satisfacere praecepto communicandi saltem semel in anno; 2. Utrum saltem id liceat, ut possint SS. Viaticum administrare infirmis qui secus sine SSmi Viatici sumptione mori periclitarentur.

R. Secluso scandalo et religionis dedecore, licere sacerdotibus et ministrare Sacramenta, et etiam Sacrum facere, pro satisfactione praecepti paschalis, et ministrare viaticum in cubiculo ubi superstitionis signa sublata fuerint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 764].

4727.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 12 sept. 1821.

Utrum Provicarius Apostolicus, sede vacante, ratione muneris Provicarii, facultatem habeat:

1. Conferendi sacramentum Confirmationis.
2. Delegandi missionarios ut possint idem sacramentum conferre; et quatenus negative:
3. An huiusmodi sacramentum debeat iterari his qui a missionariis, sola Provicarii licentia fultis, illud susceperunt. — Et 4. Supplicandum SSmo ut memoratam facultatem ei concedere dignetur.

R. Ad primam et secundam partem dubii: Negative. — Ad tertiam: Reiteretur, remoto scandalo. — Ad quartum: Supplicandum SSmo pro petita facultate, tantummodo sede vacante.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 766].

4728.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 26 sept. 1821.

Se si possa conferire il Sacramento dell'Estrema Unzione ad un adulto pagano già battezzato, ammaestrato a sufficienza ed appieno disposto, il quale trovisi oppresso da grave infermità.

R. Affirmative, servata forma decreti S. Officii anni 1703. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 768].

4729.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 26 sept. 1821.

In his regionibus non raro contingit ut fideles petant dispensationes matrimoniales per litteras, vel per interpositas personas, eo quod personae dispensandae missionarium difficile adire possunt, vel quia sunt puellae, quae duorum vel trium dierum iter agere non possunt, vel quia missionarius dispensationem largitur etiam per literas, vel per easdem interpositas personas. Sed quandoque contingit, ut personae sic dispensatae innodatae existant excommunicatione maiori, vel propter peccatum apostasiae, vel propter abortus directe procuratos, aut etiam alia crimina, a qua poena excommunicationis ignorantia videtur non potuisse eos excusare, quia missionarii solent admonere poenitentes de huiusmodi poena talibus criminibus adnexa. At (hoc) tunc tantum innotescit missionario, quando habet opportunitatem audiendi illorum confessiones; quare tunc missionarius dubitat

[1] Cf. N. 765.

personas illas sic dispensatas non obtinuisse dispensationis effectum, ac proinde etiam dubitat invalide initum fuisse illarum matrimonium. Ut igitur huic incommodo occurratur, quaeritur: Utrum missionarii, antequam largiantur dispensationes in foro externo, debeant, ad cautelam, absolvere dispensandos in foro interno a censuris ecclesiasticis: ac utrum possint et debeant in foro externo.

R. Affirmative ad primam partem. Ad secundam pariter affirmative, obtenta facultate ab Ordinario.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 769].

4730.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 9 dec. 1822.

Gravis quaestio orta est inter harum partium missionarios quomodo christiani, et multo magis missionarii se gerere debeant, coram iudicibus et magistratibus, quando sollicitantur ut negent se esse antiquos christianos aut sacerdotes missionarios. Cum enim intersit mandarinorum, ad illorum honorem et dignitates tuendas, occultare Imperatori religionem christianam late propagatam fuisse in his partibus, hinc est quod quandoque hortantur christianos qui apostatare recusant, ut dicant se non a multis annis, sed tantum recens ad fidem christianam fuisse conversos. Missionarios autem qui munus suum apostolicum dignitatemque sacerdotalem palam confessi sunt, sollicitare solent ut praedictum munus et dignitatem occultent, atque fateantur se religionem christianam non praedicavisse, nec religionis suae sectatores post se reliquisse. Ideo autem mandarini ita se gerunt, quia timent ne, si constet Imperatori religionem christianam valde dilatatam fuisse multumque excrevisse missionariorum numerum, ipsi mandarini graviter puniantur, quasi negligentes fuissent in impedienda propagatione religionis christianae sicut in aliis persecutionibus contigit, in quibus multi mandarini ob hanc causam dignitates suas amiserunt. Hinc, licet quatuor illi missionarii, de quibus fuse dixi in relatione, semper confessi sint se esse sacerdotes, fidemque christianam pro viribus suis praedicavisse, attamen expositum fuit Imperatori illos non esse sacerdotes, nec christianam fidem praedicavisse, nec fidei christianae sectatores post se reliquisse: quare in Imperatoris rescripto asseritur illos ad exilium tantum condemnandos esse, quia non constat illos esse sacerdotes aut fidei praedicatores. Quaeritur igitur:

1. Utrum dicti missionarii licite potuerint recognoscere et signare suam sententiam condemnationis, prout fert usus illius Regni, in qua enuntiatur illos nec esse sacerdotes, nec fidei praedicatores, atque id tali modo enuntiatur ac si ipsi missionarii ita confessi sint. Ratio dubitandi est quia, etiamsi missionarii non assentiantur illi sententiae, et illam signare recusent, sententia tamen illa eodem modo publicabitur et executioni mandabitur perinde ac si illam signavissent, estque timor ne Praefecti, in vindictam quod illi non assensi sint, durius illos tractent. Ex altera parte, dictam sententiam signando videntur retractavisse omnia quae in tribunalibus coram iudici-

bus et magistratibus multoties confessi sunt de illorum dignitate sacerdotali et munere apostolico.

2. Utrum praedicti missionarii, cum norint publicatam esse illam sententiam, in qua enuntiatur illos non confessos esse se esse sacerdotes et fidei praedicatores, teneantur, ad omne scandalum removendum, reclamare contra Praefectos, aut saltem christianis manifestare se munus suum et dignitatem non occultavisse atque calumniam pati ex illa sententia contrariam veritati a se manifestatae.

3. Utrum missionarii, quando a iudicibus aut mandarinis sollicitantur ut manifestent familias illas quibus Religionem praedicarunt, aut apud quas hospitati sunt, peccent, si dictas familias iudicibus aut mandarinis indigitent. Ratio est quia dictae familiae gravissima damna pati solent in his circumstantiis, et periculo apostatandi a Religione exponuntur per huiusmodi manifestationes. Quod si praedictas familias indigitare non licet, quomodo missionarius a iudicibus interrogatus respondere debet? Nam, si dictas familias non manifestat, iudices statim subdunt: « ergo tu non es sacerdos? ergo fidem nemini praedicavisti? » Sicque in sententia condemnationis annuntiant illos esse confessos se non esse sacerdotes atque nemini christianam fidem praedicavisse.

R. Ad 1. Negative: non potuisse scilicet missionarios recognoscere et signare suam condemnationis sententiam de qua in casu.

Ad 2. Non teneri eosdem missionarios reclamare contra Praefectos; ad vitandum autem inter fideles scandalum doceantur fideles ipsi nullam fidem habendam persecutoribus confessores Christi calumniose criminantibus.

Ad 3. Fidelium familias mandarinis interrogantibus non esse manifestandas, sed aut tacendum, aut evasivis verbis, omni tamen mendacio remoto, respondendum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 776].

4731.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 9 dec. 1822.

1. An harum partium Vicariis App. competat ius et potestas eligendi et constituendi vicarios seu provicarios, qui, Vicariis Apost. adhuc viventibus et munus suum exercere valentibus possint tanquam eorum Vicariorum Apost. vicarii aut provicarii idem munus exercere.

2. Utrum Episcopi Vicarii App. possint Episcopis coadiutoribus ac suis provicariis peculiares quasdam facultates, praesertim vero matrimoniales, sic communicare ac delegare ut ipsi Episcopi coadiutores et dicti provicarii possint easdem aliis etiam missionariis communicare ac subdelegare; et quatenus affirmative, quaenam sint hae facultates?

R. Ad 1. Affirmative, iuxta Constitutiones Clementinas, et Benedictinas incipientes: *Ex sublimi*. [1]

[1] Cf. N. 423.

Ad 2. Affirmative; competere scilicet Vicariis App. facultatem subdelegandi suis coadiutoribus et provicariis facultates ordinarias et extraordinarias, exceptis iis quae characterem episcopalem requirunt; praetereaque competere dictis subdelegatis, coadiutoribus nempe et provicariis, illas communicandi subdelegatas facultates aliis missionariis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 777].

4732.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 9 dec. 1822.

1. Cum concessa iam sit facultas deferendi SS. Sacramentum infirmis occulte, sine lumine et stola,[1] quaeritur utrum etiam licere possit harum partium missionariis occulte, et sine lumine et stola, SS. Sacramentum administrare infirmis, quando aliter administrari non potest? Multi enim moriuntur infirmi sine SS. Viatico in domibus paganorum quia numquam permissum est huius provinciae missionariis illud administrare sine lumine, superpelliceo et stola, quibus tamen saepe possunt administrari Sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis.

2. Utrum Vicarius Apostolicus permittere possit missionariis, ut deferant et administrent SS. Sacramentum Eucharistiae christianis et praesertim sacerdotibus in carceribus propter causam fidei detentis, qui multum desiderant et maxime efflagitant, ut Vicarius Ap. permittat missionariis ut illis deferant et administrent SS. Eucharistiam in carceribus ad quos condemnati sunt ad totam vitam. At, cum alii Vicarii Ap. similibus precibus non annuerint, nec ego ausus sum missionariis talem facultatem concedere; verumtamen mihi expositum fuit, quod hi qui ad carcerem perpetuum condemnati fuerunt, non prohibentur visitari, et possunt soli cum solo diu permanere, ita ut facile possit illis sine periculo contemptus SS. Eucharistia administrari, si licitum esset illud administrare sine superpelliceo et stola.

R. Ad 1. Affirmative, agitur enim de facultate a summis Pontificibus iam concessa.

Ad 2. Affirmative, et quoad detentos ad tempus, quatenus petant; arbitrio tamen et prudentiae Vicarii Apostolici.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 778].

4733.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Siam), 9 dec. 1822.

Sunt quaedam mulieres catholicae quae coram ministello nupserunt cum viris haereticis sine dispensatione; fides earum usque modo fuit in tuto: veniunt ad ecclesiam, Poenitentiae Sacramentum frequentant; educatio vero prolis non est in tuto, imo vero, quando grandiusculi fiunt filii, coguntur

[1] Cf. N. 4720.

sequi partes patrum suorum; rogo dare mihi instructionem quomodo tra-
ctandae sint huiusmodi mulieres.

R. S. Congregatio respondendum censuit ac decrevit huic dubio se-
quenti data Instructione.

Instructio. — Ac primum Vicario Ap. ac missionariis, qui in Siamensi
dominico agro excolendo tanta cum laude adlaborant duas Instructiones prae
oculis habendas esse S. C. existimat: unam anno 1788 pro Imperio Sinico
datam, eidem Vic. Ap. Siamensi anno 1818 transmissam, in qua disertis
verbis affirmatur in Sinis Decretum de Matrimonio Tridentinum nunquam
fuisse promulgatum; alteram, quam ipsa S. C., ineunte anno 1821, edidit
de matrimoniis clandestinis, observandamque a fidelibus eiusdem Imperii
praecepit; neque solum Imperii, sed eidem adiunctorum Regnorum atque
Provinciarum, adeoque Siamensis etiam Regni. Etenim in ea declaratum
est atque praescriptum, ut quibus in locis Vicarii Ap., maturo adhibito con-
silio, expedire iudicaverint, in iis Concilii Tridentini Decretum (cap. 1,
sess. 24, *de ref. matrim.*) rite promulgandum curent; ac propterea matrimonia
quae posthac iisdem in locis celebrari contigerit, ut valida nominentur et
sint, ineunda esse coram parocho, aut missionario, aut sacerdote quovis
legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque, si haberi possint,
christianis; in iis vero locis, in quibus integrum non possit observari Decre-
tum, quod parochus vel alius ad id muneris rite designatus absit, facilesque
ad eumdem aditus non pateant, iniri quidem debere coniugia coram duobus
saltem testibus, iisque quantum licuerit christianis; ita tamen contrahentes,
ne Sacramenti dignitas vilescat, obligandos lege sistendi se coram parocho
vel missionario quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant.
Missionarius vero vel parochus redux, quando sibi de consensu coniugum
constiterit, edoceat coniuges eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non
ad validitatem pertinere coniugii.

Iam vero, consideratis et perpensis memoratis Instructionibus, facile
intelligitur quid sentiendum sit de pravis coniunctionibus in superiore casu
spectatis; nam, cum infelices illae mulierculae catholicae ante Decretum Tri-
dentinum rite promulgatum nuptias cum viris haereticis coram ministello
sine dispensatione inierint, etsi Sancta Mater Ecclesia detestabiles huius
generis nuptias damnaverit semper, necnon omnimodis absterrere ab iisdem
catholicos sategerit, non tamen invalidas eas esse S. C. censet, sed tantum
vehementer illicitas; ac propterea egent mulierculae illae poenitentia abso-
lutioneque Ecclesiae, quae, nisi antehac concessa sit, concedatur.

At quoniam... Tridentini decretum promulgatum rite per aliquot fortasse
loca iam fuit, vel integrum observandum est, vel fere integrum pro condi-
tione locorum ac personarum, uti paulo ante explicatum est: in hoc casu,
si quae mulieres catholicae, contempto decreto, quod observare debebant,
cum viris haereticis coram ministello nefariam coniunctionem inire tentas-
sent, censet S. C. tales concubitus invalidos, ac vim nullam habituros in
conspectu Ecclesiae esse declarandos.

Quod si tandem dubitetur, an rite Tridentinum Decretum per aliqua
loca promulgatum hactenus sit, intereaque similes nuptiae contractae fue-

rint, ac de validitate earumdem prudens aliqua dubitatio suboriatur, hoc
in casu censent EE. PP. sananda huiusmodi matrimonia, quatenus opus sit,
in radice.

Sed consilia quaedam ac regulae tradendae sunt missionariis, quarum
ductu catholicae coniuges eripere grandiusculos suos filios possint a periculo
perversionis. Primum itaque omnium condocefacere missionarii eas debent
ut, pro gravissimo scelere quod admiserunt, veram poenitentiam agant,
veniamque a Deo sibi adprecentur, conenturque pro viribus coniugem a
fide deerrantem ad gremium catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque ani-
mam lucrari; lucrum enim parentum lucrum filiorum est. Adhortentur
deinde eas ut humillimas preces ad Deum quotidie fundant, qui fortiter
suaviterque corda hominum flectit ac temperat, quique vocat ea quae non
sunt tanquam ea quae sunt; ita enim fiet, ut pro salute virorum atque filio-
rum fusa oratio ad coelum ascendat ac divina descendat miseratio. Excitent
praeterea earum animas ad cultum christianarum virtutum, quibus tanquam
inaestimabilibus gemmis ornatae exhibeant se viris suis, maxime vero mode-
stia, patientia, obsequiis; nam si virtus etiam in hoste posita delectat, quanto
magis in uxore delectabit? Neque vero, divina fortasse misericordia retar-
data, de misericordia desperent, imitatae sanctas coniuges, Monicam, Clo-
tildem et alias quae viros suos a fide alienos, opitulante Deo, ad fidem tan-
dem adduxerunt. Iam his regulis adhibitis, si viros suos integre non vincent,
nec de eorum animis triumphabunt, at frangent certe duritiam eorum, et
corda praeparabunt ad aliquod saltem lucrum in instituendis filiis conse-
quendum. Atque hic explicabunt missionarii quae quantaque cautio ac dili-
gentia adhibenda sit ad pravae educationis prolis praefocanda pericula;
tanta nempe quantam parentes adhibere tenentur ad spiritualem filiorum
salutem procurandam. Studeant igitur catholicae coniuges ut sibi permit-
tatur filios et filias, saltem usque ad pubertatis annos, educare; nam ex eo
tempore, si pervertatur proles, ipsi imputabitur, non negligentiae coniugis
catholicae. Quod si post rationis usum, veniam suae educandae prolis impe-
trare non possint, dabunt operam admonitionibus, consiliis, suasionibus,
quantum fas erit, ut natis suis veram religionem instillent. Tandem si quam
fortasse earum missionarii despondere animum internoscant, quod, post
omnimodam diligentiam cautionemque adhibitam, nulla ratione liceat sibi
de catholica filiorum educatione proficere, declarabunt iisdem pulcherri-
mam Sancti Bernardi sententiam e libro quarto de Consideratione: *Noli
diffidere; curam filii exegeris, non curationem. Audisti:* Curam illius habe,
et non: Cura *vel* sana illum. *Non est in medico semper relevetur ut aeger.
Paulus loquitur:* Plus omnibus laboravi, *non ait:* Plus omnibus profeci,
aut plus omnibus fructificavi, *verbum insolens religiosissime vitans. Noverat
homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet,
non secundum proventum.*

Atque haec attigisse sufficiat ad casus a Siamensi Vicario Ap. propositi
responsionem.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 779].

4734.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 9 dec. 1822.

Suppliciter exoro S. C. ut dignetur declarare an possit permitti mercatoribus oleorum, ut vendant oleum iis qui ex eo solent conficere candelas, quarum usus magis ordinarius est ad colendum idola, vel peragendas alias superstitiones a paganis in sacrificiis suis, et maxime sub initio anni novi, peragi solitas. Porro licet huiusmodi candelae, ex oleis seminum confectae, ordinarie adhibeantur pro superstitionibus peragendis, non tamen extat ulla lex quae prohibeat quominus in aliis usibus licitis etiam adhibeantur; et sunt qui quandoque illas adhibent in lanternis tempore noctis, vel domi illas accendunt, hisque utuntur pro rebus licitis peragendis; sed pauci sunt qui illas adhibeant in usibus licitis, eo quod carioris venduntur quam aliae candelae ex sebo: et revera earum usus magis ordinarius est pro colendis idolis aut superstitionibus peragendis. Christiani autem non solent huiusmodi candelas conficere nec vendere: sed difficile possunt eximere se a vendendo oleo eis qui illas conficere et vendere solent. Quaeritur utrum possit etiam permitti christianis conficere ac vendere supradictas candelas nihil interrogando emptores de usu ob quem volunt illas candelas emere, licet sciant generatim a paganis illas candelas emi pro superstitionibus peragendis.

R. Detur responsio iam data a S. Congr. anno 1645. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 780].

4735.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Bosniae), 16 iun. 1827.

Fatte le dovute riflessioni sulla condotta di quei sacerdoti, i quali talvolta obbligati vengono da alcuni magnati turchi a celebrare nascostamente la S. Messa nell'interno delle loro case affine di ottenere la sanità corporale a qualche loro infermo: supposto come notissimo e conforme a ciò che praticavasi anche nei primi secoli della Chiesa, che può offerirsi a Dio il sacrificio della santa Messa non solo per la conversione, ma anche per il bene temporale degli infedeli, si è cercato, se riguardo al luogo ove si celebra il divin sacrificio dai sacerdoti contemplati nel caso s'incontri qualche difficoltà. È certo, che fuori del caso di somma necessità non può celebrarsi la S. Messa nei luoghi profani; ed il Sommo Pontefice Benedetto XIV nella sua costituzione *Inter omnigenas* [2] emanata appunto per il Regno di Servia e paesi adiacenti, al § 22 prescrive: « extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacris Missas celebrare non liceat ». Perchè possa giudicarsi se nel caso esposto si combini questa somma necessità, è necessario,

[1] Cf. N. 4459.
[2] Cf. N. 339.

che V. S. spieghi il genere e la gravezza de' mali che potrebbero i sacerdoti temere; e siccome il concorso della somma necessità non è l'unica difficoltà che s'incontra, perciò Ella si compiacerà ancora di riferire, se il SSmo Sacramento è in questa circostanza garantito da qualunque insulto de' turchi; se i sacerdoti che si prestano al desiderio de' turchi, celebrino sulla pietra sagra; se si possa esser sicuri, che decente sia il luogo, nel quale essi celebrano o sono per celebrare; e finalmente se questa celebrazione nelle case de' turchi produca, o sia per produrre un qualche scandalo.

Responsum Vicarii Ap. – « Al venerato quesito propostomi da cotesta S. C. cioè in che maniera vengono celebrate dai nostri sacerdoti le sante Messe nelle case dei turchi, primieramente rispondo, che questo caso avviene rarissimamente, e appresso qualche persona riguardevole, e che potrebbe giovarci e nuocerci negli incontri appresso i loro spaventevoli tribunali, dai quali siamo bene spesso vessati ed angariati. In secondo luogo, la stanza, in cui si viene a celebrare, sebbene serva all'uso comune, è però assai più decente e comoda de' miserabili tugurii e capanne dei nostri poveri villici e montagnoli, ne' quali tugurii e capanne conviene per dura durissima necessità bene spesso celebrare, se si vogliono provvedere i moribondi del sacrosanto Viatico, massimamente nei luoghi distanti a più ore, e talvolta a giornate intiere dall'Ospizio Parrocchiale. Terzo, nè il Santissimo Sacramento nel proposto caso viene esposto ad alcuna profanazione ed insulto nelle case dei turchi, che ben volontieri si asterrebbero di dare simili incomodi ai nostri sacerdoti, se la necessità di malattia o di qualche vessazione notturna, che tal volta sentesi nelle loro abitazioni, non li costringesse. Quarto, nessuno scandalo od ammirazione accade appresso i fedeli, facendosi ciò privatamente e nascostamente o con un solo ministro assistente ».

Hinc dubium propositum in Congr. Gen. 30 iunii 1828: Che cosa debba rispondersi in proposito delle Messe, che dai missionarii si celebrano nelle case dei maomettani.

R. Arbitrio et prudentia Vicarii Ap., qui concurrente, quam exposuit, necessitatis causa, et dummodo decenter et absque periculo scandali fiat, celebrationem Missarum, de quibus agitur, permittere possit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 784].

4736.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin.), 2 iul. 1827.

1. An Concilii Tridentini Decretum *de matrimonio* in illis tantum locis seu christianitatibus diversorum pagorum obliget, in quibus singillatim promulgetur. — Et quatenus affirmative, quaeritur secundo: an idem dicendum de illis christianitatibus quae intra unum eumdemque pagum diversas habent ecclesias, ut supra expositum est.

2. Utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando ob persecutionem, vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum morem patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque coniugis, qui

celebrationi matrimonii adsistunt, non rogatis testibus determinatis, neque
formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem
facere possint, cum aliunde sint plures, qui licet nec rogati, nec formaliter
adhibiti fuerint, de matrimonio tamen more patriae inito, et de consensu
utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso, possent
facere fidem si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali
modo contractum.

3. S. Congregatio die 5 aprilis anni 1785 respondit: « Nullam ex coere-
moniis (quae more Regni a tunkinensibus fiunt) constituere apud christia-
nos matrimonium: quaenam vero ex illis facienda sit, ut certum inducat
argumentum consensus utriusque ad matrimonium praestiti, pendere ex
singulorum casuum circumstantiis, quae a prudenti missionario inquiri
ac diligenter ponderari debent ».[1] Quaero ergo, utrum post promulgationem
Decreti Tridentini, quando christiani, absente missionario, contrahunt
matrimonium secundum morem patriae, si ex coeremoniis observatis, atque
ex aliis circumstantiis prudens missionarius certum deducat argumentum
consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, attamen duos testes
invenire non possit, qui de omnibus iis coeremoniis simul sumptis, et a
contrahentibus observatis, testimonium ferant, quippe qui eiusmodi caere-
moniis nuptialibus, iis praecipue ex quibus missionarius certum deducat
argumentum consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, non
simultanee, sed successive interfuerunt: cum tamen sufficientes inveniantur
ex ipsis, qui singillatim pro singulis coeremoniis testes esse possint, utrum,
inquam, in tali casu matrimonium sit validum.

R. Ad 1. Ad primam et secundam partem: Non obligabit nisi in iis
christianitatibus in quibus promulgatum fuerit.

Ad 2. Affirmative, quatenus testibus certe constet de praestatione con-
sensus.

Ad 3. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 794].

4737.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Siam), 2 iul. 1827.

1. Aliquando rex, princeps, praefecti fiunt bonzii; tempore quo induunt
pannum bonziorum possuntne christiani prosternere se coram illis, et salu-
tare iuxta morem Regni, quin faciant aliquam protestationem, praesertim
si fieri nequeat? Habetur ille pannus flavus tamquam pannus divinus, et
bonzii appellantur *dii*. Quid si medici ipsi bonzii sint? Non enim possunt
adiri sine praevia salutatione. Quid si cognati, aut aliquando proprius parens
sint bonzii? Etenim non salutare propinquos vel maiores esset causa ma-
gnae criminationis contra religionem christianam.

[1] Cf. N. 4601.

2. Mortuo rege aedificant siamenses rogum magno cum apparatu per
plures menses, ad cremandum corpus. Constituto die quo cremari debet,
invitantur talapuini multi ad orandum pro defuncto, et aspergendum illo-
rum aqua, quam vocant benedictam, aliaque perplura agunt superstitiosa.
Si iubeantur christiani portare lateres aut ligna pro constructione aedificii,
possuntne adiuvare? Si renuant, ut ingrati erga regem detrectantur. Vocantur
milites christiani ad comitandum novum regem, et custodiendum in medio
turbarum quando vadit ad accendendum rogum.

R. Iuxta votum et instructionem D. Consultoris.

Instructio. — Salutationes vel gratulationes quae fiunt erga gentiles et
idololatras, occasione qua ad dignitatem aliquam promoventur, illicitae
habendae sunt si dignitas illa ad superstitiosa tantum, et nihil ad civilia
referatur; quia gratulationes essent de re mala. E contra licitae existimandae
erunt, si dignitas illa non ad religiosa tantum, sed etiam ad civilia referatur
et politica; quia cum salutationes et gratulationes illae fiant ab hominibus
qui publice christianam religionem profitentur, intelligi debent factae ob
relationem dignitatis illius ad civilia, minime vero ad religiosa et superstitiosa,
et in hoc casu protestatio quae in prima hypothesi actum licitum non face-
ret, non est necessaria; suaderi tamen poterit, nisi rei christianae aliquod ex
ea damnum oriri facile posse praevideatur. Hisce principiis missionarius
quaestionem solvere facillime poterit de salutationibus ethnicis hominibus
faciendis occasione qua bonzii fiunt, et tempore quo pannum induunt bon-
ziorum.

Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos haec tenenda regula est:
si cooperatio pars fuerit ritus superstitiosi, tunc formalis censenda erit,
intrinsece mala, et numquam fieri licta poterit. E contra censenda erit
materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum
quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere volue-
rit, licitam eam faciet, etiamsi scandalum adfuerit quod *pusillorum* dicitur a
theologis; quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scan-
dalum istud removere. Quamobrem si missionarius praeviderit christianis
qui adlaborare iubentur ad construendum rogum, de quo in proposito
dubio, grave damnum oriturum, si illius constructioni adlaborare recusent,
etiamsi scandalum adfuerit, *pusillorum* nuncupatum, christianos illos peccati
reos declarare non poterit.

Quod spectat ad christianos milites qui vocantur ad comitandum et
custodiendum regem de medio turbarum euntem ad accendendum rogum,
tenenda est Tertulliani doctrina (Lib. *de Idololatria*, cap. 5) inquientis: « Uti-
nam nec videre possimus quae facere nobis nefas est! Sed licebit adesse in
quibusdam quae nos homini, non idolo officiosos habent... Si propter sacri-
ficium vocatus, assistam, ero particeps idololatriae; si me alia causa coniungit
sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii ». Cum vero christiani milites,
de quibus in proposito dubio, non propter ritum superstitiosum vocati,
eidem adsistant, sed comitandi et custodiendi regis causa de medio turba-
rum, id eos non idolo sed homini officiosos facit; eos non superstitiosus
ritus, sed alia causa regi coniungit superstitiosum ritum peragenti: ideo parti-

cipes non sunt superstitionis, sed spectatores tantummodo ritus superstitiosi ac propterea immunes a peccato.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 795].

4738.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Cochinchin.), 2 iul. 1827.

1. Se debbansi escludere le imagini del dragone onorato dai pagani, e le altre imagini superstiziose; e se i missionari che le permettono incorrano alcuna censura, e se tale censura sia *latae sententiae* e riservata.

2. Qual giudizio debba farsi della condotta dei cristiani, i quali dopo aver invitato i pagani a suonare nelle chiese o ai funerali, loro si uniscono nei festini che han luogo dopo le cerimonie; e qual mezzo debba adoprarsi per ottenere che i cristiani cessino di unirsi ai gentili in sì fatte circostanze.

R. *Instructio* (*Ad Vic. Apost.*). Primo quidem christianae fidei puritati parum conformes esse videntur illae, sive sculptae, sive tabulis depictae, draconis aliaeque avium et reptilium imagines, quae in ecclesiasticis praesertim functionibus adhibentur. Etenim cum figuras istas, et maxime draconis, idololatrae istarum regionum religioso cultu venerentur, qui iisdem in sacris praesertim ritibus utuntur, christianam quam profitentur fidem susperstitioso, imo idololatrico, paganorum cultu maculare videri possunt. Profecto inficiari non poterit figurarum istarum usum superstitiosum et idololatricum esse, si coniunctus fuerit cum falsa fide, qua credatur illius draconis figuras, aliasque istiusmodi, totidem divinitates esse, vel simulacra divinitatis, de quo non levis esse suspicio poterit in regionibus istis, in quibus idololatria olim dominabatur, et in quibus apud ipsos christifideles, antiquae superstitionis vestigia, tamquam zizania in agro Domini, identidem apparuerunt: quibus extirpandis radicitusque evellendis Romani Pontifices plurimum adlaborarunt.

Quamobrem, si ita se res habuerit, aut gravis aliqua ita iudicandi adfuerit ratio, munus tuum erit tuorumque Vicariorum et missionariorum, quantum fieri poterit, adniti ut haec zizania de medio tritici penitus eradicentur. Verumtamen, in hoc faciendo, maxime utendum erit diligentia et cautione, ne cum zizaniis et triticum eradicetur, et, cum semina quaedam vetustae superstitionis a christifidelium animis evelluntur, vel ipsa christiana fides ab ipsis eradicetur.

Neque tamen existimandum est, ut qui in hoc Vicariatu tuo christifidelibus in spiritualibus praesunt, haec fieri permittentes, excommunicationis poenae *latae sententiae* subiecti sint, ut ab aliquibus dubitatum est, quod talis censura lata fuerit in Constitutione *Ex quo*,[1] quae a Benedicto XIV edita est adversus superstitiones christifidelium Imperii Sinarum; ea enim excommunicatio, quae legitur § 25 praefatae Constitutionis, lata est contra non impedientes superstitiones quibus christifideles utebantur erga Confu-

[1] Cf. N. 329.

cium et maiores suos: atqui poena excommunicationis *latae sententiae* contra aliquod designatum crimen in particulari, non extenditur ad aliud, quamvis eiusdem speciei, tum quia lex humana non obligat nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam, tum quia in odiosis, quemadmodum talis est gravissima excommunicationis poena, praesertim *latae sententiae*, stricta debet esse interpretatio; quamobrem apud theologos et canonistas in proverbii fere consuetudinem venit, excommunicationem extendendam non esse de casu in casum.

E contra si nulla, vel fere nulla fuerit ratio iudicandi illas draconis aliasque volatilium et reptilium figuras ad superstitiosum cultum adhiberi, sed vel ad civilem tantummodo usum, vel ad simplicem ornatum, consulendum utique sed non stricte praecipiendum fidelibus erit ut ab istis sive pictis sive sculptis imaginibus tanquam superstitiosis abstineant, dicendumque erit quod de usu ciborum, qui in veteri lege immundi habebantur, ab Apostolo dictum est: *Qui non manducat, manducantem non iudicet* (Rom., XIV, 3).

Nihilo tamen minus si, remota licet omni idololatriae et superstitionis suspicione, adhuc tamen usus istarum figurarum petra fuerit christifidelibus offensionis et scandali, ab eisdem, quantum postulat lex charitatis, abstinendum erit, idque iuxta eiusdem Apostoli doctrinam, qui, loco mox laudato, subiungit: *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum* (ibid., v. 15 et 16). Et alibi idem Apostolus: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem* (I Cor., VIII, 13).

Neque probare S. Congregatio potuit convivia illa christianorum cum paganis, quae fieri solent exactis funeribus christianorum, ad quae ab istis vocati praedicti pagani, sua, tempore funeris, sive pulsarunt, sive inflarunt musica instrumenta. Quid enim familiarius inter homines convivio est? Atqui familiaritatem cum infidelibus, uti sunt pagani, vitandam esse suadet tum debitus nostrae religionis honor, tum ratio declinandi perversionis periculum. Sed iure etiam ecclesiastico, convivia haec cum paganis vetita esse communiter docent iuris ecclesiastici doctores. Id quidem, non quia existimant ad ea extendendas esse leges illas quibus convivia vetantur christianorum cum hebraeis, qualis ea est quae legitur Cap. *Omnes*, 14, Caus. 28, qu. 1. Ita Engel, I. E. l. 5, t. 6, q. 2, n. 4; Pirhing, l. 5 *Decretal.*, par. 1, t. 6, n. 4; Schmalzgrueber ibid., et alii plures apud ipsos. Neque huic communi canonistarum doctrinae adversatur illud iuris principium: *Odia sunt restringenda*, etenim cum praefatae canonicae leges latae fuerint in favorem Religionis, favorabiles censendae sunt, adeoqe latioris interpretationis, iuxta alterum iuris principium: *Favores sunt ampliandi.* Quod si convivia haec occasiones proximae fuerint intemperantiae, ebrietatis, et similium, quae contingere plerumque consuevisse dicuntur apud christifideles Vicariatus tui, non iure tantum ecclesiastico, sed naturali etiam et divino vetita esse dicenda sunt, adeoque aliam ob causam, eamque potiorem fugienda.

Neque alterum probari undequaque potest, christianos invitare paganos ut musica sua pulsent vel inflent instrumenta, dum illis suis parentant defun-

ctis, ob grave periculum exponendi sacros religionis nostrae ritus contemptui
et irrisionibus paganorum, quod eidem Religioni summopere iniuriosum
esset; suadendum igitur christifidelibus erit ut, aut opere aliorum christia-
norum utantur in funeribus suis, aut, ut sine musicorum instrumentorum
sono sua funera celebrent, cum aliunde sonus iste ad illa nullimode necessa-
rius esse videatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 796].

4739.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. N.), mense aug. 1827.

Ad mores quod pertinet sacerdotum Vicariatus tui, si tales revera fue-
rint quales describuntur, eos multa reformatione indigere negari non pote-
rit. Quamplures enim esse dicuntur, qui negligentes *gratiam* quae ipsis
data est *cum impositione manuum presbyterii* (I Tim., IV, 14), nihil aliud
quaerunt quam *quae sua sunt, non quae sunt Iesu Christi* (Philipp., II, 21);
suorumque officiorum erga Christi Ecclesiam immemores, quae ex sacris
Litteris ipsis urgent ecclesiasticae sanctiones, cum debeant morum hone-
state, splendore virtutum totiusque vitae sanctimoniae, exemplo et incita-
mento ad christianam vivendi rationem aliis christifidelibus esse, potius
facti sunt ipsis petra offensionis et scandali, adeo ut non ad aedificationem
Ecclesiae, sed potius in eius destructionem, manus ipsis impositae fuisse
videantur. Toti ipsi dicuntur esse in exquisito domorum suarum splendore,
et muliebri suorum corporum ornatu quaerendo, idque in ecclesiasticis
etiam muneribus exercendis; quamobrem ipsis aptari posse videtur, quod
de quibusdam presbyteris aetatis suae inquiebat Hieronymus in epistola
ad Eustochium: *Tales cum videris, sponsos potius existimato quam Clericos.*
Hi saeculi pompas et mundanos honores sectari feruntur, et *lucra saeculi
quaerentes in militia Christi*, ut de ecclesiasticis eiusdem furfuris viris in-
quiebat idem Hieronymus ad Nepotianum, ad ea sibi comparanda, adver-
sus Apostoli praeceptum (II Tim., II, 4), *militantes Deo implicant se nego-
tiis saecularibus*. Aliqua etiam reformatione dignum videtur quod ad S. C.
relatum est, eos scilicet potiusquam dent operam puerorum et catechume-
norum instructioni, ipsos in fidei rudimentis imbuendo, tempus saltem inu-
tiliter terere in venationibus et ludis. Venationem Episcopis, presbyteris et
diaconis vetitam esse constat ex Cap. 1, *De clerico venatore;* eamdemque sub-
diaconis aliisque minoribus clericis, plurimis synodalibus constitutionibus
prohibitam fuisse ostendit Gonzalez in d. c. n. 3; Thomassim, *De vet. et
nov. Eccl. discipl.*, par. 3, lib. 3, c. 46; et Theophilus Raynaud in opere
inscripto: *Mala ex bonis Ecclesiae*, lib. 2, sect. 3, c. 3, n. 26 seq.; et altero:
Religiosus loricatus, praesupp. 1, tom. 17, pag. 193. Distinctio quidem est
apud canonistas inter *clamorosam et quietam venationem* et quamvis commu-
niter doceant hanc vetitam clericis non esse, nemo tamen unus est qui exi-
stimet illam esse permissam. Sed et quietam etiam venationem ecclesiasticis
viris vetitam esse censendum est, si non ad breve tempus et honestae recrea-

tionis causa exerceatur, quod iuxta D. Thomam (qq. 9, 16, 8 et 2) ad vir-
tutem eutrapeliae pertinere posset; sed in eam plurimum ipsi incumbant,
adeo ut tantum ipsis non supersit temporis quantum necessarium est ut
sui ministerii officia adimplere possint; hoc enim nedum ecclesiasticis san-
ctionibus oppositum esset, sed iuri etiam divino, quo docemur eos qui ad
sacerdotalem dignitatem assumpti sunt, pro hominibus in eadem fuisse
constitutos.

Idipsum de ludis dicendum est, quibus nimium indulgere presbyteri
Vicariatus tui videntur. Animadvertere ipsi debent hominem per ludos ad
fraudes, fallacias, mendacia, furta, periuria aliaque enormia scelera incitari
consuevisse. Quamobrem Innocentius III, in generali Concilio Lateranensi,
de clericis sancivit: *Ad aleas et taxillos ne ludant, nec huiusmodi ludis intersint*
(cap. 15, *de vita et honestate clericorum*), et Tridentinum Concilium ab
illicitis ludis clericis abstinendum esse decrevit (Sess. XXIV, c. 12, *de ref.*).

Cum itaque, ex hactenus expositis, multum deplorabilis videatur status
sacerdotum Vicariatus tui, S. C. decrevit, eosdem, per A. T., tuosque vica-
rios et missionarios, vel alios idoneos viros, benigne simulque graviter admo-
nendos esse. Vult nempe ut ipsi cognoscant et perbene considerent officia
quae adimplere tenentur ratione status et vocationis suae; eos suarum splen-
dore virtutum esse debere in Ecclesia Christi tamquam lucernas ardentes
in caliginoso loco, ut luceat eorum lux coram hominibus, et videant opera
eorum bona, et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est (Matth., V, 16);
eos a domino messis tamquam operarios, et non tamquam otiosos homines,
missos fuisse in vineam eius ut fructum afferant, et fructus eorum maneat
(Ioan., X, 2). Urgendas item ipsis esse ecclesiasticas sanctiones de vita et
honestate clericorum, et praesertim quae a Sacrosancta Tridentina Synodo
lata est, Sess. 22, Decreto *de ref.*, c. 1, in qua inter alia haec leguntur:
*Sic decet omnino clericos in sortem Dñi vocatos, vitam moresque suos omnes
componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi
grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.*

Quod si moniti, ad saniorem mentem revocari non poterunt, castigato-
riam quoque virgam, quam Apostolus minabatur Corinthiis (I Cor., IV, 21),
adhibere poteris adversus pertinaces, dummodo pro tua prudentia praevi-
deris eam profuturam esse; secus ab hac rigidiori cum eis agendi ratione
abstinere prudenter debebis, nihilque aliud reliquum tibi erit, quam fer-
ventiores preces et obsecrationes ad Deum effundere, in cuius manibus
sunt hominum corda et quocumque voluerit inclinabit illa (Prov., XXI, 1).

Ne vero novus qui exurget clerus in hoc Vicariatu talis sit qualis esse
videtur qui nunc est, sed talis futurus sit qualem divina et ecclesiastica iura
esse volunt, et S. C. vehementer exoptat, prae oculis habere debebis illud
Apostoli monitum: *manus cito nemini imposueris* (I Tim., V, 22), necnon
verba Tridentini Concilii (Sess. 23, *de ref.*, c. 16): *cum nullus debeat ordinari
qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesis*; item, quae
de requisitis in promovendis ad singulos Ordines sapienter ab eodem sancita
sunt ibidem. Cum vero, inter haec requisita, doctrina in promovendis ad
ecclesiasticos Ordines recenseatur, sine qua inutiles forent christiano populo,

cumque experientia compertum sit scientiae defectus in ecclesiasticis viris otiositatem gignere, quae multam docet malitiam (Eccl., XXXIII, 29), totis viribus adnitendum tibi, tuisque vicariis et missionariis erit, ut novus qui exurget clerus sufficienti saltem doctrina et eruditione imbuatur, eaque praecipue quae ecclesiasticis muneribus recte et ad aedificationem christiani populi adimplendis necessaria esse videtur. Et si datum tibi esset in presbyteris etiam Vicariatus tui amorem excitare erga sacras doctrinas, et studium proficiendi in ecclesiasticis disciplinis, fortassis datum quoque tibi esset eorum mores reformare, eosque dignos Ecclesiae ministros, sibi aliisque christifidelibus utiles efficere. Hoc vehementer exoptat S. C.; hoc a prudentia tua, quae satis perspecta est, et a zelo quo erga Ecclesiae bonum accenderis, a te praestolatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 798].

4740.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), mense aug. 1827.

Sacra Congregatio approbare non potuit nimiam, quae de confessariis Vicariatus tui narratur, facilitatem in administratione Sacramenti Poenitentiae, qui dicuntur, nulla facta inter poenitentes distinctione, omnes etiam recidivos, et in habituali consuetudine peccati superstitionis morantes, indiscriminatim absolvere. Profecto, cum ex ipsa institutione Sacramenti Poenitentiae constet aliis esse peccata remittenda, aliis vero retinenda (Ioan., XX, 23), manifestum est hanc consuetudinem tuorum confessariorum, si vera sunt quae de ipsis narrantur, opponi ipsi institutioni Sacramenti Poenitentiae, neque enim supponi potest in omnibus poenitentibus Vicariatus tui dispositiones adesse, quae necessariae cognoscantur, ex laudata mox institutione Sacramenti Poenitentiae, ad sacramentalem absolutionem obtinendam. Huic tuorum confessariorum consuetudini opponitur etiam ipsum Rituale Romanum in quo (Tit. *De Sacramento Poenit.*) legitur: *Videat autem diligenter sacerdos quando et quibus conferenda vel deneganda sit absolutio.* Quod praescriptum non fuisset, si poenitentibus omnibus, etiam recidivis et in habituali peccandi consuetudine existentibus, indiscriminatim absolutio esset impertienda. Doceantur igitur confessarii tui de hac triplici poenitentium specie, iuxta mox laudatum Rituale Romanum, et absolutionem denegent iis qui vel nulla, vel fictae tantum poenitentiae indicia praebent: illis vero differant, quorum poenitentia incerta et suspecta merito habetur. Ita docent cordatiores theologi, ita docent Instructiones confessariis propositae a S. Carolo Borromaeo, et a S. Francisco Salesio qui regulas a S. Carolo traditas in suis synodalibus constitutionibus adoptavit, uti videre est in earum titulo 9, art. 5, n. 3; ac meminisse debent mox praefati confessarii Vicariatus tui, ex magna absolvendi facilitate, magnam peccandi facilitatem oriri necessario debere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 799].

4741.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), 29 sept. 1827.

Scias R. D. Carolum Langlois, Parisiensis Seminarii Missionum ad exteros Superiorem, dubia quaedam proposuisse, per hanc eamdem S. C. resoluta ut sequitur:

1. « Utrum mortuo Vicario Apostolico, cui non erat Coadiutor, et a quo nullus institutus fuerat generalis pro tota Missione Provicarius, missionarius qui pro una tantum Missionis parte specialiter designatus, Provicarii particularis facultates acceperat, vi praedicti Brevis *Ex sublimi*[1] totius Missionis Superior censeatur eiusque regimen obire valeat et debeat, quamvis non sit ipse prior in Missionem ingressus? » S. C. respondit: *Provisum sub die 2 iulii*, quo decreto statutum iam fuerat ius succedendi in interina administratione in eo casu spectare ad antiquiorem Seminarii Parisiensis in Missione alumnum.

2. « An Decretum S. Congr. de Prop. Fide a Pio VI, die 11 martii 1787 approbatum[2] ad omnes indiscriminatim missionarios cuiuscumque sint Ordinis et Instituti, non vero ad eos tantum spectet qui eiusdem sunt Instituti ac Vicarius Apostolicus defunctus ». Et hic pariter decretum est: *Decisum in primo, et spectare ad missionarios gallos, quibus concredita est Missio, et ad quos spectat Vicarius Ap.*

3. « An missionarius qui senior est in Missione possit, eveniente casu de quo agitur, ius suum alteri cedere: an vero illud exercere teneatur, nisi omnino sit impotens? » Decretumque fuit: *Negative, et in casu recurrendum esse ad Vicarium Ap. viciniorem.*

4. « Quis eorum senior in Missione censendus sit: num ille praecise qui prior a cymba in terram prosilivit, etiamsi is diaconus tantum foret aut subdiaconus, alter autem sacerdos ». Emi Patres responderunt: *In iudicanda antiquitate habendam esse rationem presbyteratus.*

5. « Si missionarius ante alium in Missionem ingressus, nonnisi diu post ipsum, vel propter aegritudinem, vel ob negligentiam, aut tenuem habilitatem, linguam addiscere et animarum ministerium exercere potuerit, quis ex his duobus senior in Missione censendus est? » Et EE. PP. decreverunt: *Censendum seniorem in Missione qui longiori tempore ministerium exercuit, et in casu contestationis recurrendum esse ad Vic. Ap. viciniorem.*

6. « Quae sint Vicarii Ap. vicinioris iura in eam Missionem quae, defuncto Vic. Ap., exerceantur vel a Provicario generali superstite, vel a missionario seniore? » Et EE. PP. responderunt: *Provisum sub die 2 iulii*, decreto scilicet supra relato[3] quo determinati sunt casus in quibus Vic. Ap. vici-

[1] Cf. N. 423.
[2] Cf. N. 4617.
[3] S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 2 iul. 1827: Utrum in casu obitus alicuius Vicarii Apostolici in Sinis aut Regnis adiacentibus, qui decesserit quin prius ullum

niori facultates conceduntur, ut vacantis Vicariatus Apostolici bono consulat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 800].

4742.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Orient.), 17 apr. 1828.

Cum in hac Missione christifideles cum infidelibus permixti degant, et in pluribus locis pauci sint christiani, et hi cognationis vinculo regulariter inter se colligati, frequenter cum ipsis dispensare necesse est, ut intra gradus prohibitos matrimonium celebrare queant. Aliquibus in locis viri christiani ad contributiones aliaque superstitiosa opera ab infidelibus coguntur, et quamdiu in tali statu perseverant, ad Sacramenta non admittuntur: quando isti petunt dispensationem pro contrahendo matrimonio intra gradus prohibitos, cum ipsis dispensatur, modo altera pars Sacramentorum capax sit, concurrente gravi causa, qualis est: si in illis locis pauci sint christiani, et hi fere omnes cognati, ut supra dictum est; vel quando puella (forsan pauper et orphana) vigesimum quartum aut vigesimum quintum aetatis annum agens, necdum ab ullo in uxorem petita est, et frustrata illa occasione contrahendi cum consanguineo, forsan in posterum nullum alium, cui nubat, inveniet; vel quando iam matrimonium contraxerunt, et ob susceptam prolem, vel ob alias causas difficilis videtur eorum separatio; vel demum quia, nisi cum consanguineis contrahant, timendum est ne infidelibus copulentur, non sine gravi animarum suarum detrimento. Ob has igitur atque alias graves rationes pluries cum supradictis dispensare necesse est, remoto tamen periculo perversionis, quod quidem facile est evadere, quandoquidem supradicti viri praeter illas superstitiosas contributiones, quas vitare volunt, sed necdum potuerunt, in reliquis omnibus regulariter morigeri et observantes apparent. Sed cum anno 1806 ad meum quaesitum his verbis conceptum: *Utrum dispensatio matrimonialis eis licite concedatur, quorum una tantum pars Sacramentorum capax est, non item alia*, Sacra Congregatio respondisset: *Posse concedi huiusmodi dispensationes, concurrente urgentissima causa, et remoto scandalo ac periculo perversionis;* ex hac responsione exoritur dubium: An causae superius relatae, quae hic regulariter reperiuntur urgentissimae reputari

vicarium generalem aut provicarium nominaverit qui illi in administratione Vicariatus interim succedat, proindeque quaestio aliqua super iuribus administrandi eiusdem Vicariatus excitetur, opportunum sit, ad praecavenda damna inde oritura, ut Vicarius Apost. vicinior tanquam Delegatus Apostolicus vacantis Vicariatus interinae administrationi provideat. — R. Negative, iuxta modum; id est quod in casu contestationis super iuribus plurium missionariorum ad administrandum Vicariatum Ap. vacantem, nec non persecutionis a gentibus contra Provicarium Apost. excitatae, sicut etiam quando periculosum sit ad eumdem accedere, Vicario Ap. viciniori necessariae et opportunae facultates concedantur, ut Vicariatus Ap. vacantis bono consulat, quin tamen Delegati Ap. munus aut titulum adsumat. — Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 797.

possint, quatenus, una ex illis concurrente, dispensatio matrimonialis absque scrupulo concedi possit?

R. Remittendum prudenti arbitrio ipsius Vicarii Ap. in casibus particularibus, et dentur decreta ut in nota Archivii. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 803].

4743.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin. Orient.), 3 maii 1828.

Quoad visitationem ad Limina Apostolorum scias sufficere accuratam relationem a Vic. Ap. pro tempore transmissam, nec aliquam requiri ab eius Coadiutore; consuetae autem Sacrorum Liminum visitationis oneri Procurator ad S. C. deputandus satisfaciet.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 96].

4744.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin. Orient.), 3 maii 1828.

Quoad dispensationum matrimonialium materiam tres proponis casus: 1. Eius qui in praecedenti cohabitatione vixerit cum infideli cum contumelia Creatoris, et deinde petat dispensationem super impedimento disparitatis cultus, impetrata prius a parte infideli facultate secum cohabitandi sine contumelia Creatoris, quam vitari posse speratur, spectata indole partis infidelis atque filiorum, quando aliqua spes sit eius conversionis ad fidem, vel etiam quamvis nulla spes eius conversionis affulgeat; 2. Eius qui dispensari postulat, et speratur quod vitari poterit contumelia Creatoris respectu partis fidelis, filiorum parvulorum, atque nasciturae prolis, quamvis filii adulti infideles, ob suam duritiem, nolint ad fidem converti; 3. Quando pars infidelis consentiat in reliquis, impediat tamen ne proles mascula nata vel nascitura, vel ad minus primogenitus, in christiana educetur religione, praesertim occurrente causa urgentissimae necessitatis, ut quando pars fidelis in periculo mortis constituta reperitur, nec alia ratione animae suae saluti provideri potest; et quaeris utrum his dispensatio petita concedi possit.

Sacra Congregatio ad has quaestiones respondet: Attentis expositis, et peculiaribus casuum circumstantiis, ad 1 et 2 affirmative; ad 3 autem affirmative, pro casu mortis, dummodo pars catholica spondeat, si convaluerit, se modis omnibus curaturam conversionem partis infidelis et educationem cuiusque prolis in religione catholica.

Dubio autem quod proposuisti quaerens utrum facultas commutandi et dispensandi vota simplicia extendatur etiam ad vota simplicia iuramenti

[1] Cf. N. 790; 4686.

religione firmata, consultum est, decretoque statutum est supplicandum SSmo pro sanatione quatenus opus sit, quoad praeteritum, et ad cautelam pro facultate in posterum etiam quoad vota iurata. Quod item factum est, ut ex Indulti Apostolici documento cognosces.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 804].

4745.

S. C. de Prop. Fide, 30 nov. 1828.

Cum in S. Congregatione Particulari super rebus sinicis habita die 2 octobris decretum fuisset supplicandum esse SSmo ut facultates necessarias et opportunas Vicariis Ap. Sinensibus ad decennium duraturas impertiatur ad hoc ut tempore persecutionis licentiam concedere possint missionariis non quidem omnibus indiscriminatim ac per modum regulae, sed prudenti habito delectu tum circumstantiarum in casibus concurrentium, tum etiam personarum quas ea rite, sobrie ac sancte usuras praevideant, celebrandi Missam absque solitis utensilibus, et sine sacris vestibus, vel cum aliqua tantum ex magis necessariis, ubi ceterae haberi non possint; idque praesertim ubi urgeat necessitas Eucharistiam populo aut infirmis dispensandi, hanc S. Congregationis sententiam SSmus in omnibus benigne approbavit, ac facultates de quibus agitur peramanter concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 807].

4746.

S. C. de Prop. Fide, decr. 17 oct. 1829.

Cum ad gravissimum electionis Hiberniae Episcoporum negotium rite sancteque absolvendum certam aliquam methodum ubique in eo Regno servandam statuere in primis opportunum esse S. C. intellexerit, qua fieret, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, ut ad aliquem Hiberniae Episcopatum eligantur, eadem S. C. postquam diu multumque de ea re definienda cogitavit, in Generali tandem Conventu die 1 iunii anno 1829 referente Emo et Rmo D. D. Mauro S. R. E. Cardinali Cappellari S. C. Praefecto, censuit ac decrevit methodum in toto Regno Hiberniae super ea re servandam in posterum esse debere eam, quae hic describitur.

Sede aliqua Episcopali, sive per Antistitis obitum, translationem, aliamve ob causam in posterum vacante, Vicarius iuxta formam a sacris canonibus praescriptam, constituatur, qui dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit. Metropolitanus Provinciae, ubi vacatio contigerit, simul atque de vacatione, et Vicarii electione certior factus fuerit, litteris mandatoriis Vicario edicat, ut in diem vigesimum a dato edicto in unum convocet omnes, ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare tres dignos ecclesiastici ordinis viros, quorum unus a Summo Pontifice dioecesi vacanti praeficiatur. Qui sint ii

qui convocari debent, quae forma in convocando et regendo conventu servanda sit, habetur ex sequenti espositione.

Qui in Hibernia nuncupantur parochi, scilicet clerici ad Ordinem sacerdotalem evecti, censurarum immunes, quique parochiae, seu parochiarum unitarum actuali ac pacifica possessione gaudeant, ad comitia convocandi sunt. Ubi vero adest Capitulum, convocabuntur cum parochis etiam canonici. Vicarius, edicto Metropolitani accepto, intra octo dies, singulos presbyteros supra designatos, litteris scriptis admonebit, ut loco quodam opportuno, in eadem monitione nominatim exprimendo, adsint, die in edicto Metropolitani statuto, ad tractandum de negotio ibidem descripto. Metropolitanus ipse, vel unus de suffraganeis eius Episcopis ab ipso delegatus comitiis praesidebit: et nulla prorsus, et invalida habenda sint ibidem acta et statuta, non servata forma supra definita, sive in convocando, sive in moderando conventu. Parochis ceterisque, de quibus supra, die et loco statutis, mane in unum congregatis, Missa solemnis de Spiritu Sancto celebretur: Missaque finita, Praeses super sedile in medio Ecclesiae ascendet, omnibusque, quorum nihil interest, exire iussis, foribusque Ecclesiae clausis, Vicarius catalogum nominum omnium parochorum et canonicorum, si adsit ibi Capitulum, dioecesis vacantis Praesidi tradet, qui eorumdem nomina, clara ac distincta voce a secretario suo recitari mandabit, et unicuique eorum, postquam nomini responderit, sedem propriam assignabit. Si unus aut plures parochi absint, Praeses a Vicario probationem exquiret absentibus sine fraude edictum fuisse, et tali probatione admissa, absentia cuiusvis numeri, modo quarta pars totius parochorum numeri adsit, nihil obstabit, quominus rata et valida sint quae in comitiis gerantur.

Idem servandum erit circa canonicorum numerum in dioecesi in qua Capitulum adest. Parochis et canonicis qui Vicarii monitioni, sive propter adversam valetudinem, aliamve ob causam parere non valeant, liberum erit suffragia sua propria ipsorum manu scripta, involucro sigillato inclusa, et extrinsecus ad Praesidem directa, cuivis alii parocho vel canonico eiusdem dioecesis confidere, et suffragio sic habito et probato eadem inerit vis, ac si parochus aut canonicus ipse praesens adesset, modo litterae certificatoriae de adversa eius valetudine a duobus artis medicinae peritis subscriptae ad Praesidem transmittantur. Insuper parochus iste, vel canonicus, priusquam suffragium, modo supra descripto, ferat, eamdem declarationem emittet, quam ceteri parochi ac canonici inter comitia emittere coram Praeside debebunt, eiusque declarationis coram duobus parochis vel canonicis emissae probatio in medium erit proferenda coram Praeside antequam suffragium admittatur. Comitiis ita compositis, ac Praeside tractanda proponente, duo scrutatores, iuxta consuetas canonum formas, eligantur. Dein suffragatores ad urnam supra mensam positam singuli accedant, et clara altaque voce, tactis simul manu pectoribus, coram Deo, pro se quisque, affirment, se neque gratia, neque favore inductos ei suffragaturos, quem dignum iudicent, qui dioecesi vacanti praeficiatur. Postea, suffragio in urnam immisso, singuli ad propriam sedem recedent. His peractis clara altaque voce a scrutatoribus ad Praesidem, et a Praeside ad conventum renuntianda sunt nomina trium

eorum sacerdotum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit.[1] Tunc Praeses narrationem authenticam in scriptis redactam, parari coram comitiis, eiusdemque duo exemplaria a seipso, et secretario atque scrutatoribus subsignanda exscribi curabit. Ex istis exemplaribus alterum Vicario tradendum, qui idem ad Sedem Apostolicam transmittat; alterum vero Metropolitano, cuius munus erit idem ad suffraganeos suos Episcopos in unum congregatos referre. Quaecumque iura, privilegia, et munera supra recensentur tanquam Praesidi Conventus propria, eadem Sede Metropolitana vacante, seniori provinciae Suffraganeo communicari volumus.

Episcopis Provinciae, Praeside Metropolitano, aut ipsius defectu, seniori Provinciae suffraganeo, in unum congregatis, et narratione authentica supra memorata coram ipsis prolata, de eadem coram Deo iudicium sententiamque ferent. Praeses Episcoporum suffraganeorum sententiam de meritis trium sacerdotum, qui Sedi Apostolicae commendantur, literis consignatam, uniuscuiusque Episcopi et Praesidis manu subscriptam, sigilloque munitam ad Sedem Apostolicam transmittet. Semel peracta commendatione, si Episcopi iudicaverint tres illos commendatos minus dignos esse, quorum unus ad Episcopatum promoveatur, tunc, quin detur novae commendationi locus, Summus Pontifex pro sua sapientia, viduatae Ecclesiae providebit.

Si agatur de Episcopo Coadiutore cum iure successionis cuivis Episcopo assignando, eadem quae, Sede vacante, commendandi forma servanda est, cauto tamen varia privilegia, iura, et munera Metropolitano, aut seniori

[1] Litteris 25 aprilis 1835 ad Archiep. Dublinen. S. C. declaravit quod sequitur: «Initum a S. Congregatione consilium ut certam methodum in regno Hiberniae servandam decerneret circa sacerdotes commendandos Apostolicae Sedi quando agitur de Episcoporum electione, in eo totum versatum est ut, memorata methodo accurate servata, Apostolica Sedes exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur. Quare Sacra Congregatio in decreto quod die prima iunii anno 1829 ea de re factum fuerat, ac die 17 octobris eiusdem anni promulgatum est, declaravit mentem suam esse ut commendationes illae lumen tantum ac cognitionem sibi compararent circa eos inter quos Apostolica Sedes Episcopos est electura. Voluit quidem dioecesanum clerum consuli atque eiusdem opinionem circa sacerdotes commendandos per secreta suffragia requiri. Id autem ea tantum de causa factum est, ut Sanctae Sedi constaret quinam praecipue sacerdotes aestimationem obtineant cleri dioecesani, et tale testimonium consequatur ex quo intelligi possit eos apud dioecesanum clerum ad episcopatum consequendum idoneos censeri. Hoc vero unico scrutinio fieri posse manifestum est, et revera decreti superius memorati contextus hic est, ut in uno tantum scrutinio res peragatur atque ex eo scrutinio constet quinam sint *tres sacerdotes in quos maior suffragiorum numerus convenerit*.

Ad S. Congregationis notitiam nuper pervenit in aliquibus Hiberniae dioecesibus hoc obtinuisse ut in conventibus qui habentur a clero dioecesano ad sacerdotes S. Sedi commendandos, ex quibus Episcopus aliquis eligatur, non unum scrutinium sed tria fiant. Intelligens S. Congregatio hinc evenire posse, ut non tres praestantiores ex clero, sed unus revera commendetur atque ei duo alii veluti ad formam tantum adiungantur meritis omnino inferiores; cupiens praeterea eadem S. Congregatio ubique in Hibernia eamdem methodum circa eiusmodi commendationes servari, scribendam iudicavit Amplitudini Tuae hanc epistolam caeteris Archiepiscopis communicandam, ut in dioecesibus omnibus Hiberniae constet unicum scrutinium in conventibus cleri peragendum esse ad tres sacerdotes Sanctae Sedi commendandos, antequam ipsa deveniat ad Episcopi alicuius Hiberniae dioecesis electionem, et hunc verum decreti diei 1 iunii (seu 17 octobris) 1829 sensum esse».

Episcopo suffraganeo iam attributa, ad Archiepiscopum, aut Episcopum cui coadiutor assignandus est, unice pertinere, illaeso tamen servato iure Metropolitani, quando suffraganei eius Episcopi ad ferendum suffragium convenerint. Tandem quicumque Sedis Apostolicae approbationi commendentur, cives sint indigenae Hiberniae, serenissimo Imperii Britannici Regi fidelitate incorrupta obstricti, morum integritate, pietate, doctrina, ceterisque quae Episcopum decent, dotibus insigniti.

Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Episcoporum Hiberniae electione S. C. servanda praescripsit. Ea vero decernens significari omnibus voluit, in documentis de hac re pertractantibus, ad Sanctam Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed simplicem commendationem; memorata praeterea documenta esse debere iussit in forma supplicis libelli ita concepti, ut inde pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi unum ex commendatis.

Declaravit denique S. C. salvam semper atque illaesam manere debere Sedis Apostolicae libertatem in eligendis Episcopis, ita ut commendationes lumen tantum et cognitionem Sacrae Congregationi, nunquam tamen obligationem sint allaturae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 808].

4747.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 29 mart. 1830.

S. C. censuit: In coemeterio catholicorum, quatenus aliud adsit in loco, non esse admittenda cadavera acatholicorum; alio vero non existente, fiat divisio coemeterii cum separato ingressu.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 812].

4748.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Siam), 23 iun. 1830.

Baptismi Sacramentum unum ex tribus esse, quae imprimunt in anima characterem, ideoque iterari non posse, definivit Sacrosancta Tridentina Synodus hisce verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (Sess. VII, *de sacrament. in genere*, can. 9); cui solemni definitioni, perpetuae Ecclesiae traditioni innixae, adstipulantur validissimae theologicae rationes, quas laudat D. Thomas (3 part., quaestion. 66, n. 9), nimirum Baptismum esse spiritualem quamdam generationem et nativitatem, et sicut homo semel corporaliter nascitur, ita semel etiam spiritualiter nasci debere; itemque Baptismum institutum esse ad delendum originale peccatum: quia vero peccatum istud semel deletum iterum non contrahitur, ita nec eiusdem remedium iterandum est.

Quamobrem iteratio Baptismatis gravis culpa habita semper est in Ecclesia, adversus quam irregularitatis poenam, per quam scilicet rebapti-zans ad Ordines superiores ascendere vetatur, si delictum publicum fuerit, decrevit Alexander Pp. III in cap. *Ex litterarum, De apostatis et de reite-rantibus Baptisma*; quae decretalis, tametsi loquatur de ministrante ei qui rebaptizat, multo magis locum habet in rebaptizante, quia usus et con-suetudo, quae est optima legum interpres, eam poenam etiam de rebapti-zante intelligit, ut ait Pirhing in l. 5 *Decretal.*, tit. 9, § 3, n. 13.

Ex his inferre debes, baptizatos ab anglis in Pulopinang, si eorum Bap-tismus fuit validus, nulla ratione rebaptizari potuisse. Sed in hoc cardo quaestionis positus est: dubitas nempe de illorum baptismi validitate, et sciscitaris a S. C., quid tibi faciendum sit. Quamobrem, ut postulationi tuae eadem S. C. satisfaciat, hanc instructionem ad te mittendam decrevit, in qua, recensitis iis, quae necessaria sunt ad huius Sacramenti valorem, necnon quibus in circumstantiis iterandus sit baptismus sub conditione, cognoscere facile posses quid tibi agendum sit, quidve aliis permittendum sit aut prohibendum.

Et primum, in tuam memoriam revocandum est, ministri Baptismatis improbitatem non officere validitati istius Sacramenti. Aliter quidem sen-serunt Donatistae, quos solide refutavit Augustinus, cuius celebris est sententia sequens: *Baptismus talis est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur... Quid tibi faciat malus minister ubi bonus est Dominus?* (Tr. 5 *in Ioannem*, n. 6, 11). Errorem hunc iam ex-tinctum saeculo Ecclesiae quinto, renovarunt saeculo XII, Waldenses et Albi-genses, et desinente saeculo XV Hussitae et Wicleffitae; et proscriptus fuit in Concilio Constantiensi, ac tandem in Tridentino, in quo ita definitum est: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit* (Sess. VII, *de Sacrament. in genere*, c. 12).

Sicut probitas, ita nec fides in baptizante ad Baptismi valorem necessaria est. Errarunt in hoc Cyprianus aliique Africae Episcopi, quem errorem reiecit Stephanus I Romanus Pontifex, celebri illo Decreto adversus reba-ptizantes baptizatos ab haereticis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quamobrem Concilium Nicaenum I noluit rebaptizari baptizatos a Nova-tianis, decernens de illis, can. 8: *Placuit sancto et magno Concilio ut imposi-tionem manus accipientes, sic in clero permanerent*, sine novo scilicet bapti-smate; eumdemque rebaptizantium errorem proscripsit Tridentinum, ita definiens: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit* (Sess. VII, *de Baptismo*, can. 4).

Haec de iis, quae non officiunt Baptismi validitati: nunc de iis quae ad eius validitatem necessaria seu essentialia sunt. Haec ut clarius percipiantur, duplici ratione considerari Baptismus debet: primum in ratione generica Sacramenti tum in ratione specifica Baptismi. Si priori modo consideratur, tria necessaria ad eius valorem requiruntur, nempe: materia, forma et per-

sona ministri, ut docuit Eugenius IV in celebri instructione pro Armenis [1] in haec verba: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tam-quam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Nempe necesse est, ut per ministrum materia applicetur formae, alias non habetur Sacramentum. Quamobrem Augustinus de Baptismo loquens, inquiebat: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua. Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum* (Tract. 80 *in Ioannem*, n. 3, t. 3, part 2).

Materia et forma esse debent iuxta divinam Sacramenti cuiuslibet insti-tutionem, a qua recedere datum non est in iis, quae divinae sunt institutio-nis; quamobrem substantialis materiae vel formae mutatio irritum faceret Sacramentum; non idem dicendum est de accidentali mutatione, quae illi-citum quidem, minime vero etiam invalidum faceret Sacramentum.

Relate ad ministrum, in ipso saltem generica requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Quapropter Martinus V in constitutione quae extat ad calcem Constantiensis Concilii, anno 1415, ab iis qui in haeresis suspicio-nem venerant, quaeri iussit: *An credant, quod malus Sacerdos, cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Sacramenta?* (tom. 12 Concil., p. 269). Et Trid. Concilium adversus Lutherum ita definivit: *Si quis dixerit, in mini-stris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema* sit (Sess. VII, *de Sacram. in genere*, can. 11).

Etiam in adultis aliqua intentio necessaria est ad valorem Sacramenti quod recipiunt; quod declaratum fuit in Concilio Carthaginensi tertio, an. 397 (can. 34, t. 2, *Concil.*, p. 1171) et in Arausicano I, an. 422 (can. 12, t. 2, *Concil.*, p. 1149). Quamobrem D. Thomas inquiebat: *Dicendum quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus* (3 part., quaest. 68, art. 7, ad 2). Haec de necessariis ad valorem Baptismi si hic consideretur in generica Sacramenti ratione.

Si vero Baptismus consideretur in sua ratione specifica, tenendum est ex antiquissima et constanti utriusque Ecclesiae occidentalis et orientalis doctrina, validum esse Baptismum a quocumque homine viatore conferatur, etiamsi hic laicus fuerit, vel femina. Hinc Eugenius IV in superius laudata pro Armenis Instructione, inquit: *In casu necessitatis, non solum sacerdos et diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, baptizare potest.* Et Hieronymus: *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare* (*Dialog. adversus luci-ferianos*, tom. 4, pag. 295, p. 2); et quia fides non requiritur ad valorem Sacramenti, validus erit Baptismus, ut superius dictum est, etiamsi ab he-braeo collatus fuerit, vel turca, et infideli, dummodo ea faciat, quae ad valo-rem huius Sacramenti necessaria sunt.

Materia Baptismatis, quam scholae remotam appellant, quaeque ad eius valorem requiritur, est aqua naturalis. Quod manifestum est ex Christi ver-bis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3, v. 5). Iure igitur Augustinus dicebat. *Tolle aquam,*

[1] Cf. N. 52.

non est Baptismus (tract. 15 *in Ioannem*, n. 4). Catholicam hanc veritatem confirmat universalis Ecclesiae praxis, quae manifesta est ex omnibus Ritua- libus latinorum libris, et orientalium Euchologiis. Confirmavit etiam Triden- tina Synodus ita definiens; *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi... anathema sit* (Sess. VII, *de Baptismo*, can. 2).

Ea vero, quam Scholae dicunt proximam huius Sacramenti materiam, est externa corporis baptizandi ablutio. Sive autem haec fiat per immersio- nem, sive per aspersionem, sive per infusionem, ad valorem non pertinet huius Sacramenti, quod manifestum est ex Ecclesiae disciplina, quae in hoc varia fuit pro varietate temporum et circumstantiarum.

Ad formam quod spectat huius Sacramenti, probe tenendum est, in ea invocationem fieri necessario debere trium divinarum personarum iuxta id, quod Apostolos docuit Christus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Matth. 28, v. 19); quae verba perpendens Tertullianus inquit: *Lex tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, etc.* (lib. *de Bapt.*, c. 13); et Nicaenum I iussit baptizari baptizatos a Paulianistis, quia hi non bapti- zabant cum expressa trium divinarum personarum invocatione, ut testatur Innocentius Papa I, epist. 17, n. 10, apud Constant.

Ex his, quae hactenus adducta sunt, facile erit in casibus particularibus cognoscere, validus necne sit collatus baptismus, ideoque an iterandus sit, vel minime iterandus. Si vero, facta diligenti inquisitione, de eius validitate dubitari prudenter poterit, iterandus erit sub forma conditionata. Huius generis forma, conditionem expressam habens, primis quidem Ecclesiae saeculis in usu minime fuit, sed tacitam conditionem adnexam habuisse formam, quae tunc adhibebatur, solide ostendit Benedictus XIV (lib. 7, *de Synodo dioecesana*, cap. 6, part. I). Quae vero expressam habet conditio- nem, adhiberi coepit saeculo Ecclesiae VIII: et multis iam locis receptam, Romanus Pontifex Alexander III, saeculo Ecclesiae XII, non solum approba- vit, sed ubique adhibendam edixit (in cap. 2, *de Baptismo*) ita decernens: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Eamdem ecclesiasticam sanctionem confirmavit Ioannes XXII (apud *Oderi- cum Raynaldum*, ad annum 1333, n. 42). Id vero sapientissime statutum est ne scilicet alicui in suspicionem veniret, aut Ecclesiam ab avita sua doc- trina descivisse super characterem, qui per Baptismum in anima imprimitur, aut eum qui baptizat, non recte de Baptismi charactere sentire.

Neque exhistimandum est alterum baptismum qui sub laudata conditione confertur, esse veram baptismi iterationem: *quoniam non monstratur iteratum, quod nescitur esse factum* (cap. *Solemnitate, de consecr.*, dist. I). Profecto, qui sub conditione illa baptizat, non habet baptizandi intentionem, si prior baptismus fuit validus, ut in ipsa conditionata forma expressum habetur. Hinc rectissime Catechismus Romanus de baptismi iteratione cum forma conditionata haec habet: *Neque vero quisquam putet eum ab Ecclesia iterari cum, adhibita huiusmodi verborum formula, aliquem abluit de quo incertum est, an baptizatus prius fuerit:* Si baptizatus es, te iterum non baptizo; si

vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; *ita enim non impie iterari, sed sancte, cum adiunctione Baptismum administrari dicendum est.*

In iudicando vero an iterandus sit Baptismus sub conditionata forma, nec nimia difficultate, nec nimia utendum facilitate est: non illa, quia agitur de Sacramento summae necessitatis, sine quo ex Christi sententia aditus non patet ad regnum coelorum. Quamobrem theologi communiter docent, pro iterando tantae necessitatis Sacramento, non tantas requiri rationes de eius valore dubitandi, quantae requiruntur pro iterandis caeteris Sacramen- tis. Ita Leander, *de Baptismo*, d. 3, 4, 5; Roncaglia, tract. 17, *De sacrament. Bapt. et Conf.*, c. 4, quaest. 5, resp. 2; aliique.

Sed nimia quoque facilitas improbanda est in iteratione sub conditione huius Sacramenti. Eam reprehendit Catechismus Romanus, qui posteaquam reprobasset agendi rationem illorum animarum pastorum, qui quemvis, sine delectu, cum adiunctione illa (conditionis) baptizant, eosque sacrilegii reos declarasset, et irregularitatis poenae subiectos, rationem reddens istius doctrinae, inquit: *Nam ea Baptismi forma, ex Alexandri Papae auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinqui- tur, an Baptismum rite susceperint; aliter numquam fas est, etiam cum adiun- ctione (conditionis), Baptismum alicui iterum administrare.*

Eamdem secutus est doctrinam S. Carolus, in cuius Institutionibus haec de conditionata forma leguntur: *Qua forma utitur* (parochus), *cum infans aliusve, qui Baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certo non apparet eum baptizatum esse... Quodsi, re accurate investigata, exploratum habuerit illum forma servata baptizatum esse, caveat omnino, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat, si contra fecerit, et illud impedimentum contrahat, quod sacri canones irregula- ritatem vocant* (Act. Mediolanen. Eccl., p. 4). Huic doctrinae conformis est praxis Supremae Inquisitionis tribunalis, cum iudicat baptizandos sub con- ditionata forma baptizatos ab haereticis, uti testatur Cardinalis Albitius, *de inconstantia in fide*, c. 33, num. 55 et seqq.

Expositae mox doctrinae suffragatur etiam praxis S. Congregationis Concilii, quae die 19 decembris, anno 1682, hanc dedit responsionem: *Infantes ab obstetricibus baptizatos, posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem Baptismi prima vice collati.* Et die 27 martii, anno 1683, [1] propositis duobus dubiis: 1. *An infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi? 2. An et in quibus casibus haeretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur?* Respondit: *Ad 1. Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. — Ad 2. Ut supra.*

Tandem eamdem hanc doctrinam secutus est Benedictus XIV tum *Institut.* 84, tum in opere *de Synodo dioecesana*, praesertim vero lib. 7, c. 6, sequens etiam, super poenam irregularitatis, affirmativam et communem canonistarum sententiam, a qua tamen theologi communiter recedunt.

[1] Cf. N. 2867.

In illa vero disquisitione facienda de validitate vel invaliditate prioris
baptismatis, antequam sub conditionata forma iteretur, debent animarum
pastores inquirere praesertim super formam et materiam adhibitam in priori
baptismate. Nam relate ad intentionem, quae ex superius expositis necessa-
ria est ad valorem baptismi, nisi prudens de ea fuerit dubitatio, praesumenda
illa est, ut recte observavit Cardinalis Petra inquiens de baptismo haeretico-
rum: *Si materiam et formam adhibeant, praesumendum est habere intentionem
baptizandi, alias non baptizarent; quod etiam satis est, ut baptisma collatum a
calvinistis sit validum, quamvis ipsi nullam efficaciam Baptismo tribuant* (Com-
ment. ad Const. II Greg. XI, n. 10).

Relate vero ad calvinistarum baptismum commemoratum a Card. Petra,
haec Bened. XIV, quae multam afferent lucem rei, de qua sermo est: *Caveat
tamen Episcopus, ne incertam et dubiam pronuntiet baptismi validitatem, hoc
tantum nomine, quod haereticus minister, a quo fuit collatus, cum non credat
per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem
peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout a
Christo Domino est institutum: siquidem cum in Galliis disputatum olim fuerit,
an ob praedictam rationem baptizandi essent baptizati a calvinistis, S. Pius V,
ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit; Sacramenti
enim validitati non officit ministri error, cui praevalet generalis eiusdem mini-
stri intentio faciendi, quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia,
quemadmodum testantur acta Concilii Ebriocensis, an. 1576, ubi haec ad rem
adnotantur:* « Ante decisionem Apostolicae Sedis Romanae licuit fortasse
cuique in suo sensu abundare; verum, quoniam post habitam de hac facul-
tate disputationem, fel. rec. Pius V definivit, verum esse Baptisma, quo
uterentur calvinistae, adhibentes formam et materiam institutam a Christo
cum intentione generali faciendi, quod Christus instituit, licet errarent in
particulari interpretatione et singulari intentione, ut alii fere omnes haeretici
errarunt vel circa intelligentiam formae Baptismatis, vel circa aliquem eius
effectum: ob id baptizatos ab ipsis calvinistis non iterum tingendos sub con-
ditione, etc. Hinc interdicimus omnibus Curatis et Presbyteris, sub poena
suspensionis ipso facto a divinis, ne allatos ad se pueros iam baptizatos a
calvinistis audeant iterum tingere sub illa conditione » (loco superius lau-
dato, n. 9).

E contra, quod propius ad rem pertinet, baptizatos ab haereticis Angliae
iterum sub conditione baptizandos esse asseruerunt theologi magni nominis
quamplures, quos laudat idem Summus Pontifex Bened. XIV, laudati ope-
ris lib. 7, c. 6. Hi vero sunt: Sylvius, in 3 part., quaest. 66, art. 9; Card.
de Lugo, in *Respons. moral.*, lib. 1, dub. 2, num. 3; Gobat, tract. 2, n. 392;
Laurentius Neessen, tract. 2, *de Baptismo*, dub. 5; Ludovicus Micon, in
Usibus de Sacram., cas. 8; et Lacroix, lib. 6, part. 1, num. 322. Idem vero
Sylvius in *Var. resolut.*, verbo *Baptismus*, Operum tom. 5, agens de quodam
britanno baptizato ab haeretico puritano, hoc est presbyteriano, de quo valde
dubitabatur, num in Baptismatis collatione orthodoxa forma usus fuisset,
dicit, quod cum rationabiliter de hoc dubitari posset, sub conditione rebapti-
zandus erat: *Quia iusta prorsus est ratio dubitandi de valore Baptismi collati,*

*attenta haereticorum nostri temporis (qui, ut testatur Molanus et Synodus
Mechliniensis provincialis secunda, frequenter deprehensi fuerunt vel formam
corrupisse, vel intentionem necessariam non habuisse, vel aliter male baptizasse)
malitia..., quoniam saluti consulere oportet, quandoquidem est probabilis ratio
dubitandi de remedio, quod constat esse necessarium; id quod fieri hic potest,
etiam expedit, ut fiat.*

Atque ad hanc rem adnotat laudatus Lacroix, multos protestantes, cum
non putent Baptismum esse ad salutem necessarium, sed sufficere fidem
parentum, ideo eos negligere quae necessario ad Baptismum requiruntur:
et alios uti aquis odoriferis, non curantes an sint elementares, dummodo
sint fluidae; quandoque unum effundere aquam, dum praedicans profert
formam, vel ex cathedra legit Evangelium; et prout eidem Lacroix significa-
vit quidam missionarius, unusquisque baptizat prout assuevit, sibique quis-
que formam fabricat prout ei placuerit, nulla in hoc adhibita cura, dummodo
in speciem verba proferat, quae Baptismi collationem qualitercumque signi-
ficent; ex quibus idem Lacroix ita colligit: *Si in quibusdam locis sint ita incu-
riosi praedicantes, nec sollicite observent ea quae catholica Ecclesia requirit
ad valorem Sacramenti, debere, a talibus baptizatos, sub conditione rebaptizari*
(Ibid.).

Postremum hoc exemplum, quod de anglorum baptismate est, coniun-
ctum cum iis quae in tota hac Instructione exposita sunt, multum tibi pro-
desse poterit, ut in casu proposito, atque aliis qui contingere poterunt, di-
gnoscas sit necne locus iterationi baptismatis, adhibita conditionata forma,
quam, in prudenti dubio de validitate prioris baptismatis, Ecclesiae canones
decreverunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 814].

4749.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sin.), 23 iun. 1830.

Saepe contingere, inquiebat Augustinus, ecclesiasticam disciplinam im-
mutari, *cum aliquo experimento rerum, aperitur quod clausum erat, et cogno-
scitur quod latebat* (lib. 2, *de Baptismo*, c. 3). Id ipsum in ratione celebranda-
rum nuptiarum contingere nunc temporis apud Sinas debere, censuit Sacra
Congregatio, quae Christianae Fidei Propagandae negociis auctoritate apo-
stolica praeposita est.

Cognoverat enim ipsa ex litteris Vicariorum Apostolicorum in Imperio
Sinarum et adiacentibus regnis constitutis, plurima, eaque gravissima ex
clandestinis nuptiis oriri mala Ecclesiae Christi, quae in regionibus istis
diffusa est: quamobrem eodem flagrans christianae charitatis zelo, quo in
similibus circumstantiis incensi fuerunt Tridentini Concilii Patres, eorum-
demque Vicariorum consiliis et suasionibus impulsi, eorum vestigiis inhae-
rendum esse existimavit, decrevitque in Sinarum Imperio clandestinitatis
vitium inter impedimenta matrimonium dirimentia habendum fore, prout

declaratum est in *instructione de coniugiis*, [1] quam misit ad Vicarios istis in
regionibus publicandam.

Profecto talis apparebat in Imperio Sinensi Ecclesiae status, eaeque
videbantur esse temporum et locorum circumstantiae, ut decretum hoc vel
maxime congruum esse suaderent ad gravissimis occurrendum malis ex
clandestinis nuptiis dimanantibus, debitumque *magno sacramento* honorem
in regionibus istis restituendum.

Verum cum ex eorumdem Vicariorum posterioribus litteris S. Congr.
intellexisset, aliquibus in locis publicationi illius decreti gravissimas opponi
difficultates, ex quibus oriri facile potuissent mala longe iis graviora, quibus
per decretum illud consulendum erat, summopere probavit eorum consilium,
qui hanc ob rationem a publicatione illius decreti abstinendum sibi esse
censuerunt. Isti, ita se gerentes, assecuti plene fuisse dicendi sunt dictam
Sacrae Congregationis mentem ex ipsa mox laudata instructione *de coniugiis*
satis perspectam, quaeque fuit gravissimis malis ex clandestinis nuptiis
manantibus salutarem medelam afferre, minime vero aliquid periclitari, per
quod ea recrudescere facile potuissent, et ingravescere.

Quamobrem eadem Sacra Congregatio prudenti tuo consilio publicatio-
nem illius decreti committendam esse existimavit, atque auctrix tibi est, ut
ab illa abstineas ubi eam in destructionem potius corporis Christi, quam in
eius aedificationem esse videbitur; ubi vero prudenter noveris obtemperan-
dum fore iis quae in illa instructione praecepta sunt, proptereaque spirituali
christianorum bono profuturam esse, illam publices. Simul tamen congruum
vel maxime esse iudicavit, christifidelium animos ad observantiam instru-
ctionis illius antea praeparare per instructionem alteram, in Tunkino Orien-
tali concinnatam, quaeque sequens est. « Antequam consuetas Regni cae-
remonias peragant (futuri coniuges) proprium missionarium adire debeant,
et ipse inquirat an aliquod habeant impedimentum; et si nihil obstet, post
Poenitentiae sacramentum rite susceptum, coram ipso ministro, iuxta ritum
Ecclesiae contrahant, et benedictionem nuptialem ab eo accipiant. Secundo,
si missionarius adiri nequeat, et ineundi matrimonii urgeat necessitas, atque
aliunde nullum omnino obstet impedimentum, tali casu, parentes duos
testes eligant, qui una cum sponso et sponsa, eorumque propinquis ad eccle-
siam loci se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, et
contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contra-
hendum matrimonium rite se disponant. Post haec surgentes sponsus et
sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant
consensum, et post gratias Deo actas domum revertantur. Si autem ad eccle-
siam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur; postea vero,
data opportunitate, et novi coniuges, et testes missionarium adeant, ut ipsi
de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem acci-
piant ».

Cum vero in superius laudata instructione *de coniugiis* praevisus fuerit

[1] S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sin.), 17 ian. 1821. — Collectanea
S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 753.

casus absentiae missionarii, aut non facilis aditus ad eumdem, ac declara-
tum quid ea in circumstantia faciendum esset a volentibus contrahere matri-
monium, eadem instructio responsionis loco haberi poterit ad quaesitum
quo quaerebatur, quid faciendum sit post promulgationem integri Tridentini
decreti in casu absentiae missionarii, vel non facilis accessus ad eumdem.

Novam potius responsionem merentur duo articuli, ad resolvendum
propositi praedictae Sacrae Congregationi; videlicet an in casu, quo contra-
here volentes matrimonium ambo, vel eorum alteruter sit superstitionibus
addictus, licitum sit Missionario eos de consensu in Matrimonium interro-
gare, vel saltem praesens tantummodo in silentio esse matrimoniali eorum
contractui, et an in absentia Missionarii, haec praesentia licita sit testibus
in Matrimonio adhibendis.

Verum cum istorum dubiorum resolutio a cognitione maxime dependeat
qualitatis, et naturae praedictarum superstitionum, nec non signorum, qui-
bus exprimitur consensus in Matrimonium, Sacra Congregatio differendam
existimavit dictorum dubiorum resolutionem, donec certior de illis facta
fuerit, eaque sibi plene habuerit perspecta.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 816].

4750.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), 30 iun. 1830.

In sacrorum administratione, maxime in tremendo Missae sacrificio,
ritus negligere ab Ecclesia statutos, istis pro arbitrio addere et detrahere,
et mixtam quamdam liturgiam ex Ecclesiae statutis, et ex aliis proprio
marte excogitatis efformare,... summopere reprobandam (agendi rationem)
esse nemo non intelliget. Ritus enim et caeremoniae inductae sunt in Eccle-
siam ut debita cum veneratione externus cultus erga Deum exerceatur, ut
sacra quae peraguntur mysteria augustiora fiant, et sint ea in magnam chri-
stifidelium aedificationem, eorum in Deum pietatem excitando et devotionis
affectum. Hinc Sacrosancta Tridentina Synodus ita ad rem hanc (Sess. XXII,
de Missae sacrif., c. 5): *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat
sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, pro-
pterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce,
alia vero elatiore in Missa pronuntientur, instituit. Caeremonias item adhibuit,
ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa,
ex Apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commenda-
retur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa, ad rerum
altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Tales cum sint ecclesiastici ritus et caeremoniae, sequitur eas iuris esse
Ecclesiae, ad eamque tantummodo pertinere eas constituere, sicut ad Eccle-
siae ministros eas amussim observare, maxime quod in hisce Ecclesiae riti-
bus implicita multorum catholicorum dogmatum continetur professio. Hinc
etiam ex liturgiis fides eruitur de Verbi et Spiritus Sancti divinitate, de veri-

tate humanitatis et divinitatis Christi, de virginitate Deiparae, de Episcoporum supra presbyteros dignitate, de necessitate gratiae Christi ad opera aeternae vitae meritoria, de peccati originalis in omnes homines diffusione, de Sacramento Confirmationis, de incruento Missae Sacrificio, de reali Corporis Christi praesentia in Eucharistia, de mirabili quae in ea fit transubstantiatione, de Purgatorio, de cultu et invocatione Sanctorum, aliisque pluribus, ex quo factum est ut theologi in liturgiis fontem theologicum agnoverint, ex quo Ecclesiae doctrina nobis manifestetur. Quae cum ita sint, rectissime laudata mox Tridentina Synodus ita decrevit (Sess. VII, *de Sacram. in genere*, can. 12): *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Haec in Tridentina Synodo sancita, opponenda sunt contra sacrorum Ecclesiae rituum violatores, et fortassis etiam aspernatores; opponenda ipsis est auctoritas Summorum Pontificum Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, qui Missale Romanum una cum suis rubricis, pro Ecclesia universa, tribus editis Constitutionibus approbarunt; et adversus pertinaces rigidiori etiam utendum erit agendi ratione, si id evangelicae prudentiae, ex qua nunquam deflectere debent qui in Ecclesia Christi regunt et gubernant, congruum esse videatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 817].

4751.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin. Occident.), 4 iul. 1831.

Se la facoltà di dispensare negl'impedimenti di consang. ed affinità, abbracci la facoltà di dispensare nell'impedimento di pubblica onestà proveniente da matrimonio rato e non consumato, ovvero il missionario che gode la facoltà di dispensare nei due primi impedimenti ha bisogno di nuova facoltà per dispensare nell'impedimento di pubblica onestà.

R. Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 823].

4752.

S. C. de Prop. Fide, instr. (Malabar), 2 iun. 1832.

1. La S. C. riconosce che i figli dei pescatori, purchè abbiano le necessarie qualità, cioè siano forniti d'ingegno, di probità e docilità, e siano stati legittimamente procreati da genitori cattolici, e professino veramente la fede ortodossa, non debbano escludersi dall'essere ammessi allo stato ecclesiastico.

2. Quanto a promuoverli però agli Ordini sagri la S. C. ordina che se ne limiti il numero a quattro o al più a cinque, di modo che tal numero sempre si conservi, e non si aumenti in appresso senza suo nuovo permesso.

3. Non sarà accordata ai giovani della schiatta dei pescatori l'ammissione del Seminario di Verapoli, ma il Vicario Apostolico si darà cura piuttosto che vengano istruiti nella pietà e nelle scienze in Bombay.

4. Quei tra i pescatori che verranno promossi agli Ordini sagri eserciteranno il sagro ministero nelle chiese che spettano alla loro schiatta, o al più in quelle situate in luoghi ove i pescatori formano la più numerosa parte della popolazione. Nelle chiese poi che ai pescatori non spettano, o dove essi non formano il maggior numero della popolazione, non potranno esercitare il ministero se pria legittimamente non vi siano stati invitati, e non si tema il disgusto del popolo.

5. Sarà dello zelo e particolar cura del Vicario Apostolico il far sì che i giovani pescatori i quali si dedicano alla carriera ecclesiastica restino penetrati dall'importanza di dare saggio indubitato e permanente di pietà, di scienza, di probità e di altre virtù, acciò dal loro esempio istesso riconoscano quei che han mostrato contrarietà alla loro stirpe, che anche tra i pescatori possono aversi degni ministri dell'altare; che presso Iddio non vi ha accettazione di persone.

6. Finalmente con simile impegno il Vic. Apost. si studierà di allontanare sempre più da qualunque principio superstizioso coloro che mostransi troppo contrari alla schiatta di cui si ragiona. Procurerà quindi di richiamarli all'esatta osservanza della carità verso il prossimo, esortandoli coll'esempio del divino Maestro il quale nell'ammettere tra i suoi Apostoli alcuni pescatori, mentre volle confermare la divinità della religione che veniva a fondare, servendosi di persone non adatte all'impresa, mostrò al tempo istesso che i pescatori possono essere degni della divina vocazione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 826, vol. II, n. 2281].

4753.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Cochinchin.), 27 aug. 1832.

Fundos ecclesiasticos a Vicario Ap. vendi aut permutari non posse nisi quando, persecutione urgente, alia ratio praesto non sit eos Ecclesiae conservandi ad effectum tutius pretium investiendi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 827].

4754.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 sept. 1832.

S. C. censuit: Quoad collationem Sacramentorum nihil omnino esse percipiendum; quocumque alio tamen titulo licere Archiepiscopo Primati (Armeno) statuere modicam taxam pro cancellaria et administrorum substen-

tatione, quae taxa constabilienda est attenta qualitate et conditione personarum, pauperibus vero condonanda.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 829].

4755.

S. C. de Prop. Fide, decr. 15 sept. 1832.

Religiosos viros qui per solemnem votorum professionem carni et sanguini renunciarunt, et eos maxime qui ad loca Missionum pergentes apostolico se ministerio manciparunt, erga consanguineos suos et affines praecipuas curas intendere, cum iis sub eodem tecto in ipsis Missionum hospitiis vitam ducere, de reditibus Missionum, vel ex sacris laboribus quomodocumque collectis eosdem sustentare, maxime dedecet, contractis ab eisdem obligationibus opponitur, efficitque ut animarum sibi commissarum curae remissius attendant. Quare cum S. Congr. relatum fuerit in nonnullis Missionum locis gravem huiusmodi abusum invaluisse, ut in domibus ipsis Missionum cum missionariis Regularibus consanguinei eorumdem et affines cuiuslibet sexus vitam ducant eademque mensa utantur, S. Congregatio ref. R. P. D. Secretario eiusdem censuit ac decrevit memoratam consuetudinem vel abusum esse omnino tollendum, ac virtute sanctae obedientiae missionariis Regularibus esse praecipiendum, quemadmodum praecipit, ut in posterum abstineant a recipiendis sub eodem tecto convictus ratione consanguineos vel affines, cuiuscumque sexus existant, ac si quos receperint, ab hospitio, vel domo abire cogant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2263].

4756.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 26 aug. 1833.

Se si dia luogo a qualche istruzione sul metodo che si tiene dai missionari di Fokien relativamente ai Sagramenti, che si amministrano da essi agli usurai pubblici posti in pericolo di morte, contentandosi della promessa di restituzione fatta dal figlio del padre moribondo.

R. Missionarios accitos ut usurarii publici saluti consulant, si eos invenerint loquendi facultate destitutos, et iam sufficientia poenitentiae signa dedisse compererint, eum absolvant, moneantque heredes de onere restituendi pecunias sine iusto titulo male acceptas, seu iniuste retentas. Si autem tempus supererit, et infirmus loquendi et voluntatem suam patefaciendi vim habet, ab ipsomet infirmo missionarius exigere debet, antequam eum absolvat, ut meliori qua fieri potest ratione creditorum indemnitati consulat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 831].

4757.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Aleppen.), 2 iun. 1835.

La S. Sede ha ritenuto sempre la massima, che non si deve vincolare in alcun modo la libertà de' cristiani in un punto così delicato, quale è la sacramentale Confessione, ed ha voluto sempre che fosse lecito a ciascuno di manifestare le sue colpe a quello tra i sacri ministri approvati, che gli fosse più a grado. Non ha egualmente mai proibito ad un confessore approvato di ascoltare nella propria Chiesa le confessioni di qualunque siasi cattolico, che si presentasse al sacro tribunale. Così non è proibito ai cristiani di una diocesi passare in un'altra per ivi confessarsi. Inoltre, sebbene per l'adempimento del precetto pasquale deve ogni cristiano fare la sua Comunione nella propria parrocchia, non ha però alcun obbligo di confessarsi in tale occasione al proprio parroco. Questa è stata sempre, ed è la massima e la pratica tenuta dalla S. Sede. Non si è fatta poi mai alcuna distinzione di rito, giacchè l'amministrazione di tal sagramento non porta seco alcun cambiamento di rito; che anzi la stessa S. Sede, quante volte si è mosso alcun dubbio su tal particolare, ha dichiarato, che non devesi fare in tal genere alcuna limitazione. Quindi nel 1626 (5 di giugno) vietò severamente ad alcuni Vescovi latini d'impedire i loro sudditi di confessarsi dai sacerdoti ruteni e viceversa; eccole il decreto: « Non debere latinos Episcopos prohibere subditis suis, ne confessiones faciant cum sacerdotibus ruthenis unitis ab Ordinariis locorum approbatis: nec e contra Episcopos ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne confessarios latinos approbatos ad excipienda peccata sua adeant. Nam cum rutheni uniti sint vere catholici, ubi ritus diversitas non repugnat, discordias, dissidia inter eos excitantes vel nutrientes, introducere, inconveniens et damnosum est ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 839].

4758.

S. C. de Prop. Fide, 27 sept. 1835.

Cum Episcopis et Vicariis App. in Sinis et regnis adiacentibus quandoque contingat ut iis premantur angustiis quibus legitime impediantur quominus iuxta sacros ritus quotannis olea sacra benedicant, SSmus (Greg. XVI) indultum alias concessum in similibus casibus, ut veteribus oleis utantur, confirmat in perpetuum et ad omnes Episcopos et Vicarios Ap. supradictos extendit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 840].

4759.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 3 dec. 1835.

1. Utrum Episcopus Vicarius Apostolicus, e suo Vicariatu absens iusta de causa, et alumnos vel etiam alios suos christianos secum ducens, possit etiam in aliqua regione alteri Vicario Apostolico concredita suis christianis administrare Sacramenta absque ulla Vicarii Apostolici facultate huius loci, praesertim si pluribus diebus itineris inter se distent.

2. Utrum simplex missionarius possit, etiam e sua missione iusta de causa absens, ea omnia quae dicuntur in prima quaestione de Vicario Apostolico.

R. Ad 1. Affirmative quoad subditos suos.

Ad 2. Id licere etiam simplici missionario quoad audiendas confessiones praebendamque sacram Communionem. Cetera sacramenta non licere huic administrare nisi de consensu parochi localis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 844].

4760.

S. C. de Prop. Fide (Sutchuen.), 17 ian. 1836.

1. Christiani quando faciunt interpellationes prioris coniugis infidelis, si coniux infidelis respondeat se velle recipere suam consortem fidelem, tunc interrogant illum an velit converti et an saltem consentiat cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. At si pars infidelis statim respondeat se nolle amplius recipere priorem coniugem fidelem, aut ad illam reverti, tunc nihil ulterius interrogant, quia timent ne pagani magis indignentur et blasphement contra religionem christianam. Quaeritur igitur an possit permitti parti fideli ut cum alio fideli contrahat matrimonium, etiamsi in interpellatione prioris coniugis infidelis omissa fuerit interrogatio an velit converti, et an saltem consentiat simul cohabitare sine contumelia Creatoris. Quod si S. V. censuerit omissionem dictarum interrogationum, *an coniux infidelis velit converti, et an velit saltem cohabitare sine contumelia Creatoris*, reddere nullam interpellationem aut insufficientem, ita ut ex vi huiusmodi interpellationis pars fidelis non possit valide aliud matrimonium contrahere cum alio quo fideli, tunc humiliter supplicat Vicarius Ap. praedictus ut S. V. sanet in radice multa matrimonia quae in Vicariatu Sutchuensi contracta sunt post interpellationem factam sine dictis interrogationibus.

2. Quidam gentilis inique ferens suam uxorem amplexatam esse religionem christianam, solebat illam gravissime percutere, nec ullo modo sinebat illam observare religionem christianam; quare illa mulier clam aufugit a domo mariti sui pagani, et diu mansit abscondita in domibus christianorum. At ille maritus paganus ubique quaesivit uxorem suam, et paganam ad mandarinum etiam recurrit, qui iussit ut illa mulier ubique quaeratur et suo

marito restituatur. Nunc dicta mulier iam suscepit Baptismum, et adhuc manet abscondita in domibus christianorum: sed, cum sit pauper et iuvenis, videtur expedire ut transeat ad alias nuptias cum aliquo christiano. Quare humiliter S. V. supplicat Vicarius praefatus ut dignetur concedere dispensationem a facienda interpellatione prioris coniugis infidelis, quia haec interpellatio non potest fieri sine gravissimo periculo et damno.

R. Ad 1. SSmus, perpensis expositis, benigne matrimonia ut supra contracta in Vicariatu Sutchuensi cum omissione interrogationum, prout in supplici libello exponitur, in radice sanat atque convalidat perinde ac si in matrimoniis contractis interpellationes factae fuissent.

Ad 2. SSmus, mature perpensis expositis, benigne dispensationem petitam concessit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 845].

4761.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Gen. Nankin.), 29 febr. 1836.

Ad dubia quod attinet, his quae proponis, quaeque spectant ad benedictionem coronis precatoriis seu numismatibus impertiendam respondeo cum Passerinio *de Indulgentiis*, quaest. 89, n. 454: « Cum concessio Indulgentiae sit quid pertinens ad iurisdictionem Ecclesiae ut visibilis, non potest sola mente aut voluntate Praelati concedi ». Et n. 455: « Sufficit autem quod Praelatus suam voluntatem et concessionem exprimat sive voce, sive scripto sive nutibus, aut facto; nec est necessaria aliqua verborum aut signorum determinatio, sed quibuscumque verbis aut signis uti potest, sufficitque ut exprimat determinate id quod concedit ». His autem quae generatim de Indulgentiis a Passerinio dicuntur, tantum addo quoad distributionem et usum numismatum ac coronarum ut supra benedictarum ab eo cui huiusmodi facultas concessa legitime fuerit, servanda esse monita quae unicuique eorum, quibus haec facultas impertitur, dantur, typis Sacrae Congregationis impressa, ut in inserto folio perspicies. [1] Nihil est quod dubites de valore

[1] Monita, de quibus agitur, haec sunt: « In distribuendis huiusmodi coronis, crucibus etc. earumque usu, Sanctissimus Dominus Noster servari iubet Decretum fel. recordat. Alexandri VII editum sub die 6 februarii 1657, nimirum, ut coronae, cruces, rosaria etc. ut supra benedicta, quod indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias iam concessas; tum etiam praefata post pontificiam benedictionem vendi non possint, iuxta dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum* editi die 5 iunii 1721.

« Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum fel. recor. Benedicti XIV datum die 19 augusti 1752, quo expresse declaratur Missas ad altare (in quo aliqua ex praefatis sive crucifixi sive numismatis imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a sacerdote

benedictionis impertitae coronis quibus crux seu numisma non sit adnexum; indultum enim eodem prorsus modo loquitur de coronis precatoriis, seu crucibus, seu sacris numismatibus benedicendis; quoniam autem cruces et sacra numismata separatim a coronis benedici possunt, sic etiam benedici possunt coronae ab illis seiunctae.

Quaeris utrum catechistae teneantur ad emittendam professionem fidei iuxta formulam Pii IV [1] quamvis isthic huiusmodi consuetudo minime vigeat. At non ignoras, etiam in iis locis, ubi magistri quicumque quamvis grammaticam tantum doceant, legem emittendae fidei professionem implent, parochos posse seligere probos viros, et etiam mulieres, quae pueros vel puellas sibi adsignatas in doctrina christiana erudiant, quin viri aut mulieres sic electae ad emittendam fidei professionem censeantur adstricti: quare satis erit ut in electione et officio catechistarum ea serventur, quae in epistola pastorali Episcopi Caradrensis Synodo Sutchuensi addita N. 26, [2] et in ipsa Synodo sparsim expressa leguntur, donec S. C. opportunum duxerit, novis ordinationibus, catechistarum electionem officiumque dirigere. [3] Hinc patet etiam responsio ad dubium quintum: non enim fit independenter ab Ordinario, quod fit a missionario in exercitio sui muneris intra limites facultatum iisdem concessarum vel communicatarum sive expresse sive implicite: quare catechista a missionario rite electus censendus est veluti ab ipso Ordinario appro-

huiusmodi imaginem secum habente celebratas, vigore dictae imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

« Praeterea vetat ne quisquam, quem infirmis morti proximis assistere contigerit, benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis, vigore huiusmodi imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi effectum in Constitutione Benedicti XIV incipiente *Pia Mater*, satis provisum iam fuit ». — Cf. N. 380.

[1] Cf. N. 108.

[2] Haec ibi: « Cum maximi religionis intersit ut missionarii ministros habeant, quorum contubernio non infamentur, ac plerumque, experientia teste, ubique eveniat ut in christianorum visitatione, tum iunioris aetatis mulieres, tum virgines ceteraeque puellae, quasi ex condicto, absque nullo prorsus timore, cum dictis ministris nimis familiariter agant, praetextuque doctrinae ab iis sciscitandae, vana colloquia frequenter cum iis misceant, risibus et cachinnis inverecundis mutuo sese provocent, atque hinc facile possint aut tentari aut tentare: ideo ad vitanda scandala statuimus nulli sacerdoti licitum esse sibi adsciscere ministros seu catechistas, qui vigesimum quintum aetatis annum nondum praetergressi fuerint. Tales vero eligantur, qui pietate, moribus, gravitate, doctrina, studii amore, et habitu pudicitiam vere polliceantur; non permittatur huiusmodi ministris frequenter cum mulieribus miscere sermonem; nulli eorum liceat privatim docere virgines; nullus culinas audeat ingredi; nullus a quacumque muliere munuscula, etiamque si religionis res sint, recipere aut iisdem donare praesumat, nisi forsan communia calceamenta a dictis mulieribus ipsi offerantur, quae tamen sine licentia sacerdotis recipere non licebit; nullus, nisi forte in itinere constitutus, propria sponte, aut etiam invitatus, ad christianos divertat ut ibi sumat cibum: sicque tandem se gerant omnes ut suspiciones caveant, et quidquid mali probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devitent. Denique pro munere suo atque conscientia, quae onerata remanet, missionarii severe super his invigilent, harumque regularum observationem efficaciter promoveant ».

[3] Fidei professio catechistis aliquando imposita. — S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. — Tunkin. Occident.), 16 ian. 1797. — Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 638.

batus ut fungatur muneribus catechistarum propriis, servata semper illis missionariorum auctoritate, et Ordinarii iuribus providendi ne novi introducantur, et introducti tollantur abusus.

Ad horam celebrandi Missam quod attinet, in Formula I facultatum sub num. 23 datur celebrandi facultas una hora ante auroram et una hora post meridiem; itaque evidens est praetergredi limites harum facultatum eum qui quacumque hora ante auroram, etiam nulla urgente christianorum necessitate, celebrare praesumit. Neque occasio ministrandi Viaticum sufficiens ratio est statutam horam celebrationis Missae praeveniendi; agi enim non potest contra expressam Ecclesiae legem, et in tali casu defectum Viatici in infirmo supplet Sacramenti percipiendi desiderium. Attamen Sanctissimus D. annuit ut, causa ministrandi Viaticum, Missae celebrandae tempus idoneum non observetur; nam praeceptum sumendi Viaticum praevalet legi ecclesiasticae de tempore celebrandae Missae.

Successiva trium Missarum celebratio statim post mediam noctem in festo Nativitatis Dñi, et fidelium sacra Communio in Missa quae post mediam noctem celebratur, diserte vetita est iteratis Sacrorum Rituum Congregationis decretis dierum 20 aprilis et 7 decembris 1641. [1] Temere igitur permittendum non est quod ecclesiasticis regulis contrarium esse invenitur. Celebratio autem praefatarum Missarum in tribus diversis pagis iisdem difficultatibus non est obnoxia; nec enim ipsis sacerdotibus vetitum est unam tantum Missam eo die celebrare, nec lex iubet fideles eodem die tribus Missis interesse. Attamen incolae illius pagi in quo prima Missa celebratur non possunt Eucharistiam sumere nisi eiusdem primae Missae celebratio ad eam horam protrahatur qua istarum regionum christianis vel ex iure vel ex privilegio licet ad Sacram Mensam accedere, casu tantum excepto novi indulti Sedis Apostolicae. Iam vero Sanctissimus Dominus concedit Tibi ut tres Missas continuatas in nocte SSmi Natalis celebres, ita tamen ut a danda populo Communione abstineas.

Dividis in quatuor classes ecclesias sive oratoria in istis regionibus erecta scilicet: 1. earum ecclesiarum quae erecta sint communibus christianorum impensis; 2. earum quae in domo alicuius familiae divitis erectae sint in commodum totius pagi; 3. earum quae sunt in utilitatem alicuius familiae, quae ob distantiam aut alias iustas causas ad communem cappellam venire non potest; 4. demum earum quae erectae sunt ex devotione alicuius familiae, in quibus, quamvis illa non sint nisi oratoria privata, neque ad annuam sacramentorum administrationem ordinata, missionarii invitati solent etiam in maioribus festivitatibus Missam celebrare, relictis cappellis communibus, non sine harum damno, eo quod deficiat qui harum impensas coadiuvet; et quaeris quae sint Ordinariorum seu etiam missionariorum iura circa ecclesiarum seu cappellarum erectionem, approbationem, aut visitationem. — Ex

[1] S. R. C., 20 apr. 1641: « An liceat in nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles ». R. « Nullo modo licere, sed omnino prohibendum ». — Decreta Authentica, n. 752. Die 7 dec. 1641 idem decretum confirmatum fuit. — Decreta Authentica, n. 781.

Concilii Tridentini decretis [1] palam fit sanctum Missae sacrificium celebrandum esse in ecclesiis aut oratoriis divino cultui dedicatis ab Ordinariis locorum designandis, et visitandis: designatio itaque, et visitatio cappellarum in quibus celebranda sunt sacra ad commodum christianitatis, quantumvis eae parvae sint, ad iurisdictionem pertinet Ordinarii; regulae tamen ad hunc finem servandae in Sinis, et ob distantiam locorum, et ob defectum ministrorum, et ob persecutionum periculum, eaedem esse non possunt, quae in Europa servantur: hinc Sinarum Ordinarii peculiaribus gaudent facultatibus sibi a Sede Apostolica concessis, quas communicare etiam possunt missionariis. Hinc fit ut iis quaedam liceant, etiam quoad electionem loci in quo sacra peragant, quae in provincia christianis Principibus subdita parochis non licerent; at facultatum communicatarum limites praetergredi non possunt: et si iis abutantur, Ordinariorum est illorum vitia corrigere. Quae autem sit facultas missionariis concedi solita relate ad electionem loci, in quo munere fungantur suo, facile colligere poteris ex Synodo Sutchuensi cap. 10, n. 15, ubi, improbata in missionariis acceptione locorum et personarum, ne plurimi sacramentis et verbi divini pabulo priventur, praecipitur: « In quemcumque locorum, sive divitem sive pauperem, modo sit aptus ad congregandos fideles, et securus, ibique adsint saltem viginti personae, fuerit accersitus missionarius, postposita propria commoditate, ire personaliter non recuset, nisi gravis alia ratio exigat ut fideles in alium locum convocentur ». Nihil igitur innovandum videtur quoad oratoria tribus primis classibus comprehensa. Quoad classem quartam, Ordinarii erit pro sua prudentia et conscientia prohibere missionario ne sacra faciat in oratoriis privatis sub 4 numero indicatis, cum communis cappellae damno.

Exponis missionarios nonnullos, cum noverint numerum eorum, quibus in Confessione permiserunt ad S. Communionem accedere, non interrogatis poenitentibus, totidem ponere particulas consecrandas; et quaeris num praxis haec sit prohibenda. Nemo non videt missionarios sic agentes uti scientia in Confessione acquisita, quod est Ecclesiae legibus expresse vetitum; nec prava haec agendi ratio efficax est ad arcendos indignos: potest enim indignus accedere inter primos ad Sacram Synaxim, ex quo a Communione dignus pro indigno excluderetur, addito etiam periculo ulterioris scandali in sacramentalis Confessionis praeiudicium; quare abusus hic est omnino tollendus.

Refers nonnullos missionarios negligere nuptiarum benedictionem, et quaeris utrum ipsi compellendi sint ad nuptias benedicendas. Non ignoras in instructione super matrimoniis, [2] quae in istis regionibus contrahuntur absente missionario, praecipi coniugibus, ut cum missionarius ad eos visitandos accesserit, coram eo se sistant, ut benedictionem accipiant nuptiarum, debent a consensus renovatione; quamobrem vides reprehensione dignum esse missionarium illum, qui huiusmodi benedictionem petentibus negligat

[1] Sess. XXII, *de observandis et evitandis in celebratione missae.*
[2] Cf. N. 4749.

impertiri. Utinam omnes his benedictionibus cumulari studerent! facilior enim in dies evaderet via medendi scandalis, quae a clandestinis matrimoniis oriuntur. Quare, tuos mone missionarios, ut in re tanti momenti faciles se praebeant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 846].

4762.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Siam), 20 mart. 1836.

Dubitas quaenam regula sequenda sit cum in casu quo, relicta infideli coniuge, post Baptismum novas velint nuptias contrahere sine interpellatione coniugis infidelis, eo quod eorum mulieres, quamvis fortasse paratae sint respondere se velle christianam religionem amplecti, vel cohabitare cum viro suo recens baptizato sine contumelia Creatoris, nunquam tamen e suis regionibus discessurae essent, legibus, moribus patriis, periculis, et ipsa sexus timiditate impeditae. Facta dubii relatione (in Congregatione particulari habita die 3 dec. anni superioris), Emi PP. responderunt allatas difficultates non esse sufficientes causas omittendae interpellationis; et servanda esse ea quae de interpellatione coniugis infidelis leguntur in Synodo Sutchuensi, cap. IX, n. 8; [1] ea enim sunt et Pontificiis Constitutionibus conformia, et ex recentioribus Sedis Apost. decretis in singulis istis Vicariatibus App. vim legis habent. Quoniam vero fieri potest aliquando ut in iis rerum adiunctis versetur praedictus Vic. Ap. in quibus dispensatio ab interpellatione coniugis infidelis ex iustis causis videatur concedenda, SSmus Vicario Ap. concessit facultatem dispensandi ab interpellatione coniugis infidelis pro casibus duodecim. Dispensationis huius incapax est mulier quam, vivente adhuc suo marito gentili, absente marito, cum quodam catholico per biennium concubinarie vixisse narras, et deinde ignari cuiusdam missionarii monitu, cum eodem catholico homine matrimonium inire tentasse. Re Emis P.P. relata, S. C. decrevit matrimonium esse nullum, ideoque praetensos coniuges separandos. Quod si aliquando mulier ad Baptismum venerit, tunc utendum esse regulis Instructionis Sancti Officii anni 1757. Regulae autem in ea Instructione expositae sunt huiusmodi: « 1. Quod mulier separetur etc. » [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2265].

4763.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), 31 mart. 1836.

Narras, urgente persecutione et periculo amittendi omnes agros vel hortos Missioni oblatos, sicut iam evenit prope aulam regiam, te permisisse reliquorum venditionem, dum existimares posse interpretari in hoc casu S. C.

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, pag. 481, nota 1.
[2] Cf. N. 807.

beneplacitum. Tua agendi ratio consonat responso dato a S. C. anno 1832: tunc enim, cum nondum Sacrae Congregationi constaret de urgenti necessitate, decretum fuit: *Fundos ecclesiasticos a Vic. Ap. vendi aut permutari non posse, nisi quando, persecutione urgente, alia ratio praesto non sit eos Ecclesiae conservandi;* et tunc id fiat *ad effectum tutius pretii investiendi*. Cum itaque bona illa ob urgentem persecutionis necessitatem alienata iam sint, restat ut cures executionem ultimae partis decreti illius, investiendo pretium, ex venditione redactum, in bonis tutis, et cum iisdem oneribus.

[Collectanea S. C. de Prop Fide, vol. I, p. 484, nota 1].

4764.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin. Orient.), 10 ian. 1837.

Se il sacerdote che benedice un matrimonio, quantunque non riceva l'elemosina, sia obbligato a dire nei tempi debiti la Messa votiva designata a questo effetto, o possa dire la Messa del Santo corrente, aggiungendo la colletta della stessa Messa votiva.

R. Servetur Rubricae praescriptio quoad Missae speciem, ita tamen ut celebranti liberum sit mente sua convertere spiritualem Missae fructum in favorem suppeditantis eleemosynam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 852].

4765.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Praef. Mission. Epiri), 25 febr. 1837.

Non dee tollerarsi l'abuso di alcuni missionari i quali, com'Ella narra, celebrano i sacrosanti misteri non solo secondo l'intenzione dei maomettani dai quali ricevono dell'elemosine, ma ancora nel tempo che le donne ottomane dimorano sotto l'altare. [1] Che però Ella si darà tutto l'impegno di eliminare tale abuso ed ogni altra profanazione del luogo santo. Non si proibisce per altro con questo che i missionarii ricevano ancora dai turchi delle elemosine, se loro si offrono per qualsiasi oggetto del divin culto; s'intende però sempre che essi non per altro debbono porgere incessanti preghiere al Signore se non per la loro conversione alla vera fede, lo che non deve lasciarsi di fare ancor quando non si riceve alcuna elemosina.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 854].

[1] Ita scripserat Praefectus referens de ecclesia S. Antonii loci vulgo *Capo Redoni* in Archidioecesi Dyrrachiensi: « In questa chiesa si solennizza il 13 giugno, alla quale solennità compariscono gli ottomani quasi per metà, dove portano di più che cristiani la limosina all'altare, e danno le Messe da celebrare alla loro intenzione; anzi le loro donne, quando si ammalano, vengono alla chiesa in quel giorno ed in altri giorni feriali, e si mettono sotto nell'antipendio dell'altare, e si celebra sopra le medesime ».

4766.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Namurcen.), 28 sept. 1837.

Quaerebat A. T., utrum vigore facultatum ad quinquennium concessarum, quarum numero 15 facultas bis in die Missam celebrandi conceditur, eamque aliis communicandi, possit haec licentia concedi non solum diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam aliis festivitatibus per indultum apostolicum abrogatis vel translatis, in quibus populus Missae interesse non tenetur. Re mature perpensa, ex ipsius Formulae verbis satis clare patuit non posse facultatem ad abrogatas festivitates extendi; cum enim in memorata Formula declaretur facultatem valere, si necessitas urgeat, sequitur, ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem Sacerdote celebrari.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 789].

4767.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 21 nov. 1837.

Se abbia luogo alcuna provvidenza (nella Bosnia) circa l'intervento dei parrochi ai conviti degli ottomani, ed i forzati lavori dei cattolici nella fabbrica o restauri delle moschee.

R. Quoad primam partem non esse interloquendum. — Quoad secundam non esse inquietandos, dummodo gravis mali metu coacti agant, neque intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 862].

4768.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 1 dec. 1837.

Patriarchae (graeco-melchit.) nomine Sacrae Congregationis officiose quidem et enucleate scribatur, ad ipsius memoriam revocando quae a sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis praescribuntur de necessitate scilicet petendi obtinendique a Rom. Pontifice confirmationem electionis patriarchalis et honorem pallii, quod est plenitudinis officii pastoralis insigne, servata antiqua Sedis Apostolicae et patriarchalium Sedium, totiusque Ecclesiae consuetudine, antequam iisdem Patriarchis fas sit convocare concilium, conficere Chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, Episcopos consecrare, aliaque peragere quae non obtenta electionis confirmatione et pallii concessione vetita sunt, nisi specialis Sedis Apostolicae venia praedictis Patriarchis facta fuerit. Haec autem ita Patriarchae Antiocheno nuncianda esse Emi et Rmi Patres decreverunt, ut cautum plane sit, ea super re, de universali ac constanti Ecclesiae disciplina.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 863].

4769.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 14 maii 1838.

S. C. censuit: Ius ordinandi clericos ad ordinariam Episcopi iurisdictionem pertinere, cuius proinde exercitium impedire Patriarcha non potest, inconsulto Episcoporum synodo, nec audito antea eodem Ordinario, et sine Sedis Apostolicae oraculo.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 866].

4770.

S. C. de Prop. Fide, litt. 29 maii 1838.

Nel caso di battesimo certamente nullo la collazione del medesimo dee farsi assoluta e non condizionata; nel caso poi di battesimo dubbio, secondo la prassi generale ed attuale della Chiesa la condizione dev'essere espressa e non mentale.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 524].

4771.

S. C. de Prop. Fide, decr. 8 iul. 1838.

Cum SSmo D. N. Gregorio Divina Providentia PP. XVI per R. P. D. Ignatium Archiepiscopum Edessenum S. Congregationis de Propaganda Fide a Secretis innotuerit, quasdam regiones Imperii Sinensis, et finitimorum Regnorum, RR. PP. DD. Episcopis ac Apostolicis Vicariis commissas, partim timere, partim vexari, partim in dies magis saeviente persecutione urgeri ethnicorum perfidia; ne pericula Ecclesiae ministris augeantur, ne res sacrae profanis polluendae prostent, neve difficultas ecclesiastico ritu celebrandi frequentiam auxiliorum minuat; Sanctitas Sua benigne concessit facultatem *consecrandi*, nempe, *Altaria sine reliquiis sanctorum, etiamsi authenticae in promptu haberi possent; ac super iisdem Altaribus ita consecratis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandi tam ab ipsis Episcopis ac Apostolicis Vicariis quam ab omnibus evangelicis Operariis: Item celebrandi noctu tribus horis antequam dies elucescat*. Quod beneficium amplissimum successores etiam eorum, quibus elargitum est, respicit; Usus vero eius eo tantum tempore definitur, quo ipsa persecutio, vel eius rationabilis metus perdurat. Contrariis etc.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 869].

4772.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 19 iul. 1838.

Se abbia a commendarsi che si premetta alla Confessione, la quale è di assoluta necessità, il supplire alle cerimonie non essenziali omesse nell'amministrazione del s. Battesimo.

R. Magis convenit ut omissae in baptismo caeremoniae prius suppleantur, quam baptizatus si indigeat, sacramentaliter confiteatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 871].

4773.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 19 iul. 1838.

Omnino prohibeantur christiani adolescentes paganorum scholas frequentare, attento periculo perversionis et idololatriae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 872].

4774.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 19 iul. 1838.

Se debba darsi (al Vic. Ap. di Chan-si) altra istruzione intorno all'amministrazione del Sagramento della Penitenza.

R. Detur iterum instructio anni 1803. [1] Quo vero ad poenitentias pecuniarias eae omnino prohibeantur tam in actu quam extra occasionem Confessionis, ac insuper addatur S. Congregationem vehementer dolere utrumque abusum adhuc vigere, atque mandare ut omnes missionarii in administrando Sacramento Poenitentiae se gerant iuxta praescripta in Synodo Sutchuensi (an. 1803) ac praesertim num. 5, cap. VI. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 874].

[1] Cf. N. 4673.

[2] Haec ibi: « Neminem quantumvis flagitiosum, ac scandalosum, et incorrigibilem, qui aliquo licet exiguo poenitentiae stimulo excitatus, ad tribunal accedit pro confessione suarum culparum, unquam praesumant repellere, nisi nominatim et publice sit excommunicatus, aut sit iis criminibus implicatus quibus a iure adiuncta est excommunicationis poena, et crimen, propter quod in excommunicationem incidit, ita notorium, ac manifestum sit, ut nulla possit tergiversatione celari, aut quovis suffragio excusari (quod de his neophytis plerumque rudibus, et imperitis facile diiudicari nequit). Et quidem in hoc postremo casu, si huiusmodi criminosus paratus sit scandalum reparare, et Ecclesiae satisfacere, cito admittatur: *Absolutionem enim sacramentalem*, inquit Sacra Congregatio de Propaganda Fide in instructione ad hanc rem specialiter pro hac Missione data an. 1784 (Cf. N. 4598), *immerentibus denegare in potestate sacerdotis est; at criminum confessionem non audire, flagitium esset non ferendum*. Quoad vero apostatas a fide, ad poenitentiam redeuntes, teneantur tantum semel apostasiam abiurare coram fidelibus, et abstinere coram infidelibus ab actibus infidelitatis; abiuratione autem peracta, admittantur ut caeteri peccatores ad confessionem sacramentalem, et, si rite fuerint dispositi, absolvantur a peccatis, iniunctis poenitentiis salutaribus arbitrio confessarii ».

4775.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Coreae), 30 aug. 1838.

Quoniam vero haec Missionis Coreanae primordia dici possunt, peropportunum esse arbitramur Ampl. Tuam etiam atque etiam hortari, ut studiosissime omnia componas atque ordines, caveasque, ne abusus quarumdam ex istis Missionibus in sacris praecipue Ecclesiae ritibus inducantur aut invalescant. Curabis itaque, ut sacrosanctum Missae sacrificium nudo capite a missionariis celebretur; ut iuxta Rituale Romanum Sacramenta conferantur; morientium animae commendatio fiat, ac defunctis exequiae et alia eiusmodi rite persolvantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1921].

4776.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 31 oct. 1838.

Ut haec S. Congregatio de Prop. Fide statum exterarum Missionum apprime cognoscat, obvenientibusque necessitatibus mature ac prudenter occurrere vel providere possit, omnium quae ubique terrarum geruntur, distincte et enucleate est certior facienda. Hinc peropportune Sacra haec Congregatio huic damno providerat litteris datis sub die 17 iunii anni 1747;[1] utque res catholica, quae apud hostes christiani nominis passim labefactari solet, bene feliciterque verteret, iterum eamdem rem decernendam et decreto firmandam curavit dato die 2 aprilis anni 1759; quo cautum est, ut quolibet exeunte anno omnes Archiepiscopi, Episcopi, Vicarii Apostolici, Praefecti, caeterique Missionum Praepositi relationem ad hanc nostram Congregationem transmitterent. Utque res melius expeditiusque perficeretur duos proposuit libellos, quibus datis certis interrogationibus, unusquisque, qui de officio tenebatur adamussim responderet.

Ast profecto maximo animi angimur dolore videntes hoc nostrum praeceptum a nonnullis pessumdari, istasque leges sapientissime constitutas inutiles atque infectas evadere: itaque auctoritate, qua pollemus, cuique notum volumus adhuc plenissime vigere praefatum decretum diei 2 aprilis 1759, quod adhuc in suo pleno robore permanere decernimus. Stat ergo unicuique onus in fine cuiusque anni certiorandi hanc S. Congregationem de omnibus quae ad sacras spectant Missiones, et respondendi clare, nitide ac distincte omnibus quaesitis in praefatis libellis enunciatis. Ergo hoc in vestris animis fixum haereat penitusque insideat, hanc obligationem tenere omnes, licet quacumque exemptione aut privilegio insignes.

Nostrum esset ad id vos cogere censuris ac poenis ecclesiasticis; sed mitius agentes confidimus satis superque rei provisum si nostra praecepta

[1] Cf. N. 4515.

in vestram mentem, cogitationemque revocaverimus. Vestram itaque conscientiam oneramus; si secus feceritis, quod Deus avertat, vos reos coram Deo esse volumus muneris neglecti.

Mandamus ut praefatae litterae vim legis habeant tum pro his qui nunc sunt, tum pro futuris missionum Praefectis et Moderatoribus, donec expresse et apertis verbis iis non fuerit derogatum.

A nemine nisi a Deo mercedem nostrorum laborum expectantes, nihil aliud restat, nisi ut vos oremus obtestemurque ut vineam Domini sollicitis curis et laboribus colatis et administratione sacramentorum assidua, et verbi praedicatione opportuna, et, quod caput est, bonorum operum exemplo. Vos forma facti gregis ad hanc normam vestras omnes operationes componite, expectantes beatam spem quam daturus est nobis qui non mentitur Deus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 877].

4777.

S. C. de Prop. Fide, decr. 20 nov. 1838.

Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide recto Ecclesiae regimini in Orientis partibus valde profuturum cognoverit, si regula quaedam traderetur circa transitum ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum: in generali Conventu habito die 10 septembris anni 1838, referente Em̃o ac Rm̃o D. Iosepho S. R. E. Cardinali Mezzofante, quae sequuntur decernenda censuit. Ex orientalibus nonnulli, uti sunt armeni et maronitae, cum Ecclesia latina pro Eucharistia utuntur azymo; alii vero fermentato, melchitae nimirum, chaldaei, syri, et cophti: nemo proinde a ritu in quo fit usus azymi transire valeat ad ritum in quo conficitur in fermentato, absque beneplacito Sedis Apostolicae, idemque erit servandum circa transitum ex ritu in quo adhibetur fermentatum ad ritum in quo praecipitur usus azymi. Cum autem inter duos ritus permutandos non adest praefata materiae in Eucharistia disparitas, sufficiat consensus duorum Episcoporum a quo, et ad quem fit transitus. Haec pro illis sunt constituta qui iamdiu catholicam fidem profitentur; quod vero ad haereticos et schismaticos pertinet, qui ad Ecclesiae sinum redeunt, permittendum censuit S. C. ut orientalem ritum qui magis iis placuerit amplectantur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSm̃o D. N. Gregorio div. prov. PP. XVI relatam... SSm̃us benigne approbavit atque in omnibus servari praecepit.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 878].

[1] In Litt. S. C. de Prop. Fide 7 aprilis 1859 haec habentur: « Il decreto emanato ai 20 nov. 1838 riguardo al passaggio degli orientali da un rito all'altro, ed alla facoltà che si concede agli eretici ed agli scismatici, di scegliere quel rito orientale che più loro aggradi nel ritorno dei medesimi al seno della cattolica Chiesa, non comprende gli apostati, quelli cioè che, essendo cattolici, abbandonarono la vera Chiesa passando all'eresia ed allo scisma, e poi si convertono ». In aliis vero Litteris (15 iulii 1876) declaratur quod sequitur: « De-

4778.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 11 dec. 1838.

1. Utrum Delegatus Apostolicus possit ex rationabili causa administrare, vel aliquo sacro fungi officio in ecclesiis orientalium, invisere intra clausuram monialium conventus, earumdem excipere confessiones, ac quemlibet fidelem absolvere a peccatis reservatis ab ordinariis orientalibus, quin necessario requiratur consensus Ordinariorum orientalium.

2. Utrum saltem provisorie Delegatus Apostolicus possit orientalem fidelem, aut sacerdotem, vel Episcopum delinquentem ligare censuris, ligatos absolvere.

3. Utrum Delegatus Apostolicus possit nomine S. Sedis iudicare, ac statuere super quaestionibus de mutatione rituum v. g. alicui permittendo transire a proprio ad alium ritum.

4. Il est usage que les Préfets désignent ceux de leurs religieux qui doivent être chargés des paroisses: cette seule désignation ou nomination faite par les Préfets communiquet-elle aux sujets nommés la juridiction curiale, ou doivent-ils la recevoir de l'Ordinaire du diocèse.

5. L'Ordinaire du diocèse outrepasserait-il les limites posés, si pour des raisons à lui connues, et qu'il croirait suffisantes, il interdisait un religieux missionnaire, ou restreignait ses pouvoirs dans ce qui concerne l'administration des sacrements.

6. Utrum Patriarchae, et Ordinarii orientales possint interdicere missionariis latinis, ne sacramenta administrent, et facultates suas exerceant in ecclesiis sibi subditis.

7. Utrum missionarii possint sacramenta administrare, et easdem facultates exercere erga orientales in ecclesiis latinis absque consensu Ordinariorum orientalium.

8. Utrum Patriarchae, et Ordinarii orientales possint interdicere suis subditis ne sacramenta recipiant a missionariis latinis.

9. Utrum absque speciali consensu Ordinariorum orientalium missionarii latini possint excipere confessiones monialium.

10. Utrum missionarii latini possint absolvere orientales a casibus quos sibi reservavere orientales Ordinarii, absque speciali consensu eorumdem Ordinariorum orientalium.

11. Utrum missionarii latini possint absolvere orientales a censuris latis ab Ordinariis orientalibus.

12. Possuntne Episcopi orientales respectivis sui ritus hominibus pro suo lubitu prohibere, ne confiteantur peccata sua missionariis latinis, aut

cretum illud sancitum die 20 novembris 1838 agit de transitu ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum, et nihil omnino statuit de ritu latino, neque de iis qui hunc ritum habent, vel habere desiderant; et quod ibi statuitur de haereticis et schismaticis ad Ecclesiae sinum revertentibus, de iis intelligendum est qui ad orientales ritus pertinent ».

Missam audiant, aut sacram Communionem percipiant in ecclesiis latinis, etiam praeter tempus paschale, et in die festo v. g. patronali.

13. Si non obstante illa episcopali prohibitione accedat unus, aut alter ex praedictis hominibus ad missionarium confitendi gratia, peccatne confitens, peccatne missionarius qui illius accipit confessionem, aut illi in missionis suae ecclesia sacram administrat Communionem.

14. Utrum necesse sit ad satisfaciendum Ecclesiae praecepto de audienda Missa diebus Dominicis, ac festis, ut unusquisque Missam audiat in proprio ritu; an sufficiat audire Missam.

15. Utrum missionari latini possint administrare orientalibus sacramenta Baptismi, Extremae Unctionis, et Matrimonii ritu latino in ecclesiis orientalibus casu v. g. quo missionarius latinus parochi fungeretur officio in iis ecclesiis.

16. Utrum missionarii iisdem orientalibus eadem sacramenta possint administrare ritu latino in ecclesiis latinis.

17. Utrum missionarii possint orientalibus administrare sacramenta praedicta ritu orientali servando illius ritum, cui administratur sacramentum v. g. graecum cum graeco, in casu quo missionarii latini parochi fungerentur officio in ecclesia orientalium.

18. Utrum missionarii possint in aliquo casu administrare latinis sacramenta ritu orientali v. g. ad benedicendum matrimonium, cuius altera pars latina, altera vero orientalis.

19. Utrum missionarii latini fungentes sacra functione in ecclesia orientali, possint ritui orientali aliquid immiscere ritus latini v. g. ad benedictionem SS. Sacramenti post cantum orientalem recitare orationes lingua latina, et sic de ceteris.

20. Utrum post Evangelium Missae ritu latino celebratae recitari possit, idest legi ad populum Evangelium lingua arabica, quod absque ullo damno saepe factum est.

21. Utrum de consensu Ordinariorum orientalium, aut delegati apostolici quis utens fermentato sacram Communionem excipere possit in azymo, et viceversa.

22. Utrum missionarii latini in propria, seu latina Ecclesia possint cuilibet, vel utenti aliunde fermentato, administrare Eucharistiam in azymo.

23. Se un cattolico, che secondo il suo rito deve comunicare in azimo, si trovasse solo in mezzo di altri cattolici, che comunicano in fermentato, o viceversa, può comunicare in fermentato, o viceversa, per adempire il precetto pasquale, o in articolo di morte.

R. 1. Quoad primam partem: affirmative, si agatur de sacris functionibus usum pontificalium, ac spiritualem iurisdictionem non requirentibus; in reliquis, negative. Quoad secundam partem moniales respicientem: affirmative, si gravissimus casus urgeat, et raro.

Ad 2. Negative in omnibus ad primam partem. Ad secundam supplicandum SSmo pro facultate absolvendi in foro conscientiae tantum a censuris episcopalibus, dummodo connexae non sint cum casu reservato.

Ad 3. Negative, et ad mentem: Mens est, ut Delegato Apostolico communicentur facultates eius Antecessori concessae anno 1835.

Ad 4. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 5. Negative, dummodo gravis, et urgens adsit causa, statim S. Congregationi significanda.

Ad 6. Detur decretum 26 aprilis 1647. [1]

Ad 7. Negative quoad parochialia iuxta decretum 26 aprilis 1647, in reliquis affirmative, nisi obstet diversitas ritus in sacramentorum administratione, et servetur Decretum diei 31 ianuarii 1702. [2]

Ad 8. Provisum in praecedenti, et servetur instructio an. 1705.

Ad 9. Negative, et servetur Const. Gregorii XV *Inscrutabili*. [4]

Ad 10. Negative.

Ad 11. Negative.

Ad 12. Negative in omnibus, etiam quoad sacram Communionem, ubi ritus diversitas non repugnet.

Ad 13. Negative ad primam partem, si agatur de prohibitione generali; secus de praecepto particulari cuipiam facto ob peculiares causas S. Congregationi communicandas; et negative etiam ad secundam, nisi obstet diversitas ritus.

Ad 14. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 15. Affirmative.

Ad 16. Affirmative.

Ad 17. et 18. Negative.

Ad 19. Negative quoad sacram Liturgiam; in reliquis servetur consuetudo.

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide. vol. I, n. 116.

[2] Haec ibi: S. Congregatio (de Prop. Fide) mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus et singulis missionum apostolicarum praefectis et missionariis, ne ullus eorum in posterum quavis occasione aut praetextu audeat dispensare cum catholicis quarumcumque missionum orientalium super ieiuniis, orationibus, caeremoniis, et similibus, a proprio earumdem nationum ritu praescriptis, et a S. Sede Ap. approbatis. Praeterea S. C. censuit non licuisse, nec licere praefatis catholicis ullatenus a prioris ritus a S. R. E., uti supra, probati consuetudine et observantia recedere.

[3] In citata instructione seu concordia inter maronitas et missionarios latinos Syriae (4 maii 1705) edicitur: « Che i missionari europei esortino efficacemente più e più volte in congiunture opportune li maroniti di Levante a frequentare le loro chiese nazionali, e di udirvi la Messa, ed assistervi alli divini officii ne' giorni di festa di precetto, ed in caso che alcune volte li maroniti andassero in detti giorni a sentire la Messa alle chiese dei missionari, dovranno questi tanto in tale occasione, che in qualunque altra ricordar loro l'obbligo che, anche secondo il loro uso antico, hanno di pagare alli parrochi maroniti le decime, oppure quell'elemosina che, secondo la loro possibilità sarà loro permesso. Dovranno li medesimi missionari ricordare alli maroniti questo loro obbligo, particolarmente nelle quattro quaresime che si fanno secondo l'uso della nazione. Si stima molto opportuno che qualche missionario nelli detti giorni festivi, o in alcuni di essi si portasse alla chiesa nazionale dei maroniti a predicare la parola di Dio ».

[4] In laudata Const. (5 febr. 1622) haec habentur: « Confessores vero sive regulares sive saeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant ». — Cf. N. 199.

Ad 20. Missionarios non esse inquietandos.

Ad 21. Negative ad utramque partem, et servetur omnino instructio pastoralis Benedicti XIV, quae incipit *Eo quamvis*, § *Neque etiam*, [1] in qua permittitur orientalibus communio ritu latino tantum in subsidium, nempe cum difficulter communicare possint in proprio ritu.

Ad 22. Detur instructio anni 1758, [2] necnon Decretum Supremae Inquisitionis 4 sept. 1721. [3]

Ad 23. Affirmative in omnibus quoad utentes fermentato: quoad vero communicantes in azymo, concedantur facultates prout in decreto S. O. 12 decembris 1821. [4]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 879].

4779.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 13 maii 1839.

Qual regola debba fissarsi sulla remozione de' parrochi monaci (greci-melchiti).

R. Circa Regulares ex parochiis removendos normam tradi perspicuam a Benedicto XIV in Constitutione *Firmandis*. [5]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 886].

4780.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 11 dec. 1839.

1. An et quomodo Vicarii Ap. seu Ordinarii locorum visitare possint paroecias Regularium missionariorum apostolicorum in suis territoriis existentes.

2. An designatio seu nominatio Praefecti Missionum sufficiat ad communicandam institutionem *auctorizabilem* missionariis, qui munere parochorum fungi debent, seu potius teneantur eamdem ab Ordinariis locorum, in quibus id muneris est explendum, recipere.

3. An Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum ita designatos valeant antea examini subiicere.

4. An et quomodo iidem possint semel admissos ad curam animarum exercendam removere, vel eorum facultates in Sacramentorum administratione cohibere.

5. An Vicarius Patriarchalis Constantinopolitanus potuerit visitationi peragendae instructionem praemittere, cui parochi omnes respondere teneantur.

[1] Cf. N. 357.

[2] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 409.

[3] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 296.

[4] Cf. N. 864.

[5] Cf. N. 349.

R. Ad 1. Affirmative in omnibus iuxta constitut. Benedicti XIV, quae incipit *Firmandis*. [1]

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, iuxta decretum 1838. [2]

Ad 3. Negative.

Ad 4. Affirmative in omnibus, dummodo gravis et urgens causa adsit statim S. Congregationi communicanda.

Ad 5. Affirmative quoad ea in quibus visitationi et correctioni eiusdem subditi sunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 892].

4781.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Superior. Semin. Paris Mission. ad Exter.), 16 ian. 1840.

Quoad laudabilem Seminarii istius consuetudinem pro defunctis Operariis Evangelicis ac Praesulibus Missionum exorandi ac Sacra plura peragendi, etiamsi de iis nunc agatur, qui pro catholica fide invicta fortitudine certantes persecutorum gladio interierunt, illorum opinioni assentiendum, qui suffragia de more pro iis fieri volunt, donec ab Apostolica Sede in sanctorum Martyrum album relati et ad altarium honores evecti fuerint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 878].

4782.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 6 aug. 1840.

Dum quidam missionarius (Indulto Apostolico confirmandi munitus) in eo erat ut Confirmationis Sacramentum pluribus christianis administraret, territus est a gentilibus in atrio adstantibus. Omissa proinde prima manuum impositione, lectaque praepropere oratione *Omnipotens* usque ad verba *de coelis*, et, neglecta commemoratione septem donorum, protulit formam: *Signo te*, etc. Quaeritur an, attenta Encycl. Benedicti XIV *Ex quo primum*, [3] et scandalo quod oriretur si sub conditione illi christiani iterum confirmarentur, tuta conscientia possint relinqui in bona fide.

R. Non esse repetendam Confirmationem sub conditione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 905].

[1] Cf. N. 349.
[2] Cf. N. 4778.
[3] Cf. N. 438.

4783.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin.), 6 aug. 1840.

In Tunkino sive orientali sive occidentali adest inter missionarios et sacerdotes indigenas utriusque Vicariatus conventio qua, adveniente morte alicuius ex illis, omnes alii sacerdotes utriusque Vicariatus tres Missas pro illius anima celebrare debent. Talis conventio pariter extat inter omnes missionarios Seminarii Missionum ad Exteros, ubique terrarum degant. Porro, occasione harum, exortum est dubium inter missionarios: An, scilicet, praedictae tres Missae debeant celebrari pro illorum anima, quos persecutores in odium fidei trucidaverunt; vel, si non praecise pro illorum anima, saltem debeant celebrari pro solutione debiti circa has Missas erga eos dum viverent contracti, relinquendo divinae voluntati ut quibuslibet necessitatibus vel animabus voluerit, illarum Missarum fructus applicet. Et in casu quo praedictae Missae sint dicendae, an sint Missae dicendae de *Requiem*, vel de die.

R. Licet Innocentius III (in cap. *Martha, de celebr. Missar.*) dicat: *Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre*, id tamen ex Benedicto XIV (*De Serv. Dei Beat.*, lib. 2, cap. 2, n. 13 et 14, et lib. 3, cap. 15, n. 8) intelligendum est de *martyre vindicato*, seu postquam de ipsius pretiosa morte Summi Pontificis iudicium accesserit. Ante iudicium igitur, vel certe ante Apostolicam inquisitionem super martyrio, possunt celebrari suffragia seu Missae iuxta consuetudinem vel conventionem de qua supra, et ad libitum de die, vel de *Requiem*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 906].

4784.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 21 sept. 1840.

Se approvare i decreti fatti da M. Vicario Ap. Patriarcale di Costantinopoli nella sua Visita, cioè:

1. Che nella Messa parrocchiale si faccia da tutti i parrochi il discorso parrocchiale.

2. Che il parroco od altro sacerdote in sua vece debba fare il catechismo in tutte le Domeniche dell'anno, meno i due mesi che seguono alla prima Comunione.

3. Che i parrochi debbano confessare per lo meno una volta l'anno tutti i fanciulli giunti all'uso della ragione, e più spesso quelli che si dispongono alla prima Comunione.

4. Che i parrochi avvertano in tempo opportuno i forastieri che vogliono contrarre matrimonio di procurarsi dalla loro patria i documenti di stato libero, ed esigano dagli sposi prima del matrimonio la fede della Confessione.

5. Che in quanto alle tasse per le funzioni sagre i parrochi ed altri ecclesiastici qualsivogliano debbano conformarsi in tutto alla tariffa approvata dal Vicario Patriarcale.

5. Che concorrendo in un medesimo giorno il pontificale del Vicario Patriarcale ed una funzione parrocchiale, il parroco debba anticipare la sua funzione per modo che non coincida punto col tempo del pontificale.

7. Che ov'è chiesa, o pubblico oratorio sia vietato il celebrare nelle case le Messe.

8. Che ove siano chiese ed oratorii pubblici sia proibito l'ascoltare confessioni di donne nelle case particolari, se non per causa d'infermità, età decrepita o sordità.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative. Optat S. Congregatio ut parochi utantur Catechismo Bellarmini, et, si quo alio utantur, transmittatur ad S. Congregationem.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Quoad primam parten, affirmative; quoad fidem Confessionis, suadendum ut exhibeant, sed si renuant, non ideo a matrimonio excludendi, et detur decretum 17 aprilis 1820. [1]

Ad 5. 6. 7. et 8. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 913].

4785.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Scopiae), 26 sept. 1840.

Nella Congr. Generale tenuta li 20 luglio decorso sono stati proposti i dubbi da V. S. fatti alla S. C. nella sua venuta alla Dominante, ed ora vengo a parteciparle le decisioni relative perchè possa dare esecuzione alle medesime. — E da prima addimandava V. S. se debba tollerarsi il costume che le giovani promesse in matrimonio rimangano per più anni racchiuse in casa, e tralascino di conseguenza l'andare alla chiesa per ascoltare nei dì festivi la Messa. Al che la S. C. (in Congr. Gen. 20 iulii) ha risposto che non debbasi ulteriormente tollerare siffatto costume, e quindi dovere V. S. prudentemente insistere per la osservanza del precetto della Chiesa. Che se non possa ciò ottenersi da tutte, si procuri per lo meno che quelle donzelle che non vanno alla Messa impieghino qualche tempo all'orazione nelle proprie case, e s'istruiscano nel catechismo.

Nel secondo dubbio avvertiva V. S. che si tralascia di fare la pubblicazione prescritta dal Tridentino, e diceva che ai matrimoni medesimi assiste non altri che il parroco ed un testimonio in qualità di compare; e quindi chiedeva se debbasi comportare siffatto costume. Quanto alla prima parte ha deciso la S. C. che debbano farsi onninamente le pubblicazioni nelle città e nei paesi giusta il Concilio Lateranense sotto il Pontefice Innocenzo III, il Tridentino, Sess. 24, 1, *de ref.*, e l'Albanese Prov. I, parte II, c. VIII,

[1] Cf. N. 4716.

pag. 46; e giusta la Costit. della s. m. di Benedetto XIV ivi riferita p. 127, § 11. Quanto poi alla seconda parte ha prescritto che si comandi espressamente che i matrimoni, a seconda del Tridentino medesimo nel luogo citato, *coram parocho et duobus, vel tribus testibus*, il che è ancor conforme al prescritto nel Concilio Albanese pag. 46. Siccome poi i matrimoni finora contratti senza avere adempito a tal prescrizione debbono considerarsi siccome nulli, ne viene per conseguenza che debbono essere dal Sommo Pontefice sanati e convalidati. Dovranno quindi con apposita supplica implorarsi le dovute sanazioni.

Nel terzo quesito manifestava V. S. l'abuso che le giovani rimangono d'ordinario vincolate cogli sponsali per quattro o cinque anni prima di congiungersi in matrimonio, e che gli sponsali, mentre possono esser rescissi dall'uomo sempre che voglia, non sono mai rescindibili dalla donna per qualunque ragione possa ella averne, e quindi implorava V. S. che si provvedesse alla giusta libertà della donna, e fosse ristretto e determinato il tempo degli sponsali. La S. C. ha deciso che venisse mandato a V. S. il decreto emanato dalla S. C. del Concilio dell'anno 1713 di cui ecco le parole: « S. Congregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit moneri posse partes ad contrahenda sponsalia sub certo tempore, quo elapso, permitti posse cum aliis bene visis; non tamen cogi posse partes ad contrahenda sponsalia certo tempore; et quatenus sponsalia fuerint contracta indefinite, absque tempore limitato, posse superiorem ob legitimam causam, praesertim probabilis fornicationis, tempus celebrandi Matrimonii sponsis praefigere, eoque elapso facultatem concedere cum aliis contrahendi ». Procurerà quindi V. S. con tutta quella prudenza che Le sarà possibile di far sì che venga osservato siffatto decreto, e per maggior sua regola ed istruzione consulterà benanche in proposito i buoni autori che ne hanno parlato.

Nel quarto dubbio, che è pure relativo agli sponsali, esponeva V. S. che i parenti contraggono eglino stessi gli sponsali per figliuoli senza alcun consenso di questi, e quindi addimandava se debba esigersi onninamente anche il beneplacito dei figli contraenti per la validità degli sponsali. Alla quale domanda la S. C. ha creduto aver ben provveduto col ricordare l'osservanza del decreto del Concilio Albanese, part. 2, c. VII, pag. 47, espresso in questi termini: « Quoniam omnimoda arbitraria libertate matrimonium initur, toto pectore incumbant parochi ut contrahentium assensus omni impulsionis, coactionis, seu directae seu indirectae, materia careat, nec sacro iungant connubii nexu quos externae audacia violentiae, matrimonialia iura vitiando, vitiavit. Temerariis eorum ausibus, qui invitis confoederantur uxoribus, anathematis poena infligatur. Parochi quoque invalidae auctores coniunctionis ecclesiasticis innodentur censuris ».

Il dubbio che in quinto luogo V. S. proponeva si volge sulla consuetudine di celebrare i matrimoni di sera, in guisa che vanno privi i contraenti della benedizione nuziale, che, giusta il Rituale Romano deve farsi in chiesa durante la S. Messa. Su di che la S. C. ha prescritto di dichiarare a V. S. le parole del Concilio Tridentino, Sess. 24, cap. 1: « Benedictionem sacer-

dotalem in templo recipiendam (a coniugibus)»; non che quelle dell'Albanese, pag. 46: « In parochialibus ecclesiis fiant matrimonia ».

Nel sesto dubbio manifestava V. S. il barbaro costume di porre ad incanto le figliuole da marito, talchè quegli addiviene lo sposo che offerisce somma maggiore. Il quale detestabile mercimonio delle figlie vuole la S. C. che sia tolto mercè tutto il potere dello zelo sacerdotale.

In settimo luogo V. S. rammemorava la facoltà che la legge ottomana conferisce alle donne di adire la terza parte dell'eredità dopo la morte del padre, e il divieto che di giovarsene loro han fatto i Vescovi per gli odii e nimistà che essa seco traeva; e quindi bramava sapere se debba sussistere perchè le donne non si prevalgano di somigliante beneficio. Sulla qual cosa non ha potuto la S. C. formare il suo giudizio, mercechè nè V. S. nè altri mai si è curato di meglio chiarire i motivi del divieto dei Vescovi; e quindi è necessario, per decidere il quesito, che V. S. faccia meglio conoscere le ragioni che persuasero i medesimi Vescovi ad interdire alle donne l'approfittarsi del diritto loro dalle leggi civili conceduto.

Coll'ottavo dubbio V. S. richiedeva se i parrochi possano lecitamente emettere la loro decisione intorno alle cause civili che dalle parti vengono ad essi assoggettate; e in caso affermativo, se sia espediente il permetterlo, in vista segnatamente del disordine che sovente interviene del ricorrere che fa l'una o l'altra parte, o talvolta ancora entrambi, perchè non paghi della decisione del parroco, al tribunale turco. Su di che ha prescritto la S. C. di far palese a V. S. esser massima fondamentale fissata e pubblicata dalla medesima S. C. con circolare dei 15 gennaio 1622 [1] che l'intenzione della Propaganda « non è d'alzar tribunali o di esercitar giurisdizione temporale in alcun luogo, nè di tenere maniere violente o insolite, ma è di attendere per vie soavi e piene di carità, che son proprie dello Spirito Santo, alla conversione degli infedeli, ora predicando, ora insegnando e disputando, ed ora ammonendo, esortando e pregando, ed anche di tirare i popoli dolcemente colla orazione e col digiuno, e colle limosine, e fin colle discipline e colle lagrime, alla luce della verità e alla via della salute, amministrando loro i SS. Sagramenti senza fare niun rumore, e, per dir così, con un soave silenzio ». Che però sì per la esposta massima, sì pel sacro carattere del sacerdote, sì per le leggi ecclesiastiche, sì per la poca idoneità di quei parrochi a giudicar rettamente, è stata d'avviso la S. C. di loro vietare di mescolarsi nelle questioni civili, tranne i casi di amichevoli compromessi, nei quali ambe le parti si obbligano a deferire onninamente al giudizio arbitramentale del parroco, o di altro sacerdote da V. S. designato.

Nel dubbio nono implora V. S. una norma sul contegno a tenersi coi penitenti che hanno rubato ai turchi, e non possono far la restituzione senza pericolo della vita, volendo i turchi conoscere sempre il nome del ladro. Intorno alla qual cosa la S. C. ha decretato che debbasi V. S. attenere al sentimento dei buoni autori, i quali insegnano che non potendosi effettuare la restituzione delle cose rubate al loro padrone, nemmeno per mezzo dei

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 2.

confessori, e d'altra parte non potendo il colpevole ritenere il mal tolto, debbasi erogare il valore delle cose rubate *ad pias causas, vel inter pauperes.*

Il decimo dubbio proposto insorge dalla niuna guarentigia che le leggi turche danno per la vita dei sudditi, onde i cristiani si credono autorizzati in lor feroce ignoranza a trucidare l'uccisore di un loro fratello, perciocchè, non vendicandone la morte, credono esporsi a maggior pericolo di crudeli assassinii; e conchiude V. S. col dimandare se possano assolversi quei cristiani che, per l'indicato motivo, meditano la morte dell'uccisore di un loro confratello. Essendo siffatto quesito altre volte stato discusso, la S. C. confermando le già date risoluzioni, ha risposto che non debbono affatto assolversi siffatti penitenti, e che si faccia nota a V. S. la risoluzione dei 9 maggio 1763 in cui a somigliante dubbio fu risposto: « licitum non esse hominibus privatis iniurias ulcisci, licet in iis locis degant in quibus nemo est qui vindicandis criminibus praesit: proindeque eosdem, nisi animum ulciscendi deponant, non esse absolvendos, ut alias respondit S. C. ». Come pure la medesima Congregazione ha voluto che si rendesse noto a V. S. che in seguito della relazione della visita fatta nell'Albania e Macedonia dal P. Michele da Borgo S. Siro, in cui tra gli altri disordini esponeva il P. Michele quello della frequenza degli omicidi per vendetta, e per falsa opinione che l'ucciso invendicato soffra gravissime pene; la medesima S. C. nella Congregazione dei 24 agosto 1762 rispose: « Monendos esse missionarios ut tam privatis quam publicis adhortationibus falsas opiniones extirpent, nec administrent sacramenta iis qui ulciscendi animum non deponunt ». [1]

Addimanda V. S. nel dubbio undecimo se possa celebrarsi il divin sacrifizio per quei cristiani, la cui fede, mentre vissero, rimase occulta, sebbene in punto di morte mostrassero d'essere pentiti, e dessero qualche segno esterno tuttochè privato, di cristiana credenza. Alla quale dimanda la S. C. ha giudicato bastantemente provveduto nel Concilio Albanese, p. I, cap. 3 e 4, e nelle due Costituzioni della sa. me. di Benedetto XIV ivi inserite, pp. 121 e 176, non che nei decreti della S. C. di Propaganda che ivi pure leggonsi alla pag. 205.

Col bipartito dubbio duodecimo chiede V. S. primamente se possano lecitamente battezzarsi i figli dei cristiani occulti, nell'antiveggenza che eglino pure si terranno sempre in egual modo, durante il viver loro, nascosti, simulando di appartenere al maomettismo; e poscia interpella l'oracolo della S. C. sul contegno a tenersi verso quei fedeli che cangiano in nomi turchi i cristiani nomi dei loro figlioli. Il qual dubbio in ambedue le parti viene bastantemente sciolto da quanto Benedetto XIV prescrive nella Costituz. *Inter omnigenas* (2 febbr. 1744). [2]

Le usure formavano il soggetto del decimoterzo dubbio, in cui esponeva V. S. che i cristiani sogliono prendere gl'interessi del 10 per cento, mentre i turchi il 15 e 18 per cento, e però dubita se siasi a permettere tale usura comunque a termini delle leggi civili permessa, e *quatenus negative*, se deb-

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 445.
[2] Cf. N. 339.

bansi obbligare alla restituzione i fedeli che l'hanno percetta. In risposta al che la S. C. ha deciso che si trasmetta a V. S. l'istruzione del S. Off. dell'anno 1784 la quale troverà qui annessa. [1]

Nel dubbio decimoquarto chiedeva V. S. se i cristiani possano prestar l'opera loro alle fabbriche delle moschee, sendovi astretti dai turchi; e se possano altresì lavorare nei dì festivi, obbligati a ciò egualmente dai medesimi turchi: avvertendo che alcuna volta trovansi tutti i fedeli forzati a travagliare collettivamente nelle opere pubbliche, e tale altra volta solo individualmente debbono prestarsi in servigio dei rispettivi padroni anche per vero dispregio di nostra religione. La S. C. usando la maggiore indulgenza che può, ha deciso rispondere a V. S. come ha risposto non ha guari ad altra somigliante domanda: *Non esse inquietandos, dummodo gravis mali metu coacti agant, neque intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari*. Quanto poi al secondo quesito ha decretato non potersi comportare che i cristiani diano opera a tali lavori nei dì festivi quante volte siavi aperto dispregio della religione; ma se non havvi dispregio della religione, e non potrebbesi impedire il lavorare dei medesimi senza troppo grave detrimento dei fedeli medesimi, in tal caso doversi prudentemente tollerare, perchè ascoltino la s. Messa; e, ove pur loro fosse impedito lo assistere al divin sacrifizio, debbono per lo meno supplire in qualche guisa con altre orazioni e pie opere, imposte opportunamente dai parrochi.

Col dubbio decimoquinto bramava V. S. sapere che cosa debba prescriversi ai servi e fornai che debbono lavorare nei dì festivi, e di rado possono assistere al divin sacrificio. Su di che la S. C. ha parimente risposto che possa verso i medesimi usare quella benigna indulgenza che ammette la notissima dottrina dei buoni moralisti, e la prassi, diportandosi verso i medesimi conformemente a quanto si è detto nella risposta al dubbio antecedente.

Il sestodecimo dubbio riguarda i contadini cui la distanza della chiesa non sempre permette lo assistere alla Messa. E su ciò pure la S. C. ha detto che debba V. S. attenersi alle teorie che nei moralisti sogliono trovarsi in tal particolare, ed abbiano a considerarsi non solo le distanze dei luoghi e le asprezze delle strade, ma benanche l'età, il sesso e la tempra delle rispettive persone, per giudicare se *ratione impotentiae* possano dirsi esonerati dall'obbligo di andare alla chiesa. Perciò o la lontananza dei contadini dalla chiesa in cui celebrasi la s. Messa è tanta, e tale ancora la difficoltà delle strade, che il portarvisi riesca di grave incomodo anche ai contadini: e in tal caso potranno anch'essi venirne scusati, come dicono tutti i moralisti; o questa lontananza non è nè in se stessa, nè per la scabrosità della via, almeno nella bella stagione, così grande e faticosa che possa dirsi a tutti indistintamente quei contadini incomodissima: e allora quelli pei quali il recarsi alla chiesa non fosse che una lunga camminata senz'altro che un poco di stanchezza, dovranno dirsi obbligati a farla per soddisfare al precetto della Chiesa.

[1] Dicta instructio reperitur inserta in Instructione S. C. de Prop. Fide circa lucrum ex mutuo an. 1873. — Cf. N. 4880.

Finalmente manifestava V. S. la falsa credenza in cui sono quei popoli intorno all'affinità spirituale, tenendo per fermo che il compare il quale assiste al matrimonio contragga l'affinità, e che l'affinità contratta nel Battesimo o nella Cresima si estenda oltre al quarto grado, e però domandava istruzione intorno all'istruire il popolo in contrario, prevedendo che ne nascerebbero inconvenienti. E in ciò la S. C. ha deciso che venisse ricordato avere il Concilio Tridentino decretato (Sess. 24, *de ref.*) esservi un solo grado di affinità spirituale, e il medesimo ripetere Benedetto XIV nella Costituz. *Inter omnigenas*, § 17,[1] inserita nel Concilio Albanese, il qual Pontefice espressamente e nominatamente esclude da tale affinità gli assistenti al Matrimonio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 914, vol. II, n. 2283].

4786.

S. C. de Prop. Fide, decr. 15 dec. 1840.

Quum in foederatis Americae Septemtrionalis Statibus nulla a legibus civilibus ecclesiastica successio agnoscatur, et ideo nullum ius nec Episcopis, nec sacerdotibus ab iisdem legibus tribuatur transmittendi suis successoribus bona quaecumque, quae a pia fidelium largitate ad ecclesiasticos, vel pios usus, sive Episcopis, sive sacerdotibus donata fuerunt: praedictorum bonorum (circa quae Concilii Provincialis Baltimorensis IV Patres pastoralem sollicitudinem laudabiliter ostenderunt decreto VIII), securitati prospicere volens Sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit in posterum servanda esse quae sequuntur:

1. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi omnes in foederatis Americae Septentrionalis Statibus, statim post huius decreti receptionem testamentum iuxta leges Status, in quo degunt, quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi comparabunt, conficiendum curent. Illud autem duplicato, et aeque authentico chirographo seu exemplari omnino efficient, atque heredem bonorum omnium ecclesiasticorum ad pios usus sibi, vel praedecessoribus suis, vel quibusvis aliis sive laicis sive clericis donatis, quae ipsi actu possideant vel ius ad possidendum habeant, illum ex Coepiscopis suis americanis, quem magis in Domino expedire iudicaverint, constituent. Hunc autem si forte ex vivis excedere acciderit, alium ex iisdem Coepiscopis in eodem testamento substituant, atque eius loco heredem nuncupent.

2. Testamento igitur, duplici et aeque authentico chirographo exarato, alterum ex exemplaribus Episcopi omnes ad Baltimorensem Archiepiscopum, hic vero ad seniorem Episcopum loco tuto custodiendum mittat; alterum vero testator ipse penes se asservabit. Moneatur etiam a testatore Episcopus, qui heres constitutus fuerit, per litteras, quas perlectas comburet, eo tantum fine se heredem nuncupatum fuisse ut bona omnia ecclesiastica

[1] Cf. N. 339.

dioecesis religiose custodiantur, donec a S. Sede successor eligatur, illique
tunc fideliter et legitime transmittantur.

3. Testatore vita functo, heres, maxima qua poterit cura, bonorum
omnium, tum mobilium, tum immobilium conservationi prospiciet, atque
inter sacerdotes dioecesis defuncti Episcopi ministrum idoneum ei fide-
lem eligat, cui per procurationis mandatum administrationem bonorum
committet, ea tamen lege ut rationem, quum opus fuerit, fideliter
reddat.

4. Statim ac Episcopi defuncti successor a S. Sede de more electus
fuerit, atque litteras apostolicas electionis acceperit, Episcopus, qui deces-
soris eius heres per testamentum constitutus fuerat, hereditatem universam
illi, instrumentis iuxta formam a legibus civilibus praescriptam, omnino
tradet; atque sive per se, sive per procuratorem, cui bonorum administra-
tionem commiserat, rationem reddere curabit.

5. Si quem autem Episcoporum Coadiutorem habere contigerit, hunc
per testamentum heredem instituet.

6. Archiepiscopi munus erit sedulo invigilare, et curare, ut a suffraga-
neis aliisque Statuum Unitorum Episcopis omnia quaecumque hoc Decreto
S. C. praescribuntur religiosissime serventur. Moneat Episcopos, qui testa-
mentum conficere et ad metropolim mittere neglexerint, vel formam a legi-
bus civilibus requisitam non servaverint, vel aliquo adminiculo legibus con-
trario illud irritum reddiderint. Si quando autem monitiones suas nullum
effectum consequi viderit, de hoc Sacram Congregationem certiorem per
litteras facere non omittat, ut opportunum et efficax remedium huic malo
adhibere tempestive possit. De quibus omnibus Archiepiscopi conscientia
oneratur. Quod autem spectat ad ipsum Archiepiscopum, is qui in provin-
cia reperietur a consecratione episcopali suscepta antiquior Episcopus, hoc
munus obibit.

7. Quo autem praedicta omnia rite et recte praestare valeat Archiepisco-
pus, accuratam notitiam legum circa testamenta, quae in unoquoque ex
Statibus Unitis vigent, sicut etiam adminiculorum, seu, ut aiunt, *formalita-*
tum, quae ad testamentorum validitatem requiruntur, tum per Episcopos
ipsos, tum etiam per iurisconsultos, et legis peritos quantocius obtinere
non omittat; et ne haec omnia memoria excidant, eorum indiculum apud se
scriptum retinebit.

8. Testamenta vero ipsa, quae ad Archiepiscopum mittentur, nullo
sigillo claudantur, sed folium in quo includuntur, in forma epistolarum
usitata complicatum, et Archiepiscopo vernacula lingua inscriptum, sigillo
muniatur, uti aliae epistolae communes, ut, eo aperto, Archiepiscopus
testamentum legere, atque an rite ac recte confectum fuerit, omnibus attente
perpensis, iudicare possit, adhibito etiam, si opus fuerit, peritorum in legi-
bus civilibus consilio.

9. De bonis vero ecclesiasticis, quae iure a civili potestate concesso, ab
Episcopis, ecclesiis, collegiis, monasteriis, aliisque locis piis possidentur,
vel recta ad Episcoporum successores transeunt, nil est quod hoc decreto
statuatur; ideoque in illo minime includuntur. Episcopi igitur, si qui sint,

qui nulla alia bona ecclesiastica suo nomine possideant, ad testamentum
superius descriptum faciendum non tenentur.

10. Eadem sollicitudine Sacra Congregatio providere volens securitati
bonorum communitatum omnium, sive ecclesiasticarum, sive religiosarum,
tum virorum, tum etiam puellarum, et quarumcumque aliarum piarum
institutionum, quae inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem
eorum naturae participant, atque sollicita Ecclesiae Pastorum cura piis usibus,
ob quos vel comparata, vel donata fuerunt, servanda et posteris fideliter
transmittenda sunt, quae sequuntur decernit.

11. Archiepiscopus et Episcopi post decreti huius receptionem, ad supe-
riores, praefectos, vel praesides communitatum, quae intra dioecesis suae
fines reperiuntur, scribent, illisque omnibus auctoritate S. C., quae illis
omnibus ad hoc specialiter delegatur, praecipient, ut quam primum fieri
poterit, certiorem per litteras Episcopum ipsum faciant: 1. An, quae, et quo
onere, bona possideat communitas, cui praeest. – 2. An suae communitati
facultas seu ius a civili potestate datum fuerit, bona omnia, vel eorum
partem possidendi, et ad successores transmittendi (If they have been
incorporated and empowered to hold all, or any part of their property,
and what?). – 3. An bona omnia, vel aliqua eorum pars a Superiore vel ab
aliquo communitatis membro, vel a pluribus coniunctim possideatur. –
4. An aliquem invenerint modum tuto ad successores bona praedicta trans-
mittendi, et quis sit modus iste. – 5. An nullus alius habeatur modus
praeter testamentum.

12. Responso accepto, Ordinarius quid agendum sit facile comperiet.
Nam si quae sint communitates, quibus ius a potestate civili tributum fue-
rit possidendi, et ad successores transmittendi bona omnia, vel aliquam
eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem suam exercendi ad eorum
conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona
per societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel
quatuor communitatis membris, ita ut omnes socii ius illud possideant natu-
ralis suae vitae tempore, sed, quocumque ex illis mortuo, ius apud supersti-
tes socios remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis
potestate alienandi suae vitae tempore, vel per testamentum relinquendi
bona praedicta post mortem: tunc id tantummodo ab Episcopo curandum
erit, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex communitatis membris in socie-
tatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti remaneat via transmit-
tendi bona ad successores, praecipiat Episcopus superioribus, vel illi,
qui suo proprio nomine communitatis bona possidere tunc poterit, ut
statim testamentum iuxta leges civiles, duplici exemplari aeque authen-
tico perficiat, ex quibus unum in communitatis scriniis diligenter asser-
vetur, alterum vero ad Episcopum dioecesanum in archivio asservandum
mittatur.

13. Ad communitates autem, quarum bona ab Episcopo possidentur,
de hoc decreto nulla erit scribendi necessitas, quum per testamentum Epi-
scopi, satis bonorum illorum securitati prospiciatur.

14. De Superioribus decreto huic minime obsequentibus, post unam vel

alteram monitionem, Episcopi ad S. Congregationem scribent, quo mala, quae inde sequi possent, opportuno remedio praecaveantur.

Haec sunt, quae de bonis, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, ad Ecclesiam sive iam pertinentibus, sive in posterum spectaturis, tuto servandis, S. Congregatio statuenda esse iudicavit.

Facta vero SSmo Domino Nostro Gregorio PP. XVI rei totius relatione per R. P. D. Ignatium Cadolinium Archiepiscopum Edessenum S. Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, quae superius praescripta sunt, in omnibus confirmavit, et exequenda esse iussit. [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 916].

4787.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Archiep. Hiberniae), 16 ian. 1841.

Quantam negotii gravitatem afferret excitata in Hibernia controversia de recenti nationali, ut vocant, erudiendae iuventutis systemate, exploratum adeo A. Tuae est, ut mirum tibi esse non debuerit S. Congregationis de Propaganda Fide responsum de ea re tamdiu fuisse dilatum. Plenam enim totius rei A. Tua habet notitiam, penitusque cognita Tibi sunt gravia omnium rationum momenta, quae controversiae illius excitandae occasionem attulerunt, quaeque diuturnam prorsus rei deliberationem postularunt. Nam S. Congregationem magnopere sollicitam habere debuerunt, cum diu multumque pro sui instituti munere quaestionem propositam consideraret, catholicae religionis tutela, puerilis aetatis instituendae commoditas, grati animi officium erga Britannici Imperii senatum, qui magnae pecuniae summam popularibus Hiberniae scholis decrevit, concordiae inter Episcopos catholicos retinendae necessitas, quietis publicae fovendae debitum, metus

[1] In Concilio Plenario II Baltimorensi (an. 1866) Tit. IV, n. 191 heec habentur: «Huius decreti S. C. intuitu, quinti Concilii Baltimorensis Patres (Decreta Concilii Provincialis V. Baltim. confirmata fuere a S. C. de Prop. Fide decreto 30 sept. 1843) ita declararunt: *Perpenso decreto S. Congregationis de bonis temporalibus Ecclesiae, Patres animum maxime propensum ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum locorumque adiuncta gravia afferri incommoda decreti executioni; singulorum tamen Episcoporum conscientiam onerandam esse ut testamento vel alio instrumento consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quae penes se sunt; quorum testamentorum duplicatum exemplar apud Archiepiscopum deponant, Archiepiscopus autem apud seniorem Episcopum, intra tres mentes a sua consecratione; quod si neglexerit Episcopus aliquis, monebit eum officii Archiepiscopus, eumque diu cessantem ad S. C. deferet. Idcirco orant PP. ut S. Sedes dignetur decreti rigorem hac ratione mitigare*».

Concilium autem Plenarium III (an. 1884) haec habet in Tit. IX, Cap. II: «Summorum Pontificum ac Praedecessorum nostrorum cura de bonis externis Ecclesiae hac in regione secure firmiterque servandis quanta fuerit, ex actis et decretis Conciliorum nostrorum tam provincialium quam plenariorum apertum est. Nec minori nos sollicitudine bonorum illorum securitati providere intenti, Episcopos iterum iterumque monemus oneratam esse suam conscientiam, ut testamento vel alio legali documento, prout, spectatis locorum adiunctis vel legum in suo Statu vigentium indole, melius videtur, securae bonorum ecclesiasticorum quae penes se sunt ad successores transmissioni consulant».

denique, ne ad heterodoxos forte magistros pecunia tota et auctoritas devolvatur.

Omnibus ergo rei periculis, et utilitatibus accurate perpensis, auditis partium disceptantium rationibus, habitaque praesertim felici notitia, quod per decennium, ex quo id systema studiorum susceptum fuit, religio catholica nihil detrimenti passa videatur, S. Congregatio, SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI probante, censuit, nullum esse definite iudicium hac super re proferendum, atque id genus eruditionis in Episcoporum singulorum prudenti arbitrio et religiosa conscientia esse relinquendum; quandoquidem eius successum a vigili Pastorum cura, a cautelis variis adhibendis, a futura demum per temporis tractum experientia pendere necesse est. Ne tamen sine idoneis consiliis ac providentiis tanta res dimittatur, Sacra Congregatio sequentia interim monenda esse indicavit, scilicet: 1. Libros omnes, qui noxium aliquid sive adversus Sacrorum Bibliorum Canonem aut puritatem, sive contra Catholicae Ecclesiae doctrinam vel mores continent, a scholis removeri debere. Hoc autem eo facilius effici potest, quia nulla memorati systematis lex obstat. – 2. Dandam esse pro viribus operam, ut praeceptor normalis paedagogorum catholicorum in classe religiosa morali et historica vel catholicus vel nullus sit: nam catholicum ab acatholico religionis tradendae methodum vel religiosam historiam doceri indecorum est. – 3. Tutius multo esse, ut literarum tantummodo humanarum magisterium fiat in scholis *promiscuis*, quam ut fundamentales, uti aiunt, et communes religionis christianae articuli restricte tradantur, reservata singulis sectis peculiari seorsum eruditione. Ita enim cum pueris agere periculosum valde videtur. – 4. Generatim Episcopos et Parochos advigilare oportere, ne ex hoc systemate Nationalis Institutionis pueris catholicis quamlibet ob causam labes obveniat, eorumdem etiam esse enixe curare, ut a Supremis Moderatoribus meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores impetrent. Illud quoque perutile fore censet S. Congregatio, si loca ipsa scholarum in Episcoporum vel Parochorum potestate ac proprio iure maneant. Existimat simul permagnae futurum esse utilitatis, Episcopos de tam gravi negotio in provincialibus synodis invicem saepe conferre. Si autem quid adversum accidet, Sedes Apostolica certior facienda sedulo est, ut ipsa simul provideat.

Denique optat S. Congregatio, ut deinceps Episcopi aliique viri ecclesiastici abstineant a contendendo super hac controversia in publicis ephemeridibus vel eiusmodi aliis libellis, ne religionis honor, mutua fama, et christiana caritas cum populi offensione laedatur.

Haec A. Tuae S. Congregationis nomine erant significanda, ut per Te RR. PP. Episcopis Metropolitanae Provinciae Tuae Suffraganeis communicentur. Quae vero superius significavi talia esse A. Tua quoque facile intelliget, ut iisdem diligenter servatis ista in re tantae gravitatis, interea religionis satis tranquillitati ac iuvenilis aetatis bono consultum esse concludendum sit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 472].

4788.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Chan-si), 5 iul. 1841.

Se accordare ai missionari la facoltà di usare gli oli santi vecchi, ritardando i nuovi.

R. Affirmative iuxta mentem, quae est ut hac facultate utantur ipsa die Sabbati Sancti, quin unius mensis spatio olea praestolentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 924].

4789.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin. Occident.), 21 iul. 1841.

1. Quid de christianis vel sacerdotibus, propter fidem non solum ad carceres perpetuos vel temporales damnatis, sed ad mortem laqueo vel gladio subeundam? Potestne illis deferri SS. Sacramentum pridie, vel ipso die eorum executionis? Et tunc debet illis administrari tamquam Viaticum moribundis, vel tamquam Communio ordinaria benevalentibus?

2. Quid de christianis ad carcerem vel etiam ad mortem damnatis non propter fidem sed ob crimina vera, vel illis iniuste imputata (quod non raro)? Potestne illis attritis et sacramentaliter absolutis deferri SS. Eucharistiae Sacramentum, maxime si illud petant?

3. An permitti potest in hoc persecutionis tempore ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur SS. Euchar. Sacramentum occulte, possint illud suis manibus accipere et sese occulte communicare, ne sacerdos illos more ordinario communicans a persecutoribus agnoscatur et prehendatur; vel satiusne est in illo casu ab illis confessoribus communicandis abstinere, maximo cum illorum animae detrimento?

R. Ad 1. Affirmative, et per modum Viatici.

Ad 2. Affirmative, et ad mentem, quae est ut Vicarius Ap. quam maxime curet ut damnati ad mortem coelesti pane reficiantur.

Ad 3. Affirmative quoad primam partem, dummodo nullo irreverentiae aut conculcationis periculo tantum Sacramentum exponatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 928].

4790.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. – Tunkin. Occident.), 21 iul. 1841.

Titia infidelis a suo marito infideli repudiata, et postea christiana facta, Paulo christiano nubere vult. Sacerdos illi praecipit interpellationem de iure suo marito infideli facere; sed illa sic tantum illum interpellavit: *Visne ut ad te redeam?* seu *visne me iterum ut tuam uxorem habere et recipere?* Cui ille:

Non, i quo volueris. Statim Titia rediit ut cum Paulo nubat. Quaero an illud licite et valide possit sine nova interpellatione, et sine ulla ab ea dispensatione: an interpellatio a Titia facta modo supra relato valida et sufficiens sit ad matrimonium valide et licite contrahendum cum christiano.

R. Attentis locorum et temporum circumstantiis, non esse inquietandos, et rem arbitrio et prudentiae Vicarii Ap. remitti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 929].

4791.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 21 iul. 1841.

1. Benedictio nuptialis quae est in Rituali prohibeturne dari tempore vetito? An vero hoc tempore prohibetur tantum benedictio quae est in Missali?

2. In quantum affirmative ad primam partem praefati dubii, an saltem cum permissu Vicarii Ap. licite possit dari tempore vetito benedictio Ritualis tam iam matrimonio iunctis quam iungi intendentibus? In quantum autem affirmative ad secundam partem primi dubii, an Vicarius Ap. permittere possit ut, eodem tempore vetito, illa Missalis benedictio detur, saltem iam matrimonio iunctis in absentia sacerdotis et absque illa benedictione? Quod si negative ad duplicem partem huius secundi dubii, humiliter postulo hanc facultatem.

3. Benedictio quae est in Missali potestne dari illis qui sine illa benedictione iam matrimonio iuncti sunt in primis nuptiis, quando mulier iam gravida est, vel iam filios peperit? Item iis qui hic et nunc de praesenti matrimonium contrahunt in primis nuptiis, quando sponsa cognoscitur gravida, vel iam ante matrimonium filios ex fornicatione genuit?

4. Quando datur benedictio nuptialis iis qui iam valide matrimonio iuncti sunt, debetne recitari formula: *Ego vos in matrimonium coniungo*, sine renovatione consensus? Quid quando dubitatur (ut saepissime) an iam valide contraxerint necne?

5. Estne necessarium ut qui iam valide matrimonio iuncti sunt, sint ambo in statu gratiae, ut licite possint recipere benedictionem nuptialem, sive quae in Rituali, sive quae in Missali est, et quam petunt non ad validitatem eorum matrimonii, sed tantum ne Sacramenti dignitas vilescat, et ut fructus spirituales ex hac benedictione recipiant? In praefato casu sacerdos potestne et debetne illos adhortari ut sese praesentent ad benedictionem nuptialem recipiendam? Quid, si una pars est absolutionis capax, altera non?

R. Ad 1. Negative ad primam partem, dummodo non adsit consuetudo non contrahendi matrimonium, etiam sine solemnitate, tempore vetito; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, quatenus adsit supradicta consuetudo; negative ad secundam, sed supplicandum SSmo pro facultate. Quam

benigne concessit ad formam concessionis pro Vicario Apostolico Sutchuensi anno 1796.[1]

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Ad primam partem: Detur Instructio anni 1806.[2] Ad secundam partem, consulat probatos auctores.

Ad 5. Ad primam partem, convenit; ad secundam, provisum in prima.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 932].

4792.

S. C. de Prop. Fide, decr. 29 iul. 1841.

Cum fieri quandoque possit, ac factum revera aliquando sit, ut in remotissimis Missionum Sinarum, ac finitimorum regnorum regionibus Praesule episcopali charactere insignito, cui unaquaeque illarum credita est, vita functo, vel successor iam designatus nondum sit consecratus Episcopus, vel haud tam cito alter Antistes viduatae Missioni praefici queat: S. Congregatio de Propaganda Fide in Particulari Conventu super negotiis Missionum earumdem habito die 21 iulii anno 1841, ut spiritualibus fidelium necessitatibus in memorato casu provideatur, censuit, ac decrevit supplicandum Sanctissimo, qui dignaretur pro antedictis Missionibus concedere ut, Sede vacante, Superior interinus vel Vicarius Generalis, cui iuxta Constitutionem sa. me. Benedicti XIV, *Ex sublimi* etc.[3] ecclesiastica iurisdictio devoluta est, vel electus Vicarius Apostolicus nondum consecratus, Confirmationis Sacramentum administrare eamdemque facultatem uni vel alteri ex sacerdotibus vacantis Vicariatus aut Dioecesis subdelegare possint.

Hanc autem S. C. sententiam SSmo D. N. Gregorio PP. XVI... relatam die 26 mensis et anni, ut supra, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, petitamque facultatem indulsit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 933].

4793.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 10 aug. 1841.

Utrum Indulgentia plenaria in articulo mortis concedi possit damnatis ad mortem, dum ad illam subeundam ducuntur, vel eadem die qua eam subituri sunt?

R. Affirmative, cum fieri poterit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 934].

[1] Cf. N. 4649.
[2] Cf. N. 4683.
[3] Cf. N. 423.

4794.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Coreae), 11 sept. 1841.

De Baptismo, ex omissione pronominis *te* in eius collatione, quod ex Coreanorum ignorantia saepe contigisse refers, *invalidum* fuisse Sacramentum, perspicua res est, ideoque renovandum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 526].

4795.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Coreae), 11 sept. 1841.

Circa praxim ab Amplitudine tua statutam quoad parvulorum Baptisma *intra decem dies ad summum, per sacerdotes, si detur opportunitas, vel per catechistam non vero per aliam personam, excepto casu necessitatis, conferendum,* EE. PP. standum omnino existimarunt Synodi Sutchuensis praescriptionibus.

Ex Synodo Sutchuensi: « Praeterea, cum in hisce regionibus vigeat consuetudo minime tuta ut parentes recens natos infantes in eodem lecto secum deponant, aliunde vero missionarii districtus suos nonnisi semel in anno perlustrare valeant: ne periculum subsit infantibus intereundi sine Baptismate, uti iam non semel accidit, in singulis christianitatibus specialiter edoceantur viri idonei atque mulieres, in primis vero catechista, qui pueros recenter natos, etiamsi non infirmos, baptizent, supplente dein presbytero, cum adventaverit, Baptismatis caeremonias: moneanturque parentes ut, quam primum commode fieri poterit, eos aqua salutari ablui procurent. Prudens valde est ut intra triduum abluantur; ne autem sacramentum tam necessarium diu nimis protrahatur cum periculo salutis, praefinimus octo dies ab infantis nativitate, mandamusque ut ultra hunc terminum non differatur ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 939].

4796.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Coreae), 11 sept. 1841.

De Confirmatione a presbytero ex Apostolico indulto collata, quamvis ut narras, omissa quandoque fuerit monitio de ministro huiusce Sacramenti, et de facultate extraordinaria presbytero administranti elargita, iuxta Instructionem S. C.,[1] nihilominus validum fuit Sacramentum. Moneas tamen missionarios ceteroquin oportet servandam omnino esse Instructionem de qua sermo.

[1] Cf. N. 4565.

His porro quae addebas, nempe quoad participationem sacrificiis et idolothytis, vel quoad cibos idolis oblatos et a paganis divitibus pagi fidelibus pauperibus distributos, Emi PP. ad rem esse duxerunt responsiones datas a Suprema Inquisitione anno 1768, 15 decembris, [1] quibusdam quaestionibus operariorum in Sinis, nec non ab ipsa hac S. C. die 16 ianuarii anni 1797 [2] peculiari dubio a Vicario Ap. Sutchuensi proposito quas responsiones adiicimus.

Circa vero facultatem celebrandi Missam tecto capite, ob allatas rationes, ea iuxta Breve Pauli V, [3] et Alexandri VII Indultum uti etiam poteris, non obstante praedecessoris tui prohibitione. Privilegium enim hoc ab Apostolica Sede Vicariis Ap. eorumque operariis concessum est, ac viget adhuc, eo quod nondum ab eadem S. Sede aliter declaratum fuit, uti in eodem Indulto legitur. Quod si abusus in hoc irrepserint aliqui, nec ea, quae a Paulo V praescripta sunt, rite serventur, rem S. Congregationi referes, ut provideatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 940].

4797.

S. C. de Prop. Fide (Siam), 11 sept. 1841.

An sit approbanda et retinenda consuetudo, quae viget in Bankok, non dandi Communionem Paschalem in Feria V *in Coena Domini.*

R. Probe consideranti perspicuum erit, abusum potius quam consuetudinem appellari posse, quem propterea omnino tollendum EE. Patres Vicario Ap. commendant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 941].

4798.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Patriarch. Orient.), 13 aug. 1842.

La S. C. viene a conoscere che facilmente si pratica nell'oriente la celebrazione della Messa nelle case private, e che quindi questa sacrosanta azione non ottiene sempre il dovuto rispetto, mentre il luogo per essa destinato serve pure a domestici e profani usi, e bene spesso rimane esposto alle irriverenze degl'infedeli. La mancanza di chiese in cui si trovano alcuni paesi e villaggi, come pure altre circostanze locali, possono aver influito a far nascere siffatto abuso. In ogni modo si crede necessario di eccitare lo zelo de' Superiori ecclesiastici onde si adoperino con tutto l'impegno per estirparlo, e adempiano per tal guisa l'obbligo strettissimo che loro incombe di zelare il decoro della casa del Signore, e del culto divino.

[1] Cf. N. 821.
[2] Cf. N. 4655.
[3] Cf. N. 4485.

Conviene quindi che V. S. faccia conoscere che non è assolutamente lecito nè ai sacerdoti d'offerire ovunque lor piaccia il divin Sacrificio: e molto meno ai laici l'esigere a lor piacimento tale celebrazione nelle proprie case. Potrà ricordare che fin dai primi tempi della Chiesa vennero dagli Apostoli, e dai sacri pastori destinati alcuni determinati luoghi per sì augusta ceremonia, che in conseguenza per regola ordinaria non potevasi fuori di essi eseguire. Analogamente a quest'uso, che inviolabile per tutti i secoli si mantenne nella Chiesa, furono in vari tempi pubblicati de' canoni per impedire la celebrazione della Messa nelle case private, e notissimo è divenuto in proposito tanto nella Chiesa orientale, che nella occidentale, il canone 58 del Concilio Laodiceno. Tanto bastar dovrebbe onde quelli, che si gloriano di essere figli della Chiesa, si uniformassero con pronta sommessione a quanto Essa co' suoi usi, e con le leggi ha stabilito: nondimeno potrà V. S. insinuare i motivi che hanno reclamata tale disposizione. Così difatti esigeva il rispetto e il decoro dovuto alla santità de' nostri misteri, cui facilmente mancar si potrebbe se fosse lecito ovunque offrirli. Celebrandosi inoltre ne' privati domicili, viene spesso il popolo defraudato di un numero di Messe proporzionato al bisogno, e per ciò appunto più facilmente viene da molti trasgredito il precetto della Messa festiva. Faccia pure rilevare i vantaggi, che si ottengono dal concorrere tutti insieme alla chiesa pel buon esempio; per l'opportunità che ivi si offre di sentire le istruzioni, e per la tanto raccomandata comune preghiera che ivi si pratica.

Per eliminare più facilmente cotal abuso sarà cura di V. S. e degli altri Vescovi onde ne luoghi, che privi sieno di chiese, vengano deputati degli oratorii, che servono invece di chiese, ove soltanto sia lecito l'offerire il divin Sacrificio. Dovrà poi invigilare che in tali oratorii, e ovunque con la dovuta autorizzazione, secondo le regole ecclesiastiche, si offrissero i divini misteri, non si pratichi altra azione profana; sieno detti luoghi segregati da tutti gli usi domestici, e situati in guisa che rimosso venga ogni pericolo d'irriverenza e profanazione.

V. S. potrà più facilmente estirpare qualunque abuso sia invalso in questa materia, adoperandosi per ravvivare sempre più nel popolo la fede della reale presenza di Cristo nella sacra Eucaristia, e con eccitar nel medesimo la più fervida divozione verso questo pegno della sua carità lasciato alla S. Chiesa.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 952].

4799.

S. C. de Prop. Fide, litt. 17 sept. 1842.

Il transito da uno ad altro rito succede in modo stabile; e trattandosi specialmente di cambiare un rito orientale nel latino, come è necessaria la dispensa Apostolica per passare dal primo al secondo, così è indispensabile per ritornare dal secondo al primo. Il passaggio al rito latino, che si concede a quelli di altro rito, i quali professar vogliono negli Ordini Religiosi

della Chiesa Occidentale, sebbene diasi a riguardo di tale loro volontà, succede pur esso *assolutamente*, onde suole apporsi la clausola, *secluso penitus regressu ad ritum orientalem*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 2008].

4800.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Patriarch: Graeco-Melchit.), 31 mart. 1843.

È massima ritenuta dalla S. Sede ed insinuata in varie Apostoliche Costituzioni, che il precario e transitorio esercizio del rito latino non sia sufficiente a costituire un legittimo e regolare passaggio al medesimo.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 2011].

4801.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Sutchuen.), 21 sept. 1843.

Senes valde debiles, et infirmi ethica febri vel simili morbo laborantes, qui praesumuntur morituri antequam praesentem habere possint missionarium, quasi in extremo morbo ungi possunt, ut rescripsit S. C. anno 1801.[2] Saepius vero in fidelium conventu, suscepto Viatico, et Missa finita, hic ungi solent huiusmodi senes et infirmi, nec non alii quidam periculosius aegrotantes. Quando autem pro renum unctione peragenda in viris laxantur et elevantur vestes, statim multi, maxime mulieres, rubore suffunduntur, et velociter aufugiunt propter gentis mores. Si igitur S. Congregationi probatum fuerit, dignetur, obsecro, a SS. D. N. obtinere ut renum unctio omittatur non solum quando infirmus commode moveri non potest, sicut vult Rituale Rom., sed etiam quando Extrema Unctio administratur in coetu fidelium.

R. Affirmative, facto verbo cum SSmo. — SSmus adprobavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 968].

4802.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Pekin.), 21 sept. 1843.

1. Fuerunt olim sacerdotes qui post primam uxorem, etiamsi secunda vel tertia vice nupserint (fideles), nec benedictionem et consensum, ut invenitur in Rituali, ab illis postulabant, pessime intelligendo Rituale Romanum, cum illa benedictio de qua loquitur Rituale Rom. secundis nuptiis non

[1] Cf. N. 4757.
[2] Cf. N. 4662.

impertiendam, solum habet locum in sponsa non virgine, et solum intelligitur illa benedictio quae est in Missali.

2. In his locis non est consuetudo ut celebrentur Missae *pro sponso et sponsa*. Ut hae celebrentur laudabile et praeoptandum; sed ego semper (hoc) habuit ut consilium et desiderium S. Ecclesiae, non autem praeceptum; quid mihi agendum est?

R. Ad 1. Benedictionem, quae viduis conferenda prohibetur, esse illam quae habetur in Missali Romano.

Ad 2. Nisi gravis et rationabilis adsit causa, celebrandam esse Missam *pro sponso et sponsa;* et quoad applicationem detur decretum anni 1837.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 971].

4803.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 23 sept. 1843.

Si unus tantum (ex sponsis), vir scilicet aut mulier implicetur superstitionibus, sacerdos poteritne illis dare benedictionem nuptialem in favore partis bene paratae? in contrahendo scilicet, ne (haec) damnum patiatur propter peccatum suae compartis: aut saltem in contracto (matrimonio), quia tunc non adest periculum profanandi sacramentum: reciperent tantum uberiorem gratiam.

R. Iam provisum per responsionem anni 1841.[2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 974].

4804.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 27 sept 1843.

Se ai Vicari Apostolici corra obbligo di dare ogni quinquennio la piena relazione del Vicariato, ed ogni anno ragguagliare la S. C. degli avvenimenti e cose più notabili.

R. Affirmative iuxta decretum diei 20 septembr. anni 1741.[3]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 975].

4805.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 27 sept. 1843.

1. An in facultate celebrandi Missam de *Requiem* feriis secundis non impeditis *officio novem lectionum*, per huiusmodi officium intelligatur officium duplex aut etiam officium semiduplex.

[1] Cf. N. 4764.
[2] Cf. N. 4791.
[3] Cf. N. 4512.

2. An per facultatem liberandi per celebrationem Missae de *Requiem* animam a purgatorii poenis intelligatur liberatio totalis, vel solum indulgentia plenaria.

3. An sacerdos celebrans Missam de *Requiem* in feria secunda non impedita possit vi facultatis obtentae liberare animam secundum suam intentionem, et vi privilegii altaris aliis animabus indulgentiam applicare.

R. Ad 1. Intelligitur officium duplex; officium vero semiduplex nonnisi in diebus quibus, iuxta rubricas, Missae defunctorum celebrari non possunt. Verumtamen iuxta declarationes Alexandri VII, 22 ianuarii 1667,[1] Clementis IX, 25 septembris 1669, et Ven. Innocentii XI, 4 maii 1688, tum in duplicibus tum in semiduplicibus in quibus Missae de *Requiem* prohibitae sunt, per celebrationem Missarum de festo occurrente, animabus in purgatorio detentis suffragari potest iisdem Indulgentiis perinde ac si essent celebratae Missae de *Requiem* ad formam privilegiorum.

Ad 2. Ecclesia per altare privilegiatum intelligit, per Missam celebratam ad praedictum altare, vel ab eo qui eodem privilegio personaliter fruatur, pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, animam ipsam de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequi, ita ut, D. N. Iesu Christi suffragantibus meritis, a purgatorii poenis liberetur.

Ad 3. Negative quia est idem privilegium.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 976].

4806.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin. - Tunkin. Occident.), 27 sept. 1843.

Licetne confessario coniuges hortari ad benedictionem nuptialem recipiendam, cum cognoscat in sacro tribunali eos copulam cum affectu maritali habuisse, secluso tamen periculo profanationis Sacramenti?

R. Respondeatur cum instructione qua dicatur matrimonium christianorum in iis locis in quibus promulgatum non est decretum Concilii Trid. (Cap. 1, Sess. 24, *de ref. matr.*) per legitimum viri et mulieris consensum perfici; ac propterea ubi constet de legitimo consensu, nullumque obstet canonicum impedimentum, posse confessarium, prout in casu, exhortari coniuges ut recipiant nuptialem benedictionem.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 980].

[1] S. R. C., Decreta Authentica, n. 1343.

4807.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Cochinchin.), 23 mart. 1844.

Facultatem extraordinariam conferendi Sacramentum Confirmationis, licet europaeis Presbyteris opportunius sit delegare, haud vetitum tamen indigenis quoque Sacerdotibus, quoties opus fuerit, eam communicare.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 672].

4808.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Leao-tong), 23 mart. 1844.

Quaerebas an christiani possent recipere panes, quos, in novo anno vel sacrificiis, pagani velut amicitiae causa eis distribuunt, scientes oblatos diabolo fuisse: an manducare possent, ac denique an munera muneribus rependere. Hisce omnibus consonam esse perspicies responsionem Supremae Inquisitionis ad similia dubia, anno 1768 exhibita datam,[1] quae sic habet: *Licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus aut venerationis idoli, ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.* Idem rescriptum fuit a S. C. de Prop. Fide anno 1797 Vic. Ap. Sutchuensi, nimirum, secundum ea quae proposita fuerant, *tolerari posse, secluso scandalo, et ne concitaretur aliqua persecutio.*[2]

Alterum (dubium) *oppignerationis* nuncupatum contractum respiciebat. Quamvis contractus huius generis alias vetitus ac illicitus declaratus a S. Sede fuerit, ex noviter tamen ab Amplitudine Tua deductis, Emi Patres rescribendum duxerunt: *Ea de causa christifideles non esse inquietandos, dummodo in casibus particularibus inter datum et acceptum servetur aequitas naturalis.* Data porro occasione, condoceas fideles oportet, S. Sedem alias prohibuisse, seu illicitum declarasse contractum *oppignerationis* nuncupatum, anno 1779 expositum (quae prohibitio in Synodum Sutchuensem relata fuit), prout S. Sedi exhibitus fuerat, qui in substantialibus circumstantiis erat omnino diversus.

Quoad iuramenti autem repetitionem, de qua item quaerebas, a missionariis praestandi, scias opus est nihil innovatum fuisse ab iis quae in Constitutionibus Clementis XI[3] ac Benedicti XIV[4] praecipiuntur, ita ut ii teneantur iuramentum emittere in manibus Vicarii sui Apostolici, vel ab eo delegati, antequam exercitium aggrediantur missionis, etiamsi in manibus

[1] Cf. N. 821.
[2] Cf. N. 4655.
[3] Cf. N. 275.
[4] Cf. N. 329.

Superiorum suae Religionis, si Regulares fuerint, vel Romae Emi Praefecti, vel alibi alterius Vicarii Ap. aut Episcopi illud praestiterint. Quod si in eorum adventu Vicarium vel delegatum adire prohibeantur, quantocius valeant, ad eum sese conferre debent, ac iuramentum praestare, vel ei iuramenti praestiti in manibus alterius Missionis Superioris testimonium exhibere. Ad Vicarios tamen Apostolicos quod attinet, semel emisisse satis est.

Petebas quarto, ad facilius catholicam fidem inter tartaros inducendam, an possent missionarii induere vestes a sacerdotibus *Lama* adhibitas, vel saltem tondere more illorum caput suum, seu penitus radere. — Alias etiam quaestio haec ad examen revocata fuit, exhibita a prioribus Vicariis, quibus anno 1685 S. C. negative rescripsit, etiam quoad habitus colorem,[1] a qua responsione recedi non posse consuerunt Emi PP., ac, prout quaestio etiam nunc proponitur, *non licere* dixerunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 988].

4809.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin. Occident.), 23 mart. 1844.

Petebas an de statu missionis ratio reddenda esset singulis annis, iuxta decretum anni 1838,[2] vel quovis quinquennio... Ad minuendum iisdem Praesulibus onus, decreverunt (Eminentissimi PP.) quovis quinquennio tantum plenam accuratamque, iuxta formulam typis editam, relationem esse mittendam, nec aliam requiri ab eorum Coadiutoribus. Monent nihilominus Vicarios Ap. ut singulis annis notulam conversorum, baptizatorum et annuae sacramentorum administrationis catalogum, una cum aliis notatu dignioribus, quae intra id temporis forte evenerint, S. Congregationi praebere non omittant. His porro addendum quod, postulante altero ex Vic. Ap. decernendum duxerunt visitationem nempe ad Sacra Limina, ad quam peragendum quovis decennio tenerentur, per procuratorem ab ipsa S. C., petentibus iisdem Vicariis, designandum, esse perficiendam; quum iis nec, S. Sede inconsulta, liceat, nec omnino expediat, ubi creditas Missiones, in iis praecipue quibus versantur adiunctis, relinquere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 989].

[1] Anno 1685 Vicarius Ap. Siamen. petiit ut missionarii possent « uti veste talapoinorum, qui apud illas gentes in religiosorum, seu sacerdotum numero habentur; vel saltem illius colorem assumere ». Et S. C. de Prop. Fide (20 martii) respondit: *Negative, etiam quoad colorem.*

[2] Cf. N. 4776.

4810.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Capit. Dyrrachien.), 8 iun. 1844.

Quanto al dire la Messa bassa in luogo della cantata, quando chi dà l'elemosina, intende voler la cantata, è ben chiaro, che con dir la Messa bassa non si adempie all'intenzione dell'oblatore, e che quindi non è lecito prendere l'elemosina con quella condizione cui non s'intende di adempiere. Potrà peraltro V. S. o chiunque altro de' Sacerdoti cantare la Messa coll'assistenza di un solo chierico, come suol farsi anche qui, verificandosi così che la Messa è cantata.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 883].

4811.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Capit. Dyrrachien.), 29 aug. 1844.

Intorno alla pratica adottatasi per l'addietro d'impiegare l'elemosine di Messe offerte dai turchi per apprestare ai medesimi una refezione, egli è chiaro non essere ciò lecito dovendosi dal Sacerdote sotto grave obbligazione l'applicazione della Messa alla persona, da cui riceve l'elemosina, per acquistar questa un vero diritto al frutto del Sagrifizio secondo la misura della sua capacità.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 884].

4812.

S. C. de Prop. Fide (Yunnan.), 1 iun. 1845.

Cum christianitates sui Vicariatus multos iam per annos a solis indigenis visitatae fuerint missionariis, qui forsan omnia et singula dirimentia matrimonium impedimenta non callebant sufficienter, ex quo potuit evenire ut nonnulli fideles invalidum sic contraxerint matrimonium, etiam bona fide, S. V. etiam atque etiam rogat orator Episcopus ut talia matrimonia invalide contracta sanare *in radice* dignetur, seu ea sanata esse *in radice* declarare non gravetur.

R. Mature perpensis expositis, SSmus matrimonia de quibus in supplici libello agitur, ex plenitudine apostolicae potestatis *in radice* benigne sanavit. Mandat tamen Sanctitas Sua ut huius gratiae pontificiae mentionem facere debeat Episcopus orator in secretorum matrimoniorum libro.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 995].

4813.

S. C. de Prop. Fide, 8 iun. 1845.

Cum ea sit Ecclesiae consuetudo, ut quae a Summo Pontifice approbantur et instituuntur piae sodalitates sive SS. Cordis Iesu, sive SS. Sacramenti, sive SS. Rosarii B. M. V. aliaeque, suam habeant capellam propriam in ecclesiis in quibus instituuntur, et in pluribus orientis Missionibus non sint ecclesiae nec oratoria communia, sed in domibus privatis omnia fiant exercitia religionis: hinc Episcopi et Vicarii Apostolici illarum regionum, quibus a Summo Pontifice conceditur facultas erigendi huiusmodi confraternitates, missionariis et sacerdotibus indigenis facultatem communicant in iis confraternitatibus, quas instituunt, admittendi fideles qui iis confraternitatibus nomen dare volunt, et eorum nomina inscribendi in catalogo quem secum deferunt. Sed haud raro contingit ut huiusmodi catalogi in satellitum manus cum sacerdotum supellectilibus sacris decidant ac deperdantur. Memorati Antistites existimant Summum Pontificem, cui nota est conditio Vicariorum Apostolicorum in imperio Sinarum, aliisque regionibus, ubi non sunt ecclesiae nec oratoria communia, eo ipso quo ipsis impertitur facultatem aliquam erigendi piam sodalitatem, eos eximere ab obligatione piae illi sodalitati peculiarem assignandi capellam, nec non ab onere servandi catalogum eorum qui ei adscribi volunt. Si autem ea non fuerit hactenus mens Summorum Pontificum, qui Vicariis Apostolicis praedictarum Missionum facultatem elargiti sunt pias quasdam instituendi sodalitates, timent ne nullum sortitae sint effectum erectiones sodalitatum antea factae, haud servatis illis conditionibus, et idcirco suppliciter petunt:

1. Ut S. V. auctoritate apostolica, convalidare dignetur sodalitatum erectiones, quae ob ecclesiae vel altaris proprii defectum nullae sunt.
2. Ut Vicariis Apostolicis et missionariis sacerdotibusve ab eis delegatis ad tales erigendas confraternitates, facultatem tribuere dignetur eas instituendi sine ea obligatione.
3. Ut eos pariter liberet ab onere servandi catalogum eorum qui iis aggregari volunt.

R. Rebus in supplici libello expositis mature consideratis, habitaque praesertim ratione locorum et peculiarium circumstantiarum, Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus pro gratia iuxta preces.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 996].

4814.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Bengal.), 30 iun. 1845.

Haud probare possumus consilium fideles cogendi, ut in diebus festis Parochi Missae et instructioni interveniant, interdictis aliis ecclesiis aut oratoriis sub reservatione. Quamvis enim persuasum habeamus, quae et

quanta ex frequenti eiusdem salutari verbi Dei pabulo Christi grex ad aeternam vitam perciperet adiumenta, compertum tamen est A. Tuae nunquam id sub praecepto ac peccati vinculo praecipi Apostolicae Sedis mentem fuisse. Hinc est, quod paternis iteratisque monitis potius fidelibus, ut hisce mediis animae suae satius consulant, suadendum existimamus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 199].

4815.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Pondicher.), 26 iul. 1845.

Gravis est abusus, nec tolerabilis, rebaptizandi omnes quos catechistae baptizaverint, propter generale validitatis dubium. Id videlicet repetita romana decreta vetant. Ergo nonnisi post institutum singulorum casuum examen, ad Baptismi conditionalem repetitionem veniendum erit. Baptizatos porro ab hodiernis haereticis, denuo a catholicis baptizari, non est imprudens nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim; non tamen eo nomine quod dubitetur de fidei baptizantium capitibus. Etenim si certo constaret praedictos haereticos legitimam adhibuisse formam, materiam atque intentionem, rebaptizare prorsus non liceret, ut omnes norunt, neque Synodi (pondicheriensis) Patres certe ignoraverunt, qui illis decreti sui verbis nihil aliud fortasse designant, quam hodiernos haereticos, socinianos, methodistas, quakeros, et forte alios, qui, cum Baptismi necessitatem negant, ritum fere contemnunt, idcirco baptizare recte nullo modo creduntur.

Ad dubium liturgicum super adultarum Baptismate mulierum quod attinet, hic servandus ordo: Post secundam nimirum genuflexionem electae, legatur unica oratio *Deus Abraham*, etc. absque exorcismis; post tertiam, sine oratione, quae non adest pro feminis, duo recitentur exorcismi, nempe *Exorcizo te* etc., et *Ergo, maledicte diabole*, etc., qui prioris exorcismi post primam genuflexionem continuatio sunt, ac desinunt per verba *quod nos fronti eius damus*, etc. Post haec autem legatur oratio *Aeternam*, etc., quae utriusque sexus baptizandis fidelibus communis est.

Ut omnes praecidantur ambiguitates, privatisque occurratur sententiis in iis quae requiruntur circa s. m. Benedicti XIV Constitutionem *De ritibus malabaricis*, [1] cunctis primum innotescere voluit S. C. illam definite praeceptivam esse, eiusque observantiam constanter tenendam. Eiusdem capitula, quantum opus est, catechumenis sunt exponenda, ita tamen ut hi obedientiam omnibus generatim spondeant. Ab Apostolico demum Vicario curandum erit ut hac in re et quod ad debitum Constitutionis obsequium una eademque sit omnium operariorum agendi ratio.

Quod attinet ad scholas, optat S. C. ut eae cunctis omnino Indorum classibus pateant (prout multa decreta et adhortationes S. Congregationis

[1] Cf. N. 348.

et Pontificum Maximorum iamdiu mandaverunt), atque ut nulla doctrina tum sacra, tum etiam saecularis iis denegetur. Item optat S. C. ut a missionariorum famulitio, cum fieri poterit, nulla classis christianorum indorum arceatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 999].

4816.

S. C. de Prop. Fide, instr. 23 nov. 1845.

Neminem profecto latere potest quibus curis ac studiis Apostolica Sedes, pro collato sibi divinitus munere, in id assidue intenderit, ut Evangelicae legis lumine latius in dies per omnem terram effuso, iacentes adhuc in tenebris et umbra mortis populi aeternae veritatis gloriam agnoscerent, susceptumque semel vitae verbum firmissime tenerent. Duo enim esse praecipua ac veluti necessaria catholicae Religionis propagandae, et stabiliendae instrumenta, missionem scilicet Episcoporum, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, et sedulam indigenae cleri institutionem, tum alia gravissima, tum praesertim Apostolorum exemplum, ac primitivae Ecclesiae testimonium manifestissime evincunt. Sane, ut ea, ceteroquin notissima, hic praetermittantur, quae Sacrae Litterae, et enucleatius ipsorum Apostolorum epistolae et acta opportune ac abunde in rem habent, audire omnino est S. Clementem Romanum S. Petri discipulum, ac S. Pauli adiutorem et comitem, ita de Apostolis ad Corinthios scribentem ep. 1, cap. 44: *Praedictos* (Episcopos) *constituerunt, ac deinceps futurae successionis hanc tradiderunt regulam, ut, cum illi defecissent, ministerium eorum ac munus alii probati viri exciperent.* Et subsequenti saeculo S. Irenaeus (advers. haereses lib. 3, cap. 3), inquiebat: *Habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos.* Quin ea fuit initio Ecclesiae de amplificando Episcoporum numero, deque iis per diversas regiones magis magisque distribuendis sollicitudo, ut id multo ante aetatem suam factum fere ubique affirmaverit S. Cyprianus his luculentissimis verbis in epistola 52. ad Antonianum: *Iampridem per omnes provincias, et per urbes singulas ordinati sunt Episcopi.* Quamobrem S. Augustinus contra Cresconium lib. 3, 18, commemorat Episcopos ab ipsis Apostolorum sedibus seriem usque in sua tempora perducentes.

Nec minus ex sacris monumentis evidens compertumque est Apostolos, missosque ab eis in ultimas etiam orbis partes Episcopos plures quacumque sacerdotes, et ministros initiasse, atque adeo clerum ex indigenis hominibus ad christianae religionis firmitatem et incrementum instituisse. Hinc S. Ignatius martyr S. Petri discipulus eiusque in Sede Antiochena post Evodium successor constitutus, variis in Ecclesiis una cum Episcopo presbyteros, et diaconos accurate describit: *Studete*, inquit in sua ad Magnesianos epistola n. 13, *ut confirmemini in dogmatibus Domini, et Apostolorum... cum dignissimo Episcopo vestro; et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus diaconis.* Et in alia ad Smyrnenses (n. 12) salutat *Deo dignum Episcopum, et Deo decorum presbyterium, et conservos... diaconos.* Id ipsum de Corinthiorum Ecclesia liquet ex allata superius S. Clementis priore epistola (cap. 40), ubi sic legitur: *Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius praestitutus est; levitis quoque sua ministeria incumbunt.* Denique non praetereundus Eusebius ab Apostolorum aevo licet remotior, cuius apertissimus est qui sequitur locus (*Hist. Eccl.*, lib. 3, cap. 23): *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Ioannes ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integros disponeret, ac formaret, partim etiam ut homines sibi a Divino Spiritu indicatos in clerum quemdam, seu sortem Domini seponeret.*

Iam vero Apostolorum exemplo et vestigiis inhaerentes Romani Pontifices universae Ecclesiae divina auctoritate praepositi, cum semper et ab antiquissimis usque temporibus, tum maxime tribus postremis saeculis per Sacram hanc Congregationem sanctissimo propagandae fidei negotio peculiariter addictam impense curarunt, ut multiplicatis, quo magis fieri posset, Episcopis, erectisque pro locorum opportunitate Ecclesiis, Religionis incolumitati, et commodo consultum iugiter esset. Atque hanc saluberrimam providentiae rationem non modo ad regiones evangelico semine primum faecundatas, sed etiam ad illas ubi per saeculorum intervalla, vel haeretica pravitate, vel ethnica iterum superstitione invalescente, res catholica misere periclitabatur, patere studiosissime voluerunt. Quod si nonnullis in locis ob adversas temporum vices magnique momenti causas titulatos atque ordinarios Episcopos constituere haud licuit, Apostolicos tamen Vicarios episcopali charactere et potestate auctos ad fidelem illic populum regendum mittere non distulerunt, paucisque tantummodo in regionibus ob graviora rerum adiuncta simplices presbyteros catholico gregi praeesse passi sunt, eo certe consilio ac mente ut, cum primum datum esset, perfecta ibidem ecclesiasticae hierarchiae forma instauraretur.

Porro autem Romanos Pontifices pro supremi officii sui sanctitate in id aeque omni ope atque opera incubuisse, ut, qui in diversas terrae partes abibant, earumque Ecclesiis praeficiebantur Episcopi, ii indigenae cleri institutionem vehementissime urgerent, res est, ut cuique perspecta, ita multiplici documentorum genere confirmata. Huc revera spectant omnigena subsidia in Episcopos remotissimarum etiam regionum pluries collata ad seminaria erigenda, ubi pueri indigenae sacris deinceps initiandi, ad pietatem et scientiam informarentur. Huc permulta nationalia collegia eumdem in finem sive Romae, sive alibi ingenti sumptu ac labore instituta, et vel a fundamentis exstructa. Huc peculiares facultates Episcopis et Vicariis Apostolicis extra ordinem tributae; quo scilicet aliquibus praesertim in locis facilior esset indigenarum hominum ad presbyterii honorem et gradum ascensus. Huc demum innumerae fere Romanorum Pontificum epistolae, et constitutiones, itemque tot ac tanta ipsorum auctoritate per Sacram hanc Congregationem edita documenta et decreta, perspicuum procul dubio testimonium Apostolicae de ista re sollicitudinis in aevum extitura.

Perlongum nimis esset pontificias huiusmodi sanctiones singillatim

recensere, vel solummodo etiam, serie a primis Ecclesiae saeculis ad nos
deducta, commemorare. Satis sit nonnullas hic afferre quae ab Sacrae huius
Congregationis origine ad haec usque tempora latae identidem sunt. Itaque
iam inde ab anno 1626, Iaponiae Episcopo mandatum fuerat *ut iaponios,*
quos necessarios et idoneos iudicaret, ad sacros Ordines usque ad presbyteratum
promoveret. At paulo post die nempe 28 novembris anni 1630,[1] generatim
quod ad Indos statutum est *omnino providendum esse, ut qui ex Indis fuerint*
magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem, morumque
eorumdem per aliquot annos probationem, et in pietate, christianaeque Religio-
nis functionibus exercitationem, ad sacros Ordines usque ad sacerdotium inclu-
sive promoveantur.

Anno autem 1659 immortalis memoriae Pontifex Alexander VII moni-
tos per Sacram hanc Congregationem expresse voluit Vicarios Apostolicos
ad Tunquini, Sinarum, et Cochinchinae regna proficientes *potissimam ratio-*
nem Episcopos in illas regiones mittendi, fuisse, ut omnibus modis, atque ratio-
nibus curarent iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur,
et ab eis consecrarentur, ac suis locis per vastas easdem regiones collocarentur,
rem illic christianam summa diligentia iis dirigentibus curaturi: itaque hunc
finem semper ob oculos habere eos iussit, *ut ad sacros Ordines quamplurimos,*
et quam aptissimos adducerent, instituerent, et suo tempore promoverent.[2]

Similia prorsus habent sapientissimi eiusdem Pontificis Constitutiones
Sacrosancti Apostolatus officii, 18 ianuarii 1658,[3] et *Super cathedram,* 9 sep-
tembris 1659, nec non Clementis IX, *In excelsa,* et *Speculatores,* utraque die
13 septembris 1669,[4] atque etiam Clementis X, *Decet Romanum Pontificem,*
23 decembris 1673[5] uno ipsoque sensu indicentes: *eo potissimum fine in*
Sinas, Tunquinum, Cochinchinam, Siamum, et alia vicina regna missos,
ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex christianis indigenis,
seu incolis illarum partium instituerentur clerici, et sacerdotes, ac crescente
fide, fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur.

Praeterea Innocentius XI Litteris Apostolicis in forma Brevis, quarum
initium *Onerosa pastoralis,* circa sinenses Missiones, datis die 1 aprilis 1680,
Apostolicorum Vicariorum numerum augendum mandavit, ut amplissimae
illae regiones recte et fructuose gubernarentur, et singuli eorum *institutioni,*
et ordinationi naturalium sive indigenarum praecipue studerent.

Quid quod Venerabilis hic Pontifex ad indigenae cleri institutionem
memoratis in regnis efficacissime promovendam eo progressus est, ut suis
legatis Heliopolitano ac Berithensi Episcopis inter alia potestatem fecerit
cogendi etiam *Vicarios Apostolicos, poenis a sacris canonibus inflictis, ad in-*
struendos, et ordinandos clericos et sacerdotes naturales sive indigenas, ut
scilicet indigenarum quoque Episcoporum institutioni paulatim via ster-
neretur; quam quidem ipse Pontifex quibusdam in locis iam tum perfici

[1] Cf. N. 4445.
[2] Instr. ad Vic. Ap. Tunquini, et Cochinchinae anno 1659.
[3] Cf. N. 235.
[4] Cf. N. 244; 245.
[5] Bull. Rom., tom. 7, p. 242-248.

praecepit? His deinde eodem plane proposito accesserunt Litterae in forma
Brevis Clementis XI, *Dudum felicis,* 7 decembris 1703, decretum Clemen-
tis XII, 16 aprilis 1736, plures Benedicti XIV Constitutiones, Epistola
encyclica Pii Sexti, 10 maii 1775 ac tandem permulta in hanc rem ipsam
a SSmo D. N. Gregorio XVI, quem Deus diutissime sospitet, per Sacram
hanc Congregationem constituta ac decreta.[1]

Atqui tamen impensis hisce, et numquam intermissis curis eum non
respondisse exitum, quem Apostolica Sedes merito sibi pollicebatur, tri-
stis experientia demonstrat. Silere quidem non licet complures Episcopos,
aut Apostolicos Vicarios omni certe laude dignos in Sinis praecipue et fini-
timis regnis, vel nuper, ut datum ipsis fuit, vel iamdiu etiam in cleri
indigenae institutione assidue uberique cum fructu adlaborare. Atque hinc
sane repetendum, imo potius summopere laetandum, quod illic catho-
lica fides ita alte lateque radices egerit; ut tamquam nativa doctrina
longo licet saeculorum decursu integra vigeat, et immota consistat, nec
diuturnae saevissimaeque ethnicorum persecutiones eam perimere unquam
valuerint.

Verum obversantur una simul menti, et ab extremis terrae finibus sup-
plices veluti manus ad sanctam Petri cathedram protendere videntur miser-
rimi tantarum regionum incolae, quos inter, plantata pridem magnis curis
vinea Domini, agricolarum inopia, ob neglectam nempe indigenae cleri
institutionem, in eo ferme est, ut arescat, aut vix aliquod interdum germen
emittens, nascentis adhuc Ecclesiae conditionem praesefert. Interea illud
Dei miserentis auxilio nostris temporibus feliciter evenisse constat, ut vel
pene sublatae, vel saltem imminutae admodum sint difficultates, quae rei
catholicae firmiori, et magis canonica forma dilatandae alicubi praesertim
obstabant; adeoque ad salutare opus properandum evangelica illa verba
quodammodo impellant: *levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae*
sunt iam ad messem (Ioan., cap. 4, v. 25).

Istiusmodi igitur causae fuerunt cur Sacra haec Congregatio opportunis-
simum duxerit singulos Missionum praesides iterum iterumque hortari, et
monere, ut tantum negotium coniunctis viribus impensius persequantur.
Quare in generalibus comitiis diei 19 maii praesentis anni de Pudicheriani
conventus deliberationibus agens, ut eximium Episcopum Drusiparensem,
aliosque probatissimos praesules in sancto, de quo sermo est, proposito
magis magisque confirmaret, ceteros autem, ubi opus sit, ad lata toties de
hac ipsa re decreta pro suo munere revocaret, per hanc instructionem ad
omnes Archiepiscopos, Episcopos, Vicarios Apostolicos, aliosque Missio-
num praesides mittendam, ea quae sequuntur, statuere omnino, ac mandare
in Domino existimavit.

1. Et primo quidem omnes ac singuli Missionum praesides, quovis
titulo earum regimen gerant, ita rei catholicae promovendae, et firmandae
operam navent, ut ubi adhuc desiderantur Episcopi, praefici quantocius
possint; ubi vero regionum amplitudo postulat aut sinit, ipsorum Episco-

[1] Cf. N. 4752.

porum numerus, territoriis divisis, augeri, Ecclesiaeque ad perfectam hierarchici regiminis formam constitui tandem aliquando queant.

2. Illud insuper aeque studiosissime curent, quod etiam praecipui illorum muneris est, ut ex christianis indigenis, seu incolis earum partium, probati clerici instituantur, ac sacerdotes initientur; quo scilicet crescente fide, fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim invalescat, ac religionis catholicae stabilitati prospiciatur. Huius rei causa maxime proderit, immo necessarium erit, seminaria condere, in quibus adolescentes, qui a Deo ad sacerdotium vocati fuerint, bene diuque educentur, sacrisque doctrinis imbuantur.

3. Ad omnem vero scientiam, ac pietatem levitae indigenae informandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt; ita quidem, ut, quod iamdudum Apostolica Sedes in votis habet, ad ecclesiastica quaevis munia, atque ad ipsum Missionum regimen idonei fiant, et episcopali etiam charactere digni existant. Quae tamen maximi sane momenti res, ut tutior evadat, et non sine religionis emolumento perfici suo tempore possit, qui ad tantum onus designantur, illi ferendo assuescant oportet. Quapropter, quos ex indigenis clericis Missionum praesides praestantiores censuerint, eos gradatim ad potiora implenda munera instituant, ac suos quoque Vicarios pro opportunitate deputare non renuant.

4. Hinc reiiciendus, ac omnino abrogandus erit mos indigenas presbyteros ad cleri tantum auxiliaris conditionem eis merito molestam deprimendi. Quin potius paulatim, et, cum fieri prudenter poterit, ea regula inducenda, ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint, sive europaei, ceteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori Missionis exercitio servetur, atque adeo honores, officia, et gradus illis tribuantur, qui diutius sacro munere perfuncti sint. [1]

5. Ad haec compluribus in locis factum est, ut, neglecta et posthabita indigenae cleri institutione, evangelici iidem operarii laicos catechistas adiutores sibi in ministerio adsciscere consueverint; et forsan eorum operam plerumque fidei dilatationi perutilem experti sint. At cum non satis consentanee Apostolicae Sedis menti, atque ecclesiastici ministerii rationi id egerint, et graves etiam hac in re abusus ex praedictorum catechistarum seu imperitia, seu licentia praevaluisse innotuerit, Sacra haec Congregatio singulis Missionum praesidibus mandare non praetermittit, ut donec eiusmodi laicorum auxilium, ob cleri indigenae defectum, vel paucitatem necessarium fuerit, viros morum integritate, et fide omnino conspicuos ad id muneris eligi ac erudiri rectissime satagant. Ceterum hac etiam de causa omnem per eos operam in cleri indigenae institutionem dari iubet, ut nempe progressu temporis, iuvenes potius levitae, et novus idem clerus catechistarum officia pedetentim occupent, et diligentius impleant.

6. Quia alicubi in Indiarum etiam regionibus christiani ritus orientales, ac praesertim syro-chaldaicus, subsistunt: ideo missionarii, si quando de iis inter catholicos agetur, observent omnino Benedicti XIV P. M. sapientis-

[1] Cf. N. 4845.

simam Constitutionem, quae incipit *Allatae sunt*, editam die 26 iulii anno 1755. [1]

7. Quod in praedicta Constitutione *Sacrosancti Apostolatus Officii* Alexander VII olim monuit Indorum parochos, ut *caverent ullo sese modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem;* quodque pluribus verbis Sacra Congregatio in sua ad Vicarios Apostolicos apud Sinas instructione commendavit; id graviores nunc ob causas monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes, saecularibus atque politicis se negotiis immisceant, studiove partium, atque nationum scindantur: sic enim et ab evangelicis regulis discederent, et propriam vocationem pessundarent, et se fortasse ac religionem in discrimina multa coniicerent.

8. Postremo Sacra eadem Congregatio memoratos Missionum praesides vehementer in Domino hortatur, ut non minori sollicitudine ad alias utiles admodum atque etiam necessarias institutiones animum convertant, sibique subditos operarios ad eas adducant; ne quid nimirum desit, quod ad apostolici ministerii perfectionem, et animarum salutem ubique magis procurandam conferat. Eiusmodi profecto sunt peculiares quaedam orandi studio, ac poenitentiae rigore commendatae societates, aliaeque ad exercenda misericordiae, et christianae charitatis opera saluberrimae institutiones, ex quibus catholica fides permulta hausisse emolumenta gloriatur. Inter haec vero summopere, et in primis omnino curanda est religiosa atque etiam civilis puerorum, et puellarum educatio, qua nil validius ad ipsius catholicae fidei incrementum, perennitatem, et decus fingi unquam aut excogitari potest. Proinde nil prorsus omittatur, ut optimis comparatis praeceptoribus, ac piarum feminarum sodalitatibus invectis, ad erudiendam iuventutem ubilibet, quoad poterit, scholae et gymnasia aperiantur. Atque in id praeterea vigilandum sedulo erit, ut missionarii fideles populos in iis etiam quae socialem vitam spectant recte imbuendo, atque informando, ad evangelicae doctrinae tramites ac indolem eorum labores et artes dirigere haudquaquam detrectent. Ex his autem omnibus quae catholicae religionis propagationi, ac stabilitati mirifice profutura persuasum cuique esse debet, ea sensim ex locis ipsis temporalia quoque commoda Missionibus obvenient quae imminutis, aut forte etiam deficientibus, ob temporum vices, exteris subsidiis, illarum necessitatibus sublevandis sufficiant. Operam denique impendant quotquot sunt Missionum praesides, ut quod ad fovendam fidei, ac disciplinae unitatem plurimum interest, synodales saepe conventus celebrentur, unde maxime fiet, ut una eademque sit operariorum agendi atque administrandi ratio, et studiosissima animorum coniunctio: neque in illud etiam adlaborare grave sit, ut ad necessarium inter S. Sedem, ac Missiones vinculum servandum, expeditiores, facilioresque communicationum viae in dies pateant.

Quam quidem Sacrae Congregationis Instructionem SSmo Domino Nostro Gregorio divina Providentia PP. XVI per infrascriptum Sacrae

[1] Cf. N. 434.

eiusdem Congregationis Secretarium relatam in audientia habita die 12 novembris, Sanctitas Sua illam benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1002].

4817.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin. Occident.), 28 apr. 1846.

Ad removendam omnem ambiguitatem, ac petitionibus tuis annuens, Sanctitas Sua, ad sinenses finitimasque sive orientales regiones, Constitutionem s. m. Pauli III extendere dignata est, ita ut eiusdem sanctiones, quoad Indorum etiam baptisma, tuto e nunc in Missione ista servare liceat.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1005].

4818.

S. C. de Prop. Fide, instr. (Siam), 28 maii 1846.

Expendimus quod Siamensis Missionis operarii solvendum dubium proposuere; erat autem: *Titius infidelis, post repudiatam Bertham coniugem suam infidelem, aliam duxit Saram nomine, etiam infidelem, quacum per decem et amplius annos convixit. Ille dein christianam fidem amplexus Bertham interpellavit an vellet ad ipsum redire, et ad Christi fidem converti, aut saltem cum eodem pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare; qua utrumque recusante, Titius dispensationem petiit ut cum Sara, quae christiana quidem fieri non vult, sed cum eo sine contumelia Creatoris habitare consentit, remanere et matrimonium contrahere valeat.* Qua in re, ac utrum dispensatio concedi queat, missionarios inter se dissidere narras. Mature tamen omnibus perpensis, iis omnino assentiendum ducimus qui, per dispensationem, Titium cum Sara matrimonium contrahere posse existimant. Quamvis enim, ex recensitis responsis iussu Clementis PP. XIII, anno 1759, a Supr. Inquisitione latis,[2] Titio eo in casu nonnisi fidelem sponsam ducere licitum eruatur, id tamen pro communi regula traditur, seu prout de iure, ut scilicet innotescat quid liberum per se cuique sit, secluso quovis indulto, ac generatim loquendo.

[1] In Const. Pauli PP. III pro Indiis Occidentalibus an. 1537, quae incipit *Altitudo divini consilii* (Cf. N. 81), haec habentur: « Statuimus ut qui in posterum, extra urgentem necessitatem, sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent quae a dicta Ecclesia observantur, oneratis super hac tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem in sacro Baptismo haec quatuor observentur: primum, aqua sacris actionibus sanctificetur; secundum, catechismus et exorcismus fiat singulis; tertium, sal, saliva, capella et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis; quartum, Chrisma ponatur singulis in vertice capitis, et oleum catechumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte quam ratio pudicitiae demonstrabit ».

[2] Cf. N. 810.

Cum porro dispensationis Apostolicae ratio habeatur, per eam cessante disparitatis cultus impedimento, Titius utique Saram ducere, etsi infidelem, iure poterit, et cum ea nubens a vinculo prioris coniugii solutus dicendus est ac si fideli nupsisset. Illud porro animadvertendum erit, in casibus particularibus, utrum quandoque expediat eiusmodi dispensationem concedere; quod sane, attentis locorum, temporum ac personarum circumstantiis, prudenti arbitrio relinquitur illius qui praedicta dispensandi facultate ab Apostolica Sede ditatus fuerit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1007].

4819.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 8 maii 1847.

La S. C. non deputa i Vice-Prefetti nè li riconosce quando nella Missione esiste il Prefetto da essa deputato. Il Prefetto però può da sè deputare uno o più Vice-Prefetti, che lo aiutino nel temporale, e forse anche in ciò che concerne la disciplina regolare, ma in quanto alla comunicazione delle facoltà deve egli solo comunicarle in tutto o in parte ai missionari, nè senza speciale facoltà della S. Sede può comunicarle al Vice-Prefetto acciò questi le comunichi ai missionari; ed i Prefetti possono istituire i Vice-Prefetti con facoltà solo nel tempo della loro morte finchè dalla S. C. sia provvisto.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2268].

4820.

S. C. de Prop. Fide (Hiberniae), 9 oct. 1847.

Mirum fortasse videbitur, quod Sacrae Congregationis responsum de Collegiis academicis tamdiu dilatum fuerit: verum et negotii ipsius, de quo agitur, gravitas et rerum pertractandarum copia effecerunt, ut diuturnum tempus efflueret, antequam documentis et rationibus pro utraque sententia rite perpensis, iudicium tuto edi posset. Illud vero ante omnia significare debemus, ne cogitasse quidem S. C., aliquid minus rectum sibi proposuisse Antistites illos, qui Collegiorum institutioni favere visi sunt: diuturna siquidem experientia illorum probitatem compertam habet eosdemque in eam fuisse mentem impulsos existimat spe tantummodo maioris boni assequendi, utque religionis prosperitati in Hibernia prospicerent.

Attamen re mature et quolibet sub respectu penitus considerata, fructus huiusmodi ex ea Collegiorum erectione S. C. haud sibi audet polliceri: grave imo periculum fidei catholicae inde obventurum timet; uno verbo religioni institutionem huiusmodi detrimento existere arbitratur.

Monitos proinde voluit Archiepiscopos et Episcopos Hiberniae, ne ullam in eiusdem executione partem habeant; quemadmodum vero exoptaset, ut antequam ex iis nonnulli apud Gubernium agerent ad legis praefata Collegia respicientis mitigationem, aliaque in eorumdem favorem obtinenda,

Sedis Apostolicae sententiam postulassent; ita pro summo obsequio, quod erga eamdem Hiberniae Antistites iugiter prae se tulerunt, haud dubitat quin iidem ea, quae in contrarium praestiterint, sint retractaturi. Haec vero omnia haud officiunt, quominus, si aliqui ex vobis nonnulla gravioris momenti ulterius notanda habeant, S. Congregationi libere patefaciant, ut de omnibus rite diiudicari valeat.

Ceterum S. C. probe noscit, quanti intersit adolescentium, civilioris praesertim coetus, scientificae instructioni consulere; proinde Amplitudinem Tuam et Suffraganeos simul Episcopos hortatur, ut media omnia legitima, quae in vestra sint potestate, ad eamdem promovendam adhibeatis. Curandum erit, ut Collegia catholica, quae iam constituta reperiantur, magis magisque floreant, iis additis in philosophica praesertim facultate utilioribus cathedris, quae fortasse desiderentur, atque ita ea Collegia disponantur, ut maiori adolescentium numero, prout regionum adiuncta exigant, patere possint. Imprimis vero opportunum S. C. fore duceret, sui collatis viribus catholicam Academiam ad illius instar, quae per Belgii Antistites in Civitate Lovaniensi fundata est, in Hibernia quoque erigendam Episcopi curarent.

Haec vero omnia, ut ex votis feliciter contingant, S. C. Episcopos hortatur, quatenus mutuam unionem maximamque concordiam perpetuo servent: neque se partium studio abripi sinant ob negotia, quae sacrum ministerium ipsis creditum haud attingant; cunctisque pateat Dei cultum, religionis bonum, animarum demum salutem eosdem tantummodo quaerere.

Haec vero eo maiore studio vos praestituros arbitramur, cum eadem in omnibus SSmi D. N. Pii IX sententia extiterit: postquam enim accuratam de universo hoc negotio notitiam sibi comparasset, S. Congregationis consilium probandum censuit, eique supremum auctoritatis suae robur adiecit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 472].

4821.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 11 mart. 1848.

Se possa riguardarsi per legittima e sufficiente causa, in mancanza di altre, di accordare dispense matrimoniali, l'oblazione di qualche limosina a favore dei poveri e della chiesa.

R. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1027].

4822.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 11 mart. 1848.

Se possa un missionario ricevere la limosina della Messa, ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia, o la liberazione dal carcere e dalla pena capitale che gli sovrasta.

R. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1028].

4823.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 11 mart. 1848.

Excepta interna disciplina regulari, missionarios religiosos quoad omnia negocia et directionem Missionum sub iurisdictione Vicariorum App. esse; et ad mentem: *Mens est* che si faccia particolarmente sentire che se il missionario religioso deve considerarsi legato da una doppia obbedienza verso il Capo della Missione cioè, e verso il Superiore Regolare, la prima deve essere la preponderante, e quindi nel conflitto dee vincere, e non paralizzarsene l'effetto coll'esigere l'osservanza della seconda.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1029].

4824.

S. C. de Prop. Fide, instr. 30 sept. 1848.

È ben dolente la S. C. che non di rado si metta in dubbio da alcuni missionari specialmente Regolari l'autorità dei Vicari Apostolici ed altri Superiori di Missioni, e di tratto in tratto vadansi riproducendo delle questioni di dipendenza, inesauste sorgenti di conseguenze funestissime al bene ed al progresso delle missioni medesime, quantunque dalla medesima Sacra Congregazione siano state più volte esaminate e definite, cui si aggiunse la suprema autorità della S. Sede con sapientissime prescrizioni. Ad eliminare sì disgustose differenze fin dal 1669 la sa. me. di Clemente IX nella Bolla *Speculatores* etc., [1] stabilì le regole riguardo alla dipendenza dei nominati missionari, ordinando:

1. Che i missionari debbano presentare le proprie patenti al Vicario Apostolico, non ostante che siano spediti in Missione direttamente dalla S. Sede, o dalla S. Congreg. di Propaganda Fide, di modo che se ricusino di presentarle, possano i detti Vicari come delegati della medesima S. Sede inibir loro l'esercizio del ministero.

2. Che i medesimi sono tenuti a chieder licenza ai Vicari Apostolici di esercitar le loro facoltà ecc. sebbene questi non possano senza grave causa negargliela.

3. Che debbano esercitar la cura d'anime in mancanza del clero secolare, e ciò non solo *ex charitate*, ma ben anche *ex iustitia*, tal che possano esservi costretti dai Vicari Apostolici.

4. Che esercitando la cura d'anime, debbano rapporto alla medesima ed alle funzioni parrocchiali, esser soggetti alla visita e correzione dei Vicari.

5. Che debbano render conto, richiesti, ai Vicari Apostolici dell'esecuzione delle pie lascite, se siano deputati ad eseguirle.

6. Che se tra loro nascano questioni, i Vicari Apostolici, come delegati della S. Sede, possano deciderle e terminarle ecc.

[1] Cf. N. 245.

Queste regole furono successivamente ancor meglio dichiarate, e di nuovo inculcate, a seconda delle difficoltà che si ravvisarono incontrarsi nell'osservanza delle medesime, o in occasione di dubbi proposti sull'oggetto stesso. Così nel 1677 la S. Sede dichiarò obbligati i citati missionari, non esclusi i PP. della Compagnia di Gesù, all'obbedienza e subordinazione ai Vicari Apostolici *quoad omnia negotia et directionem missionum*. Nel 1680 a togliere ogni equivoco sulla relazione dei Religiosi verso i Superiori Regolari, la S. Sede volle chiarito che sebbene essi, quanto alla disciplina regolare, erano soggetti ai Superiori dell'Istituto, pure questi non li potevan rimuovere dalla Missione senza il consenso del rispettivo Vicario Apostolico. Nel 1701 si confermò, che i ricordati missionari in quanto all'amministrazione dei Sagramenti ed altri ministeri di missione sono *immediatamente* soggetti alla S. C. di Propaganda o a chi la medesima li sottopone, cioè ai Vicari Apostolici. Similmente nel 1702 [1] si ripetè il decreto, che i missionari regolari nella Cina, di qualunque Istituto siano, debbono esser soggetti intieramente ai Vicari Apostolici nell'amministrazione dei Sagramenti, e cura d'anime ecc. e così successivamente.

Da tuttociò è facile di dedurre su quali cose debbano i Religiosi di qualsiasi Istituto e Società dipendere, ed esser soggetti al Vicario Apostolico, ossia al Prelato Superiore della Missione, qualunque sia il titolo, sotto cui la regga. In ogni modo ad escludere ogni ulteriore occasione di dubbiezza, la Congregazione particolare per gli affari della Cina, in conformità delle anzidette prescrizioni, ha ingiunto (e il Santo Padre si è degnato di confermarlo) di dichiarare di nuovo espressamente a V. S. per sua norma e governo, che i missionari regolari, compresi e nominatamente inchiusi i PP. della Compagnia, *eccettuata la sola interna disciplina regolare, quoad omnia negocia et directionem Missionum sub iurisdictione Vicariorum Apostolicorum esse*. Volle inoltre, che si dichiarasse ancora espressamente e si facesse sentire, che se il missionario religioso deve considerarsi legato da una doppia obbedienza verso il Capo della Missione, e verso il Superiore Regolare, la prima dev'esser sempre la preponderante, e quindi, in caso di conflitto, la prima dee vincere, e non venir paralizzata coll'esigere l'osservanza della seconda. Sarebbe difatti ben singolare l'esigere, che il religioso dovesse preferire e far precedere l'obbedienza professata al Superiore dell'Ordine, a quella che è sopra ogni altra, cioè alla suprema autorità della S. Sede, e del Vicario di Gesù Cristo, o far preponderare un qualsiasi punto di regolare ed interna disciplina agli obblighi principali e gravissimi di missionario, ed il bene particolare al pubblico, ed alla salvezza eterna di moltissime anime confidategli. È ben persuasa la Sacra Congregazione, che non potrà giammai aver luogo l'additato conflitto, se il Superiore Regolare, egli stesso animato sia dal vero spirito evangelico, é dalla dovuta obbedienza e rispetto alla S. Sede, ed ai Rappresentanti o Vicari della medesina, e se questi dal canto loro non si faranno regolare che dal vero interesse della religione, che certamente in molta parte dipende dalla santità de' ministri a' quali viene esso affidato.

[1] Cf. N. 4494.

Si apparterrà pertanto a V. S. come di attenersi alle sopradette regole e norme, così di esigere dai suoi missionari la più esatta osservanza delle medesime.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1033].

4825.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Cochinchin. Occident.), 30 sept. 1848.

Quaestio fiebat, an rebaptizandi sub conditione sint, qui promovendi sunt ad minores vel sacros Ordines, quique nullum exhibent collati eis Baptismatis documentum seu testimonium, tum ob librorum defectum, tum ob memoriae labilitatem, aut mortuis parentibus, patrinis, etc., vel dubium exurgat, an valide baptizati fuerint a minus instructis catechistis aliisve christianis. Hac de re A. Tuam, quoad primam dubii partem, testimonii nimirum defectum, nosse praestat iugiter, tum a S. C., tum a Supr. Inquisitione, quoties eiusmodi quaestiones propositae fuerunt, rescriptum esse negative, sententiam communem afferendo, eos nempe, qui a parentibus christianis nati, et ab iis christiano more educati sint, baptizatos omnino fuisse praesumendum. Praesumptioni vero eiusmodi inhaerere licet in altero quoque casu, seu cum dubitatur de catechistarum aut christianorum, qui clericum baptizaverint, sufficienti instructione ad sacramenti administrationem. Nisi enim valida admodum sit dubitandi ratio, quae moralem in hoc aut in illo casu peculiari certitudinem pariat, pro validitate baptismi standum erit, nec fortuito suspicioni adhaerendum, qua vel fideles, in re adeo familiari in Sinis, ac multo magis catechistae, quorum deputationi adeo caute ab Apostolicis Vicariis proceditur, minus instructi censeantur. Secus enim, ac si negativa dubia admittantur, ambiguitatibus quovis in casu ac sine fine locus fieret.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1034].

4826.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Malacen.), 30 sept. 1848.

Quaestio proposita fuit A. Tuae nomine, ab Episcopo Hesebonensi quoad opii et *arrach* commercium a quodam christiano Provinciae Merguy susceptum, et in eodem oppido Karianorum statutum in quo presbyteri Seminarii missionem inchoarant. Petierat autem Episcopus Hesebonensis, ut missionariis potestas fieret excommunicandi venditores tum opii tum arrach, necnon emptores, seu qui ea merce utuntur, non secus ac publicos concubinarios, eosque qui praeceptum paschale implere negligunt. Mature tamen omnibus perpensis, Emi Patres peropportunum censuerunt, ut iis inhaereas quae traduntur in adiecta Instructione diei 23 iunii 1830, eadem

de re lata, [1] omnemque curam adhibeas ad usum quidem istum extirpandum, at caute et prudenter agens, ne mala, quin imminuantur, aucta dein doleas. Quam parce enim ecclesiasticis censuris uti expediat, A. Tuam latere nequit; eae siquidem cum sint ecclesiasticae disciplinae nervus, nonnisi ex gravibus admodum causis, canonicis et probatis, adhibendae sunt, ac Salvatorem nostrum potius imitari congruit, qui tantae mansuetudinis et longanimitatis exemplum se praebuit; plures quippe hortamentis, monitis, obsecrationibus et charitate, magis quam austeritate et poenis, lucrifiunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1035].

4827.

S. C. de Prop. Fide (Hiberniae), 11 oct. 1848.

Excerpta nonnulla a statutis, quae pro novis Hiberniae Collegiis rediguntur, ac suffragia super iisdem ab Episcopis data occasionem S. C. praebuerunt, ut eo potissimum sub respectu de praefatis Collegiis iterum pertractaret, quidque pro spirituali bono catholicae gentis hibernensis esset rescribendum, sedulo ac mature perpenderet. Licet vero praefata statuta ea sub forma consistant, ut diiudicari non valeat, quantae auctoritatis, attenta Anglicani Regni constitutione, sint futura, omnibus tamen mature pensatis, S. C. adduci non potuit, ob gravia et intrinseca eorumdem Collegiorum pericula, ad emolliendam sententiam de illis prolatam, ac probante SSm̃o Dño Nostro, quatuor Metropolitanis expositam nonis octobris anni superioris. [2]

Cum autem innotescat, quanto studio clerus et integra natio pro iis adlaborent, quae ad bonum Ecclesiae promovendum referuntur, de Universitate Catholica erigenda, Em̃i Patres haud desperandum censuerunt, immo consilium huiusmodi iterum iterumque commendarunt, ut in eiusdem executionem omnes pro viribus operam suam conferant, sicque pleniori catholicorum instructioni satis fiat, quin ullum exinde eorumdem religio detrimentum patiatur.

Quam S. C. sententiam SSm̃us D. N. omni maturitate ac prudentia perpensam auctoritatis suae pondere probandam confirmandamque esse duxit, voluitque eam quatuor Archiepiscopis remitti respectivis per eos Suffraganeis communicandam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 472].

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 815.
[2] Cf. N. 4820.

4828.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Tunkin. Occident.), 30 aug. 1849.

Ad tria ab A. Tua proposita dubia quod attinet, nonnulla quae eorum solutioni congruere perfacile intelliges, adnotanda occurrunt. Dubia porro eiusmodi sunt:

1. In aliquibus locis pagani, quando suum idolum, vel idoli sedem, de uno loco ad alium processionaliter deferunt, idoli laudes cantando, multaque superstitiosa faciendo, christianos cogunt eis media in via occurrere cum duabus mensis dapibus oneratis, eosdem deprecandi causa ut a superstitionibus eximantur. Deinde pagani mediam partem dapum assumunt, et dant illam aliis paganis, qui ex pagis vicinis ad festum superstitiosum occurrunt, manducandam, aliam mediam harum dapum partem christianis relinquunt, qui illam alio deferunt atque manducant.

2. Aliquando pagani, propter eorum penuriam, idolum suum sic processionaliter circumgestare nequeunt; tunc illi aliqua in suo templo offerunt sacrificia, et christianos cogunt praedictas duas mensas afferre in aliquam domum, quae templo idoli attinet, et peracto sacrificio, dapes a christianis allatas, idolo non oblatas, pagani in templo manducant una simul cum eorumdem dapibus idolo sacrificatis; christiani vero partem dapum, quam illis pagani relinquunt, alio asportant et edunt inter se.

3. Aliis in locis pagani, quando suum idolum processionaliter deferunt, christianos cogunt praesentare idoli latoribus, quando ad idoli templum sese conferunt ad idolum in humeros suos assumendum, aliquas *betel* buccellas. Haec vero supradicta praestare christianos pagani cogunt, non tanquam contributionem ad superstitiosa, sed tanquam quoddam hommagium illis honorificum, ad petendam ab eis exemptionem a superstitiosis; quo hommagio praestito, cum protestatione a christianis facta quod utpote Domini coeli cultores et adoratores, non possunt nec idolum adorare nec illius cultus expensis contribuere, christiani ad nihil aliud coguntur; quo vero hommagio non praestito, pagani illos cogunt ad omnia superstitiosa quae ipsi faciunt.

Hisce positis, quaerebas: Num haec christianorum agendi ratio in tribus praefatis dubiis tolerari possit? Praedictas mensas praedictumque *betel* solum aliqui principales ex christianis deferunt paganis offerenda, sed ad has mensas et ad hoc *betel* praeparanda multi, tum viri tum mulieres opera, et omnes aliqua pecuniae summa concurrunt; num omnes illi miserrimi christiani a sacramentorum participatione arcendi sunt, vel aliqui tantum, et quinam?

Ad solvenda itaque tria proposita dubia ea conferre videntur quae habet Synodus Sutchuensis. Nam, iuxta decreta generalia Sacrae huiusce Congr. haec inter alia praecipiuntur: *Nullo modo nullaque causa licitum esse, sive ad vitandas persecutiones, sive etiam ad servandam vitam, vel minimum superstitiosis contribuere, sive pecuniae, sive orizae, sive cuiuscumque rei a quocumque*

etiam praefecto publico postuletur, sive apponatur conditio ut non inscribantur eorum nomina in catalogo conferentium, sive fiat protestatio se nimirum non conferre pro superstitiosis. Nunquam licere potest disponere mensas, nec apponere, nec alio quovis modo superstitiosis cooperari. Quae sane conveniunt iis in priori dubio expositis; non enim extra sacrificii aut superstitiosae caeremoniae locum deferre ac deponere mensas coguntur christiani, sed in via, cum idolum de una ad aedem aliam transfertur, ac dum peragitur superstitiosa functio inter laudes et cantica in idoli laudem; nec de oblatione agitur pro festo aliquo quod ad populi laetitiam pertineat, aut ad aliud quid indifferens et cultui religionis christianae non repugnans referatur et destinetur; quo in casu, secluso scandalo, et ad persecutionem vitandam, eiusmodi mos tolerari posset, ut habetur in laudata Synodo; verum de festo res est quod omnimode ad superstitiosa refertur, et iis in adiunctis delatio fit et depositio mensarum, in quibus abesse nequit scandali suspicio et occasio. Hinc, ex festi qualitate et delationis ac praesentationis mensarum circumstantiis, omnino christianis id non licere perspicuum videtur; curandum propterea esset, ut saltem seorsim et extra caeremoniarum actum, atque in locum ab omni scandali suspicione immunem, nec superstitionibus addictum, eiusmodi mensae deferri possent; quo in casu, intercedente etiam protestatione, tolerari posset consuetudo, quemadmodum Sacra Congr. rescripsit in particulari Conventu anni 1796. — Quoad alteram dubii partem, nimirum de medietate mensarum, quam sibi a paganis relictam alio transferunt, et inter se christiani manducant, praesto est responsio Supremae Inquisitionis die 15 decembris anni 1768 lata, [1] qua traditur: *Licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus, aut venerationis idolis ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.* Iisdem igitur in adiunctis, multo magis licere mensas idolis minime oblatas manducare dicendum est.

Negativam item responsionem alteri dubio tribuendam arbitramur; fertur enim christianos teneri mensas deferre ad aedem quae templo idoli attinet. At vero si, docente Synodo Sutchuensi, *nunquam licere potest disponere mensas ad locum oblationis, cibos dividere, apponere..., non licet contribuere pro emptione cuiuslibet rei, etiam eduliorum illuc deferendorum;* additque etiam *pro spectaculis quae fiunt ante templa idolis vel progenitoribus dicata,* haud licere fatendum ad contiguam idoli templo eidemque spectantem domum afferre mensas; quod, praeter alia in Supr. Inquisitionis responsione adnotata, saltem scandali suspicione et occasione haud immune esset.

Easdem ob rationes, negative quoque respondendum videtur dubio tertio, quod est de *betel* oblatione: eaedem quippe circumstantiae sunt, quae ad superstitionis contributionem seu cooperationem, actum eiusmodi quodam modo conferunt. S. autem Congr. die 13 ianuarii 1783 rescripsit: *Sciant fideles nullo modo nullaque causa licitum esse vel minimum pro superstitiosis contribuere..., sive fiat protestatio se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed potius ad redimendum se ab iniusta vexatione.*

[1] Cf. N. 821.

Hinc Sutchuensis ipsa Synodus tradit: *Serio moneantur, fideles atque instruantur de gravitate peccati quod committunt ii qui contribuunt aut concurrunt ad superstitiosa. Et quoniam in pluribus locis frequentissima est occasio sic contribuendi, nec desunt qui vexationibus et exactionibus debilitati, vel timore aut humana consideratione ducti, cadunt, ideo in omni patientia et doctrina missionarii frequenter, tum per se, tum per catechistas edoceant et adhortentur fideles ut huiusmodi tentationibus fortiter et constanter, postposito omni humano timore, resistant. id persuasi quod non patietur Deus ipsos tentari supra id quod possunt.* Ex eadem denique Synodo praxis eruitur servanda cum iis, qui superstitionibus implicati fuerunt, vel iisdem quovis modo cooperati sunt, et ad poenitentiae tribunal accedunt. *Gravissime* (tradit) *monemus omnes missionarios, eisque mandamus ut, reiecto rigore et severitate, huic regulae omnino adhaereant eamque diligentissime servent, scilicet, quilibet peccator, quem confessarius vel attritum vel contritum prudenter iudicaverit, statim absolvatur... imposita salutari poenitentia. Praxis enim ista, prudens et benigna, est antiquissimus Ecclesiae usus, Scripturae et Patrum auctoritate comprobatus. Porro si vigeat in tota Ecclesia catholica, ubi copia est confessariorum, ubi nullum persecutionis periculum, quanto magis in his regionibus servanda est, ubi continuo contra catholicos persecutiones vigent, et ubi messis quidem multa, operarii paucissimi. Nec ab hac regula excipiendi sunt peccatores publici et scandalosi, qui fecerunt quod in se est ut scandalum reparetur.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1038].

4829.

S. C. de Prop. Fide, litt. 24 dec. 1849.

Ad memoratum Praesulem (Coadiutorem) quod attinet, petitamque pro eo dispensationem a Sacrorum Liminum visitatione, scias volumus nonnisi Vicarios Ap. ex generali S. C. decreto, teneri ad eiusmodi visitationem, quovis decennio, per procuratorem tamen ab eadem S. C. designandum, nisi a SS̃mo D. dispensatio tribuatur; eosdemque Vic. App., quovis quinquennio, plenam accuratamque creditae sibi Missionis relationem... transmittere debere; singulis autem annis, notatu digniora quae evenerint, vel scribenda occurrant, nuntiare. Coadiutores vero, neque ad visitationem peragendam, neque ad reddendam Vicariatus rationem teneri, nisi forte hoc eis munus, nimirum relationis tradendae, Vicarius Apostolicus coadiutus delegaverit suo nomine absolvendum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1039].

4830.

S. C. de Prop. Fide, 3 ian. 1850.

Nelle dispense dei primi e secondi gradi di parentela a contrarre matrimonio suole apporsi la clausola *urgente necessitate*, o *quatenus concurrat necessitas*. Domanda il Vescovo di Monterey per quiete di sua coscienza se nel concedere le dispense si adempia all'indicata condizione di *necessità* quando la volontà dei contraenti è così determinata, che in caso negativo andrebbero a contrarre avanti il magistrato civile con pubblico scandalo.

R. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1040].

4831.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Superior. Semin. Paris. Mission ad Exter.), 9 sept. 1850.

Quamvis primum, non solum ex litteris R. P. D. Mallensis Episcopi, verum etiam ex iis, quas missionarii illius transmiserant, in Suprema Inquisitione examen institutum fuisset super dubio a praedicto Antistite proposito, quoad oblationem animalium a siamensi rege impositam, ac proinde, mature omnibus perpensis, Sacrum Tribunal in feria V, sub die 21 februarii a. c. responsum ediderit, [1] quod missionariis ac Praesuli patefaciendum D. Tuae misimus: nihilominus, instante in primis Episcopo Columbicensi tunc Romae commorante, inter haec advenientibus aliis epistolis, vel animadversionibus, consultationibus etc., eorumdem operariorum, rem iterum Supremae Inquisitioni expendendam obtulimus, ne quid accuratae ac solerti deliberationi defuisse dici posset. Quapropter, iterum iterumque omnique maturitate expensis omnibus, in Sacro Conventu feriae IV, die 28 elapsi augusti, EE. PP. decreverunt: *Cum noviter deducta a missionariis non immutent statum quaestionis inter eos et Vicarium Ap., satis provisum*, nimirum per praecedens responsum diei 21 februarii. Mentem vero suam esse addiderunt EE. PP., ut novam hanc responsionem D. Tuae significaremus Operariis communicandam, ita tamen ut una simul eos doceas Apostolicam Sedem quaestionem definiisse, *probe agnitis ac mature perpensis omnibus prorsus hinc inde deductis*; doceas insuper ac paterne moneas Operarios ipsos, in eiusmodi controversia, illos haud res accepisse suo sub aspectu, nec distinxisse, uti par erat, inter immediatam ac mediatam cooperationem; haec enim permitti potest ubi gravis adsit advenientis mali detrimentique metus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1049].

[1] Cf. N. 909.

4832.

S. C. de Prop. Fide (Tunkin. Occident.), 22 sept. 1850.

Humiliter exponit (Vic. Ap.) S. V. quod, cum hoc tempore multi sint in supradicto Vicariatu infirmi, cum ex alia parte persecutio multum sedata sit, ac parum ex mandarinorum et paganorum parte timendum, permisit ut in diversis districtibus asservaretur, in cubiculis nempe particularibus decenter ornatis, SS. Sacramentum pro infirmis, cum lampade accensa. Nisi enim ita fieret, permagna infirmorum multitudo sine Viatico moreretur. Hinc humillime postulat ut S. V. hanc praxim, in casu praefato et similibus, approbare velit pro conscientiae Oratoris tranquillitate.

R. SS̄mus benigne remisit preces arbitrio et prudentiae Vicarii Ap., cum facultatibus necessariis et opportunis, durantibus circumstantiis, et servatis servandis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1052].

4833.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Kuytcheou), 21 mart. 1851.

Reliquum est, quod animadvertebas... circa improbandam consuetudinem sive conferendi Sacramentum Confirmationis infantibus immediate post Baptismum sine necessitate, sive generatim delegandi ex parte Vicarii Ap. Presbyteris omnibus facultatem administrandi idem Sacramentum, utrumque plane, uti merito innuis, reprobandum abusumque removendum; licet enim ob necessitatem aut opportunitatem ad bonum animarum Vicarius Ap. gaudeat ac uti possit praedicta facultate deputandi Presbyteros pro collatione Sacramenti confirmationis, eiusmodi tamen facultas nec pro omnibus intelligitur Presbyteris facta, verum pro uno alterove Sacerdote Antistiti beneviso, neque tribuenda, ubi facile a Vicario ipso Apostolico frequenter Missionis perlustratio seu visitatio peragi et Sacramentum administrari valeat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 673].

4834.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Kuytcheou), 21 mart. 1851.

Simultanea collatio Baptismatis et Confirmationis in pueris admittenda non est, nisi forte in mortis periculo iuxta praxim.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 683].

4835.

S. C. de Prop. Fide (C. P. – Iaffnae), 23 aug. 1852.

1. Cum unusquisque missionarius multas habeat ecclesias quarum una distat ab alia, et in unaquaque debeat manere aliquod tempus, quaeritur utrum debeat habere fontem baptismalem in aliqua centrali ecclesia, et benedicere fontem in Sabbato Sancto vel in Sabbato ante Dominicam Pentecostes; et quatenus affirmative vel negative, quis cum quanam aqua debeat baptizare in aliis Ecclesiis.

2. Quando missionarius non potest decenter servare Eucharistiam quia in ecclesia non sunt nec ianuae nec fenestrae, quaeritur utrum possit, vel debeat, servare Eucharistiam, sint infirmi vel non.

3. Vir infidelis qui adhuc in infidelitate positus cognovit sive publice, sive private, illicite tamen, mulierem quamdam, sive fidelem, sive infidelem, potestne, post susceptum Baptismum valide et licite matrimonium contrahere cum consanguinea eiusdem cognitae mulieris, si ista consanguinea Baptismum susceperit sive ante, sive post copulam de qua agitur?

4. Et quatenus affirmative (de quo valde dubitandum), idem infidelis ad fidem conversus, post mortem legitimae uxoris infidelis, possetne matrimonium contrahere cum consanguinea (usque ad 4 gradum inclusive) eiusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea Baptismum susceperit ante, sive post mortem praedictae uxoris infidelis?

5. Vir infidelis qui ante Baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere?

6. Possuntne hoc matrimonium contrahere si, quando patrarunt ista crimina, una pars fuerit christiana?

7. Possuntne haberi tamquam valida matrimonia infidelium qui contrahunt coram consanguineis, sed absque ulla precisa notione de indissolubilitate matrimonii, ita, ut, saltem implicite credant posse se ab invicem separari et cum alio denuo matrimonium contrahere?

R. Ad 1. Detur Instructio data ad Episcopum Scutarinum.[1]

Ad 2. Detur Instructio ad Helvetios 3 augusti 1803. *En Instructio*: « Ad impedire qualunque irriverenza delle cose sagre, la S. C. non ha giudicato opportuno che dai cattolici si ritenga nella sagrestia comune ai protestanti l'Olio santo, il S. Crisma, e la SS. Eucaristia; ma vuole che siano conservate in luogo del tutto separato dagli acattolici, e quando altro non ve ne sia proprio, si conservino piuttosto con tutta la possibil decenza nella casa del parroco, o di altro cattolico sacerdote ».

Ad 3. Negative. – Ad 4. Negative. – Ad 5. Affirmative. – Ad 6. Negative. – Ad 7. Affirmative; haberi debent valida.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1079].

[1] Cf. N. 4581.

4836.

S. C. de Prop. Fide (C. G. – Ceylan), 23 aug. 1852.

1. Cum in istis regionibus, attento parvo missionariorum numero, difficile sit etiam in solemnioribus festis Missam canere cum ministris, in aliquibus Missionibus praevaluit usus thurificandi in Missa cantata absque ministris; quaeritur utrum, consideratis circumstantiis et usu, possit tolerari.

2. Cum velim (ego Vic. Ap.) aperire Seminarium, quaeritur utrum debeat considerari solummodo meritum, nullo habito respectu ad castas, vel excludere castas viles et admittere iuvenes ex superioribus et mediis castis? Hoc ultimum mihi videtur melius et quasi necessarium.

3. Utrum possit permitti missionariis uti rocheto loco cottae.

4. Missionarii quando visitant suas ecclesias recipiuntur a populo cum baldachino et cruce, sicut recipitur Vicarius Apostolicus; quaeritur utrum tolerandum.

5. Missionarii Apostolici gaudentne iurisdictione ordinaria tamquam parochi, aut solummodo delegata in Missionibus ad quas missi sunt per Vicarium Apostolicum?

6. Iidem missionarii possuntne propria auctoritate aeque ac parochi alium delegare sacerdotem ad effectum assistendi et benedicendi matrimoniis christianorum sibi commissorum? Item audire confessiones suorum christianorum etiam in alio Vicariatu?

7. Quid dicendum de illis qui scienter legunt libros per se prohibitos, sed non contentos in Indice librorum prohibitorum? Incurruntne aliquam censuram? Suntne deneganda sacramenta, si non est periculum perversionis?

R. Ad 1. Non esse inquietandos.

Ad 2. Communicentur Instructiones diei 2 iunii 1832.[1]

Ad 3. et 4. Negative.

Ad 5. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 6. Provisum in praecedenti.

Ad 7. Quoad primam partem, Negative. Quoad secundam, consulat regulas Indicis et probatos auctores.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1080].

4837.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Maduren.), 5 apr. 1853.

Cum nuper a Suprema Inquisitione responsionem acceperimus ad dubia iam eidem S. C. ab A. T. proposita super Constitutione Bened. PP. XIV, *Omnium sollicitudinum* de ritibus malabaricis,[2] eam tibi patefacere haud im-

[1] Cf. N. 4752.
[2] Cf. N. 348.

moramur. Dubia quidem, uti nosti, duo erant, quorum alterum catholicos tibicines vel cantores etc. ad festa vel solemnitates paganorum convenientes respiciebat; alterum vero iusiurandum ab apostolicis missionariis praestandum prout in eadem Constitutione iubetur. Quamvis porro in Congregatione generali, habita feria IV die 16 elapsi martii, Emi DD. Inquisitores rescribi mandaverint *nihil esse innovandum*, nihilominus attente matureque perpensis ab A. T. allatis rationum momentis, quoad opportunitatem remittendi de severitate contra memoratos tibicines etc., iidem Emi Patres, *mentem* una simul antedictae responsionis aperiendam tibi innuerunt. Mens autem est, ut missionarii, omni meliori et prudentiori modo quo possunt, removere satagant eiusmodi catholicos tibicines, cantores etc. a damnatis ethnicorum conventibus ac solemnitatibus, eos monentes aliter teneri se omnino ab Ecclesiae coetu illos eiicere; quod si reapse impossibile evadat eos amovere, opportunis tamen monitionibus, obiurgationibus et obsecrationibus, nec non denegatione etiam sacramentorum *ad tempus*, a daemoniorum cultu deterreant, et ad bonam frugem revocare conentur. Ex hisce perfacile senties quomodo, firma generatim Benedictinae Constitutionis iussione manente, in casibus peculiaribus et rerum adiunctis de severitate legis remittere aliquid liceat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1088].

4838.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Myssur.), 3 iun. 1853.

Quaerebas: Utrum in concessione vel applicatione dispensationum pro matrimoniis sive contractis, sive contrahendis, omissio formulae, videlicet, quod a S. Sede concessae fuerint in tali tempore et quamdiu, illas reddat invalidas. — Quamvis omissionem hanc haud validitati nuptiarum obstare respondendum sit, nihilominus animadvertendum in concedendis huiusmodi dispensationibus a Vicario Ap. eiusve delegato omittendam non esse clausulam adnotatam, scilicet: *iuxta facultates ab Ap. Sede nobis impertitas.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 1486].

4839.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Pondicher.), 7 iun. 1853.

Utrum (quaeris) obtenta iam facultate dispensandi, decem tantum in casibus pro quolibet anno, super impedimento secundi mixti cum primo consaguinitatis et affinitatis gradu, si forte in uno anno pro decem casibus dispensationi locus factus non fuerit, in subsequentibus uti possis iisdem qui superfuerint. — Negative respondendum apprime intelliges ex aperta concessionis declaratione, qua nonnisi decem in casibus in quolibet anno,

ubi necesse fuerit, dispensandi tribuitur potestas; atque indultorum verba prout sese exhibent esse intelligenda. Hinc negative quoque respondendum dubio quarto loco proposito inferes, nimirum, per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo, haud tributum indultum dispensandi quoque quando primus cum tertio mixtus deprehendatur.

De *Missionarii Apostolici* titulo ac praelatione scias volumus quaestionem hanc nuperrime quoque a Vic. Apost. Mayssurii propositam fuisse; utrum nimirum *Apostolici Missionarii* titulus, caeteris paribus, supra alios talem non habentes titulum quemdam gradum aut praeeminentiam conferat? Quod porro Iassensi Episcopo dedimus affirmativum responsum idem A. T. rescribendum ducimus. Et quoniam eiusmodi forte quaestio, ex male percepta declaratione Instructionis huius S. C. diei 23 novembris 1845, incip. *Neminem profecto*, § IV *Hinc reiiciendus* etc.,[1] oborta praecipue videatur: eidem Iassensi Antistiti, ac tibi etiam significandum existimamus, haud unquam S. C. mentem fuisse ut maximi faciendus *Apostolici Missionarii* titulus, tamquam vacuum tantum nomen dein haberetur: verum id unum intendisse ut ex ea, qua antea detinebantur indigenae presbyteri, fere famulatus, abiectionis et contemptus conditione erigerentur, ac paulatim et sensim, per accuratam sedulamque in omni scientia ac pietate institutionem, ad praecipua quoque obeunda Missionis munia idonei redderentur: quo tandem fieret ut Missionibus ipsis, florenti satis naturali clero instructis, neque extraneorum subsidiorum, nempe missionariorum europaeorum ope ac ministerio amplius egentibus, rectores, moderatores atque pastores, etiam ex iisdem presbyteris indigenis, praefici possent, quin magnis impensis indesinenter ex Europa operariorum auxilia suppeditare opus esset. Interim tamen haud cogitavit S. C., nec voluit, ut dum clerum indigenam quodammodo erigere et ad maiora parare cupiebat, Apostolicis Missionariis potior omnino ab Apostolica Sede per eiusmodi titulum collata dignitas imminueretur, et causa despondendi animum tribueretur. Quapropter, caeteris paribus, et qua simplices presbyteri ii sunt, tam indigenis, tam europaeis operariis, applicanda regula (§ IV Instructionis traditae) clare innuitur; paritatem porro inter eos non esse patet per superadditum Apostolici Missionarii decus, quod praelationem utique meretur inter alios qui eodem ditati non sunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1092].

4840.

S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.), 21 ian. 1856.

Per verba (Ritualis) *patrino infantem tenente* haud susceptio absoluta requiritur, cum *tenere* aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis iungat se cum eo cuius manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel

[1] Cf. N. 4816.

matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1119].

4841.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 21 iul. 1856.

S. C. probavit pro dioecesibus Hollandiae sequentia: *Statuta generalia de conciliis quae bonis temporalibus ecclesiarum parochialium administrandis in archidioecesi Ultraiectensi et suffraganeis dioecesibus proponuntur.*

Art. 1. Unaquaeque parochia sive nunc existens, sive in posterum ab Episcopo per dismembrationem vel coniunctionem erigenda, praescriptionibus horum statutorum subiacet.

Art. 2. Cura negotiorum rerumque temporalium, sive materialium, de quibus parochiae interest, in unaquaque parochia, sub ecclesiastica auctoritate Episcopi, mandatur *concilio*, quod *a bonis ecclesiae parochialis administrandis* vocatur, et cui consequenter incumbit (*pro re nata*) ponere omnes actus civiles, ad quos parochia quatenus est corpus morale habilis est.

Art. 3. Concilium administrandis bonis temporalibus parochiae praepositum constat parocho qua tali, eiusve vicario (locum tenente), et aliquot membris, quorum numerum Episcopus pro rerum adiunctis determinabit, et quibus erit nomen *Magistri fabricae ecclesiae*.

Art. 4. Parochus eiusve locum tenens perpetuo et ipso iure est praeses huius concilii. Ille labores concilii dirigit, ordinem in congregato concilio tuetur, curatque ut haec statuta aliaeque huc spectantes praescriptiones et iussiones Episcopi observentur.

Art. 5. Magistri fabricae Ecclesiae non efficiunt per se collegium, sed perpetuo agunt statuuntque tamquam unum idemque cum parocho, eiusve locum tenente, concilium...

Art. 6. Magistri fabricae nominantur ex parochianis, qui probitate et aptitudine excellunt. Prima vice Episcopus ipse nullo intermedio eos nominat, deinde autem in locum quemlibet vacantem nominat unum ex duobus candidatis, quos concilium iuxta regulas ab Episcopo approbandas electos proponet.

Articulis 7, 8 et 9 docetur, quinam non possint nominari et quinam excludantur, inter quos illi recensentur qui Communionem paschalem negligunt, vel aliter sunt peccatores publici scandalosi.

Art. 10. Magistri fabricae per quatuor tantum annos munere hoc fungi possunt: per vices abeunt iuxta certum ordinem ab Episcopo statuendum... qui iuxta hunc ordinem abeunt iterum nominari possunt...

Articuli 11, 12, 13, 14 plura statuunt de tempore et modo faciendi electionem, electos Episcopo proponendi, nominatos ab Episcopo denunciandi.

Art. 15. Quisque magister fabricae potest, id petens, cum honore a munere per Episcopum solvi, audito concilio.

Poterit Episcopus propter graves causas, quarum aestimatio penes ipsum

est, aliquem fabricae magistrum a munere dimittere, vel etiam universum concilium penitus dissolvere, facta tamen in utroque casu integra inquisitione factorum auditisque partibus.

Decreto, quo quis cum honore a munere solvitur, vel ab eo dimittitur, vel concilium dissolvitur, Episcopus statuet de nominationibus faciendis aliisque consectariis, prout rei adiuncta suaserint.

Articulis 16 et 17 statuuntur quaedam de modo curam gerendi, inter quae et hoc: Curae quotidianae demandantur praesidi (parocho) et thesaurario.

Art. 18. Decreta capiantur absoluta votorum pluralitate. Si vota paria sunt, praesidis votum erit decretorium.

Si neque parochus, neque eius locum tenens adest, aut si non adest dimidium numeri magistrorum fabricae, nullum decretum fieri potest.

Decreta concilii bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositi, si legibus ecclesiasticis vel communis parochiae bono adversantur, ab Episcopo poterunt cassari sive omni efficacia privari.

Art. 19. Concilium bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositum curas sibi commissas diligenter fideliterque geret. Continuas curas iustamque sollicitudinem adhibebit:

a) Pro ecclesia parochiali, domo pastoris et sacristae, ecclesia succursali, sacello, coemeterio, aliisque e pecuniis, et in bonum parochiae factis institutionibus, quae ad rem ecclesiasticam parochiae pertinent;

b) Pro bonis titulisque ad illas aedes institutionesque pertinentibus, comprehensis etiam reditibus et expensis, accidentalibus lucris et oneribus, et quibuscumque aliis iuribus et obligationibus;

c) Pro bona conservatione tutaque custodia bonorum omnium parochialium tam immobilium quam mobilium, speciatim archivii ecclesiae parochialis, titulis proprietatis aliisque chartis, uti etiam de tabulis pictis, aliisque rebus artificiosis, aut monumentalibus, aut certe alicuius momenti.

Caeterum regulis ordinat temporales indigentias hisque providendi media, conditiones quibus Ecclesiae res immobiles aliaeve fructiferae locentur, inter quas numerantur sedilia in ecclesia parochiali et succursali vel sacello, uti et ius sepulturae in coemeterio etc.

Art. 20. Concilium praedictum non potest, nisi obtenta in scriptis facultate ab Episcopo, quidquam facere, quod fines ordinariae administrationis transgreditur.

Itaque non potest, nisi eadem facultate obtenta:

a) Hereditatem, legata, donationes (solemniter factas) vel fundationes acceptare, aut iisdem renunciare;

b) Bona immobilia emere;

c) Vendere, permutare, hypothecae subiicere, oppignorare, servitute aliove modo onerare, aut ultra trium annorum spatium locare res Ecclesiae immobiles;

d) Vendere, permutare, oppignorare vel alio quovis modo a destinatione sua avertere obiecta artificiosa, monumenta historica, aliave mobilia alicuius magni momenti;

e) Magnas pecuniae summas mutuo accipere, transactiones aliosque contractus onerosos facere;

f) Aedes ecclesiasticas excitare, diruere, aut nova forma induere, et reparationes extraordinarias facere;

g) Coemeteria condere;

h) Facere aut supprimere parochiales, sive ad rem ecclesiasticam parochiae pertinentes, institutiones;

i) Imponere capitationem, collectas inducere, aut eas, quas habet ecclesia, aliis donare;

j) Litigare sive tamquam actor, sive tamquam reus.

Art. 21. Parocho demandatur exclusive:

a) Ordinarium exercitium religiosi cultus, et quidquid praeterea ad munus eius spirituale pertinet;

b) Cura tuendi ordinem in ecclesia, in coemeterio, et sub exercitio cultus religiosi;

c) Determinatio modi quo collocentur sedilia, scamna, capsulae oblationibus recipiendis inservientes, atque etiam quo fieri possint in Ecclesia collectae, denunciationes, aliaeque actiones;

d) Admissio et repulsio obiectorum, quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacristia forte destinentur;

e) Dispositio altaris, mensae pro distributione SS. Eucharistiae, cathedrae sive suggestus, e quo ad populum dicatur, organorum, loci cantoribus destinati, et aliorum omnium quae ad exercitium vel administrationem religiosi cultus spectant;

f) Tractatio, usus, custodia, conservatio vasorum sacrorum, vestium, librorum, aliorum omnium ad exercitium vel administrationem sacri cultus necessariorum paramentorum, ornamentorum, utensiliumque ecclesiae vel altaris, inter quae panis, vinum, thus, cerei, caetereaeque res omnes usu consumptibiles;

g) Scriptio, dispositio, custodia librorum, quibus baptizati, confirmati, matrimonio iuncti, defuncti etc. inscribuntur, aliarumque omnium chartarum, quae ad archivium pastorale pertinent.

Quoad dictas res, aliasque omne pastorale munus concernentes parochus sequitur exclusive leges ecclesiae, et statuta vel praecepta ab Episcopo.

Si causa acquisitionis, vel conservationis rerum ad ornatum ecclesiae vel altaris pertinentium sumptus ex aerario ecclesiae solvi debent, concilium ecclesiae bonis administrandis praepositum de his imprimis sollicitum esse tenebitur. Quando de necessitate horum sumptuum disputatur, Episcopus litem dirimet.

Art. 22. Cantores, organista, sacrista, pueri chorales, campanae pulsator, sepulchrorum fossores caeterique ministrantes ecclesiae, quoad ministerium suum, soli parocho subiecti sunt. Merces eorum, parocho rogante, a concilio statuitur. Ab ipso parocho nominantur et dimittuntur.

Art. 23. Episcopus regulas statuit de certis, sive fixis reditibus ecclesiasticis parochi, aliorumque clericorum parochiali ecclesiae inservientium.

Quatenus dicti reditus ad instar pensionis vel suppletionis ex aerario

ecclesiae solvi debent, summam ad instar pensionis vel suppletionis solvendam, Episcopus, audito praedicto concilio, determinat.

Art. 24. Episcopus regulas statuit de iuribus stolae, oblationibus sive honorariis parocho competentibus. Ille statuit iura, quae ecclesiae competant propter usum ornamentorum, cereos etc. occasione exequiarum, anniversariorum, aliarumque solemnitatum.

Quae parocho aliisque in parochia ministrantibus clericis obveniunt commoda, quae casualia dicuntur, haec non indigent statutis regulis, et de his ad concilium praedictum nihil attinet.

Si quando perit proportio inter reditus et onera fundationum, aut si ex alia causa provisio in his et similibus requiritur, Episcopi erit de provisione curare.

Si per fundatores vel benefactores fructibus bonorum vel capitalium non est assignata certa destinatio, aut si de destinatione lis oritur, Episcopus decernet quid parocho, quid aerario ecclesiae, aliisve ius habentibus competat.

Articuli 25 et 26 agunt de custodia aerarii rerumque pretiosarum. Art. 27 agit de inventariis conficiendis. Art. 28 de iisdem verificandis, quae verificatio, in visitatione ab Ordinario vel ab eius delegato facta, et aliis quibusdam temporibus fieri debet. Art. 29 de registro archivii parochialis. Art. 30 et sequentes usque ad 38 inclusive de aestimatione unoquoque anno facienda eorum quae anno proxime futuro expendenda et accipienda sint, et de rationibus acceptorum et expensorum unoquoque anno reddendis. Art. 39 determinat modum transitionis. Art. 40 praecipit, ut, si duae pluresve parochiae habent commune coemeterium, vel alias communes institutiones ad rem ecclesiasticam pertinentes, concilia harum parochiarum mox provideant in iis, quae ad harum rerum gestionem pertinent, et unum pluresve deputabunt, ut sint quibus haec administratio committatur. Haec administratio iuxta principia horum statutorum gerenda erit, et quae hunc in finem statuenda videbuntur, indigebunt, ut vim habeant, approbatione Ordinarii.

Art. 41. Ecclesiae succursales sive sacella (oratoria), quae subsistunt quin aliquid ex aerario parochiali ad earum sustentationem impendatur, et quae ad hoc usque tempus separatam administrationem habuerunt, poterunt propriam administrationem, distinctam a concilio bonis ecclesiae parochialis administrandis praefecto, servare, si Ordinarius consenserit.

Eo casu administratio putatae ecclesiae vel oratorii poterit disponi iuxta haec statuta, et sic disposita tenebitur ea in omnibus servare quemadmodum concilium bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositum.

Art. 42. Episcopus sibi servet:

a) Regulas praescribere, quibus exsecutio horum statutorum et observatio praescriptionum, quas continent, indigere videbuntur;

b) Lites et dubia tollere quae de sensu statutorum forte oriantur;

c) Ampliare et modificare illos articulos, quos ad certius tuendum parochialium ecclesiarum bonum aliqua mutatione egere experientia forte docebit;

d) Delegare facultates, quas habet in actiones conciliorum, quae bonis ecclesiarum parochialium administrandis praeficiuntur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1127].

4842.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Graeco-Rumen.), a. 1858.

Difficile dictu est quanta animi laetitia Sacra haec Congregatio fuerit affecta, cum primum accepit, factum fuisse tandem opera, fortitudine atque constantia Venerabilium istius Ecclesiae Fogarasiensis seu Albae Iuliae Praesulum, ut inveteratus ille abusus quo coniugium christianum vel ob adulterium, vel ob perfidam alterius coniugis desertionem impune solvebatur, coeperit non excindi modo, sed pene radicitus convelli, ne unquam amplius fruticetur. Atque id quidem ex eo accidit Congregationi iucundius quod per hanc talis tantique abusus excisionem atque evulsionem, videat optatae executioni mandatam illam fidei formulam, quam Romani Pontifices omnibus graecis atque orientalibus, expresse profitendam proponunt, qui, eiuratis erroribus, ab haereseos vel schismatis dissidiis ad catholicae Ecclesiae unitatem, tamquam ad unicum veritatis asylum se recipiunt.

In hac enim formula ab Urbano VIII illis proposita aperte quisquis profiteri tenetur: « Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse ». [1] Hancque formulam qui Urbanum subsecuti sunt Pontifices omnes plane comprobarunt, confirmaruntque; quos inter Benedictum XIV praesertim volumus appellatum, qui Simoni Evodio, electo Ecclesiae Antiochenae Patriarchae, hanc ipsam proposuit fidei formulam edendam profitendamque. [2]

Neque umquam destitit Apostolica Sedes, quoties sibi se obtulit occasio, ab inculcanda atque exigenda huius articuli, qui tanti momenti est, observatione. Iam enim ex Actis Concilii Florentini constat Eugenium IV Summum Pontificem de hoc penes graecos inveterato abusu fuisse graviter conquestum, nec quid ii reponerent invenerunt. [3] Qui propterea Pontifex in suo decreto pro Armenis in eodem Concilio haec edixit: « Assignatur autem triplex bonum matrimonii, primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; secundum est fides quam unus coniugum alteri servare debet; tertium est *indivisibilitas matrimonii* propter hoc quod significat coniunctionem Christi et Ecclesiae. *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum*

[1] In Bullario Bened. XIV, tom. I, p. 260. — Cf. N. 335.

[2] In Const. LXXII, *Nuper ad nos*, in Bullario eiusdem Pontif., tom. I, p. 258. — Cf. N. 335.

[3] Concilia generalia et provincialia Severini, Binii: Colon. Agripp. 1618, tom. IV, part. I, pp. 60 et seq.

matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit ». [1] Demum hunc ipsum articulum solemniter Oecumenica Tridentina Synodus definivit Sess. 24, can. 7 his verbis: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moechari que eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit ».

Hoc porro canone Concilium nihil aliud sanxit, quam quod in utraque Ecclesia occidentali et orientali continenti traditione a Christo et Apostolis creditum et servatum est. Quoad Ecclesiam quidem latinam seu occidentalem res est perquam explorata. Iam enim saeculi V initio a Concilio Milevitano II id adstructum fuerat eadem pene formula quam deinceps Concilium Tridentinum adscivit, suamque in Can. 7, quem memoravimus, fecit, eiusque verba haec sunt: « Placuit, ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungantur; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur ». [2]

Atque in eamdem doctrinam conspirant, ut notum est, S. Hilarius Pictaviensis, [3] S. Ambrosius, [4] S. Hieronymus, [5] S. Augustinus, [6] S. Innocentius I. [7] Quorum singula per singulos verba referre heic supervacaneum putamus; satis erit S. Innocentii gravissimum testimonium producere quo Exsuperio Episcopo Tarraconensi, qui hac de re eum interrogaverat, respondit: « De his etiam requisivit dilectio tua, qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales coniunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit alteram, moechatur, similiter et qui dimissam duxerit, moechatur*. Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos ». [8]

Verum non minus luculenta sunt ac peremptoria, quae graeci Patres hac super re nobis exhibent testimonia. Ac primae ipsius nascentis Ecclesiae sensum patefacit vir apostolicus Hermas in libro *Pastoris*, cui quantum tribuerint vetusti Patres, iique nec pauci numero, nec minus auctoritate insignes, vix est qui possit ignorare. In eo porro Libro II Mandato IV legi-

[1] Acta Conc. Harduin. tom. IX, col. 440. — Cf. N. 52.

[2] Conc. XVII, Acta Concil. Harduin. tom. I, col. 1700.

[3] In Cap. IV, Comment. in Matth., n. 22, ad Maur.

[4] Exposit in Luc., lib. VIII.

[5] Epist. LXXVII, n. 3, 4, col. 455, ad Vallars. et in Comment. in Cap. XIX, S. Matth.

[6] In duobus libr. *De coniugiis adulter.* ad Pollentium.

[7] Epist. ad Exsuperium Tarrac., n. 12 edit. Constant., col. 794; et iterum Epist. II ad Victricium Rotomag., n. 15, ibid., col. 752.

[8] Epist. IV, loc. cit.

tur: « Si permanserit in vitio suo mulier? Et dicit (Angelus): Dimittat illam vir. Et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur ». [1] Iustinus vero Martyr in Apologia I ostendens quantum christiana institutio praestet gentilium institutionibus, hoc de castitate velut Christi praeceptum generatim enuntiat: « Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur ». [2]

Quibus congruunt, quae in Canonibus *Apostolicis* nuncupatis, quorum magna semper extitit in Ecclesia graeca auctoritas, constituta sunt. Etenim in can. 48 indefinite, nullaque prorsus exceptione facta, statuitur: « Si quis laicus uxore sua eiecta, aliam acceperit, vel ab alio dimissam, segregetur ». [3] Exinde factum est ut S. Basilius, S. Gregorius Nazianz., S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, aliique passim, dum uno ore facultatem tribuunt fidelibus coniugem dimittendi adulteram, unanimi consensione inficientur eos posse, adultera dimissa, eaque vivente, aliam ducere uxorem.

Sane S. Basilius vel in ipso canone 9, quo tantopere abutuntur qui divortium propugnant, omnimodam insolubilitatem adstruit matrimonii dicens: « Aeque viris et mulieribus convenit secundum sententiae consequutionem, quod a Domino pronunciatum est, non licere a matrimonio discedere, nisi ob fornicationem. Consuetudo autem non ita se habet, sed de mulieribus quidem multa accurate observari deprehendimus, cum Apostolus quidem dicat, quod *qui adhaeret meretrici, fit unum corpus.* Ieremias vero, *quod si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur:* et iterum, *qui habet adulteram, stultus est et impius.* Consuetudo autem etiam adulteros viros, et in fornicationibus versantes, iubet a mulieribus retineri. Quare quae una cum viro dimisso habitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem, quae virum dimisit, quanam de causa a coniugio discesserit. Sive enim percussa plagas non ferat, ferre satius erat quam a coniuge separari; sive damnum in pecuniis non ferat, ne haec quidem iusta excusatio: sin autem, quoniam ipse vivit in fornicatione, non habemus hanc in ecclesiastica consuetudine observationem, imo vero ab infideli viro non iussa est mulier separari, sed propter eventum incertum remanere: *Quid enim scis, mulier, an virum salvum sis factura?* Quare, quae reliquit, est adultera, si ad alium virum accesserit: qui autem relictus est, dignus est venia, et quae una cum eo habitat, non condemnatur. Sed si vir, qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est et ipse adulter, quia facit ut ipsa adulterium committat, et quae una cum ipso habitat, est adultera, quia alienum virum ad se traduxit ». [4]

Ex quibus discimus iuxta B. Patrem pares ex Evangelio esse virum et mulierem, etsi consuetudo per leges civiles inducta tribuat marito facultatem dimittendi propter adulterium mulierem, quam huic denegat. Ceterum

[1] Edit. Coteler. *PP. Apost.*, tom. I, edit. Antuerp. 1698, p. 87.
[2] Edit. Maran., n. 15.
[3] Apud. Coteler. edit. Antuerp., tom. I, p. 444.
[4] Epistola CLXXXVII, edit. Maur., tom. III, p. 273 seq.

ipse ad normam Evangelii utrumque, virum scilicet et mulierem, reum adulterii declarat, qui, alterutro vivente, licet dimisso, vel vir alteram duxerit uxorem, vel uxor alteri viro nupserit. Quam germanam esse eius mentem patet tum ex aliis locis, [1] tum potissimum ex Regula LXXIII in qua absolute pronunciat etiam in casu adulterii: « Quod non licet viro uxore dimissa aliam ducere: neque fas est repudiatam a marito ab alio duci uxorem »; [2] idque ad normam evangelicae doctrinae quam ibidem adducit.

S. Basilio consonat S. Gregorius Nazianzenus, qui itidem reprobat consuetudinem a legibus civilibus inductam de repudiandis uxoribus adulteris, dum e contra non licet mulieribus repudiare adulteros maritos, dicens: « Circa hanc (quaestionem) plerosque male affectos cerno, ac legem eorum iniquam, nec sibi constantem. Quid enim causa fuit, cur mulierem coercerent, marito contra indulgerent, eumque liberum relinquerent? Et mulier quidem, quae improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur, acerbissimisque legum poenis excrucietur; vir autem, qui fidem uxori datam per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius sit? Hanc legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minime laudo ». [3] Et in Epist. CCXI: « Equidem libentissime, scribit, consilium dedissem meo Ucraino, ut multa eorum quae in medio interiecta sunt, praetercurreret: quo divortium ratum non faceret: quod legibus nostris omnino displicet: tametsi Romanorum leges aliter iudicent ». [4] Per quae quidem verba expresse Beatus Pater opponit legibus civilibus quae permittunt divortium, leges christianas quae illud vetant.

Demum S. Ioannes Chrysostomus insolubile quocumque in casu coniugium constanter affirmat, quum civiles leges, quae divortium sanciunt, tamquam contrarias legi Evangelicae planissime improbat. Scribit enim: « Quid enim dicemus ei, qui de nobis iudicaturus est, quando legem illatam in medium legerit dicens: iussi repudiatam uxorem non ducere, dicens id adulterium esse. Quomodo igitur ausus es ad prohibitas nuptias accedere? Quid dicemus, quid respondebimus? Numquam enim illic fas externas leges praetexere, sed necessarium est tacentes et ligatos in gehennae ignem immitti cum adulteris, et alienum torum iniuria afficientibus. Nam et qui dimiserit absque causa stupri, et *qui eiectam vivente viro duxerit*, cum eiecta illa punientur ». [5] Et iterum absolute alibi pronunciat: « Nec mihi enim dicas: ille eiecit. Nam eiecta adhuc manet eiicientis uxor ». [6]

Ex hac constanti atque unanimi maiorum doctrina factum est, ut numquam ausi fuerint fideles, dimissa ob adulterii flagitium uxore, novas celebrare nuptias illa vivente. Sane ex universa antiquitate ne unum quidem proferri exemplum potest de eiusmodi celebratis coniugiis, ecclesiastica praesertim probante aut suffragante auctoritate. Quae agendi ratio eo pluris

[1] Can. 48.
[2] Edit. cit., tom. II, *in Moralibus*, p. 308.
[3] Orat. XXXVII, n. 6, edit. Maur. 1778, tom. I, p. 649.
[4] Opp. edit. Paris. 1630, tom. I, p. 905.
[5] In serm. *de libello repudii*, n. 3, edit. Maur., tom. III, p. 207.
[6] Hom. XVII, in Matth., tom. VII, p. 227 seq., n. 4.

facienda est, quod imperiales leges eiusmodi divortia permitterent. Argumento igitur ineluctabili est aetate illa nondum noxiam ac perniciosam de dirimendis coniugiis praxim induci coepisse, sed adhuc Evangelicae et Apostolicae doctrinae consentientem viguisse disciplinam in Ecclesia graeco-orientali, quae ut in ceteris, sic etiam in hoc articulo cum Romana seu occidentali conveniebat Ecclesia. Alioquin tum frequentes, prout postea factum est, eiusmodi coniugiorum diremptiones accidissent; inter utramque Ecclesiam dissensiones, et controversiae hac de causa excitatae fuissent quamplurimae. Verumtamen, quantum ex historiis aut monumentis repetere vel longissime possumus, nihil umquam quaestionis per eam aetatem inter utramque Ecclesiam hac de re exortum, aut agitatum novimus; quodque certe mirabile foret, nullum huiusmodi quaestionis vestigium memoriae proditum fuisse.

Itaque non ex Sacris Literis neque ex maiorum traditione, prout serioribus temporibus nonnulli excogitarunt, repeti perniciosa eiusmodi praxis potest. Secus enim huius concertationis vestigia alicubi in vetustis documentis apparerent. Contra vero notum est ad hos fontes non se recepisse, aut provocasse graecos scriptores, nisi postquam acriter Ecclesia Romana gliscentem hunc abusum insectari coepit, ut quoquomodo praxim suam aliquo veritatis colore cohonestarent, ne turpiter adeo se ab Evangelicae et Apostolicae doctrinae tramite descivisse faterentur.

Non aliunde igitur haec praxis seu verius abusus Ecclesiae graeco-orientalis arcessendus est, quam ex imperatorum legibus quas per summum nefas primum nefarius Photius luctuosi schismatis auctor, quo graeca Ecclesia a Romana seu Catholica discissa est, in suo *Nomocanone* inter canonicas sanctiones adscivit, perinde ac si profanae leges a Patribus hac super re reprobatae, vim ecclesiasticae et canonicae auctoritatis haberent. Ex eo enim tempore factum est, ut furtim prima perversa illa consuetudo in Ecclesiam graeco-orientalem irrepere coeperit, dissimulantibus ignavis episcopis laicae potestati nimis addictis; postea vero etiam ingravescens malum probantibus, donec longe lateque diffusum altas egerit radices, nulla fere humana vi convellendas. Haec autem adeo diversa agendi ratio, quae serioribus temporibus obtinuit, ab ea, quae viguit anteriori aetate, florentibusque Ecclesiae sanctissimis Patribus, luculenter ostendit aliam prorsus primitus doctrinam invaluisse, nec nisi post luctuosum schisma contrariam gliscere ac praevalere praxim coepisse.

Quod neque ipsi iuris canonici interpretes graeci inficiari ausi sunt, immo vero aperte fatentur. Satis heic sit unum commemorare penes graeco-orientales non exiguae auctoritatis scriptorem, Blastarum monachum, qui de causis agens quibus matrimonium solvitur, quasque haud paucas tum ex parte mariti tum ex parte uxoris recenset, eas omnes repetit ab imperatorum legibus. Sic enim scribit: « De matrimonii solutione multis in locis multae leges tractant, sed perfectius Novella Iustiniani, quae diserte causas exponit, ob quas maritus aut uxor repudium coniugi mittere potest... Causae vero nominatim enumeratae sunt a religiosis imperatoribus, ob quas solas matrimonium solvere licet ». Inter has causas autem

et illam refert: « Si adulterii mulier accusata, et, secundum leges, adulterii convicta fuerit ». [1]

Notum vero est, ut gravissimis Pii VI verbis utamur, humanis legibus nonnulla interdum humanae fragilitati concedi, quae non licent iure conscientiae. Notum est non defuisse leges talem usurae modum permittentes, quae cum iure naturali ac divino conciliari prorsus non valeant, ut proinde facultas hisce legibus data, impunitas potius dicenda foret, quam iusta libertas. Ac ne a subiecta materia discedamus, notum pariter est primis quoque saeculis permissum humanis legibus fuisse, ut certis de causis matrimonia solverentur, forte etiam utrique parti facultate ad alias nuptias transeundi facta. Quid porro ad haec Ecclesiae Patres? Chrysostomus in cap. VII Epist. ad Rom.: *Non mihi recites leges externas, atque profanas, quae libellum repudii dare, ac divortium facere praecipiunt; non enim profecto secundum has leges iudicaturus est Deus, sed iuxta eas, quas ipse posuit.* Hieronymus, Epist. 30: *Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* Quocirca idem S. Doctor peccasse fatetur Fabiolam, quod repudiato marito, adultero quidem, et qui sese scorto vilique mancipio miscuerat *non innupta manserit;* tametsi eam excuset, quod adolescentula esset, et civilibus legibus permitteretur repudium, scribens: *Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et putabat a se virum iuste dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, foeminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.* [2]

Cum porro ab Apostolica Sede adeo perniciosa obiurgaretur praxis, tunc demum graeco-orientalis Ecclesiae scriptores, ut eam quoquomodo cohonestarent, confugerunt ad textus Matth. V, 32, et XIX, 9, ubi clausula apponitur exceptionis: *Excepta fornicationis causa. Nisi ob fornicationem;* quasi nempe voluerit Christus Salvator Noster per eam, adulterii flagitio interveniente, tribuere facultatem non modo dimittendi uxorem fornicariam, verum etiam et alteram ducendi, ea dimissa. Quae quidem interpretatio quam absona sit et a Christi mente aliena unusquisque facile videt, qui attendat ad scopum quem sibi id temporis proposuit, nempe abolendi concessum a Moyse ob duritiem cordis israeliticae gentis libellum repudii, ac revocandi coniugium christianum ad primaevam eiusdem divinam institutionem perpetuae indissolubilitatis. Quem profecto scopum minime attigisset, si divortii faciendi fidelibus suis in causa adulterii tribuisset facultatem. Unusquisque praeterea id videt, qui attendat ad loca parallela Marci X, 11, et Luc. XVI, 18, ubi quavis exclusa exceptione, absolute Christus adulterii reum pronunciat, qui dimissa uxore sua, alteram duxerit, et eam, quae, dimisso viro, alteri nupserit; qui attendat ad Paulum Apostolum, Rom. VII, 2 seqq. tum I Cor., VII, 10, 11 et 39, Christi exponentem de matrimonii christiani perpetua indissolubilitate doctrinam; qui demum ad universae ecclesiasticae antiquitatis sensum attendat, quae in allegatis Matthaei verbis non aliam datam a Christo facultatem agnovit praeter coniugis adulterae di-

[1] Matth. Blastaris, Syntagma Alphabeticum littera ב, cap. XIII.
[2] Litt. (Pii VI) ad Anton. Archiep. Pragens., die 11 iulii 1789.

missionem quoad torum habitationemque, coniugii vinculo, quamdiu illa vixerit, perseverante. Sic perperam iidem scriptores ad Canonis 9 S. Basilii patrocinium se receperunt, quasi nempe S. Pater secum ipse pugnasset, dum, ut vidimus, absolutam coniugii christiani ad normam evangelicam adstruxit indissolubilitatem; atque absurde iuxta civiles leges admisisset virum quidem in casu fornicationis posse uxorem repudiare, non item vero uxorem adulterum maritum; idque postquam par in utroque coniuge iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam ius cognovisset.

Quod si praeterea ad unum alterumve scriptorem, qui ipsis quadantenus favere videatur, recurrant, rursum cum eodem laudato fel. rec. Pontifice Pio VI reponimus: « Non ex privatis istorum sententiis Ecclesiae traditio est colligenda, ut patet vel ex controversia circa Baptismum ab haereticis collatum, et beatitudinem non protrahendam ad diem ultimi iudicii; licet enim in hisce capitibus viri eruditione et sanctitate conspicui erraverint, Ecclesia nihilominus eiusmodi controversias ex traditione diremit. Quidni ergo et praesentem similiter dirimere potuerit? Quamobrem, ut in praesenti quaesito haereamus de solvendo matrimonii vinculo absentiae causa, haud amplius licet viro catholico quaestionem agitare, et velut dubitationi adhuc obnoxiam habere, quae Tridentini aperta definitione Can. 7 allata prorsus dirempta est ». [1]

Quae cum ita sint, Sacra haec Congregatio dum debita laude prosequitur istius Metropolitanae Albaeiuliensis Archipraesulem, qui maiori usque alacritate adlaborandum duxerit, ut inveteratus eiusmodi abusus dissociandi propter adulterium aut perfidam desertionem coniugium penitus convellatur, eumdem ad constantiam et fortitudinem in suscepto proposito adhortatur. Immo vero istiusmodi Metropolitanae Ecclesiae suffraganeos Episcopos etiam atque etiam Sacra haec Congregatio enixe excitat, ut et ipsi in hoc idem studium ac sollicitudinem suam impense conferant, ut uno animo coniunctisque viribus optatus finis obtineatur. Eo vel magis quod cum actus Unionis istiusmodi dioeceseon cum Ecclesia Catholica feliciter executioni mandatus est, adposita fuerit expressa conditio quod graeci-orientales pollicerentur non modo profiteri cum Apostolica Sede quatuor articulos in quibus ab ea dissidebant, verum etiam « ea omnia admittere, profiteri ac credere, quae S. Mater Ecclesia Romana *admittit, profitetur et credit* ». Iam vero nullum dubium subest Romanam Ecclesiam credere et profiteri articulum de absoluta, etiam in casu adulterii ac perfidae desertionis, coniugii christiani insolubilitate.

Quocirca huic articulo speciali ratione insistendum ab istiusmodi Provinciae praesulibus est penes obluctantes, si qui fuerint, quibus praesens instructio communicari poterit. Sic enim facilius sibi persuadebunt non agi de nova in istis dioecesibus introducenda doctrina, sed unice de inveterato abusu penitus eliminando, qui altas radices fixerat. Immo vero haec ipsa instructio haud parum proderit oculis illuminandis illi eiusdem gentis parti, quae adhuc luctuoso schismati adhaeret, quaeque in errore hac super re iugiter perseverat.

[1] Ibid. (loc. sup. cit.).

Verum antequam huic instructioni finis imponatur, censuit Sacra haec Congregatio admonendos istius provinciae Antistites de altero vitando errore circa connubii dissolutionem, quique similiter componi nequit cum sana Ecclesiae catholicae doctrina. Intelligitis sermonem esse de separatione quae identidem alicubi fit unius coniugis ab altero, absque eius consensu, ad aliquod profitendum monasticum institutum sub perfectioris vitae obtentu. Porro fidei quidem dogma est ab Oecumenico Concilio Tridentino definitum: « Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimi »; [1] ast si matrimonium inter fideles fuerit consummatum, dissolvi nulla ratione potest, nisi inter ipsos pari consensu de servanda continentia conveniant, et quidem iuxta canonicam dispositionem, scilicet ut uxor voto se castitatis obstringat, aut si iunior fuerit, in monasterium se recipiat, ut maritus vitam monasticam profiteri possit. Adeoque et haec praxis inter abusus recensenda est qui a legibus imperialibus inducti sunt, atque a Sanctis Patribus reprobati. [2] Sane antiquus auctor epistolae ad Celantiam S. Hieronymo adscriptae, quaeque aut S. Paulini, aut Sulpicii Severi esse creditur, [3] acriter arguit eam matronam, quod absque mariti consensu continentiam voverit. Id ipsum praestitit S. Augustinus in Epist. ad Armentarium et Paulinam, nam eum hortatur ad continentiae votum servandum quo sese obstrinxerat, vetat nihilominus illud servare si eius uxor suum non praebeat assensum, adiiciens: « Nam et vovenda talia non sunt a coniugatis, nisi ex consensu et voluntate communi. Et si praepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio ». [4] Item S. Gregorius M. qui apertius adhuc id ipsum scribit ad Theoctistam Patriciam: « Si dicunt, inquit, causa religionis coniugia dissolvi debere, sciendum est, quia etsi hoc *lex humana* concessit, divina lex tamen prohibuit... Scimus quia scriptum est: *erunt duo in carne una*. Si ergo vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita migrantem, quae est ista conversio, de qua una eademque caro et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? » [5]

Ac ceteris omissis, Magnus S. Basilius eamdem aperte doctrinam professus est. Etenim in *Regul. fusius tractatis* Interrog. XII haec in rem nostram praeclare scribit: « Atque ii etiam qui matrimonio coniuncti ad huiusmodi vitae genus (monasticum) accedunt, interrogandi sunt, *an mutuo consensu id efficiant*, ex Apostoli praecepto: *Nam*, inquit, *sui corporis potestatem non habet*, sicque qui accedit, coram pluribus testibus recipiendus est... Quod si dissentiat altera pars, repugnetque quod minus sollicita

[1] Can. 6, Sess. 24.

[2] Id enim invenimus constitutum in Novell. Iust. 22, *de Nuptiis*, ubi de iure repudii. Item lib. V Cod. tit. 17 et in Digestis tit. *De divortiis*. Insuper in Novell. 123, *De sanctissim. Episcop.*, C. 40, *Solvatur Matrimonium*.

[3] Apud Vallars, in monito ad Ep. CXLVIII.

[4] Epist. CXXVIII, n. 9, edit. Maur.

[5] Lib. XI, Ep. XLV, ed. Maur., col. 1130.

sit, quomodo placeat Deo, in mentem veniat Apostolus, qui dicit: *In pace*
autem vocavit nos Deus ».[1]

Id ipsum a plerisque Conciliis constitutum novimus, ac a summis Pon-
tificibus, quorum decreta relata sunt a Gratiano in Causa XXVII, § 2,[2] et
in Decretalibus lib. III, tit. 32.[3]

Ut igitur huiusmodi errores quos profanae, ut plane ostendimus, leges
obtruserunt, procul absint a populis vestrae curae concreditis, Sacra haec
Congregatio non modo cupidissime exoptat, sed et fidentissime sperat.
Atque huius optatissimae spei iam ipsimet praedecessores Tui Ecclesiae
Fogarasiensis Antistites suo in vinea Domini excolenda zelo, suoque fervore
arrham profecto illi certissimam praestiterunt. Iamdiu enim ipsi uno illo,
quo ardentissime flagrarunt tutandi catholici dogmatis studio, sponte per-
moti, e vestris gregibus talem tantamque abusionem eradicare pro viribus
coeperunt. Nullum igitur dubium, non modo quin ab incepto unquam sis
destiturus, sed quin usque etiam et usque alacriori nisu coneris inceptum
persequi, ac tandem aliquando consummare. Praesertim cum ad id tot tan-
tisque modis Te ac Venerabiles Coepiscopos istius provinciae vehementer
adhortetur SS. Domini Nostri Pii PP. IX manifestissima voluntas, cui quan-
tum cordi sit, ut istarum Ecclesiarum venustas non modo nulla turpetur
macula, aut ruga, sed ut in dies efflorescat magis, magisque adeo aeterno
placeat sponso, Vos omnes, Venerabiles Praesules, plus quam ceteri, pro-
bissime nostis. Nullis ergo parcendum laboribus, nulli industriae, nullis
incommodis, modo ad optati tandem finis adeptionem fas sit pervenire.
Non deerunt profecto ab adversariis catholici nominis pugnae: exorientur
inimici vestri, aut verius inimici Christi, ac difficultatibus undiqueversum
petitis, constantiam ac fortitudinem vestram oppugnare unanimi conspira-
tione connitentur. Ast in constantia, fortitudine, et longanimitate certaminis
reposita est corona victoriae, quam in suprema illa die reddet vobis Dominus
iustus iudex, cuius sponsam vos illi inter aerumnas et labores immaculatam,
atque ab omni erroris contagione intactam, inviolatamque servastis. Beati
quidem heic eritis si maledixerint vobis homines propter iustitiae ac veritatis
propugnationem: sed multo tum beatiores, cum legitimum certamen, quod
in defendenda Christi sponsa sustinuistis, coelestis aeternae gloriae largitor
et sponsus immarcescibili donabit corona.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1152].

4843.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Graeco-Rumen.), a. 1858.

Litterae, quas nuper, Venerabiles Praesules, ad Archiepiscopum Farsen-
sem, in austriacis ditionibus Apostolicum Nuntium super mixtis nuptiis
dedistis, Sacrae huic Congregationi christiano nomini propagando, ex
SSmi Domini Nostri mandato, traditae sunt; eidemque simul iniunctum est,

[1] Opp. edit. Maur., tom. II, p. 354.
[2] A cap. 21 ad 26.
[3] Capp. 2, 3, 4.

ut rite examinatis matureque perpensis, quae in praefatis litteris continentur,
opportunas ad Vos responsiones atque instructiones perscriberentur.

S. Congregatio persuasum habet minime Vos ignorare, Venerabiles Prae-
sules, quae hac super re a Summo Pontifice Gregorio XVI fel. rec. tum in
Litteris Apostolicis,[1] tum in Instructione Eius nomine die 30 aprilis 1841[2]
ad Episcopos Hungariae et Transilvaniae datis, declarata et praescripta
sunt; quandoquidem per Archiepiscopum Strigoniensem Pontificia haec
decreta atque mandata cum omnibus etiam graeci ritus catholicis Epi-
scopis, qui tunc in illis regionibus existebant, communicata, atque ab eximiis
illis Antistitibus summa cum reverentia parique animi gaudio accepta fuere.
Ex huiusmodi praeclaris tum Pontificiae vigilantiae, tum sapientissimae pa-
storalis sollicitudinis documentis abunde cognosci potest, quaenam constans
fuerit universalis Ecclesiae et S. Sedis doctrina et agendi ratio circa illas
nuptias, quas catholicos inter et haereticos seu schismaticos celebrari ali-
quando contigerit; neque proinde opus est, ut iisdem aut aliis quam pluri-
mis, quae suppeterent historicis seu theologicis argumentis rem Vobis notis-
simam retractare et magis comprobare oporteat.

Id porro sapientissime a Summo illo Pontifice statutum est, ut dum
Ecclesiae doctrina atque immutabilia ecclesiasticae disciplinae capita sarcta
tecta haberentur, et ne minimum quidem auctoritati illius Ecclesiae legis
detraheretur, qua huiusmodi mixta matrimonia tamquam illicita et perni-
ciosa prohibentur; gravissimis tamen difficultatibus, quibus ob tristes rerum
locorumque circumstantias catholici Antistites premerentur, opportuna
tolerantiae remedia adhibita fuerint.

Indulsit nimirum SSmus Pontifex, ut quotiescumque matrimonium
acatholicus vir cum catholica muliere vel vicissim, deficientibus licet cau-
tionibus ab Ecclesia praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo
in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque in Ecclesiae
utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur si huiusmodi
nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius,
quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, cele-
brentur, tum parochus catholicus aliusve sacerdos eius vices fungens, poterit
iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu,
adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu
authorizabilis; ita scilicet ut audito utriusque coniugis consensu deinceps
pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

Dein idem Pontifex suo nomine Episcopis significare iussit in hisce
rerum circumstantiis pati illos ulterius posse, ut a parocho catholico tum
consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa
eorum religionem, qui nuptias sint contracturi; tum etiam de peractis
hisce proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus
(dummodo nullum aliud adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur
nil aliud praeter Ecclesiae vetitum, ob mixtam religionem, impedimentum

[1] Cf. N. 497.
[2] Acta Greg. XVI, vol. III, p. 125, 126.

conciliando matrimonio obstare; nullo prorsus verbo addito unde consensus aut approbationis levis suspicio sit oritura.

Denique quamquam sacrorum Praesulum et parochorum studium quam maxime excitaverit, ut catholicos hortentur et moneant ne eiusmodi matrimonia coram acatholico ministro celebrarentur; tamen si, spretis ipsorum monitis et hortamentis, mixta matrimonia ea ratione inita fuerint, inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, ab Episcopis et parochis prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, tamen pro validis habenda esse declaravit.

Intelligitis porro, Amplissimi Praesules, huiusmodi tolerantiae et indulgentiae remediis S. Sedem minime recessisse ab illa Ecclesiae doctrina, qua mixta matrimonia multiplici peccandi periculo communiter affecta, ac proinde suapte natura et ratione illicita esse semper iudicavit, nec legem illam universalem Ecclesiae, qua generatim prohibentur, aut sustulisse aut immutasse.

Abhorret S. Sedes, uti semper abhorruit, ab illis connubiis, maximeque dolet, quod nostris temporibus in pluribus regionibus frequentius occurrant, nec penitus impediri possint. Quod si hac praesertim de causa ea matrimonia in quibusdam regionibus ubi catholici cum haereticis seu schismaticis permixti habitant, non solum tolerat, sed quandoque etiam ob peculiares rerum et personarum circumstantias dispensando permittit, ut catholicus aliquis vir, aut catholica aliqua mulier, cum muliere aut viro haeresi aut schismati addictis nuptias contrahant, semper tamen et omnino cautum esse vult, ut observatis quibusdam conditionibus et cautelis, ea omnia ab huiusmodi connubio removeantur, quae legi naturali aut divinae adversantur.

Rursus si impediri omnino citra maioris mali scandalique periculo nequeat quominus deficientibus illis conditionibus matrimonia mixta celebrentur, tunc neque ad perpetratum a filiis suis crimen tacet, neque illicitum connubii foedus iisdem coeremoniis cohonestare permittit, quibus eas nuptias sanctificare solet, quae in Domino contrahuntur; attamen dum illa coniugia deplorat, atque indubiis verbis et factis damnanda esse declarat, ea utitur indulgentia, ut ad graviora damna avertenda id fieri patiatur quod sine Dei offensa fieri posse cognoscit, quodque in ipsius Ecclesiae utilitatem necnon in filiorum suorum salutem cedere posse confidit.

Iam vero ex memoratis vestris litteris ad praefatum Apostolicum Nuntium datis non sine magno animi dolore percepit Sanctitas Sua, illa praesertim, quae a sapientissimo Antecessore suo Gregorio XVI fel. rec. circa passivam assistentiam, quam vocant, praescripta sunt inter graeci ritus tam catholicos quam schismaticos homines, aut minime executioni mandari, aut si exequerentur, nullomodo hac indulgentia impediri posse, quominus mixta matrimonia coram sacerdote schismatico ineantur. Nam si passiva illa assistentia omnino urgeretur, atque catholici graeci pro huiusmodi nuptiis sacerdotis uniti benedictione privarentur, fieri certissime scripsistis, ut iidem catholici ab ineundis matrimoniis mixtis minime desistentes, ad sacerdotem schismaticum pro obtinenda benedictione se converterent; sicque tum ipsi, tum universa ipsorum proles perversionis periculo committerentur.

Ex orientalis enim Ecclesiae doctrina sacerdotalem benedictionem ad matrimonii validitatem necessario requiri; nec ratum et legitimum, seu Sacramentum, tam a schismaticis quam a catholicis graeci ritus hominibus censeri connubium, nisi adhibitis Ecclesiae solemnibus caeremoniis celebraretur, neque iisdem persuaderi posse asseruistis, ut matrimonium praesente tantum parocho, illoque nihil prorsus sacri agente conciliatum, pro sacramento et pro indissolubili foedere haberent atque venerarentur. Ut proinde impediatur, quod certe impediri debere pro summa vestra pietate et religione cognoscitis, quominus eiusmodi nuptiae a catholicis in suorum ipsorum et futurae prolis perniciem coram schismaticis sacerdotibus ineantur, optimum, si non unicum, rati estis fore remedium, ut catholico sacerdoti indulgeatur dictis matrimoniis assistere, et illa sacro et ecclesiastico ritu cohonestare.

Maximi sane momenti sunt, quae a Vobis, Reverendissimi Praesules, in huiusmodi angustiis de re gravissima relata sunt; neque parvi facienda pericula et difficultates, quae ex vestra sententia passivam, uti aiunt, assistentiam in illis dioecesibus consequerentur.

Ad singula proinde respondendum est. Atque ut ab eo incipiatur ex quo praesertim memoratae difficultates oriri videntur, a benedictione scilicet sacerdotali, quam ex ipsius Ecclesiae orientalis doctrina ad matrimonii validitatem necessariam esse asseruistis, Ipsi profecto perspicitis hanc quaestionem intime connexam esse cum alia gravissima et celeberrima de ministro nempe sacramenti Matrimonii, quae inter catholicos doctores hinc inde agitatur. Qua in re cum nullo adhuc Ecclesiae decreto quaestio decisa sit, haec S. Congregatio nec iudicis partes assumere, nec ipsam quaestionem definire modo habet in animo. Interim vero praeteriri nequit, sententiam, quae ipsos contrahentes sacramenti ministros esse defendit, teste Benedicto XIV (in opere de Synodo Dioecesana, lib. VIII, cap. XIII, n. 4 et seq.) et communiorem esse, et validissimis niti argumentis, quibus ex ipsius S. Sedis agendi ratione magnum pondus accessisse negari haud potest. Hinc licet utraque sententia libere defendi queat a viris theologis, si tamen de valore peculiaris cuiusdam matrimonii agitur, caute et circumspecte loquendum et agendum est, nec statim tamquam invalidum pronunciandum erit matrimonium ex eo, quod absque sacerdotis benedictione celebratum sit. Quamquam enim Ecclesia nihil hactenus de ministro matrimonii pronuntiaverit, illud nihilominus certissimum est, S. Sedem sacerdotalem benedictionem aliosque ecclesiasticos ritus, qui in conciliandis nuptiis adhiberi solent, minime eo loco habere, ut eos ad matrimonii validitatem omnino necessarios esse iudicet. Quod, ut alia plura omittantur, ex eo manifeste patet, quod laudatus Gregorius XVI nonnullorum Antecessorum suorum vestigia secutus in saepe memoratis suis Litteris, quae Vobis certe notissimae sunt et familiares, mixtas nuptias cum sola passiva parochi assistentia absque ullo ritu sacro celebratas, pro validis habeat, et declaret, eum parochum, qui materiali tantum praesentia adest, audito utriusque coniugis consensu, deinceps pro suo officio actum tamquam valide gestum in matrimoniorum librum referre posse decernat.

Nec audiendus esset qui diceret huiusmodi matrimonia valida quidem esse tamquam contractus, non autem sacramenti dignitate insignita. Nam quando de christianorum matrimonio agitur, contractus a sacramento distingui nequit: « Fidei enim dogma est », ut nuper declaravit SSmus Pontifex Pius PP. IX fel. rec. in epistola ad Sardiniae Regem die 9 septembris 1852 data, [1] « fidei dogma est matrimonium a Domino Nostro Iesu Christo ad sacramenti dignitatem erectum esse; atque ex Ecclesiae doctrina, sacramenti ratio non qualitatem aliquam accidentalem refert contractui superadditam, sed ad ipsius matrimonii essentiam pertinet, ita ut unio coniugalis inter christianos non sit legitima nisi in matrimonio quod sit sacramentum, extra quod non habetur nisi concubinatus ». Quare si quis mixta connubia cum passiva tantum parochi assistentia conciliata, quae S. Sedes pro validis habet, sacramenti ratione destituta esse pronunciaverit, contractum in matrimonio christianorum a sacramento dividi posse supponeret, atque in hoc doctrinae Ecclesiae contradiceret.

Nunc vero ut ad ea veniamus, quae de orientalis Ecclesiae doctrina circa benedictionem sacerdotalem retulistis, notum profecto est eamdem Ecclesiam non minus quam occidentalem, inde ab origine christiani nominis, in celebrandis fidelium nuptiis, utpote novae legis sacramento, sacros ritus sacerdotumque benedictiones adhibuisse, simulque omnibus severissime interdixisse, ne, illis praetermissis seu neglectis, coniugale foedus conciliare auderent. Quod autem matrimonia contra communem Ecclesiae usum inita non solum pro illicitis, sed etiam pro irritis habita fuerint, ex ecclesiasticis orientis documentis demonstrari nequit. Equidem nullum cognovimus antiquae eiusdem Ecclesiae Patris effatum, nullum Conciliorum canonem, quo illud expressis ac indubiis verbis declaratum fuisse appareat. Porro orientalium et graecorum euchologia dum solemnitates ac ritus commemorant, quibus connubium celebratur, mutuum consensum quo sponsus et sponsa inter se copulantur supponunt, atque coniunctionem tamquam iam factam sanctificant, quin ullo verbo significetur, sacerdotem esse qui sponsos in matrimonium coniungat aut sacramentum ipsum efficiat et conferat. Dein cum secundae et tertiae nuptiae nec coronarentur nec benedicerentur, et nihilominus, quamvis apud orientales improbarentur, tamquam sacramentum reciperentur, patet minime spectatam fuisse ut necessariam sive coronationem sive benedictionem ad sacramentum constituendum.

Immo ex ipsius Balsamonis scholiis ad Canones S. Basilii 37, 38, 40, patet antiquitus reputatum fuisse nuptias solo contrahentium consensu perfici. Hinc persuasio illa de sacerdotalis benedictionis necessitate posterioribus temporibus orta esse videtur; quod nec difficulter explicari potest. Constat enim Leonem Philosophum Imperatorem nono saeculo legem tulisse (inter Novellas 89) cuius titulus est *ne matrimonia citra sacram benedictionem firma habeantur*, et in qua iussit eadem *sacrae benedictionis testimonio confirmari*. Viri autem docti demonstrant, mutatis illo tempore tum publicis, tum privatis Imperii conditionibus, actus illos legitimos, quibus

[1] Cf. N. 514.

ex iuris civilis praescripto nuptias, ut iustae legitimaeque evaderent, conciliari oportebat, aut in desuetudinem abiisse, aut amplius non suffecisse ut in singulis connubiis cognosceretur ea ad legum normam pro legitimis haberi posse. Hinc ratus est Imperator sacras caeremonias ab Ecclesia in celebrandis nuptiis adhiberi solitas praebere certissimum documentum, quo maritalis ille honor et affectio, atque legitimus in unionem coniugalem consensus, qui ad vera et legitima matrimonia requiritur, cognosci et probari possit.

Huiusmodi vero Leonis Imperatoris sanctio, utpote a civili potestate lata nec ecclesiasticas leges mutare, neque dirimens matrimonii impedimentum inducere potuit. Tota ipsius vis ad civiles tantummodo matrimonii effectus referenda erat. Attamen plurimi orientales, qui tum canones, tum Imperatorum leges collegerunt atque interpretati sunt, eamdem sanctionem seu legem, sicut et aliam posteriorem ab Alexio Comneno publicatam, in suas collectiones retulerunt. Minime autem mirandum est, quod ipsa sanctio seu lex ad sacramentalem etiam matrimonii naturam deinceps fuerit applicata; cum neminem, qui ecclesiastici iuris historiam apud graecos noverit, lateat imperatoriis sanctionibus in orientali Ecclesia, maxime postquam diro schismate ab unitate avulsa fuit, parem imo et maiorem quam sacris canonibus attributam fuisse auctoritatem. Hinc sententia, quae matrimonia absque sacerdotis benedictione inita pro invalidis habet, in hominum animis eo facilius praevaluit, quo magis illorum intererat, ut nuptiae eo modo celebrarentur, qui ad consequendos civiles earumdem effectus omnino requireretur.

Ceterum posterioribus etiam temporibus, in Ecclesia orientali, sententiam quae sacerdotem huius sacramenti ministrum, atque sacerdotalem benedictionem ad eiusdem sacramenti validitatem, necessariam esse asserit, minime ab omnibus receptam fuisse, ex iis patet quae Gabriel Metropolita Philadelphiensis in tractatu seu opusculo, quod de sacramentis conscripsit, de Matrimonio disserit. [1] Qui saeculi XVII scriptor, dum in aliorum sacramentorum tractatione de eorum ministro sermonem habet, ubi de matrimonio disputat, ministrum penitus praeterit. Capite quidem 2. eiusdem de matrimonio tractatus enumerans ea, quae ad *legitimum* (*νομιμον*) matrimonium requiruntur, quarto loco *oportere* dicit *ut matrimonium sit coniunctum per sacerdotem et preces eius ac benedictiones*. Capite vero 9, postquam in praecedenti Capite *materiam* huius sacramenti *mutuum viri et foeminae consensum esse iuxta praestantes doctores* asseruerat, *formam* esse dicit *confessionem verborum ipsorum coram adstantibus, hoc est: Vis me, volo te*. Ex hac doctrina suapte sequi videtur, Gabrielem Metropolitam Philadelphien. minime considerasse sacerdotem tamquam sacramenti ministrum, quippe qui formam ab ipsis coniugibus materiae applicandam, seu ea omnia agenda esse doceat, quibus sacramenti ratio absolvitur. Benedictio porro sacerdotalis, quam ad legitimum (*νομιμον*) matrimonium requirit, ex eius sententia nihil faceret ad illud firmum ac validum reddendum.

[1] Apud Schelstrate in *Actis Orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim*, Pars I, p. 253.

Quae hactenus per summa capita de sacramenti Matrimonii ministro, nec non de sacerdotalis benedictionis necessitate allata sunt, non ideo dicta esse credatis, Venerabiles Praesules, quod Sacra haec Congregatio in hac re vel iudicium proferre, vel istorum fidelium persuasionem reprobare voluerit, qua nuptias religiosis ritibus cohonestari tanto ardore desiderant. Minime quidem: sed quoniam huius rei veluti praecipuae difficultatum causae a Vobis mentio facta est, suum esse duxit, aliqua saltem ad gravissimam hanc quaestionem dilucidandam afferre, ne illam consulto silentio praeteriisse, sicque ultro admittere videatur, ipsam orientalem Ecclesiam indubie et sacerdotem pro sacramenti ministro, et ipsius benedictionem tamquam pro valore matrimonii necessariam habuisse. Profecto in re, quae necessarias sacramenti partes divinamque eiusdem institutionem respicit, tam orientalis quam occidentalis Ecclesiae doctrina apprime conspirare eademque esse debet; cumque exploratum sit in occidentali Ecclesia, ac praesertim ab hac Apostolica Sede benedictionem sacerdotalem ceterosque sacros ritus in matrimonii celebratione adhibitos, minime pro necessaria eiusdem sacramenti parte haberi aut habitos fuisse, patet ea quae circa eamdem benedictionem in Ecclesia orientali praescripta inveniuntur, non ad dogmaticam ipsius doctrinam, sed ad disciplinam tantummodo pertinere potuisse, proindeque nuptias inter fideles orientalis ritus conciliatas, non statim pro irritis et invalidis esse habendas, simul ac constiterit eas absque sacerdotis benedictione fuisse celebratas.

Caeterum in mixtorum connubiorum negotio, de quo nunc Vobiscum agendum est, nil refert, ut optime Ipsi intelligitis, quaenam circa Matrimonii ministrum ac benedictionis necessitatem sententia amplectatur. Non enim illud quaeritur, utrum sacerdotalis benedictio reapse requiratur ad valide contrahendum eiusmodi matrimonia; sed totius rei cardo in eo situs est, ut decidatur utrum, habita ratione illius persuasionis, quae graeci ritus fidelibus passivam parochi assistentiam exosam reddit, haec ipsa assistentia omitti debeat, atque eius loco liceat sacerdoti eadem connubia adhibitis ecclesiasticis precibus et caeremoniis cohonestare.

Iam superius dictum est, S. Sedem aliquando in lege matrimonia mixta prohibente dispensare, ac permittere ut praemissis observatisque debitis cautelis eadem connubia iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam[1] celebrarentur. Eiusmodi nuptiae cum Ecclesiae venia initae, licitae profecto sunt, ac citra omne peccatum a catholico viro seu catholica muliere contrahi possunt.

Attamen S. Sedes, ut in animis catholicorum numquam obliteretur memoria canonum, qui haec detestantur connubia, atque constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia filios avertere consuevit ab iisdem nuptiis ineundis, eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis, praeter memoratas cautiones, quae omnino praemitti debent, alias ulterius praescribere solet conditiones de omittenda scilicet, in eorum connubiorum celebratione, parochi benedictione, deque ipsa celebratione extra ecclesiam peragenda. Quod si

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

proinde eadem S. Sedes ne in illis quidem matrimoniis sacerdotalem benedictionem adhibendam esse duxit, quae licita sunt et cum Ecclesiae venia contrahuntur, quomodo permittere aut tolerare poterit, ut sacris ritibus cohonestentur ea coniugia, quae ob neglectas cautelas ab Ecclesia praescriptas illicita prorsus sunt et reprobanda?

Novimus equidem Summos Pontifices, ubi de licitis, et cum venia Ecclesiae contrahendis matrimoniis ageretur, aliquando tolerantia usos fuisse atque Antistitum prudentiae commisisse, ut ipsi, omni rerum, locorum ac temporum ratione habita, iudicent, quando praedictae conditiones de ipsis praefatis coniugiis, extra ecclesiam nempe et absque parochi aut alius catholici sacerdotis rite deputati benedictione, sine gravioris mali metu et periculo possint ac debeant servari, et quando ad maiora mala et scandala propulsanda tolerari possit mos eadem coniugia benedicendi. Ast etsi huiusmodi tolerantia in illis matrimoniis aliquando intercedere queat, quae utpote cum Ecclesiae venia ineunda, licita sunt, illam tamen ad omnia mixta connubia indiscriminatim extendendam esse nemo pronunciare audebit, qui animo reputet, quaenam in hac re sit constans Ecclesiae doctrina et agendi ratio. Vos, Reverendissimi Praesules, minime latet praefata matrimonia ideo maxime ab Ecclesia prohibita esse, quia in illis contrahendis catholicus coniux, ut plurimum, periculo committeretur transgrediendi ipsius legis naturalis et divinae praeceptum, quo tenetur suam prolem in religione catholica, extra quam non est salus, educare, et a se omnem perversionis occasionem avertere, atque alterius coniugis salutem omni studio procurare. Hinc nisi eiusmodi periculum opportunis iisque efficacibus cautionibus penitus amoveatur, catholicus in praedictis mixtis matrimoniis ineundis temere ageret, atque, ut declarat Summus Pontifex Pius VIII fel. rec.,[1] *non modo canonicas violaret sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem et divinam legem peccaret*. Iam vero inde vosmetipsi intelligitis, Venerabiles Praesules, matrimoniis, quae sine gravissimo peccato a catholicis contrahi nequeunt, minime a catholico sacerdote bene precari posse. Gravissimi siquidem criminis et ipse coram Deo et Ecclesia reus foret, quippe qui non solum aliorum peccatum et sacrilegium proprio actu approbaret, illisque cooperaretur, sed etiam aut sacramentum publice indignis administraret, si pro illius ministro eumdem habere velis, aut sacri ritus exhibitione ad sacrilegam sacramenti profanationem concurreret, si, ut plurimi tenent, ipsi contrahentes ut ministri sibi invicem conferunt sacramentum.

Quamobrem ubi illicitae nuptiae catholicos inter et haereticos seu schismaticos impediri minime possunt, sapientissimi Romani Pontifices tristem eorum, qui huiusmodi connubiis implicantur, conditionem, atque maius bonum Ecclesiae respicientes, passivam tantummodo parochi assistentiam, quam in mixtis matrimoniis conciliandis, servatis conditionibus, et cum eorum dispensatione permittere consueverunt, tolerari posse arbitrati sunt. Benedictionem autem sacerdotalem caeterosque Ecclesiae ritus numquam

[1] Pius VIII in Litt. Ap. ad Archiep. Colonien. et Episcopos suffraganeos die 25 martii 1830. — Cf. N. 482.

in eiusmodi nuptiis admiserunt, imo expressis verbis ab omni sacro ritu
abstinendum esse semper et constanter declararunt.
Neque dicatur Ecclesiam, sicut ad maiora mala et scandala amovenda
passivam assistentiam aliquando tolerare consuevit, ob eamdem rationem
indulgere posse, ut quando sponsi hanc passivam assistentiam adversantur,
eorum nuptiis quamvis illicitis sacerdotalis benedictio adhibeatur. Nam
diversa et non eadem est passivae assistentiae et sacerdotalis benedictionis
ratio. Parochus qui ex S. Sedis tolerantia, et tantum ut Concilii Tridentini
legi satisfiat, illicito matrimonio tamquam testis, materiali tantum praesentia,
adest, coram se fieri sinit, quod ipse nequit impedire, quodque, si alio modo
factum fuerit, tam in catholici coniugis, quam in Ecclesiae damnum cederet.
Parochus nihil dicit, nihil agit, quo illicitam et perniciosam eiusdem coniugis
actionem aut approbare aut cohonestare videatur; imo hoc ipso quod actui
ex natura sua sacro assistat, quin ullo modo eas exhibeat preces et caeremo-
nias, quibus Ecclesia alias matrimonia et approbat et solemniora reddit,
manifeste vel tacendo et nihil agendo declarat a catholico iniri connubium,
quod Ecclesia tamquam illicitum et perniciosum reprobat atque damnat.
E contra sacerdos iisdem illicitis nuptiis benedicens, non tantum fieri sine-
ret quod nequit impedire, sed ipse propria sua actione aliorum peccato
cooperaretur, et insuper sacrum et publicum ministerium, quo fungitur,
profanando, illicitas mixtas nuptias tam suo, quam Ecclesiae nomine appro-
bare, earumque libertatem saluti animarum et fidei causae perniciosam sua
ipsa opera fovere videretur. Itaque quamquam omni studio enitendum est,
ut impediantur catholici quominus pro benedicendis mixtis ipsorum nup-
tiis ad sacerdotes schismaticos confugiant, sicque se ipsos et futuram sobo-
lem perversionis periculo committant; ea tamen ratione semper agendum
esse clare dignoscitur, quae prorsus ab omni peccato aliena est. Quando-
quidem quod ex se malum et peccatum est, nec ad impedienda maiora
mala, nec ad promovenda quaecumque etiam bona admitti potest.

Interim cum inter fideles, qui graeco ritui addicti sunt, ex vestra con-
cordi sententia, passiva illa assistentia a Gregorio XVI pro Hungariae Regno
indulta in usum deduci minime possit, unus alterve vestrum Reverendissi-
mus Antistes ratus est, malis et difficultatibus saltem ex parte obviam iri,
si illa lex reintegraretur, qua omnia indiscriminatim matrimonia mixta
coram catholico parocho fieri iubebantur, vel nova lege praescriberetur, ut
eadem matrimonia vel omnia coram sponsi, vel omnia coram sponsae paro-
cho celebrarentur.

Attamen revocata ad pristinum vigorem priore illa lege, eaedem vel etiam
maiores haberentur difficultates. Numquam siquidem, uti ex superius dictis
patet, licere poterit catholico parocho, ut in nuptiis, quae spretis conditio-
nibus illicite contrahuntur, sacerdotalem benedictionem impertiatur; quam
si negaret, uti certe negare deberet, quotiescumque cautelae ab Ecclesia
praescriptae deficerent, partes passivam ipsius assistentiam recusantes, aut
posthabita lege civili ad sacerdotem schismaticum confugerent nuptias cele-
braturae quae iuribus civilibus carerent, aut pars catholica ad schisma trans-
iret, ut illis iuribus potiatur atque civiles poenas effugiat.

Parum itidem utilitatis pro Ecclesia sequeretur, nec difficultates minue-
rentur si, nova lege, aut solius sponsi, aut solius sponsae parocho assistendi
ius tribueretur.

In primis enim animadvertendum est non easdem in Transilvania quam
in Hungaria civiles leges circa religiosam prolis in mixtis nuptiis procrean-
dae educationem etiam modo obtinere. In Hungaria siquidem dum sponsus
catholicus est, universa proles in catholica religione educanda est; dum vero
sponsus acatholicus seu schismaticus, filiae quidem in matris catholicae
religione educari iubentur, filii autem patris confessionem sequi permittun-
tur. E contra in Transilvania proles iuxta sexum in alterutrius parentis reli-
gione educanda est. Hinc in Transilvania sive sponsi, sive sponsae parocho
assistendi ius tribueretur, in quolibet mixto connubio praescriptae cautelae
exigendae essent; quae si negarentur, negari etiam deberet sacerdotalis bene-
dictio. In Hungaria autem licet parochus sponsi in omnibus matrimoniis
mixtis inter virum catholicum et mulierem acatholicam contrahendis, sal-
tem ex tolerantia S. Sedis, sacros ritus adhibere possit, tamen sponsae paro-
cho id non liceret, nisi de universa prole in catholicae religionis sanctitate
educanda expresse cautum foret. Ex his iam patet tum in Hungaria, tum in
Transilvania, cuicumque demum parocho ius assistendi mixtis nuptiis decer-
neretur, coniugia obvenire posse, quibus bene precari catholico sacerdoti
nefas est; et proinde difficultates, quae in illicitis eiusdem nuptiis oriri
solent, nullo modo removerentur. Deinde cum, eadem hac nova lege, paro-
cho schismatico vel sponsi vel sponsae idem omnino ac catholico matrimo-
niis assistendi ius tribuendum esset, catholici per ipsam legem ad vetitam
in sacris communicationem cum schismatico sacrorum ministro adigerentur.
Eiusmodi vero legem Ecclesia nec ipsa ferre, nec ut a civili potestate feratur,
petere unquam potest.

Quae cum ita sint, vosmetipsi perspicitis, Venerabiles Praesules, ab huius-
modi legibus parum vel nihil pro utilitate Ecclesiae sperandum fore; quan-
doquidem nisi passivae assistentiae loco, ipsa sacerdotalis benedictio adhi-
beri posset, quod prorsus nefas esse cognoscitis, istis legibus minime impe-
diretur, quominus catholici ab illicitis mixtis connubiis desistere nolentes
ad schismaticos sacerdotes se convertant, atque illegitimis ipsorum ritibus
sese immiscentes, paulatim a catholicae Ecclesiae fide et unione recedant.
Alia igitur via multiplicibus illis malis difficultatibusque occurrendum erit,
quae Vos merito tantopere angunt ac sollicitos habent.

Nulla alia porro ratione id securius et efficacius fieri posse videtur, quam
si omni ardore, quo vos in procuranda animarum salute flagrare compertum
est, in id intendatis, ut fideles curae vestrae concrediti mixtas nuptias aut
omnino evitare, aut saltem nonnisi observatis adamussim debitis cautelis
celebrare studeant.

Quod ut assequi possitis, in primis ipsorum fidelium animis impenso
constantique studio inculcandus erit ille fidei nostrae articulus de catholicae
nempe fidei et unitatis necessitate ad salutem consequendam. Quod praeci-
puum christianae religionis dogma, ut probe nostis, tum innumeris penes
Sanctorum Patrum locis testatum, tum solemnibus quoque Ecclesiae actibus

ac praesertim illis fidei professionibus enunciatum est, quas ab Apostolica Sede propositas tam graeci, quam caeteri orientales catholici amplectuntur. Ne cessetis proinde fidelibus eadem repetere verba, quibus celeberrimus Apostolorum discipulus S. Ignatius Martyr in epistola ad Philadelphienses utitur dicendo: « Ne erretis, fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, Regni Dei hereditatem non consequitur ». Etenim crebro et continuo tum a vobismetipsis, tum a caeteris, qui vobis subsunt, animarum pastoribus excitandus est populus ad catholicam fidem atque unitatem, ad quam summo Dei beneficio adductus est, tamquam unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque ideo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tenendae necessitas, ubi fuerit in cunctis fidelium animis impressa alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere debebunt parochi a nuptiarum foedere cum schismaticis ineundo, aut si aliqua interdum causa interveniat, ob quam mixtae huiusmodi nuptiae sini debeant, eas non aliter contrahant nisi impetrata Ecclesiae dispensatione, et conditionibus, quae ab ipsa praescribi solent, religiose observatis.

Interim haec S. Congregatio minime ignorat ea esse tristissima locorum ac temporum adiuncta, ut tam felix rei exitus nec semper, nec facili modo obtineri possit. Ex gravissimis enim litteris Vestris cognovit maximas difficultates et angustias ea potissimum de causa adesse, quod in Vestris regionibus civiles leges etiam nunc habeantur, quarum una reversalibus, ut aiunt, de religiosa filiorum educatione litteris omnem vim obligandi ademit, altera perniciosam fidei deserendae et ad acatholicorum partes transeundi libertatem praebet. Ast praeterquamquod S. Sedes omni studio in id incumbit, ut funesti istarum legum effectus inhibeantur, huiusmodi difficultates animarum pastores nullo modo a gravissimo quo tenentur officio eximere valent, ut fideles mixta connubia inire cupientes, nec non eorum parentes aliosve quorum sub cura sunt, sedulo ab ipsis edoceantur, quaenam circa eam rem Ecclesiae sententia sit, graviterque moneantur, ne illius praecepta, terreni forsitan lucri aut commodi causa, in perinciem animarum suarum perfringere audeant.

Vestrum proinde erit, Amplissimi Praesules, parochos de hoc officio commonere, illisque demandare, ut in fidelium memoriam revocent notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non solum peccata, sed et pericula ad peccatum proxime inducentia evitare iubemur; uti etiam aliud praeceptum eiusdem legis, quo parentibus iniungitur filios educare in disciplina et correptione Domini, ideoque ipsos erudire ad verum Dei cultum, qui unice est in Ecclesia catholica. Hinc oportet parochi adhortentur fideles, ut illicita mixta connubia celebraturi serio perpendant, quantam Supremo Numini faciant iniuriam, et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi se ipsosque filios perversionis periculo committant. Monendi porro omnino parochi adigendique sunt, ut sedulo et diligenter gregi suo invigilent, et statim ac compererint adesse iuvenes vel virgines, qui huiusmodi mixtas nuptias cum schismaticis inire velint, tunc ipsos eorumque parentes salutaribus

doctrinis imbuant, nihilque omittant, quo eos a transgrediendis Dei et Ecclesiae praeceptis avertant.

Sed quoniam in hoc gravissimo matrimoniorum negotio solius parochi arbitrio et prudentiae nihil relinquendum videtur, sed omnia ex Episcopi sententia fieri necesse est, iam ea Vobis, Venerabiles Praesules, suggerenda sunt, quae a Vobismetipsis praestanda erunt, ne quidquam in hac re praeter ordinem fiat.

Iniungere in primis parochis debebitis, ut Vos de quolibet matrimonio mixto, quod ipsorum parochiani contrahere cupiunt, quam citius certiores reddant, exactissime relatis omnibus rerum, locorum personarumque circumstantiis; nec quidquam omnino in hac re agere praesumant priusquam a Vobis opportuna responsa acceperint. Vestrum deinde erit diligentissime perpendere quid, habita eorumdem adiunctorum ratione, decidendum agendumve sit. Quod si videbitis nullam adesse spem fore ut catholici a celebrandis huiusmodi mixtis nuptiis desistant, paratos tamen esse sponsos ad conditiones omnes adimplendas, quae iisdem nuptiis praemitti debent, tunc poteritis quidem ad eas celebrandas veniam dare, utentes scilicet facultatibus, quas SSmus Dominus Vobis tribuendas esse censuit per Sacrae Congregationis nomini christiano propagando praepositae decretum.

Ad benedictionem vero quod attinet huiusmodi licitis, et cum Ecclesiae venia ineundis nuptiis impertiendam, optaret quidem summopere Sanctitas Sua, ut conditiones, quas Sancta Sedes praescribere solet de celebrandis scilicet illis connubiis extra Ecclesiam et absque benedictione, etiam apud Vos servari omnino possent. Quoniam vero, ut retulistis, Vestrarum dioecesium fideles passivam, uti aiunt, assistentiam tamquam in Ecclesia orientali non usitatam aversantur, ac sacerdotis benedictionem tanti faciunt, ut, si illa a catholico sacerdote negaretur, non modo id aegre ferrent, sed timendum plane foret, ne ad illam obtinendam ad schismaticos sacerdotes confugiant, eadem Sanctitas Sua ad maiora mala evitanda opportunum fore duxit Vestrae prudentiae esse omnino relinquendum, ut ipsi iudicetis quando praedictae conditiones sine gravioris mali periculo possint ac debeant servari, et quando ad maiora mala et scandala propulsanda tolerari possit mos easdem nuptias benedicendi.

Interea necessarium plane erit, ut fideles curae Vestrae concrediti sedulo instruantur graviterque moneantur de peccato, quo obnoxii forent, si pro celebrandis mixtis matrimoniis sacerdotem schismaticum adirent, ab ipso nuptialem benedictionem accepturi. Sive enim hoc facerent, accepta iam a catholico parocho eiusmodi benedictione, sive illa omissa seu etiam negata, Ecclesiae legem transgrederentur, qua sic dicta communicatio in sacris cum haereticis et schismaticis prohibetur, atque illegitimis illorum ritibus sese immiscentes, aliis scandalo essent, ac seipsos perversionis periculo committerent.

Quod si autem ex iis, quae a parochis Vobis relata sunt, appareat agi de matrimonio mixto, in quo celebrando sponsi cautiones ab Ecclesia praescriptas, aut aliquam eorum observare detrectant, tunc, si nuptiae impediri omnino non poterunt, ex Gregorii XVI indulto compertum est pati posse

ut a parochis catholicis consuetae proclamationes fiant. Non ignorat quidem S. Congregatio huiusmodi denuntiationes contrahendis nuptiis praemittendas in Ecclesia orientali antiquitus minime usitatas, nec lege aliqua generali praescriptas fuisse. Sed cum ex iis, quae hac de re ad Apostolicum Nuntium Vindobonensem scripsistis, easdem proclamationes apud Vos in usu esse constet, atque illas faciendi necessitas, uti bene scitis, lege civili quam maxime urgeatur, tolerandum utique etiam a Vobis erit, ut parochi proclamationes eo modo faciant, et a se factas esse testentur, quem Summus Pontifex in notissimis Litteris Apostolicis ad Hungariae Antistites datis accurate praescripsit. Maxime autem opportunum erit, si hanc veniam concedentes, parocho simul iniungatis, ut, iteratis etiam Vestro nomine salutaribus monitis et hortamentis, sponsos a perpetrando tam multiplici scelere omni studio omnique charitate avertere denuo conetur.

Si vero catholici nullo modo adduci poterunt, ut vel a celebrandis perversis hisce nuptiis desistant, vel legis naturalis et divinae praeceptis obtemperent, tunc Vestrae erit prudentiae iudicare utrum omni habita rerum, locorum et personarum ratione, exigi aut admitti possit ac debeat illa passiva parochi assistentia, quam Gregorius XVI f. r. ad maiora evitanda mala et ob maiorem tantum Ecclesiae utilitatem tolerari posse declaravit. Sane si sapientissimi illius Pontificis indulgentiam nec malis remedium afferre, nec in Ecclesiae bonum cedere posse iudicaveritis, illam passivam assistentiam minime urgere debebitis; sed, ea prudenti consilio praetermissa, nec ulla de causa, nec ullo modo permittere vel tolerare poteritis, ut catholicus parochus aut alius sacerdos illicitis et damnandis eiusmodi nuptiis benedicat. Imo Vestri officii omnino erit admonere graviter parochos ac stricte ab ipsis exigere, ut non solum a benedictione et a quocumque alio sacro ritu abstineant, sed ab omni etiam verbo et actu, quibus illicita illa coniugia cohonestare et approbare viderentur; ne, uti superius iam dictum est, gravissimi criminis etiam ipsi coram Deo et Ecclesia rei evadant. Sponsi autem catholici, quibus in hisce circumstantiis deneganda est sacra benedictio, si coram schismatico sacerdote dein coniugale foedus celebrare praesumpserint, nec durius habendi, nec omnino reiiciendi aut derelinquendi sunt: sed omni conatu et sedula charitate parochis elaborandum erit ut, quod iam praelaudatus Summus Pontifex Gregorius XVI Hungariae Episcopis significari iussit, catholicus coniux ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune excitetur, atque solerter adducatur ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur; illam praesertim de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse paratumve esse, quoad valuerit, scandali reparationi, tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri.

Ex iis quae hactenus exposita sunt, iam intelligitis, Venerabiles Praesules, quanta prudentia, quantaque constantia agendum sit, ubi mixtae catholicos inter et schismaticos conciliandae sunt nuptiae. Non enim solius ecclesiasticae disciplinae ratio habenda est, quae utique pro diversa rerum, locorum temporumque conditione variari potuit, atque aliquando etiam mutari debet, ubi animarum salus maiorque ipsius Ecclesiae utilitas id postulaverit; sed

insuper quae sit eiusdem Ecclesiae inviolabilis doctrina, quaeque naturalis ac divinae legis praecepta, prae oculis omnino habendum; ne cum mala atque pericula gravia etiam et certa propulsare intendimus, graviora provocemus manifestisque peccatis implicemur.

Nunc, quod reliquum est, pauca adiungenda sunt de illo Instructionis ad Hungariae Antistites datae capite, in quo Summi Pontificis Gregorii XVI iussu declaratum est, matrimonia mixta coram ministro acatholico, seu non servata Concilii Tridentini forma celebrata, ab Episcopis et parochis prudenter esse dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda.

Atque in primis in dubium revocari omnino nequit Pontificiam hanc declarationem ad Vestras quoque dioeceses extendi, cum illam pro omnibus Hungariae et Transilvaniae Episcopis datam, omnibus pariter transmissam, atque a Vobis, vestrisve antecessoribus acceptam fuisse constet. Matrimonia proinde mixta coram schismatico sacerdote contracta, licet illicita sint atque damnanda, pro validis tamen habenda erunt, idque vel magis cum ex litteris, quae a Vobis ad Vindobonensem Nuntium datae fuerunt, pateat, pro certo affirmari haud posse Concilii Tridentini Decretum [1] apud Vos in singulis parochiis vim obligandi obtinuisse. Minime enim Vos latet eiusmodi Decretum, iuxta doctrinam a Benedicto XIV in *Syn. Dioecesana*, lib. XII, Cap. V, n. 6, prolatam, in illis tantummodo locis in vigore esse, in quibus *tamquam Concilii Tridentini decretum* aut publicatum iampridem fuisse, aut iam usu receptum esse constet, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in executionem decreti Concilii Tridentini celebrarentur. Quare etiamsi eadem forma, quae a Concilio Tridentino stabilita est, vel ab aliquo Episcopo, vel a Concilio Provinciali, vel a lege civili praescripta, et inde in parochiis singulis observata fuerit, nisi hanc formam tamquam a praefato Concilio praescriptam et iniunctam, et observatam fuisse constiterit, minime ex neglectu eiusdem formae dirimens matrimonii impedimentum exurgere poterit. Suprema enim tantummodo vel Concilii Oecumenici, vel Summi Pontificis auctoritas novam contrahendi formam praescribere, atque nuptiis contra huiusmodi formam celebrandis firmitatem adimere potest. Hinc Vosmetipsi etiam perspicietis, Amplissimi Praesules, leges illas civiles, quae matrimonia mixta coram solo parocho catholico celebranda esse iusserunt, minime efficere potuisse, ut eiusmodi nuptiae coram schismatico sacerdote contractae pro invalidis haberi possint, licet civilibus effectibus destitutae essent, qui a lege civili nonnisi legitimis matrimoniis tribuuntur.

Quae nuper de mixtis nuptiis coram sacerdote schismatico celebratis, atque de Concilii Tridentini Decreti vigore dicta sunt, tunc etiam prae oculis habenda sunt, quando in foro tum interno, tum externo de valore illarum nuptiarum iudicandum Vobis erit, quae vel a schismaticis inter se, vel coram alio sacerdote quam sponsi et sponsae proprio parocho, aut sacerdote rite deputato celebratae fuerunt. Ubi enim constiterit in iis locis in quibus eiusmodi connubia conciliata sunt, Tridentinum Decretum non

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

tamquam a Concilio hoc Oecumenico latum, aut publicatum, aut observatum
fuisse, matrimonia haec omnia, nisi aliud adfuerit dirimens impedimentum,
pro validis habenda erunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1154].

4844.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Fogarasien. et Alba-lulien.), 24 mart. 1858.

Non latet Amplitudinem Tuam quantum Apostolica Sedes elaboraverit,
ut fideles cuiuscumque ritus ac disciplinae, veluti membra eiusdem mystici
corporis sub uno in terris capite divina institutione coniuncta, in unitate
spiritus inviolate perstarent; atque ut etiam illi qui, a veritate declinantes,
ab unitate catholica discesserant, tandem aliquando ad Ecclesiae sinum redi-
rent; denique ut unitas fidei ac sanctitas disciplinae ubique terrarum floreret.
Etenim cum fides, per infallibile Ecclesiae magisterium proposita, non hu-
manis rationibus, sed divinis prorsus oraculis Deique revelantis auctoritate
innitatur, unica omnino eademque apud omnes esse debet qui Christi
Corpus constituere et in unico eius ovile vivere exoptant: ecclesiastica vero
disciplina, quamvis pro rerum ac temporum varietate, sive pro diversa illu-
strioris alicuius Ecclesiae traditione ac consuetudine, externam veluti varie-
tatem non respuat, tamen necesse omnino est ut nil contineat quod non
eiusdem fidei sanctitati respondeat, nihil quod morum doctrinae vel eccle-
siasticae honestati adversetur. Quo autem consilio, qua pastorali sollicitudine
id praestiterint, praesertim quoad orientales, Romani Pontifices, quibus
divinitus commissa est cura omnium Ecclesiarum, historiae ecclesiasticae
monumenta luculenter ostendunt, et Benedictus XIV, immortalis memoriae
Pontifex, in percelebri Encyclica *Allatae sunt*, [1] ob oculos evidenter ponit
quae dixerit quaeve constanter egerit Apostolica Sedes a Nicolao I Sanctis-
simo Pontifice ad sua usque tempora, ut orientales ad unitatem fidei ac pri-
stinam disciplinae puritatem reduceret atque in ea firmissime solidaret.
Qua in re omnis plane cura in eo collata fuit, ut detersis erroribus quos,
durante schismate, inimicus homo clanculo superseminaverat, de cetero
ritus orientalis qua in parte nec fidei catholicae adversatur, nec periculum
generat animarum, aut ecclesiasticae derogat honestati, inviolatus firmusque
maneret. [2] Quod libentissimo prorsus animo praestitit etiam SS. D. N.
Pius Papa IX decessorum suorum eximius aemulator; vix enim S. Petri
Apostolorum Principis cathedram conscendit, orientales omnes ad perropta-
tam concordiam amantissimis plane litteris [3] excitare, iamque unitos favo-
ribus augere non destitit, id unum requirens, ut errores omnimodi evelle-
rentur, sed ritus orientalis maneret inviolatus, quemadmodum et disciplina

[1] Encycl. 26 iulii 1755. Cf. N. 434.
[2] Encycl. ut supra.
[3] Litterae Apost. ad Orientales 6 ianuar. 1848. — Acta Pii IX, vol. I, p. 78-91.

quam ante schisma orientales servabant et profitebantur, quaeque veneran-
dis ipsorum antiquis liturgiis ac ritualibus innititur, religiose custodiretur.
Equidem non alio consilio novam ecclesiasticam Provinciam, ab Alba Iulia
dictam, praelaudatus Pontifex instituit, quippe qui explicate mandavit,
ut forma atque administratio ad ritum et disciplinam orientalis Ecclesiae
exigeretur; ut insuper vel tali exemplo etiam dissidentes allecti ac unitatis
studio, aspirante Deo, excitati, facilius in gremium catholicae unitatis se
reciperent. Quoniam vero disciplina istius Provinciae non satis apte in ali-
quibus ad exemplum orientalis Ecclesiae composita videbatur, ideo Sanctitas
Sua voluit, ut Episcopi memoratae Provinciae una tecum, collatis consiliis,
relationem de his omnibus, appositis lucubrationibus commentatam, exhi-
bere curarent, ut inde, rebus sedulo perpensis, opportune provideretur. Quod
ubi accepit A. T. laudabili quidem sollicitudine praestitit per litteras pridie
Kal. dec. 1856 datas perque insuper adiuncta folia, ubi plura habentur quae
disciplinam spectant orientalem et consuetudines moresque istius novae
Provinciae. Porro Sanctitas Sua, cui nihil est potius quam ut disciplina orien-
talis in sua puritate vigeat ac servetur, summopere in primis desiderans ut
qui, vocante Deo, sacris addicuntur ministeriis, nedum doctrina, verum
etiam integritate vitae praefulgeant, ut verbo et exemplo fideles, quibus prae-
sunt, possint instruere in doctrina sana, et eos qui contradicunt, etiam puri-
tatis vitae exemplo arguere, voluit ut per hanc S. C. de Prop. Fide quaedam
interim A. Tuae ceterisque istius Provinciae Episcopis significarentur quoad
continentiam clericorum, quaeve ad ea referuntur quae in praedictis foliis
a te transmissis continentur titulo IV *De Matrimonio clericorum*, in epistola
vero § XII.

Qui germanam traditionem de coelibatu ac continentia cleri sedulo ex-
penderit, inveniet profecto vel a primis Ecclesiae catholicae saeculis, si non
generali et explicita lege, moribus saltem ac consuetudine fuisse firmatum,
ut nedum Episcopi et presbyeri, sed ut clerici in sacris constituti virginita-
tem, vel perpetuam continentiam inviolate servarent. Eadem quippe sacri
ministerii dignitas, cui officia prope divina tribuuntur, id exigere videbatur,
ut qui immolare ac etiam producere deberent immaculatam victimam, quae
ipsa est sanctitas ac puritas, aut virginitatis candore, aut perpetua continentia
niterent. Amplissima insuper sanctorum Patrum traditio vel virgines vel
post nuptias perpetuo continentes demonstrat Apostolos, unde et ipsi non
alios sibi successores adscivere quam qui virginitatem coluissent aut invio-
latam continentiam profiterentur. Hic hon immorandum quid Apostolorum
exemplo ac institutis edocta egerit ac docuerit Romana Ecclesia ceterarum
mater ac magistra, quippe quae nunquam illam servandae castitatis obliga-
tionem intermisit, per totam occidentalem Ecclesiam salubriter propagavit,
ac tandem inviolabili lege sancivit. Sed et apud orientales coelibatus aut con-
tinentia clericorum, praeterquam quod maximo fuit semper in honore, anti-
quissimo ab usque tempore, in ecclesiis praesertim ubi disciplina Episcopo-
rum sedulitate florebat, religiose servabatur. Epiphanius siquidem, vir
sanctitate ac doctrina insignis, quique orientalis Ecclesiae disciplinam optime
norat, in expositione catholicae fidei (n. 21) conceptis verbis affirmat « Sa-
cerdotium ex virginum ordine praecipue constare, aut si minus... ex his

qui a suis uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur ». Principio etenim, prout loquitur Hieronymus [1] « quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia » ad sacerdotium aliqui etiam assumebantur qui iam matrimonio iuncti fuerant, sed vel in viduitate continentes vel vitam ita degebant quasi uxores non haberent. Unde idem Epiphanius (haeresi 59) diserte fatetur quemadmodum « Sancta Dei praedicatio in diaconum, presbyterum, Episcopum et hypodiaconum non suscipit unius uxoris virum liberos adhuc gignentem, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, maxime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici ». Neque contraria alicuius ecclesiae particularis consuetudo seu inobservantia quidquam obstat, dum sermo instituitur de disciplina Ecclesiae orientalis; etenim apposite idem Epiphanius prosequitur « At dices mihi: omnino in quibusdam locis liberos adhuc gignere presbyteros, diaconos et hypodiaconos: at hoc non est iuxta canonem, sed iuxta mentem hominum ». Quapropter ambigi nequit quin Epiphanii tempore clerici (ab hypodiacono ad Episcopum) coelibatum vel continentiam colerent. Quod aptissime firmari etiam potest testimonio Hieronymi, qui ob diuturnam in oriente commorationem, illius Ecclesiae mores ac disciplinam perfectissime noverat: porro s. Doctor Vigilantio, clericali continentiae infensissimo, praeter alia argumenta, factum opponit universalis Ecclesiae. « Quid facient orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Haec denique universalis Ecclesiae traditio, hi mores erant ubi purior disciplina vigebat ».

Putant quidam graecorum, et nimis confidenter asserunt, Episcopos in oriente sponte sua, non aliqua lege adstrictos servasse continentiam, quam dicunt primo in Trullana Synodo fuisse sancitam: ast praeter clarissima Patrum testimonia, vel ipse Iustinianus qui longe ante trullanos canones leges disposuit, quique profitetur, se esse priorum canonum executorem, non semel inculcat, [2] ut Episcopi vel ex ordine eligantur monachorum, vel ex clero quidem sed ii qui neque filios, neque uxorem habeant, aut illi saltem non cohaereant. Eadem insuper viget disciplina apud sectas orientales quae vel ante Iustiniani tempora ab unitate defecerant, omnes quippe in eo conveniunt, ut Episcopi eligantur coelibes. [3]

Longe aliter accidit quoad presbyteros aliosque clericos; etenim quae erat tempore Epiphanii inobservantia seu laxa alicuius Ecclesiae particularis consuetudo, ita tractu temporis radices agere ac propagari cepit, ut tandem totam pene orientalem Ecclesiam pervaserit; et invalescente consuetudine, quod tantum Cantoribus Lectoribusque permissum erat, etiam presbyteris tributum fuit aliisque clericis in sacris constitutis, ut nimirum cum uxoribus, quas ante sacram ordinationem duxerant, consuescerent. Quinimo eo usque in aliqua provincia orientali se protulit laxioris disciplinae aestus, ut nonnulli etiam post sacrorum Ordinum susceptionem matrimonium attentare prae-

[1] Lib. advers. Iovinian.

[2] Lib. I *Cod.*, *de Episc. et Cler.*, L. 44. — Novel. 123, c. 14, 59.

[3] Cons. itinerar. hierosolymit. Ioannis Catovici, qui conceptis verbis id testatur de chaldaeis nestorianis, de maronitis.

sumpserint; quod tamen utroque iure, ecclesiastico videlicet ac caesareo, et quidem ante trullanos canones, severe ac sub gravissimis poenis improbatum prohibitumque fuit, ut vel ipsae Iustiniani leges luculenter ostendunt. Etenim praefatus Imperator graviter conqueritur [1] de quibusdam clericis qui, *despicientes sacros canones* post Ordinationem nuptias attentare praesumpserant. Sacri siquidem canones severe vetabant sub poena privationis sacri ministerii, ne qui ex presbyteris, diaconis ac subdiaconis post huiusmodi ordinationem coniugari possent: unde, prosequitur idem Iustinianus « quemadmodum sacris canonibus prohibita sunt talia, sic et secundum nostras leges rem ipsam prohiberi » et canonicas poenas civilibus cumulans, filios ex tali nefaria coniunctione susceptos illegitimos decernit ac si ex incestuoso coniugio prognati essent « ita ut neque naturales aut nothi seu spurii intelligantur, sed prorsus et undique prohibiti, et successionis genitorum indigni ». Hactenus Iustinianus. Et quamvis in iuribus ecclesiasticis, ut rectissime loquitur Benedictus XIV, [2] potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, tamen in re, de qua agitur, Imperator loquitur relative ad sacros canones.

Neque obstat quod Provinciale Concilium Ancyranum canone X diaconis, si in Ordinatione contestati fuerint, se non posse continere, permisit ut vel post Ordines susceptos matrimonium contrahere possent: esto enim quod canon ille concessionis vim habuerit pro Ancyrana provincia, non poterat certe orientalis Ecclesiae disciplinam immutare: et revera non immutavit, prout perspicuis verbis una testantur Epiphanius, Hieronymus aliique Patres, et ipse Imperator apertissime tuetur. [3] Quapropter vel ipsa Trullana Synodus canone VI sub depositionis poena generatim decernit, ut nulli penitus subdiacono, vel diacono aut presbytero post ordinationem nuptias contrahere liceat; [4] unde etiam graecorum canonistae ultro fatentur canonem concilii Ancyrani a Quinisexto fuisse penitus abrogatum. [5]

Quae cum ita sint facile quisque videt quantum a germana orientalis Ecclesiae disciplina sit alienus mos ille, ut hypodiaconi, contrahentes post huiusmodi ordinationem matrimonium, ad superiores ordines promoveantur cum hoc vel ab ipsa Trullana Synodo penitus abhorreat. Quapropter Sanctitas Sua, cui summopere est cordi, ut mores istius Provinciae, quacumque corruptela detersa, ad normam purioris disciplinae orientalis componantur, haud potest quin meritis laudibus prosequatur Amplitudinis Tuae proposi-

[1] Cod. lib. I, tit. 3, *De Episc. et Cler.*, § Sacris Canonibus.

[2] Instruct. *Eo quamvis tempore*, die 4 maii 1745. — Cf. N. 357.

[3] Auth. Coll. IX, tit. VI, nov. 123, cap. XIV: « Non valente eo qui ordinat in tempore ordinationis, permittere diaconum aut subdiaconum post Ordinationem uxorem accipere etc. ».

[4] Can. VI, Conc. Trull.: « Quoniam in Apost. canonibus (can. 27) dictum est, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos lectores et cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus, deponatur etc. ».

[5] Balsam., Zonaras, Aristenius aliique Cons. Arcud. lib. 7, cap. 37 et Bened. XIV, Instruc. *Eo quamvis tempore*. — Cf. N. 357.

tum iterato firmatum, neminem scilicet deinceps admittendi ad sacros Ordines, nisi aut penitus coelibem aut eum qui ante hypodiaconatum, iuxta morem orientalem, legitimam uxorem duxerit. Hic igitur A. Tua cetérique istius Provinciae Antistites in proposito permanentes firmiter state, hic haerete.

Quoad eos vero clericos qui iam post subdiaconatus ordinem nuptias contraxere, et pro quibus A. Tua enixe supplicat ut pro hac vice, ex Apostolica dispensatione, licite promoveri possint ad superiores Ordines: Sanctitas Sua, attentis omnibus, et ex speciali gratia benigne dispensavit, ut quatenus nihil aliud obstet, licite promoveri possint ad diaconatus ac presbyteratus ordines, ac valeant insuper in coniugio iam contracto permanere. Haec autem Apostolicae Sedis indulgentia illos tantum respicit clericos, de quibus expresse loquitur memorata Epistola tua.

Ceterum SSmus D. N. vehementer hortatur in Domino A. Tuam et Venn. Episcopos istius Provinciae, Vobisque addit animos, ut maiori usque alacritate ministerium vestrum implentes, sedulo nitamini, ut clericorum continentia purior floreat ac ad normam genuinae orientalis disciplinae restituta inviolate persistat. Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) post sacros, ut praefertur, Ordines matrimonium attentare praesumpserint, decernit Sanctitas Sua, ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur, ut quos studium servandae disciplinae ac amor continentiae non movet, vel poenarum timor compescat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1158],

4845.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Pondicher.), 12 iun. 1858.

Satis clare innuisse arbitramur, quo in sensu accipiendus esset Instructionis diei 23 novembris 1845, incip. *Neminem profecto*,[1] articulus IV: *Hinc reiiciendum*; quaeque fuerit S. C. mens in commendanda naturalis cleri erectione sive evectione, ex memorato responso apprime patere ducimus. Ex iis autem, quae fuse adnotata in supradicta responsione sunt, promptum est arguere nil iussum per Instructionem, de qua sermo, quod nedum adversetur, verum etiam, quod omnino haud consonum sit agnitis ac servandis utique Seminarii Parisiensis, quas in postrema diei 12 martii epistola memoras, regulis. Statuta proinde missionariorum europaeanorum ex Apostolici Missionarii titulo ac dignitate, qua ditantur, praeeminentia, quodam veluti iure alia quaelibet superaddatur distinctio seu decanatus gradus, ut Presbyteros indigenas in choro aliisque conventibus praecedere debeant, supervacuum esse intelliges, quemadmodum habita ac servata inter Apostolicos ipsos Missionarios pro ministerii evangelici exercitio, ratione et ordine in usu iugiter fuisse doces. Interim tamen, firma hac Missionariorum Apostolicorum, indigenarum Presbyterorum respectu, praestantia, nil obstare percipies, quominus naturalis idem clerus ita curetur ac foveatur, ut cum tempus advenerit, prout laudata Instructio et allatae pariter Seminarii regulae commendant, par esse valeat ad quaevis Ecclesiae munia obeunda, quin europaeanorum ulterius egeat moderamine. Inter haec vero, ac salva Missionariorum Apostolicorum praeeminentia, nil item impedire videtur, quominus quaedam, ut ad maiora paretur et erigatur naturalis idem clerus indigenus, quoque Presbyteris inter ipsos praestantia ac decus aliquod tribuatur, habita meritorum sive laborum in vinea Domini ratione.

[1] Cf. N. 4816.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 231].

4846.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 25 febr. 1859.

Etsi sancta omnia sancte tractanda sint, propterea quod ad Deum pertineant qui essentialiter sanctus est, attamen augustissimum Eucharistiae Sacramentum, sicut sacris mysteriis omnibus absque ulla comparatione sanctitate praeeminet, ita maxima prae caeteris veneratione est pertractandum; nil itaque mirum, si tot Ecclesia diversis temporibus ediderit decreta, quibus SS. Eucharistiae delatio, pro adiunctorum varietate, vel denegaretur omnino, vel ea qua par esset reverentia admitteretur (*Vide quae in rem proferuntur ad calcem huius Instruct.*), cum nihil antiquius fuerit Ecclesiae Dei quam ut animarum profectum atque aedificationem debito cum honore divinorum omnium divinissimi mysterii consociaret. Haec porro prae oculis habens Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propagando, cum primum intellexit, in quibusdam... dioecesibus, consuetudinem seu potius abusum invaluisse, ut sacerdotes SS. Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferrent, ea tantum de causa quod in aliquem forte aegrotum incidere possent, ad Metropolitanos censuit scribendum, tum ut consuetudinem illam ab Ecclesiae praxi omnino abhorrere declararet, tum etiam ut eius extensionem accuratius deprehenderet. Responsa Archiepiscoporum brevi ad Sacram Congr. pervenerunt, ex quibus innotuit, multis in locis de abusu illo gravem admirationem exortam esse, cum aliqua in dioecesi ne credibilis quidem videretur. Verum non defuerunt Antistites qui illius existentiam eiusque causas ingenue confessi sunt. Quare Emis Patribus Sacri huius Consilii, in generalibus comitiis die 23 septembris elapsi anni habitis, omnia quae ad hanc rem referebantur exhibita sunt perpendenda, ut quid SS. Sacramenti debitus honor ac veneratio postularent, in Domino decerneretur. Omnibus igitur maturo examini subiectis, statuerunt Eminentissimi PP. Litteras encyclicas ad Archiepiscopos atque Episcopos... dandas esse, quibus constans Ecclesiae rigor circa Eucharistiae delationem commemoratur. Voluit insuper S. C. ut sacrorum Antistites excitarentur, quemadmodum praesentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiae disciplinam hac in re custodiendam, quantum temporis ac locorum adiuncta, necnon inductarum consuetudinum ratio patiantur, ita tamen ut sedulam navent operam ad veros

abusus corrigendos atque eliminandos. Quam quidem in rem censuerunt Patres Emi apprime conferre frequentem celebrationem Sacrificii Missae, qua videlicet sacerdotes facile necessitati occurrere possunt SS. Eucharistiam secum per multos dies retinendi. Quae cum ita sint, hortor A. T. ut in eum finem rurales aediculas multiplicandas cures, atque talia edas decreta ex quibus delatio SS. Sacramenti ad urgentes tantum causas, atque ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur, iniuncta vero presbyteris stricta obligatione semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi. Denique decreverunt EE. PP., ut de negotio isto gravissimo in provincialibus Conciliis agatur, quo nimirum Episcopi eam in suis dioecesibus communem normam inducere satagant, quam augustissimum Eucharistiae mysterium decere existimaverint. Tandem A. Tuae significare non praetermitto omnia et singula quae superius decreta sunt, SS. D. N. Pio PP. IX... relata fuisse in audientia diei 3 octobris elapsi anni, atque Apostolica auctoritate confirmata.

Notanda: Ex dubiis propositis pro Christianis sinensibus. — Ad propositum dubium: *An sacerdotibus sinensibus liceat in itineribus quae longissima sunt secum deferre Eucharistiam, ne ea priventur? Non licere* qualificatores S. O. die 27 martii 1665; et Emi approbarunt die 15 aprilis 1665.

2. Pro gubernatoribus navium Lusitaniae, qui singulis annis in Indias orientales navigant, petentibus licentiam deferendi Sacramentum Eucharistiae, ne nautae et rectores sine Viatico decedant, lecto memoriali, et auditis votis, SSmus supradictam petitionem omnino reiecit, ita quod nec in posterum ullo modo de ea tractetur. — S. C. S. O., die 13 iulii 1660.

3. Bened. XIV in Const. *Inter omnigenas* [1] pro incolis regni Serviae et finitarum regionum: *At ubi* (sicuti ibidem legitur) *turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.*

4. Honorius III in cap. *Sane, De celebratione Miss.*, expresse habet de delatione Eucharistiae, quod si *in partibus infidelium, ob necessitatem S. Viatici, permittitur, tamen extra necessitatem permittenda non est, cum hodie ecclesiastica lege absolute prohibitum sit ut occulte deferatur. Occulte deferre in itinere, nequit moraliter fieri absque irreverentia tanti Sacramenti.*

5. Verricelli, *De apostolicis Missionibus*, tit. 8, p. 136, expendit *an liceat in novo Orbe missionariis S. Eucharistiam collo appensam secum in itinere occulte deferre*, etc.; et, quidquid sit de veteri disciplina, concludit: *Hodie, universalis Ecclesiae consuetudine et plurimorum Conciliorum decretis, prohibitum est deferre occulte SS. Eucharistiam in itinere nisi pro communicando infirmo, ubi esset timor et periculum infidelium, et dummodo ad infirmum non sit nimis longum iter, sed modicum et unius diei.*

6. Thomas a Iesu, *De procur. salut. omnium gentium*, lib. 7: *Non auderem*

[1] Cf. N. 339.

Evangelii ministros qui in illis regionibus aut aliis infidelium provinciis conversantur, si, imminente mortis periculo, secum Viaticum, occulte tamen, deferrent, condemnare.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1171].

4847.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Pro-Vic. Kuytcheou), 6 dec. 1859.

Ad sinici vero pileoli quaestionem quod attinet, eam revera S. Congregationis mentem fuisse, quam innuis, declaramus, ut nimirum, si facile usus aboleri posset, neque graves adhuc illum retinendi causae, ut antea, suaderent sensim universalis Ecclesiae praxis Missam celebrandi capite detecto instauraretur. Votum eiusmodi Sacra C. haud retractavit, quamvis alicuius forte momenti rationes ab uno vel altero ex Praesulibus Missionum Sinensium ad tuendum pileoli usum afferrentur. Attamen, in ea sententiarum discrepantia, haud omnino praecipiendam vel urgendam esse censuit pileoli abolitionem, quam porro in aliquibus Missionibus pacifice et absque ulla fidelium aversione aut admiratione peractam, haud iniucundum accidit percipere. Cum itaque, in ista provincia, quemadmodum et in plerisque aliis Missionibus novimus, rite ac sine ullo religionis detrimento absoluta res fuerit, uti narras, ac fideles iamdiu pileoli abolitioni acquieverint et assueverint, ut consuetudo abrogata iterum instauretur, quamvis id a conterminis Kuy-Tcheu regionibus factum fuerit, nec probandum nec suadendum ducimus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1182].

4848.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Lehassae), 4 febr. 1860.

Cum nuper a Suprema Inquisitione, ad quam solvendas remisimus quaestiones ab A. T. propositas quoad mercaturae exercitium, [1] responsionem tibi communicandam acceperimus, eam sine mora transcribentes pandimus, quae est ut sequitur:

« Exposuisti S. C. de Prop. Fide, vetitum omnino esse, sub poena expul-

[1] Quaesierat Vic. Ap. « 1. Se sia lecito avere delle farmacie per vendere le medicine, « dei fondachi per depositare le altre merci, e venderle ugualmente agli avventori.
« 2. Se nelle terre soggette al gran Lama possano lecitamente i missionari commutare almeno merci con merci, come fanno gl'indigeni coi negozianti cinesi, onde ritenendo sempre i missionari il nome di negozianti, non vengono espulsi.
« 3. Se i secolari detti *battisti* che i missionari sogliono spedire da una stazione all'altra, sia per l'epistolare corrispondenza fra di loro, sia per trasportare sacri arredi, possano, viaggio facendo, esercitar la mercatura per non essere conosciuti.
« 4. Se ciò sia lecito anche ai missionari che si trovassero nelle medesime circostanze nell'intraprendere dei viaggi nell'interno ».

sionis, omnibus alienigenis, et praesertim europaeis, ingressum in istas Thibeti regiones, sive regi, sive magno Lamae subiectas, nisi ex causa negotiationis. Id intelligens A. Tua, verens ne apostolicum quod suscepisti mandatum, evangelizandi nempe efferatam et superstitiosam istam gentem, in tenebris et umbra mortis hactenus sedentem, incompletum remaneret, cum nullum aliud, ut asseris, suppeteret medium, opportunum putasti istius regni oras pervadere tanquam negotiator, quo praetextu fidem catholicam facilius tutiusque propagaturum contendis. Quocirca, ad omnem de vero Ampl. Tuae caeterorumque sociorum statu et conditione ab infidelium animis suspicionem avertendam, non solum dictis, eisdem demonstrare studes vos omnes non aliud esse nisi quaedam mercatorum societas lucris terrenis addicta, sed, ut in huiusmodi opinione ultro confirmentur, nonnulla promptuaria seu officinas ad merces servandas et vendendas huc illucque stabilire tibi placuit, et, quod mirum est, haec omnia perfecisse inconsulta Sede Apostolica, ad quam demum recursum habuisti, ut super liceitate praefatae negotiationis instruereris. EE. ac RR. PP. Supremae huius Sacrae Congregationis postulatis tuis serio ac mature perpensis responderunt: *non licere quovis titulo missionarios mercaturam exercere*, tibique respondendum esse per instructionem decreverunt.

Et sane, quanquam Emis PP. compertum sit, ex zelo quo ad fidem catholicam propagandam flagraris, A. T. permotam fuisse; tamen perspicuum tibi esse debet ss. canonum sanctiones, Conciliorum etiam generalium decreta, Apostolicas Constitutiones, et SS. Congregationum responsiones ad Vicariorum Ap. postulata, contrarias omnino esse praefatae tuae agendi rationi; neque bonitas finis illicita media ad eumdem consequendum legitimare potest, non enim sunt facienda mala ut veniant bona. Caeterum, divina Christi religio propagari non debet fictionibus et simulationibus, quemadmodum haeretici sua venenata dogmata propagare conantur. Dominus enim Salvator noster conversurus humanum genus, Apostolos et discipulos suos mittens, dixit illis: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Haec sunt divina monita, ad quae fideliter exequenda Evangelii praecones conatus omnes adhibere debent. Praetextus mercaturae, quamquam tibi videtur aptissimus ad fidem propagandam, nunquam tamen in conversionem animarum adhibenda est, ut indecens et valde indecora viris apostolicis exemplo Christi et Apostolorum, qui nunquam his fictionibus usi sunt, quibus Deo simul et mammonae obsequi viderentur. Non enim desunt exempla in quibus infideles ut primum vident eos, qui summi Dei se dicunt ministros et legatos, negotiis temporalibus addictos, eosdem spernunt, putantes illos uti religionis praetextu ut ex egestatis angustiis emergant. Hoc pacto, venerationem illam atque amorem quibus ad animas Deo lucrifaciendas prae caeteris indigent, ubique amittent et mercatorum potius pecuniarum, quam animarum curatorum, ignobile nomen sibi acquirent.

Ne igitur non solum ss. canonum sanctionibus, sed etiam Apostolicis

Constitutionibus Urbani VIII, *Ex debito pastoralis officii*, 22 febr. 1633;[1] Clementis IX, *Sollicitudo Pastoralis officii*, 17 iunii 1669;[2] Benedicti XIV, *Apostolicae servitutis*, 23 febr. 1741;[3] Clementis XIII, in sua Encyclica *Cum primum*, 16 sept. 1759;[4] et Pii VI, in responsione ad Archiepiscopum Theodosiopolitanum 18 martii 1782,[5] contradicere videaris, necesse est ut ab exercitio mercaturae, sive per te sive per alios, directe vel indirecte, aut quovis titulo vel colore, in posterum abstinearis, ne gravissimis poenis in SS. Canonibus et praesertim in praecitatis Constitutionibus latis, irretitus maneas.

Hisce praehabitis, ne mireris si aliquando intelligas S. C. plerumque dispensasse cum nonnullis ab huiusmodi negotiationis prohibitione. Omnes enim a praefata S. C. de Prop. Fide concessiones alicui Vic. Ap., vel presbyteris sinensibus ecclesiastico patrimonio carentibus factae, nonnisi quosdam casus particulares, et quidem urgentissimos, respiciunt. Nunquam vero huiusmodi concessiones factae fuere ut missionarii exercitio mercaturae uti possent tanquam medio ad fidem catholicam propagandam, prout A. T. obtinere peroptat.

Seclusa ergo quacumque negotiatione, species medicinales dumtaxat, ad infirmorum usum gratuito, vel saltem absque ullo lucro a missionariis in hac arte peritis exhibendas permittere vales. In reliquo satage ut, prudentiori et meliori modo quo potes, evangelizentur pauperes qui circa missionariorum hospitia domicilium sibi elegerunt, eorumque pueri qui praefatorum missionariorum scholis intersunt; cura ut cum humanis litteris religionis quoque catholicae rudimentis imbuantur. Hisce praeiactis fundamentis, religionis aedificium, Deo adiuvante, ad suprema consurget; nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1184].

4649.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Hiberniae), 7 apr. 1860.

Nell'anno 1839 venne subordinato da alcuni Vescovi Irlandesi alla decisione della S. Sede il dubbio: « Se considerata la natura e la forma del sistema di educazione nazionale d'Irlanda potesse tollerarsi che i cattolici ne fossero partecipi ». Questo sistema riguardava solo le scuole secondarie o per le classi inferiori, non già l'istruzione scientifica, ed era stato promosso dal governo inglese per la gioventù a qualunque comunione cristiana ella apparteneße; e a questo fine per conciliare le diverse parti, tra i membri del Comitato o Consiglio, cui era stata data l'autorità di sopraintendere all'an-

[1] Cf. N. 211.
[2] Cf. N. 243.
[3] Cf. N. 306.
[4] Cf. N. 452.
[5] Cf. N. 845.

damento di questa istituzione di educazione, vennero annoverati, oltre sette protestanti, anche tre personaggi cattolici, tra i quali un Vescovo. Sebbene questo sistema introdotto fino dal 1831 e, per cura del Comitato, in breve tempo propagato in tutto quel Regno, non avesse suscitata per varii anni controversia alcuna tra i cattolici, pur tuttavia avendo nel 1839 manifestato alcuni Vescovi opinione contraria al sistema, il Sommo Pontefice Gregorio XVI di gl. m. volle che fosse presa la cosa in accurato esame dalla S. Congregazione di Propaganda, tanto più che non tutti i Vescovi convenivano nella stessa opinione, e quelli stessi, che affermavano pericoloso l'Istituto, temevano insieme le conseguenze che potevano derivare dal dichiarare illecito il profittarne. Fu quindi discussa la vertenza in varie Congregazioni di Propaganda, e, dopo maturo esame, nel generale consesso de' 22 dicembre 1840, la Sacra Congregazione, in vista delle ragioni ch'ella stessa espose nella risposta data, non credè emanare sulla cosa un giudizio definitivo, ma prescrisse soltanto alcune cautele, che, approvate dal Sommo Pontefice, fu sollecita di comunicare all'Episcopato Irlandese con lettera diretta a ciascuno de' Metropolitani in data dei 16 gennaio 1841, la quale è del tenore seguente: « Quantam negotii gravitatem etc. » (Cf. N. 4787).

Ma oltre alle scuole d'istruzione secondaria il governo inglese che vide frequentate queste anche dai cattolici, volle fare un passo ulteriore, ed istituire sullo stesso piede le scuole universitarie, o i collegi misti per la istruzione scientifica della gioventù. La novella istituzione però fu giudicata ben diversa dalle scuole secondarie anche da molti degli stessi fautori di queste, perchè di maggior pericolo per la religione. Ma non essendo unanime il sentimento del clero, i Vescovi Irlandesi si rivolsero nuovamente alla S. Sede per consultarne l'oracolo, e per ordine del Papa fu commessa parimenti la discussione dell'affare alla S. Congregazione di Propaganda, la quale lo prese in maturo esame in due generali adunanze tenute negli anni 1846 e 1847. La risoluzione della medesima, approvata dal Sommo Pontefice Pio IX fel. regn., venne manifestata ai Vescovi Irlandesi con la lettera che segue de' 9 ottobre 1847:

« Mirum fortasse videbitur etc. » (Cf. N. 4820).

Ulteriori rappresentanze venute dai fautori del sistema del governo inglese indussero la Propaganda ad esaminare nuovamente la cosa in una Congregazione generale tenuta nel 1848, ove anche si esposero varii degli statuti sul sistema stesso d'insegnamento sanzionati dal governo, il quale in quel frattempo ne avea modificati alcuni per calmare i concepiti timori. Ma la S. Congregazione, non ostanti le nuove rappresentanze, fu dello stesso parere; e la mente, munita anche questa volta della pontificia conferma, venne comunicata all'Episcopato Irlandese con la seguente lettera degli 11 ottobre 1848: « Excerpta nonnulla a statutis, etc. » (Cf. N. 4827).

Tornò poi a parlarsi nel 1857 delle scuole secondarie o delle classi inferiori, sulle quali eransi già date istruzioni nella riportata lettera del 1841, e ciò nella Congregazione generale di Propaganda de' 9 febbraio di quell'anno, ove all'occasione dell'esame d'un Sinodo tenuto dall'Episcopato Irlandese nel 1856, si riferì un passo ulteriore fatto dal Consiglio detto d'Insegna-

mento nazionale per istabilire nella città delle scuole più alte sotto l'esclusiva giurisdizione del Consiglio medesimo, il che veniva rappresentato dall'Arcivescovo di Dublino (Delegato Apostolico in quel Sinodo) come cosa piena di pericolo pel carattere protestante che presentavano coteste scuole, e per l'intento che attribuivasi al governo di pervertire i cattolici. Quindi a forma della risoluzione della S. C., nella lettera, che si spedì all'Arcivescovo sud. in data de' 20 febbraio 1857 relativa al Sinodo, gli si aggiunse anche il seguente brano sulle scuole nazionali: « Quae autem in actis continentur circa novas scholas a Consilio nationali sub ea exclusiva ipsius auctoritate instituendas, Eñorum Patrum attentionem sibi peculiariter vindicarunt. Cumque exinde adolescentium fidei non mediocre immineat periculum, S. C. sane non potest quin Episcoporum sollicitudinem caritatemque ad oves sibi commissas tuendas excitet vehementer. Porro Antistites hibernenses nunc praesertim ante oculos habeant necesse est quaecumque iam cauta ac praescripta fuerunt a S. Sede Apostolica super instructione nationali, ut videlicet maiori cura ac sedulitate pervigilent quo animarum salus in gravius discrimen ex novo systemate adducitur, utque opportunis monitis, concionibus, pastoralibus literis fidei puritas ab errorum contagio praeservetur. Quod quidem facilius ut obtineatur atque efficacius, A. T. ac caeteris Hiberniae Archiepiscopis etiam atque etiam commendat in Domino S. C., ut quae ad eum finem conferre videantur, ea unanimiter, atque uniformi ratione, quantum fieri possit promoveantur ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1190].

4850.

S. C. de Prop. Fide, 5 iul. 1860.

Missionario Confirmationis Sacramentum administrandi facultate gaudenti potestne permittere Vicarius Ap., ut in districtu proprio ipsius Vicarii Ap. facultate utatur in absentia Episcopi? Si autem Vicarius Ap., aliis negotiis impeditus, missionario committat ut christianis civitatis, in qua residet et adest, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae conferat, potestne etiam permittere ut Confirmationem praesentibus administret? Ratio dubii est quod si hac vice non confirmentur, per unum annum expectare tenebuntur.

R. Eñi PP., perpensis expositis, decreverunt supplicandum SSño, pro facultate (Tibi Vicario Ap.) indulgenda, qua sacerdotem simplicem delegare valeas ad ministrandum Sacramentum Confirmationis, etiam in loco ubi commoraris, dummodo vel sis absens, aut legitime impeditus. Quam facultatem a S. S. benigne Ampl. Tuae tributam fuisse, servatis ceteroquin pernotis Instructionibus alias datis pro simplici sacerdote Confirmationis Sacramentum administrante, [1] necnon tenore ac forma indulti eiusmodi delegationum, scias volumus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1196].

[1] Cf. N. 4565.

4851.

S. C. de Prop. Fide, 22 nov. 1860.

Quoad clausularum omissionem [1] moneatur (Vicarius Ap. Tunk. Centr). eam, dummodo revera mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, concessionum validitati non officere: nihilominus, quantum rerum temporumque adiuncta ferre poterunt, praedictas clausulas omnino esse exprimendas.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1204].

4852.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 10 mart. 1861.

Ex novis humani ingenii inventis quibus aetas haec nostra ceteris antecellit, etsi commoda plus quam mediocria percipiantur, eorum tamen occasione abusus non pauci, iique in rebus gravissimis occurrere deprehenduntur. Cum igitur ex chymicae progressibus eo ventum sit, ut multa in naturae similitudinem componantur aut conficiantur, contingit frequentissime, ut in regionibus praesertim uvarum penuria laborantibus vina quaedam fabricentur, quae musto ex uvis expresso minime constant. Hinc vero plures per Ecclesiam Antistites talia recenter edere decreta debuerunt, quibus vini artefacti usus prohiberetur omnino ab altaris ministerio, quo videlicet, Divini Sacrificii securitati, ut par erat, consuleretur. Quam quidem in rem sicut in ipsa Urbe Eñus Sanctitatis Suae Vicarius quaedam adsignavit loca, ubi vinum de vite tamquam tale recognitum ab ecclesiarum rectoribus aliisque sacerdotibus emi posset, ita aliis in locis ea Episcopi in eumdem finem statuerunt quae pro sua prudentia expedire iudicarunt. Porro vel in ipsa America res tanti momenti Episcoporum vigilantiam non effugit, ideoque notum est Sacrae huic Congregationi decreta quaedam in Provincialibus Conciliis fuisse condita, ut caveretur ne quis vinum artefactum in Missae Sacrificio adhiberet. Quandoquidem vero hisce non obstantibus nuper a SSño Domino nostro petitae fuerint sanationes super obligationibus Missarum in quibus bona fide vinum arte confectum fuerat adhibitum, idcirco comperuit Sanctitas Sua Antistitum curas aut decreta finem intentum haud plene atque ubique locorum fuisse consecuta.

Quae cum ita sint iussit Beatissimus Pater, ut vigilantia omnium ac singulorum Antistitum et Vicariorum Apostolicorum a S. Congregatione christiano nomini propagando praeposita dependentium (praesertim illorum locorum in quibus vites vel parum vel nullo modo coluntur), suo nomine excitaretur ad eas edendas praescriptiones vel cautiones sacerdotibus prae-

[1] Cf. N. 4679.

scribendas, quibus omne nullitatis periculum a Sacrificio Altaris, quod supremus est religionis actus, penitus arceatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1209].

4853.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 24 apr. 1861.

Quandoquidem divino praecepto animarum rectoribus mandatum sit oves suas agnoscere, easque pascere verbo Dei, Sacramentis, atque exemplo bonorum operum, idcirco ii ad personalem in suis dioecesibus vel Ecclesiis residentiam obligantur, sine qua iniuncto sibi officio defungi per se ipsos minime possent. Porro pastoralis residentiae debitum quovis tempore Ecclesia Dei asserere atque urgere non destitit; cuius sollicitudinis luculenta exhibent testimonia non modo veteres canones, sed et sacrosancta Tridentina Synodus, Sess. 6, cap. 1, *de ref.*, et Sess. 23, *de ref.*, cap. 1, ac novissime Summus Pontifex Benedictus XIV qui Constitutione *Ad universae christianae reipublicae statum*, edita die 3 septembris 1746 residentiae obligationem et inculcavit sedulo, et disertissime explicavit. [1]

Quod si ubique locorum pastores animarum, pro officii sui ratione, continenter in medio gregis vivere oportet, ad id potiori etiam titulo illi tenentur quibus animarum cura demandata est in locis Missionum. Cum enim fideles in Missionibus graviora passim subire cogantur pericula, dum minora ut plurimum iis praesto sunt adiumenta virtutum, peculiari ac praesentissima indigent vigilantia atque ope pastorum. Haud igitur mirum si sacro Consilio Christiano Nomini Propagando nil fuerit antiquius quam datis etiam decretis curare ut a se dependentes Episcopi Vicariique Apostolici, in suis Missionibus, quoad fieri posset absque ulla interruptione residerent. Quam quidem in rem eo usque pervenit Sancta Sedes, ut laudatis Praesulibus sub gravissimis poenis prohibuerit, ne pontificalia munia in aliena dioecesi vel districtu etiam de consensu Ordinarii ullo modo peragerent.

At quoniam, hisce non obstantibus, haud raro contingit ut Praelati Missionum, inconsulta Sede Apostolica, et absque vera necessitate aut causa canonica perlonga suscipiant itinera, ex quo non mediocria commissae illis Missiones pati possunt detrimenta, propterea Eñi ac Rñi Patres Sacrae huius Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21 ianuarii huius anni expedire censuerunt, ut in memoriam revocarentur praedictorum Praesulum canonicae sanctiones circa Pastorum residentiam, nec non decreta quae circa eiusdem obligationem edita sunt pro locis Missionum, ne quis videlicet in posterum dioecesim aut districtum, cui praeest, vel ad tempus relinquat absque praevia licentia eiusdem S. Congregationis. [2] Quod qui-

[1] Cf. N. 371.

[2] In Litt. S. C. de Prop. Fide, 14 aug. 1861 declaratur: « Inhibitionem, quae pro animarum pastoribus continetur in epistola encyclica diei 24 aprilis huius anni, recedendi scilicet e suis dioecesibus vel missionibus (etsi ageretur de itinere in Urbem ineundo) intelligendam esse non absolute, sed de omnibus casibus in quibus nulla sit causa canonica discedendi ». — Cf. N. 4854.

dem dum Paternitati tuae significo ex mente Emorum Patrum, decreta, de quibus supra, addere non praetermitto (Num. I).

Praeterea Emi ac Rmi Patres in iisdem generalibus comitiis statuerunt, ut universis Episcopis, Vicariis, ac Praefectis Apostolicis Missionum *Quaestiones* transmittantur pro relatione exhibenda Sacrae Congregationi de statu dioecesum vel Missionum queis praesunt. Cum enim ii omnes qui Missionibus praeficiuntur praedictam relationem statis temporibus subiicere S. Sedi teneantur, voluit Sacrum Consilium ut eam in posterum exigendam curent ad normam 55 quaestionum quae in adiecto folio continentur (Num. II), utque in iis praesertim accuratiores se praebeant, quae ad vitam, honestatem ac scientiam sacerdotum referuntur.

Num. I. — *Decreta et declarationes S. C. de Prop. Fide super residentia Praesulum in locis Missionum:* — 1. In Congr. Gen. 28 martii 1651 (*coram SSmo*): « Sanctitas Sua decrevit quod Episcopi S. Congregationi de Prop. Fide subordinati non possint exercere pontificalia in aliis praeterquam in propriis Ecclesiis, etiamsi esset de consensu Ordinariorum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ac eidem Pontifici reservatae, dummodo a praefata S. Congregatione non sint in certo loco destinati Vicarii Apostolici, seu Administratores alicuius Ecclesiae deputati ». Similia decreta prodierunt ab eadem Sacra Congregatione die 26 iulii 1662 et 17 iulii 1715. — 2. In Congr. particulari 7 maii 1669: Cum iteratis per S. C. decretis exercitium pontificalium extra dioeceses Episcopis eiusdem S. C. assignatas prohiberetur, quaesivit Episcopus Heliopolitanus: « An dicta decreta intelligenda essent vim suam habere intra fines Europae tantum, an vero extenderentur etiam ad alia loca, per quae transeundum esset, cum ad suas Ecclesias proficisceretur. S. C. respondit decreta prohibentia dictum exercitium pontificalium extendi ad omnia loca, etiam extra fines Europae ». [1] — 3. In Congr. Gen. 10 iulii 1668 [2] Emi ac Rmi Patres S. Consilii Christiano Nom. Propag., attentis expositis contra Episcopos ab eodem S. Consilio dependentes, qui cum detrimento suarum dioecesium eas deserebant ut Romam vel alia loca peterent, statuendum censuerunt: « Inhibeatur Episcopis S. Congregationi subiectis ne Romam sub quovis praetextu veniant, absque licentia Sacrae Congregationis. Decretum editum a. 1626 renovarunt ». [3]

Num. II. — *Quaestiones pro relatione dioecesis ad Sacram Congreg. de*

[1] S. C. de Prop. Fide cum comperisset generalem inhibitionem quae continetur in superioribus decretis non mediocri quandoque incommodo esse, praesertim quum Antistites ob adversam valetudinem, ad ea peragenda quae episcopalis sunt potestatis, vicinum aliquem Praesulem accersere coguntur, in Gen. Conventu habito 2 augusti 1819 censuit supplicandum Ssmo pro eorumdem decretorum moderatione, ita ut *quando rationabili causa vel urgente necessitate, Episcopi seu Vicarii Apostolici ad alienas Dioeceses vel Vicariatus se conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem pontificalia exercendi, dummodo tamen semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de cetero maneat residentiae praeceptum.* Id autem Summus Pontifex Pius PP. VII in Aud. diei 8 augusti eiusdem anni ratum habuit ac probavit. — Cf. N. 4713.

[2] Cf. N. 4478.

[3] Cf. N. 4432.

Propaganda Fide. — 1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam Institutum, si sit Regularis.

2. Amplitudo et qualitas dioecesis.

3. In qua provincia sit, vel quot provincias contineat.

4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot et quales habeat suffraganeos; si vero Episcopalis, cuius Archiepiscopi sit suffraganea.

5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in qua civitate.

6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede et quas.

7. An habeat reditus proprios, quot, et in quo consistunt.

8. Enumerentur loca dioecesis, et eorum respective distantia.

9. Quando visitatio dioecesis fuerit peracta; num ad tramites praescriptionum canonicarum.

10. Quando provinciales ac dioecesanae Synodi fuerint habitae.

11. An pro exercitio iurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis.

12. An habeat Capitulum, et ex quot canonicis constet.

13. An adsint praebendae, et quae.

14. Quale servitium praestent canonici Cathedrali: et an etiam fungantur munere parochi in locis dioecesis.

15. An resideant intra fines parochiae.

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, impediant liberam iurisdictionem Episcopi.

17. An habeat Seminarium et ubi: quot iuvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent.

18. Num Concilii Trid. regulae circa Seminaria [1] serventur.

19. An ibi adsint parochi, vel tantummodo simplices missionarii.

20. An parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo.

21. An eligantur ab Episcopo.

22. Quot sint parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et qua decentia.

23. An habeant fines certos, et propriam ecclesiam: et quot capellae inveniantur in districtu uniuscuiusque parochiae.

24. An aliquae parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus et quibus.

25. An parochi habeant sacerdotes, qui eos adiuvent in cura animarum.

26. Exprimatur numerus et qualitas catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae catholicae, et quot in iis instituantur.

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore.

29. An sint et quo numero scholae acatholicorum, et num catholici, et quo numero illas adeant.

30. Exprimatur numerus sacerdotum indigenarum et exterorum.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

31. Eorum patria, mores, munera in quibus se exercent, et cuius utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An huiusmodi sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cuius expensis vivant.

33. An inter istos inveniantur alumni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide; quinam sint; et an satisfaciant muneri suo.

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates sacerdotum indigenarum, qui sunt extra dioecesim: tum etiam adnotentur loca in quibus morantur; quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae.

35. An sint etiam clerici, et quot; quomodo, et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad sacros Ordines promoveri possint.

36. An adsint missionarii Regulares, quot, cuius Ordinis, et cuius regionis.

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi districtus; et qua auctoritate.

38. Ubi resideant, quibus Superioribus subsint, et quot habeant domos.

39. An habeant conventus formatos, vel dumtaxat hospitia: et in iis servetur clausura.

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus.

41. In quo habitu incedant.

42. An admittant ad habitum et professionem sui Ordinis indigenas, et qua auctoritate.

43. An Regulares habeant facultates speciales, et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant.

44. In quibus dependeant ab Episcopis.

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama.

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento religionis.

47. An sit aliquis monialium conventus; cuius Instituti; qua auctoritate fundatus; et cuius curae et ministerio subsit.

48. An ibidem observetur vita communis, et an moniales obstringantur votis solemnibus paupertatis, castitatis, obedientiae: et clausura.

49. An sint in dioecesi piae aliquae fundationes, seu legata pia.

50. An reditus pro huiusmodi legatis rite administrentur, et canones de re serventur.

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt, etiam inter catholicos, sive circa fidem, et ritus, sive circa mores, vel administrationem sacramentorum, divini verbi praedicationem, et cuiusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae huiusmodi abusuum, et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur.

54. An a viginti circiter annis status fidei catholicae augeatur, vel potius decrescat: et qua de causa.

55. Tandem attente perpendat spirituales christianitatis illius necessitates: eas distincte referat, mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, ad maiorem religionis profectum inducendum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1215].

4854.

S. C. de Prop. Fide, 24 aug. 1861.

S. C. declaravit: Inhibitionem, quae pro animarum pastoribus continetur in epistola encyclica diei 24 aprilis huius anni, [1] recedendi scilicet e suis dioecesibus vel missionibus (etsi ageretur de itinere in Urbem ineundo) intelligenda esse non absolute, sed de omnibus casibus, in quibus nulla sit causa canonica discedendi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide (1893), n. 105].

4855.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Maduren.), 9 sept. 1861.

Haud necesse est ut, quando contrahentes (matrimonium) diversis commorantur in locis, ab utroque Ordinario, mulieris nempe atque viri, dispensandi sint, sed ab alterutro tantum, quemadmodum S. Poenit. (15 nov. 1835) declaravit. Eiusmodi responsum ea de re, quod hisce adiicimus, pro opportunitate innotescat congruum ducimus. — *Responsum S. Poenitent.:* « Quilibet Ordinarius agendo cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede absolute, simpliciter, et absque ulla conditione delegata, dispensandi cum suis dioecesanis, potest (facta in singulis actis expressa mentione delegationis) dispensare super aliquo canonico impedimento, etiam in casu in quo una persona, ab impedimento ligata, est suae dioecesis, altera vero alienae; quia facultas procedit a Papa, et, sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, cum ligamen non amplius inter utramque partem existat ». Et die 13 martii 1836 Episcopo Cameracensi declarabat: « Episcopum posse dispensationem matrimonialem in foro externo, et a S. Sede commissam exequi, etiamsi alter ex iis, quibus dispensatio concessa est, pendente eius expeditione, ab eius dioecesi discedens, alio fixerit domicilium, dummodo alter in ea remanserit ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1222].

[1] Cf. N. 4853.

4856.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Rosen.), 16 apr. 1862.

Delatum est ad S. C. S. Officii quod in relatione de statu dioecesis innuebas in paroecia S. Crucis proprium catholicorum coemeterium non existere, et catholicorum cadavera deferri debere ad coemeterium lutheranorum; atque eadem S. C. S. Officii feria IV die 12 febr. 1862 [1] hoc dedisse responsum: « Curandum est Episcopo ut catholici coemeterium habeant a coemeterio acatholicorum distinctum. — 2. Si id effici non possit, experiendum est utrum saltem in eodem coemeterio distinctus locus pro tumulatione catholicorum haberi possit. — 3. Si neque id possibile sit, usquedum praedicta facultas non obtineatur, singulis vicibus, cum catholici cadaver ad sepulchrum deferatur, sepulturae locus debet benedici ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1227].

4857.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Deleg. Ap. Aegypti), 30 apr. 1862.

Circa il dubbio riguardante la frequenza degli orientali alle chiese dei latini due massime possono notarsi; la prima garantisce la libertà e la devozione degli individui; la seconda favorisce il rito senza ledere la prima. L'una stabilisce non essere proibito nè potersi proibire ai fedeli di rito orientale di frequentare le chiese dei latini, anzi anche quelle di altro qualunque rito orientale cattolico. L'altra inculca che non solo non debbono gli orientali distrarsi dalle chiese del proprio rito, ma che anzi debbono esortarsi dagli stessi missionari latini a frequentarle, specialmente nelle feste. In questo senso appunto si è espressa sempre la S. C. la quale mentre ha fatto sentire ai Vescovi orientali che essi non potevano proibire ai fedeli del loro rito di frequentare le chiese de' latini, ed ha deciso che per soddisfare il precetto di ascoltare la s. Messa non sono obbligati i fedeli di ascoltarla nel proprio rito, non ha tralasciato di eccitare i missionari europei a ricordare agli orientali di frequentare le loro chiese, specialmente nelle feste.

Il 2º dubbio riguarda la percezione dei sagramenti che fanno gli orientali nelle chiese latine, cioè della Penitenza e della Eucaristia. Quanto alla Penitenza la S. Sede ha ritenuto sempre la massima che non si deve vincolare in alcun modo la libertà dei cristiani in un punto così delicato qual è la sagramentale confessione, ed ha voluto sempre che fosse lecito a ciascuno di manifestare le sue colpe a quello fra i sagri ministri approvati che gli fosse più a grado. Non ha ugualmente mai proibito ad un confessore approvato

[1] Cf. N. 969.

di ascoltare la confessione di qualunque siasi cattolico che a lui si presentasse nel s. tribunale. Così non è proibito ai cristiani di una diocesi di passare ad un'altra per ivi confessarsi. Inoltre sebbene per l'adempimento del precetto pasquale deve ogni cristiano fare la Comunione nella propria parrocchia, non ha però alcuna obligazione di confessarsi neppure in tale occasione dal proprio parroco. Nè si è fatta mai su questo punto alcuna restrizione di rito, giacchè l'amministrazione di tal sagramento non porta seco alcun cambiamento nel rito. E se qualche dubbio alle volte si è mosso su tal particolare, la S. Sede ha dichiarato che non devesi fare in tal genere alcuna limitazione. [1] — Rapporto al sagramento della Eucaristia convien distinguere gli orientali che fanno uso, secondo il proprio rito, dell'azimo da quelli che fanno uso del fermentato. Pei primi non vi è alcun divieto, nè possono i Vescovi orientali inibire ai propri sudditi di ricevere l'Eucaristia dai missionari latini nelle loro chiese (ben inteso nei casi in cui non entra il diritto parrocchiale). Per gli altri poi, cioè per quelli che nella materia eucaristica fanno uso del fermentato, è a notarsi primamente che possono essi anche nelle chiese latine ricevere la S. Comunione, purchè la ricevano secondo il proprio rito, e dai sacerdoti nazionali, come insegna Benedetto XIV nell'Enciclica *Allatae sunt* ai numeri 33, 35, e 36. [2] Anzi alle volte è questa una necessità per quei luoghi ove gli orientali non hanno le chiese del proprio rito. Altra cosa però è se gli utenti del fermentato volessero dai latini ricevere la Comunione in azimo. Due regole sonosi stabilite per gli utenti del fermentato: la 1ª è che non possono ad arbitrio comunicarsi in azimo quando abbiano la opportunità di farlo nel proprio rito; la 2ª è che quando si verifichi la difficoltà di comunicarsi in fermentato, lo possono fare anche in azimo non solo in articolo di morte e per adempire al precetto pasquale, ma anche in altri casi come si stabilisce nella istruzione pastorale di Benedetto XIV, *Eo quamvis tempore*, § *Neque etiam*. [3]

[1] Circa sacerdotes latinos confessiones orientalium excipientes quaesitum est: « Utrum missionarii (in partibus orientis) teneantur interrogare graecos, ad Poenitentiae sacramentum accedentes, de eorum fide, v. g. de Summo Pontifice, de processione Spiritus Sancti, de glorificatione Sanctorum, de consecratione in azymo, de Purgatorio, in quibus vulgo errant graeci. Interrogandi videntur ne in dictis erroribus remaneant; si autem interrogentur, periculum esset ne aversionem in Ecclesiam Romanam concipiant, confessionemque apud illos effugiant, existimantes illos de ipsorum fide dubitare, ritumque aliquo modo reprobare. Praeterea quod accedentes implicite videntur recognoscere summum Pontificem et eius fidei veritatem ». Respondit S. C. S. Off. (22 ian. 1688): « Nisi prudens confessarius probabiliter dubitet, non tenetur interrogare graecos unitos de eorum fide circa praedicta ».

[2] Cf. N. 434.

[3] In Instructione *Eo quamvis tempore* (4 maii 1745) pro cophtis l. c. haec habentur: « Neque etiam perperam timeant missionarii sibi in vinea Domini tamquam operariis tota die otiosis, et a bono opere torpentibus, nullam vel exiguam occasionem impendendi laboris esse relictam. Praedicandum est ab illis sanctum Christi Evangelium, et docenda mysteria christiano homini necessaria ad aeternam salutem; explicanda vitia quae declinare, virtutes quas sequi oporteat; adhibenda medela sauciatis per sacramentum Poenitentiae: tum alia quoque administranda sunt sacramenta in subsidium presbyterorum ritus cophti; nihil demum derelinquendum est quod ad animarum salutem et religionis incrementum pertinere possit ». — Cf. N. 357.

Nel 3° dubbio si tratta dei latini ossia degli utenti dell'azimo. Questi
possono comunicarsi nelle chiese orientali nel proprio rito dai sacerdoti
utenti dell'azimo, ma non possono senza dispensa pontificia comunicarsi
in fermentato, ancorchè si verifichi la difficoltà di comunicarsi in azimo. La
massima si trova stabilita nella Costituz. *Etsi pastoralis* di Bened. XIV, n. 12
del § VI, [1] ove si dice assolutamente: « ne laici autem latini Communionem a
graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant prohibemus omnino et
interdicimus ». Coerentemente il S. O. e la S. C. di Propaganda hanno
sempre proibito agli utenti dell'azimo il comunicarsi nel fermentato, e solo
nei casi in cui si è verificata la deficienza totale di sacerdoti del proprio
rito, e di quelli di altro rito in cui si consacri in azimo, hanno per essi implo-
rata la pontificia dispensa la quale peraltro non è stata accordata se non pei
due casi di vera necessità, cioè del Viatico e del precetto pasquale.

Il 4° dubbio o quesito è relativo all'officio ed ai diritti parrocchiali
sugli orientali. Prima di rispondere a questo dubbio è da notarsi: 1. che i
fedeli di ciascun rito debbono essere nei parrocchiali assistiti dai preti nazio-
nali quando ve ne siano abili e non impediti; 2. che i missionarii, come più
volte si è espressa la S. Sede, non essendo che *in subsidium* dei preti relati-
vamente agli orientali, l'opera loro sussidiaria deve considerarsi e come sup-
pletiva alla deficienza di detti parrochi, e come accessoria e adiutrice del-
l'opera dei parrochi del rito, anche nei parrocchiali, quando non vi sia muta-
zione e promiscuità di rito, e vi sia la licenza dei parrochi stessi orientali.
Ora considerando ciò che riguarda l'officio parrocchiale sugli orientali, è
da osservarsi che si possono dare 3 casi: 1. quando nel luogo ove sta il
missionario latino vi sia presente un prete, o sopraggiunga un prete del rito
benchè non parroco; 2. quando un prete del rito deputato all'ufficio di par-
roco faccia delle escursioni al luogo di cui si tratta; 3. quando nel luogo stesso
siavi o sopravvenga il parroco orientale di uno dei riti, v. g. il cofto, ed i
fedeli di altri riti manchino del proprio parroco. La soluzione del 1° caso si
ha nella decretale *Demandatam* [2] e nella Istruzione *Eo quamvis tempore* di Be-
nedetto XIV, non che nelle formole facoltative che autorizzano i missionari
ai sagramenti parrocchiali *in parochiis ubi non erunt parochi*. Coerentemente
la S. C. ha sempre inculcato non potere i missionarii amministrare quei
sagramenti quando vi sia un sacerdote del rito *deputatus ad parochialia;* po-
terlo ove gli orientali manchino di propri pastori. Ciascuno poi vede quanto
sia ragionevole una tale disposizione la quale è diretta ad impedire i cam-
biamenti cui di continuo soggiacerebbero i fedeli in un diverso sistema. La
presenza dunque di un prete non parroco non osta all'esercizio parrocchiale
dei missionari. Nel 2° caso, di preti cioè deputati ai parrocchiali che facciano
delle escursioni nel luogo ove si trova il missionario, si verifica che non vi
è all'assistenza degli orientali *sacerdos approbatus ad parochialia pro illo
districtu*. Infatti i parrochi dei rispettivi distretti non possono considerarsi
come legittimi parrochi degli altri distretti loro non assegnati, nè possono

[1] Cf. N. 328.
[2] Cf. N. 338.

portarsi ad amministrare i sagramenti parrocchiali fuori dei limiti della loro giurisdizione. In questo caso pertanto i missionari, i quali in forza delle loro facoltà devono assistere gli orientali in mancanza del parroco nazionale, hanno il diritto di amministrare ai medesimi i sagramenti parrocchiali. Il 3° caso è quando in un luogo siavi o sopraggiunga il parroco orientale di un rito, e non l'abbiano gli orientali di altro rito. Nella detta decretale di Benedetto XIV, *Demandatam*, § *E quoniam*, viene stabilito, come di sopra si è fatto osservare, che i missionari latini hanno la giurisdizione sopra gli orientali *in subsidium, quando deficit parochus aut Episcopus eiusdem ritus*. Ora nel caso di cui si parla si verifica per gli orientali rispettivamente la deficienza del proprio parroco. E però tal presenza dei preti orientali che o non sono deputati alla cura parrocchiale, o non lo sono in quel distretto non impedisce che i missionarii assumano l'officio di parrochi degli orientali. Resta a parlare degli emolumenti parrocchiali. Quando i missionari sono chiamati legittimamente all'ufficio di parrochi degli orientali non può recarsi in dubbio che ad essi spettino gli emolumenti di quell'officio. Infatti quante volte la S. C. ha deciso che la presenza di un prete del rito non parroco non esclude che i missionari amministrino agli orientali i sagramenti, ha dichiarato ancora che i missionari possono in questo caso lecitamente percepire gli emolumenti che per diritto si devono ai parrochi. E Benedetto XIV nella detta Decretale *Demandatam* dopo di aver deciso « licere *ai PP. di Terra Santa* parochialia munia obire in graecos melchitas, eisque sacramenta administrare » quando questi manchino di proprio parroco, soggiunge: « quo casu praedicti Fratres emolumenta legitimo iure debita percipere licite valent ». Una sola eccezione deve farsi in proposito, ed è che se i parrochi orientali non possono esercitare il loro officio per timore delle persecuzioni, o per altro legittimo motivo, ed i missionari latini devono fare le loro veci nell'amministrazione dei sagramenti, i proventi dell'esercizio della stola appartengono tutti ai parrochi orientali, ed i missionari latini devono versarli nelle loro mani, essendone stata caricata la loro coscienza dalla S. C. Se bene si scorge però questa forse non è che una conferma della massima generale che cioè gli emolumenti spettano ai propri parrochi, quando vi siano legittimi, benchè talora impediti di esercitare il proprio officio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1228].

4858.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Archiep. Smyrnen.), 24 sept. 1863.

È massima generale enunciata nella Costituz. *Etsi pastoralis* di Benedetto XIV [1] che ciascun sacerdote debba amministrare ai fedeli la SS. Eucaristia conforme il proprio rito. Questa massima parimenti si ravvisa nella

[1] Cf. N. 328.

Enciclica *Allatae sunt* dello stesso Pontefice [1] dove dice (§ 23): « Iure canonico illud quidem statutum habetur ritum orientalem et graecum cum latino haud esse miscendum, ut videre est ex integra Decretali Caelestini III apud Gonzal., cap. *Cum secundum, De temporibus Ordinationum;* atque in Decretali Innoc. III, *Quanto, De consuetudine;* Cap. *Quoniam, De officio Iudic. ordin.* et in Decret. Honorii III, Cap. *Litteras, De celebrat. Missae* ». [Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1242].

4859.

S. C. de Prop. Fide, decr. 6 oct. 1863.

Ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quae in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae varietatem nec non ratione mutuarum relationum inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus inde promanantium, non absque christianae charitatis dispendio atque animarum detrimento, agitabantur, optimo sane consilio utriusque ritus Antistites conventionem seu concordiam sub die 23 decembris 1853 ineundam censuerunt, quam deinde S. Sedis placito subiiciendam curarunt... Antedictam conventionem per hoc S. C. decretum approbari mandavit (SSmus) iuxta sequentem tenorem:

A) *sub respectu transitus ab uno ad alterum ritum:*

a) Quilibet in suo nativo ritu permanere tenetur, et arbitrarius iam permultis tum ad missionarios et fideles orientis, tum ad oras nostras directis constitutionibus et decretis reprobatus transitus, denuo ac severissime prohibetur, et quocumque modo ad effectum deductus, irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat. Attamen quoniam aliquando urgens necessitas forsitan expostulat, vel rationabiles causae suadere possunt transitum de uno ritu ad alium, idcirco in hisce casibus ritus mutationi fiet locus, sequenti tamen methodo religiose servata. Ille qui ex uno ad alium ritum transire cupit, preces proprio Ordinario dioecesano porriget, causas, quae ritus mutationem suadent, accurate et fideliter exponens. Ordinarius scripto tenus sententiam suam super petitione et causis aperiet: hoc autem documentum exhibebitur Ordinario alterius ritus, ad quem transitus expostulatur; atque hic etiam suam sententiam scripto significabit, et omnia transmittet ad S. Sedem, quae vel per se, vel per suum delegatum decernet utrum transitus permittendus sit nec ne. In casibus autem urgentibus, qui moram non patiuntur, Ordinarius illius ritus, ad quem transitus expositur, audito, methodo superius enunciata, Ordinario alterius ritus a quo dimittendus est orator, transitum admittet provisorie, et sub conditione *si a S. Sede transitus hic confirmabitur.*

b) A die publicationis initae Concordiae, in unaquaque dioecesi utriusque ritus faciendae, terminus sex mensium praefigitur, intra quem licitum erit partibus, quae arbitrario ritum mutarunt, ad ritum suum redire, atque hoc desiderium Episcopo utriusque ritus partes eaedem insinuabunt. Praedicto autem termino elapso, illi qui hac facultate usi non fuerint, si laici sint, in ritu illegaliter assumpto ex Apostolico indulto perpetuo manebunt; si vero sint ecclesiastici, ad S. Sedem singillatim recurrant, ut provideat.

[1] Cf. N. 434.

c) Ab eodem die publicationis Concordiae, si sacerdos, sive latini sive rutheni ritus, quempiam illegitime transeuntem sciens et volens ad suum aggregaverit ritum, aggregatio talis sit nulla et irrita; et insuper sacerdos, qui hoc grave piaculum admiserit, si regularis sit, obnoxius erit poenis statutis in Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Demandatam coelitus;* [1] si vero sit e clero saeculari, sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est, praevio processu iudiciali: si operarius, inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. Quod si quispiam, celato nativo ritu, fidelibus alterius ritus se iungeret, et a sacerdote alterius arbitrario assumpti ritus obsequia spiritualia expeteret et obtineret, subdolus ille actus, licet post decursum plurium annorum in lucem demum prodierit, sit nullus et irritus; sacerdos tamen qui advenam suis ovibus inscius adnumerabat, insons declaretur, et nonnisi eumdem ad ritum nativum relegare teneatur. Si vero etiam indubitata de nativo advenae ritu obtenta notitia, obsequia spiritualia eidem praestare pergeret, iam sciens et volens talem advenam suo gregi adnumerare nititur; hinc poenis superius positis subiiciendus est.

B) *Sub respectu functionum sacrarum, sive liturgico:*

a) Utriusque ritus sacerdotes, qui censuris ligati non sunt, in ecclesiis mutuis, cum facultate rectoris ecclesiae, licite super altaribus sive consecratis, sive portatilibus, sive super antimensiis, ut in Ecclesia graeca moris est, singuli tamen suo ritu et sua lingua liturgica ex Apostolico indulto Missas celebrare possunt.

b) Pari modo offerre possunt sacrificium Missae in oratoriis privatis canonice erectis, aut sacellis cum licentia Episcoporum in pagis et coemeteriis reperibilibus, sacerdotes utriusque ritus, ast semper praevia licentia parochi, in cuius iurisdictione sacellum situm est. In oratoriis latinorum sacerdotes

[1] In hac Constitutione (24 dec. 1743) qua nonnulla statuuntur circa ritus graecorum melchitarum, haec habentur: « Curent praeterea (missionarii) ut omnia laudabilia Ecclesiae graecae instituta ab antiqua Patrum traditione derivata, et Apostolica comprobatione firmata, in suo vigore permaneant, atque a fidelibus istius nationis integre executioni tradantur; neque aliquid iisdem suggerere aut suadere audeant quod illorum contemptum atque imminutionem inducere possit; multoque minus auctoritate propria aliquid circa illa innovare, aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere vel admittere praesumant. Alioquin praeter districtam, quam Deo, Nobis, suisque superioribus (quos de urgenda huius decreti observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant se harum Litterarum vigore privationem vocis activae et passivae, et inhabilitationem ad quemcumque gradum et officium in suis respective Ordinibus, Institutis et Congregationibus ipso facto incursuros ». — Cf. N. 338.

latini ritus (iuxta Bullam Benedicti XIV, quae incipit *Imposito nobis*),[1] tan-
tum super consecrato altari, vel super lapidea pariter consecrata tabula,
non autem super antimensiis Missas celebrare tenentur.

c) Si localis ecclesiae rector censuerit devotioni et aedificationi fide-
lium id profuturum, ut in maiori populi concursu persolvatur devotio,
nonnisi in altero usitata ritu, e. g. parastasis, aut decantatio Evangeliorum
tempore comitationis funerum, aut alia similia, nil obest quatenus devotio-
nes tales peragantur. Peragi autem debent nonnisi ab illis sacerdotibus, in
quorum ritu devotiones illae usitantur, et remuneratio, quae a populo pro
tali devotione offertur, non rectori Ecclesiae sed sacerdoti functionem pera-
genti cedat.

d) Non licet sacerdotibus unius ritus in ecclesia alterius ritus (nisi
a respectivo parocho expresse invitati fuerint) benedictiones salis, aquae,
frugum, thuris etc. peragere.

e) Visitare loca thaumaturga (sive sub regimine latinorum, sive ru-
theno-catholicorum sacerdotum existant) cuilibet liberum maneat, sintque
imagines aliaeque res in uno ritu venerabiles aequaliter etiam in altero ritu
aestimatae.

C) *Sub respectu administrationis Sacramentorum:*

a) Nullus sacerdos proles alterius ritus baptizare praesumat, nisi
necessitas ob periculum mortis infantis, aut hyemis inclementia, locorum
distantia, itineris difficultas obstent, quominus baptisma a proprio sacerdote
administrari possit. Baptismus autem in hisce rerum adiunctis collatus nullo
modo ritus mutationem involvit, neque ad huiusmodi mutationem ullum
praetextum aut colorem praebere poterit. Quilibet baptismum in praedictis
necessitatis aut gravis difficultatis circumstantiis peragens sacerdos, utatur
Rituali sui ritus. Sacerdotes vero rutheno-catholici proli ad latinum ritum
spectanti sacramentum Baptismi in iisdem commemoratis casibus admini-
strantes, etiam Confirmationis sacramentum conferre nullatenus audeant,
sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, salvis aliis poenis
arbitrio Episcopi infligendis. Actus autem baptismi in necessitate vel gravi
difficultate, ut supra, collati inscribatur in libro separato pro baptismate
prolium alterius ritus, atque in eo adnotetur quod baptizata proles ad alium
ritum pertineat. Demum de collatione huius baptismi respectivus parochus
via officiosa irremore informetur.

b) Fideles utriusque ritus apud sacerdotem latini vel rutheni ritus a
suo Episcopo Ordinario adprobatum peccata sua confiteri et beneficium
sacramentalis absolutionis valide ac licite obtinere possunt. Sacram vero
Communionem nemo aliter ac in suo ritu sumat, scilicet latini sub una
specie azymo, rutheno-catholici sub utraque specie, et in pane fermen-
tato. Curent autem Episcopi, ut in locis thaumaturgis seu latinis seu
ruthenis tot alterius ritus sacerdotes a parochis invitentur, quot sufficere
possint ad Missam celebrandam, et sacram Communionem distribuendam
iuxta proprium fidelium sive ruthenorum sive latinorum ritum.

[1] Cf. N. 410.

c) Matrimonio benedicit secundum antiquissimam in dioecesibus
nostris vigentem consuetudinem parochus sponsae. Idem quoque in matri-
moniis mixti ritus, ubi sponsorum unus est ritus latini et alter rutheni,
servandum, et talia matrimonia a parocho sponsae benedicenda sunt nisi
ambo sponsi contrarium petierint. In benedicendis talibus matrimoniis tem-
pus sacratum quod in utroque ritu diversum est, observari debet, et ne
conscientia alterutrius sponsi laedatur, et aliis fidelibus scandalum praebea-
tur, cavendum quoque est, ne benedictio matrimonii in diem ieiunii in hoc
vel in altero ritu praescripti incidat.

d) Si ad infirmum sacramentis providendum, proprii ritus sacerdos
haberi nequit, potest illi etiam alterius ritus sacerdos Extremam Unctionem
oleo sacro in suo ritu usitato administrare: sacrum vero Viaticum etiam infir-
mis nonnisi iuxta eorum ritum a proprii ritus sacerdote porrigi debet.
Deficiente autem sacerdote proprii ritus, valeat ex Apostolico indulto lati-
nus a presbytero rutheno in fermentato, et ruthenus infirmus a presbytero
latino in azymo sacrum Viaticum accipere.

Nec Baptismus a sacerdote alterius ritus, urgente necessitate, vel in gravi
difficultate, ut supra dictum est, collatus, nec confessio peccatorum coram
tali sacerdote facta, nec sacra Communio ex ignorantia, sive inadvertentia,
aut consilio ritum mutandi, iuxta alterum ritum sumpta, nec denique sacra-
mentum Extremae Unctionis ab alterius ritus sacerdote in articulo mortis
obtentum, transitum ab uno ad alterum ritum producere possunt.

D) *Sub respectu ineundorum matrimoniorum, et educationis prolium:*

a) Matrimonia inter rutheno et latino-catholicos praepedire non licet.
De talibus vero matrimoniis ineundis proclamationes in ecclesiis utriusque
ritus omnino instituendae, nonnisi tunc promulgari incipiant, cum sponsi
utriusque ritus conditiones lege praescriptas impleverunt. Eo fine sponsus
a suo parocho scripto exaratam contestationem expetat, qua confirmetur
omnes praescriptas conditiones ex parte sponsi esse adimpletas, et inchoan-
dis proclamationibus intenti matrimonii nil obstare. Hanc contestationem
parocho sponsae admanuabit, et similem contestationem intuitu sponsae
ab eodem obtentam, parocho suo adferendam habet. Adquisita hoc modo
certitudine de adimpletis conditionibus, uterque parochus ad inchoandas
proclamationes procedat. Graviter reprehendatur sacerdos proclamationes
ideo protrahens aut impediens, quod pars ad eius ritum spectans, alterius
ritus sponsum sive sponsam sibi elegerit, aut qui ex hac caussa testimonium
bannorum sine mora extradere, aut demum tali testimonio non producto,
matrimonio benedicere praesumeret.

b) Iuxta antiquam praxim, prout iam superius notatum, benedicit
matrimonio parochus sponsae.

c) In posterum ubique proles e matrimoniis mixti ritus progenitae
educabuntur in ritu parentum iuxta sexum. Ad evitanda autem gravia incom-
moda in familiis mixti ritus, per dispensationem ab Ordinariis impetrandam
facultas fiat dies festos et ieiunia observandi iuxta unum eundemque ritum,
si ita parentes inter se conveniant, quin exinde ritus ipsius mutatio ullo modo
deduci valeat. In matrimoniis tamen clericorum ruthenorum abhinc universa

proles sequi debebit ritum patris, atque uxor latina per dispensationem ab Ordinario impetrandam facultatem obtineat festos dies et ieiunia servandi iuxta ritum ruthenum. Episcopi pariter dispensare poterunt cum famulitio in familiis mixti ritus sustentato, ut circa ieiunia et festos dies sese accommodent conventioni inter coniuges, ut supra dictum est, initae; ast diebus dominicis et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, devotiones in ecclesia sui nativi ritus tam coniuges ac filii quam famuli peragere possunt. Praedictas vero dispensationes Ordinarii concedent tamquam Apostolicae Sedis delegati.

d) Quia vero lex retro non agit, idcirco si certo constiterit alicubi matrimonia ea lege contracta fuisse, ut universa proles ritum patris sequatur, subsistens usus ad evitandas in familiis et actis parochialibus confusiones, impertita sanatione a Summo Pontifice, ultro servetur.

e) Illegitimae proles sequantur matris ritum.

E) *Sub respectu mutui adiutorii:*

a) In baptizando adiutorium non feratur, nisi in casu urgentis necessitatis aut gravis difficultatis, prouti iam superius notatum est.

b) Omnis sacerdos a suo Ordinario adprobatus, et a respectivo ecclesiae rectore requisitus, absque ritus discrimine, fidelium confessionem audire, et eosdem a peccatis licite et valide absolvere potest. In assignandis satisfactionis operibus ratio diversitatis ritus habeatur, et nonnisi talia eligantur opera, quae in ritu poenitentis sunt usitata. Nulli sacerdoti ad hoc non auctorizato, absolvere a reservatis ab Ordinariis licebit. Hoc fine omnes Ordinariatus casus a se reservatos, informandi cleri causa, sibi invicem communicabunt.

c) Absque proprii parochi requisitione nullus sacerdos mortuos alterius ritus sepelire praesumat. Si fideles mortuos suos in coemeterio alterius ritus sepelire optant, sepulturae non impediantur. Si ad sepulturam talem proprius parochus advenerit, proni sint sacerdotes alterius ritus usum campanarum, luminarium, feretri etc. concedere erga iustam remunerationem ei, ad quem pertinet, praestandam. Funebralem devotionem aut catechizationem iuventutis in ecclesia alterius ritus peracturus sacerdos, de secuturo suo adventu rectorem huius ecclesiae praevie informare tenetur, qui curare obligatur ut et ecclesia patefiat, et peragendae devotiones parochiales ita ordinentur, ut cum secutura devotione alterius ritus non coincidant, et se invicem turbent.

d) In solemnibus processionibus pulsus campanarum mutuo et gratis concedatur.

e) Generatim iura parochialia e. g. circa domorum, esculentorum, paschalium etc. benedictionem nemo involare praesumat.

f) Episcopis suas dioeceses canonice visitantibus, etiam sacerdotes alterius ritus honorem et obsequia spiritualia prompte praestent.

g) Ne inter sacerdotes latini et rutheni ritus in processionibus, sessionibus et aliis solemnitatibus ecclesiasticis simul peragendis, de praecedentiae ordine controversiae oriantur, quibus charitas et mutua animorum concordia turbetur, decretum S. Congregationis Rituum datum 16 februarii 1630, [1] quo in causis praecedentiae inter Episcopos latinos et Episcopos graeci ritus uniti statuitur, nullam aliam rationem, ceteris paribus, inter illos habendam esse, quam antiquitatis eorum promotionis ad Episcopatum, permittente Sanctitate Sua, pro norma in posterum habebitur ab universo utriusque ritus clero, ita ut ad designandam prioritatem in eiusmodi solemnitatibus simultanee peragendis non ritus diversitas, sed tempus ordinationis aut qualitas ecclesiasticae dignitatis consideretur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I. n. 1243].

4860.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 15 oct. 1863.

A Sacra Congregatione Christiano Nomini propagando non semel per sacrorum Antistites in locis Missionum degentes quaesitum est, an duplex stipendium percipere liceat sacerdotibus, qui duas in eadem die Missas celebrare iustis de causis permittuntur. Ut igitur in eiusmodi re omnis dubitationi locus a Missionibus auferatur, visum est expedire eam promulgare regulam, quam constanter tenuit Sacra Congregatio Eminentissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, videlicet ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui, parochiali munere instructi, ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam *pro populo* applicare teneantur. Porro huiusmodi regula recentem obtinuit confirmationem a SS̃mo D. N. Pio PP. IX in una *Cameracensi*, die 25 septembris 1858. [2] Etsi vero Sacri Consilii mens ea sit, ut norma praedicta omnibus locorum Ordinariis innotescat, ac generatim servetur in praxi, quo videlicet a ministerio sacerdotali quodlibet periculum, aut species simoniae turpisve quaestus arceatur; cum tamen specialia sint in nonnullis Missionibus rerum ac personarum adiuncta, cumque difficultates non paucae oriri possent si regula, de qua agitur, nullam omnino exceptionem pateretur: SS̃mus D. N. Papa benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis Missionum facultas impertiatur, quemadmodum per praesentes literas eisdem tribuitur, indulgendi ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi, etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda, stipendium percipere possint ac valeant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1244].

4861.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Archiep. Westmonasterien.), 13 iun. 1864.

L'abuso denunziato alla S. Sede aver luogo in Inghilterra che cioè nei matrimoni misti la parte cattolica suole essere trascinata a rinnovare il consenso innanzi al ministro eretico, fu comunicato alla Suprema Congregazione

[1] Cf. N. 4443.
[2] Cf. N. 4167.

del S. Offizio in un cogli schiarimenti che l'E. V. si compiacque porgere ultimamente su tale argomento. Ora gli Emi Inquisitori generali, presolo ad esame nella fer. IV 8 corrente hanno risoluto: « Tollendum esse abusum de quo est sermo, praesertim ob scandalum quod inde oritur; opportune instruendos esse fideles, quando se offert occasio, de peccato quod committitur, et de censuris quae contrahuntur ob renovationem consensus coram ministro haeretico ut sacris addicto. Pro casibus vero particularibus communicetur Episcopis Angliae instructio data sub fer. IV die 17 februarii huius anni Episcopis Regni Hannoveriani ». [1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1255].

4862.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Tunkin. Occident.), 16 mart. 1865.

De facultatibus pro dispensationibus matrimonialibus ea lege a Vic. Ap. suis missionariis communicatis, ut debeant ipsi, sub poena nullitatis concessae dispensationis, schedulam tradere sponsis declarativam dispensationis elargitae, et dispensationem ipsam adnotare in regesto parochi, observandum occurrit, quod notissimi iuris est, non posse inferiorem coarctare absque venia superioris concessionem istius. Igitur quas in foliis facultates habent Vicarii Ap. communicabiles suis missionariis, vel in totum, vel in partem, possunt quidem eas communicare vel non communicare, iuxtam datam sibi a Summo Pontifice auctoritatem, sed minime possunt novas apponere conditiones et irritantes clausulas in iisdem communicandis, quando ad sic agendum specialem non obtinuerint facultatem a S. Sede. Quapropter recurrendum esset ad Summum Pontificem in casu; sed nescio utrum id expediens sit facere pro uno tantum Vicariatu, verendumque esset ne maior generaretur confusio. Quibus positis, cum ceteroquin rationum momenta a te exposita admodum gravia sint ad persuadendam providentiam aliquam, ne de plurimorum matrimoniorum valore dubitari occurrat, propter defectum probationis traditae dispensationis: modis omnibus, iuxta datam tibi a Dño prudentiam, insistendum erit in hoc ut missionarii non omittant schedulam dare sponsis, dispensationemque signare in regesto seu folio, statis anni temporibus transmittendo ad Vicarium, idque iniungere etiam sub comminatione poenarum ecclesiasticarum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1270].

[1] Cf. N. 976.

4863.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Orient.), 20 mart. 1865.

Venne recentemente partecipato alla Propaganda che da parte de' protestanti e scismatici allo scopo di propagare maggiormente i loro errori si faccia ogni sforzo onde fondar dei collegii ed aprire delle scuole nelle principali città d'oriente: anzi a rendere siffatte istituzioni più popolari ed insieme più favorite dal governo ottomano non si tralasci di adoperare l'elemento indigeno, rivestendo le medesime di un carattere nazionale. Così fu eretto in Beyrouth sotto il nome e la direzione di ben conosciuto apostata un sedicente collegio nazionale per la Siria, disgraziatamente omai troppo numeroso e frequentato anche da buon numero di giovani cattolici di rito orientale. Anche i greci scismatici parimenti a Beyrouth, oltre una scuola esterna che già esisteva hanno aperto a poche ore dalla città altro sedicente collegio *ortodosso libanese* che similmente affetta nella maniera d'insegnare un carattere nazionale. Non v'è chi non vegga quanto pericolose siano le conseguenze che possono derivare da tal nuovo sistema d'insegnamento, ed insieme quanto grave sia il danno che minaccia ai cattolici di Oriente, ove non si accorra con opportuni provvedimenti. Quindi è che questa S. C. adempiendo agli ordini ricevuti in proposito dalla Santità di N. S. si reca a doverosa premura di eccitar lo zelo pastorale di V. S. perchè voglia senza indugio interporre tutta l'influenza ed autorità di che gode, allo scopo di distogliere i fedeli soggetti alla sua giurisdizione dal collocare i propri figli nelle summenzionate scuole protestanti o scismatiche, imponendo, se facesse d'uopo, ancora delle pene ecclesiastiche a quei genitori, che non volessero desistere dall'inviare alle suddette scuole i loro fanciulli. Essendo poi grandissimi i vantaggi religiosi che possono ottenersi da un buon sistema d'istruzione, brama perciò la S. C. che anche presso le nazioni orientali unite alla Chiesa Romana vengano eretti stabilimenti della medesima natura, massime nei luoghi ove più si sviluppa l'azione degli acattolici.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1271].

4864.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 30 apr. 1866.

1. Se i fanciulli di rito orientale, ove si consacra in fermentato, pel tempo che dimorano negli stabilimenti di educazione, nei quali in vigore di rescritto pontificio tutti usano dell'azimo, possano qualche volta venir condotti alla propria chiesa per ricevervi la S. Comunione in fermentato.

2. Se un sacerdote maronita od armeno (che usano dell'azimo) possa amministrare il Sacramento dell'Eucaristia... consacrato secondo il rito latino, e viceversa.

3. Se un sacerdote o diacono del rito orientale, particolarmente di quelli che consacrano in azimo, conoscendo la lingua latina possa assumersi in qualità di diacono o suddiacono nella Messa solenne celebrata in rito latino.

R. Ad 1. Affirmative. [1]

Ad 2. Affirmative, dummodo sacerdos linguam et caeremonias proprii ritus adhibeat, et dummodo, quoad armenos, de iis locis agatur in quibus servatur apud ipsos usus communicandi sub una tantum specie.

Ad 3. Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1288].

4865.

S. C. de Prop. Fide, decr. 18 aug. 1866.

Post datam a SSmo D. N. Pio divina providentia PP. IX, die 3 maii 1858 epistolam encyclicam incip. *Amantissimi Redemptoris*, [2] dubitari coepit an per ea, quae inibi habentur de obligatione parochorum aliorumque curam animarum actu gerentium celebrandi et applicandi Missam *pro populo* omnibus dominicis festisque aliis diebus, haud exceptis iis, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia e dierum de praecepto festorum numero sublati vel translati sunt, derogatum fuerit prioribus aliis laudatae Sanctae Sedis declarationibus, quibus nunciatum fuerat in missionum locis, ubi neque parochi neque paroeciae rite adhuc institutae inveniuntur, Vicarios Apostolicos et missionarios, licet animarum curam exercentes, supradictae obligationi implendae *tantummodo titulo charitatis, non vero ex iustitia* obstringi. Porro quamvis annuente Sanctitate Sua, Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 5 augusti anni 1860 *negative* responderit, [3] nonnulli tamen Vicarii et missionarii Apostolici rati non omnem prorsus ambigendi rationem hoc responso amotam fuisse, sequentes proposuerunt quaestiones:

1. An Vicarii Apostolici ac missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex iustitia* ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

2. An vero de illis, qui ex iustitia non obligantur, dici debeat *decere* ex charitate aut *teneri* ex charitate ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

Iam vero cum de his quaestionibus actum fuerit in generalibus comitiis eiusdem S. Congregationis habitis die 23 martii anni 1863 Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad 1. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episco-

[1] In litteris ad Vic. Ap. Constantinop. (19 iunii 1866) notatur quod sequitur: «È mente del S. Padre che la determinazione dei giorni in cui potranno i fanciulli orientali venir condotti alla chiesa del loro rito per ricevere la S. Comunione, debba rimettersi al prudente arbitrio dei superiori degli stabilimenti di educazione contemplati nel primo dei surriferiti dubbi».

[2] Cf. N. 524.

[3] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1199.

pales ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et missionarii missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant.

Ad 2. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate*, dicendum vero esse *decere ex charitate*, idque ita ut nulla proprie dicta obligationis significatio appareat.

Has autem Sacrae Congregationis resolutiones SSmus D. N. Pius PP. IX referente infrascripto Secretario in audientia diei 29 martii benigne in omnibus approbavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1296].

4866.

S. C. de Prop. Fide, litt. 15 iun. 1867.

La Santità di Nostro Signore aderendo ad antiche e ripetute decisioni della Santa Sede ha disposto che nelle adunanze dei Vescovi, i Patriarchi, senza distinzione di rito e di nazionalità, debbano prender posto secondo l'ordine già stabilito per le quattro sedi patriarcali, e che fra i Patriarchi quali hanno il titolo della stessa sede, per la precedenza debba aversi unicamente ragione dell'anteriorità della loro canonica promozione alla sede medesima.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1306].

4867.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Patriarch. Armen.), 30 iul. 1867. [1]

1. In venditione bonorum ecclesiasticorum praemittatur eorumdem aestimatio a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae necessitate, vel utilitate; vendantur favore maioris oblatoris, et non minori pretio quam quod a praedictis peritis fuerit aestimatum; pretium ab emptore integre solvatur in actu stipulationis, et collocetur in honesto, tuto, ac licito investimento; quod si non erit in promptu, deponatur pretium in aliqua capsa publica, vel apud aliquam personam spectatae probitatis et idoneitatis, recepta tamen cautione scripto exarata, penes ipsum Patriarcham vel Episcopum Ecclesiae, ad quam pertinent bona vendita, accuratissime custodienda.

2. In permutationibus praemittatur aestimatio fundorum a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; et in contractus stipulatione expresse reservetur hinc inde regressus ad primaeva iura in casu evictionis. Quod si valor fundi eccle-

[1] Patriarchae Armen. Ciliciae concessa fuit ad quinquennium facultas bona ecclesiastica, iuxta formam et tenorem huius instructionis, alienandi, cum obligatione, exeunte quinquennio, docendi S. C. quomodo eadem facultate usus fuerit (Ex Aud. Ssmi 30 iulii 1867).

siastici superet valorem fundi qui ab Ecclesia in permutationem recipitur, ea pecuniae vis, quae ad peraequationem contractus est necessaria, Ecclesiae persolvatur in actu stipulationis, et collocetur in honesto, tuto, ac licito investimento; atque interim deponatur uti supra in capsa publica, vel apud personam spectatae probitatis atque idoneitatis.

3. In contractibus emphyteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; canon ab emphyteuta persolvendus non sit minor quam qui a peritis statutus fuerit; stipulatio scripto consignetur, cui descriptio fundi ac topographica eiusdem tabula adiiciatur: praestet emphyteuta hypothecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem, hoc deficiente, cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum; atque in ipsa stipulatione obligationem emittat pro se suisque heredibus ac successoribus valituram, numquam utendi qualibet praesenti vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, et melioramenta omnia solo cedendi.

4. Si agatur de Ecclesiae bonis oppignorandis, vel de aere alieno contrahendo, necesse est ut prius audiantur omnes interesse habentes, et constet de vera et gravi Ecclesiae necessitate; quae si vere intercedat, cavendum est, ut debitum illud, cum primum fieri poterit, Ecclesia ipsa dimittat; eaque de causa imponatur eidem singulis in casibus obligatio contractum debitum extinguendi annuis ratis ab ipso Patriarcha praefiniendis; ad quem effectum determinati aliqui Ecclesiae eiusdem redditus erunt assignandi, ac singulis vicibus deponendi in capsa publica, vel penes honestam atque idoneam personam, ut suo tempore investiri possint.

5. Cum vero Ecclesiae pecuniam investiri contingat, duo imprimis diligentissime curanda erunt, primum ut a contractibus ineundis longe procul sit quaevis usuraria labes, secundo ut Ecclesiae indemnitati cautum sit: ideoque non collocetur eiusdem pecunia nisi apud honestas et idoneas personas, quae praestent hypotecariam inscriptionem, vel saltem idoneam cautionem; omnesque huiusmodi contractus publicis tabulis pro recepto regionum more consignentur.

6. Denique in locationibus bonorum ecclesiasticorum cavendum est, ut locationes praedictae fiant iusto pretio, atque ut annuae responsionis solutio non fiat anticipate in praeiudicium successorum. Non licebit autem ecclesiastica bona locare ultra triennium; poterit autem R. P. D. Patriarcha, si specialem ab Apostolica Sede super alienatione bonorum ecclesiasticorum facultatem obtinuerit, permittere ut locationes praedictae fiant etiam ultra praedictum tempus, dummodo non excedat novennium.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide vol. II, n. 1310].

4868.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Angliae), 6 aug. 1867.

Litteris die 3 februarii anni 1865 ad RR. PP. DD. sacrorum Antistites Angliae datis Sacrum Consilium Chr. Nom. Propag. significavit se libentissime confirmasse sententiam a laudatis Episcopis in recenti Londinensi conventu unanimiter proposita de collegiis penes Universitates anglicanas oxfordiensem ac cantabrigensem non erigendis, deque parentibus catholicis opportune persuadendis ne suos filios ad eas Universitates mitterent, quod videlicet idem Sacrum Consilium Episcoporum sententiam apprime consonam vidisset principiis iuxta Summi Pontificis mentem a se traditis, quoties de scholarum mixtarum periculis consulta fuerat. Porro cum per epistolam encyclicam ad clerum datam sub die 24 martii 1865 Praesules Angliae sententiam supradictam a Sacra hac Congregatione confirmatam sacerdotibus per suas dioeceses patefecissent, sperandum erat fore ut eidem patresfamilias catholici se conformarent, quo filios suos a perversionis periculis omnino arcerent. Verum nonnulla quae recenter evenerunt facta satis ostenderunt declarationes in rem a S. Sede emanatas, ac laudatam Episcoporum ad minores sacerdotes encyclicam non fuisse sufficienter promulgatas, ideoque necessarium apparet ut literae pastorales a singulis Angliae Praesulibus divulgentur, quibus cleris pariter ac fidelibus suarum dioecesium perspicuam ac certam tribuant agendi normam in re sane gravissima, quae cum aeterna animarum salute apprime connectitur.

Quoniam vero non omnes idem tulere iudicium de acatholicis Universitatibus devitandis, ac quidam etiam non defuerunt qui censerent tolerari posse ut catholica iuventus praedicta instituta frequentaret sive ob temporalia emolumenta quae in iis comparantur, sive quod in ipsorum sententia certa lex non appareat qua ad illas accessus absolute prohibeatur, operae pretium arbitror ut Amplitudo Tua clare explicet in epistola pastorali doctrinam de proximis peccandi graviter occasionibus devitandis, quibus nemo sine letali peccato exponere seipsum potest, nisi gravis urgeat ac proportionata necessitas, ac nisi tales adhibeantur cautiones, quibus periculum peccandi proximum removeatur. Iam vero in re de qua agitur, cui, ex Summi Pontificis declaratione, intrinsecum gravissimumque inest periculum non pro morum tantum honestate sed praesertim pro fide, quae ad salutem omnino est necessaria, quis non videt vix aut ne vix quidem dari posse adiuncta illa in quibus absque peccato acatholicae Universitates frequententur? Levitas ingenii atque instabilitas adolescentium, errores qui quasi cum aura in dictis Institutis hauriuntur absque antidoto solidioris doctrinae, maxima vis quam in iuvenes exercent humani respectus ac sodalium irrisiones, tam praesens tamque proximum in adolescentes inducunt labendi periculum, ut nulla generatim sufficiens ratio concipi queat, propter quam adolescentes acatholicis Universitatibus committantur. Quae cum ita

sint erit sapientiae tuae ita argumentis auctoritatis ac rationis uti in epistola divulganda, ut tandem aliquando omnibus sacerdotibus pariter ac fidelibus laicis quid in negotio isto gravissimo sentire atque agere oporteat perspicuum sit. Ceterum non praetermittam Amplitudini Tuae inculcare ut ita agas cum ceteris Angliae Episcopis, quo videlicet epistola, de qua supra, et uniformi ratione concipiatur et pari uniformitate executioni mandetur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1312].

4869.

S. C. de Prop. Fide, litt. 22 aug. 1867.

Doversi tenere per fermo ed indubitato che anche nell'ipotesi che trattisi di Custodie o Provincie propriamente dette, esistenti nelle missioni, la nomina dei Prefetti Apostolici spetta principalmente alla S. C. sebbene questa per ragione di prudenza non soglia valersi del suo diritto senza intendersi preventivamente coi rispettivi Superiori Religiosi.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1314].

4870.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 19 sept. 1867.

1. Se convenga avvertire alcuna cosa circa il divisamento dei Vescovi degli Stati Uniti di America di ammettere come soci onorari nelle Società di S. Vincenzo de' Paoli gli acattolici.

R. Nihil quidem obstare quominus etiam ab acatholicis spontaneae eleemosynae recipiantur; verum ut iidem recenseantur inter socios honorarios, omnino non expedire.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1319].

4871.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Deleg. Ap. et Ep. Orient.), 24 sept. 1867.

Clandestinas sectas, ubi primum in perniciem religionis, rei publicae, ac societatis eruperunt, Apostolica Rom. Pontificum sollicitudo improbare, condemnare, atque gravissimis poenis coercere non omisit. Eaque est rei ipsius natura et gravitas, talisque Apostolicarum Constitutionum tenor, ut minime dubitari possit quin voluerint laudati Pontifices iisdem obligari omnes et singulos christifideles, nullo habito locorum, temporum, nationum vel rituum discrimine. Neque omisit S. C. Propagandae Fidei praeposita, pontificia illa decreta orientalium Ecclesiarum Praelatis opportune significare, uti ex eiusdem Sacrae Congregationis archivo satis superque compertum est. Cum vero eadem socialis clades in hac temporum acerbitate quotidie

succrescat, Europae finibus se non contineat, ac, transmisso mari, orientales quoque regiones inficiendas susceperit, eo certe graviori perversionis periculo quo maior est simplicitas christifidelium illic degentium, sollicita fuit haec S. C. Prop. F. orientalis ritus negotiis praeposita Allocutionem a SS̃mo D. N. Pio div. Prov. Pp. IX habitam in Consistorio diei 25 septembris 1865 [1] in varia eorumdem locorum idiomata conversam ad orientalium Ecclesiarum notitiam atque instructionem mittere. Subinde factum est, ut dubia quaedam apud orientales exorta fuerint, et rogata etiam fuerit S. Sedes Apostolica, qua se ratione gerere debeant confessarii praesertim cum iis, qui damnatis hisce sectis nomen quidem dederint, sacrilegis vero earumdem iuramentis nondum se obstrinxerint.

Quae quidem cum ad accuratum examen in generali Congr. Em̃orum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum revocata fuissent, declaratum est, probante SS̃mo Domino Nostro, orientales comprehendi in constitutionibus pontificiis latis contra praefatas sectas etiam quoad poenas, quae in iisdem constitutionibus infliguntur: ac praemissis dubiis de medio tollendis visum est ad Ecclesiarum praelatos aliqua decreta transmittere, alias eadem super re ab Apostolica Sede edita, quae typis impressa hisce litteris adiiciuntur.

Decreta S. R. et U. Inquisitionis de quibus agitur in superioribus litteris.

Die 2 iulii 1845: « Episcopi privatim per se, vel per alios sibi bene visos nomine S. Sedis confessariis praecipiant, ut serio moneant suos poenitentes, ne societati liberorum muratorum aliisque huius generis clandestinis aggregationibus nomen dare, vel earum conventicula adire aut fovere praesumant, ac pertinacibus sacramentalem absolutionem negent, cum facultate absolvendi vere resipiscentes ab excommunicatione incursa ». [2]

Die 5 augusti 1846: « Proposito dubio quaenam sint societates damnatae in pontificiis constitutionibus, responsum fuit: Societates occultae, de quibus in pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando. Et ad mentem: Mens est quod Episcopi communicent tantum confessariis huiusmodi responsum, et caveant ab eius publicatione ». [3]

Die 28 iunii 1865: « Quoad matrimonia, in quibus una contrahentium pars clandestinis aggregationibus per pontificias constitutiones damnatis adhaeret, dummodo absit scandalum, Ordinarius habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus ea decernat, quae magis expedire iudicaverit ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1320].

[1] Cf. N. 544.
[2] Cf. N. 896
[3] Cf. N. 899.

4872.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 11 mart. 1868.

Post editam Instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimentum mixtae religionis quoad promiscua coniugia, cui sub die 15 nov. 1858 subscripsit Emus ac Rmus D. Cardinalis Antonelli, [1] eae ad S. Congr. pervenerunt notitiae non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta coniugia absque iusta et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum eiusdem literae ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat quid catholica Ecclesia de huiusmodi catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem;* dein vero in Ordinariorum memoriam revocat *antiquissimos Canones*, nec non *recentiores Summorum Pontificum sanctiones* quibus *etsi aliquid de severitate canonum remissum sit adeo ut mixta coniugia quandoque permittantur*, id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali ac divino iure fundatis*, ut scilicet *non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat.* Quae cum ita sint, mirari omnino debuit Sacra haec Congregatio quod nonnullis videri potuerit praedicta instructione principiis, quae semper Sancta Sedes circa mixta connubia tenuit ac docuit, aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuae subditis iurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere atque inculcare studeas. Porro quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum minime sufficit ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non ceteras clausulas in rescriptis Apostolicae Sedis adhiberi solitas, sed omnino *iustae gravesque* requiruntur causae, ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque iure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, in mixtis coniugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione *ut omnia rerum locorum ac personarum adiuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur! Quamobrem enixe peto a charitate tua, ut, quantum cum Domino poteris, fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in iis continentur, pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si matrimonia mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

[1] Cf. N. 6454.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1324].

4873.

S. C. de Prop. Fide, instr. 25 apr. 1868.

La erezione di scuole e convitti misti di cattolici ed eterodossi, che da qualche tempo sventuratamente si va rendendo ogni giorno più comune, ha indotto la S. Sede, desiderosa di provvedere alla sana istruzione dei fedeli, a richiamare in proposito i giusti principii, dare le opportune regole e porgere i necessarii avvertimenti tanto per organo del S. Offizio, quanto della S. C. di Propaganda, secondo i casi che alla medesima sonosi denunciati. Nel presente foglio si è creduto conveniente di redigerne un compendio.

Sebbene siavi differenza tra le scuole protestanti e scismatiche, e generalmente parlando, maggiori forse siano i danni che hanno a temersi dalle prime, pur tuttavia non lasciano anche le seconde di essere grandemente pericolose per la gioventù cattolica. Onde con circolare del 20 marzo 1865 [1] la S. Congregazione di Propaganda, mentre rendeva avvertiti tutti i Vescovi Orientali del gravissimo pericolo, al quale sono esposti i giovanetti cattolici nel frequentare le anzidette scuole dirette dagli scismatici e protestanti, che vanno aprendosi, or più che in altra epoca, nelle principali città dell'Oriente, ne eccitava altresì lo zelo ad impedire energicamente siffatta costumanza, impiegando anche all'uopo tutto il nerbo della loro ecclesiastica autorità. Ai Vescovi principalmente ed ai parrochi incombe l'obbligo di usare le più solerti ed efficaci cure, onde persuadere i padri di

[1] Cf. N. 4863.

famiglia non poter far essi cosa più pregiudizievole alla loro prole, alla patria ed alla nostra santa Religione, che coll'esporre i propri figli ad un così manifesto pericolo, che sarebbe anche maggiore, qualora le scuole medesime fossero istituite col diretto intendimento di far proseliti all'eresia ed allo scisma. Ognun conosce quanta forza eserciti sull'animo giovanile l'autorità dei precettori e come potentemente lo induca ad approvar tutto ciò che in essi scorge e da essi ascolta. Quindi avviene che in un coll'insegnamento contragga senza quasi avvertirlo i loro errori, e concepisca disprezzo della Religione cattolica. A ciò si aggiunga il conversare giornaliero e familiare coi giovani protestanti e scismatici, i cui costumi sovente corrotti, la indocilità, il mordace parlare contro la nostra santa Religione e contro le pratiche della Chiesa pervertono la mente e corrompono il cuore dei condiscepoli cattolici. Nè si creda già che da ogni pericolo vadano immuni quelle fra le anzidette scuole, il cui insegnamento riguarda la elementare istituzione, ovvero materie meramente profane; imperocchè oltre ai medesimi pericoli ch'esse presentano pel consorzio e familiarità coi condiscepoli educati nella eresia e nello scisma, porgono altresì ai precettori il mezzo d'ingannare la giovanile semplicità con arti quanto meno apprese altrettanto più efficaci. Tuttociò trovasi trattato in un'analoga istruzione emessa dalla Suprema Congregazione del S. Offizio per la Svizzera sotto il giorno 21 marzo 1866.[1]

Si è discorso fin qui dei giovani cattolici che frequentano le scuole protestanti e scismatiche. Passando ora a parlare dei giovani scismatici e protestanti che frequentano le scuole cattoliche, egli è chiaro che in questo secondo caso non esistono pei giovani cattolici tutti quei pericoli che si disse concorrere nel caso precedente: imperocchè essendo cattolico il precettore, cattolici l'insegnamento e i libri, nulla v'ha a temere da questo lato. Ed è perciò che questa S. Congregazione di Propaganda si è mostrata altre volte indulgente a tollerare o anche ad ammettere che nelle scuole cattoliche istituite nelle Missioni e dirette dai missionarii si ricevessero ed ammaestrassero dai precettori cattolici anche gli eterodossi. Non disconosceva però la stessa S. Congregazione che anche in tali scuole per direzione e per insegnamento cattoliche non mancherebbe qualche grave pericolo per l'ammissione dei detti giovani scismatici e protestanti a motivo principalmente del quotidiano contatto che questi avrebbero coi figli dei cattolici. Laonde nel permettere tale promiscuità fu sollecita di prescrivere alcune cautele necessarie specialmente a rimuovere dai giovanetti cattolici il pericolo di perversione, come pure dagli acattolici il pericolo d'indifferentismo. Gioverà indicare talune risoluzioni prese in proposito da questa S. Congregazione. Una particolare adunanza tenutasi ai 18 decembre 1742 fu di avviso potersi permettere ai missionarii Cappuccini di Moscovia che oltre alle scuole di lingue straniere e di scienze indifferenti, che allora si tenevano pei soli figli dei cattolici, altre ne potessero tenere per tutti gli acattolici, che volessero concorrervi, destinando all'uopo una camera separata. Certamente la separazione di camera elimina o almeno rende assai rimoti gli anzidetti pericoli

[1] Cf. N. 992.

che nascono dalla promiscuità di giovani cattolici ed acattolici e che formano appunto la principale difficoltà delle scuole miste, se pure possano dirsi propriamente tali nel caso che si assegni luogo distinto e separato ai discepoli eterodossi. Un tal metodo però di separazione assai difficilmente potrebbe adottarsi ovunque sì per mancanza di luoghi e di mezzi, come pure per la esigenza di più maestri, di che havvi ordinariamente scarsezza nei luoghi di Missione.

Sul finire dello scorso secolo i Padri Riformati missionari nell'Egitto superiore avevano aperto delle scuole in varie stazioni di quella Missione pei giovanetti cattolici, e ad esse concorrevano ancora i figli dei copti scismatici. La Congregazione generale adunatasi ai 29 agosto dell'anno 1791 opinò potersi ciò tollerare per allettare gli eretici copti al cattolicismo e non irritarli, aggiungendo però che « periculum perversionis per magistrorum diligentiam removeatur ». Analogamente a questa risoluzione del S. Consesso fu scritto al Prefetto di quella Missione non doversi far difficoltà che i figli degli eretici vadano alle scuole cattoliche. Ma che siccome talvolta qualche giovanetto discolo eretico potrebbe pervertire alcuno dei cattolici, perciò i maestri debbano avere di ciò cura, e non ammettere nelle scuole i giovanetti eretici licenziosi. All'opposto moltissimo bene si deve sperare dalla frequenza degli eretici alle scuole cattoliche potendosi così imbevere dei sodi principi della nostra vera Religione, ed avendo agio i maestri d'insinuarsi nel loro spirito per guadagnarli alla Chiesa.

Omettendo altre consimili risoluzioni, giova riferire come nell'anno 1853 i Vescovi Armeni della provincia ecclesiastica di Costantinopoli riuniti in conferenze avendo annoverato fra i mezzi opportuni per la conversione degli scismatici nazionali anche quello di dare accesso ai loro figli alle scuole cattoliche, la Congregazione generale di Propaganda ordinò si scrivesse all'Arcivescovo Primate, significandogli che il mezzo proposto ravvisavasi molto acconcio a procurare la conversione degli scismatici, ma si richiedeva però un metodo assai prudenziale per non far nascere degli inconvenienti; che due sono i pericoli che possono derivarne, il primo che i giovani scismatici pervertano i giovanetti cattolici, se non si prendono tutte le cautele per impedire che parlino a lungo fra loro; imperocchè avvenendo naturalmente che fra gli scismatici sianvi dei giovani astuti, di talento, radicati nello scisma in forza della domestica educazione, e che tra gli allievi cattolici ve ne siano alcuni di scarso talento, e di poco sentimento religioso, facilmente i primi pervertirebbero i secondi. L'altro pericolo è di rendere ipocriti i giovanetti scismatici se venissero obbligati ad intervenire agli esercizi religiosi, al pari dei figli dei cattolici, perchè in tal caso vi sarebbe pericolo che simulassero la professione del cattolicismo contro la erronea loro coscienza; e si renderebbero proclivi all'indifferentismo. Si avvertì poi lo stesso Monsig. Arcivescovo che non s'intendeva parlare di ammetterli ai Sagramenti, perchè in tal caso dovrebbe precedere la formale abiura e la sincera dichiarazione di ritornare alla religione cattolica. Per ultimo s'insinuò ai Vescovi dell'anzidetta provincia che per tener lontani tali pericoli dalle scuole, in cui insieme ai giovanetti cattolici ricevonsi anche gli scismatici, allorquando si riunireb-

bero in Concilio Provinciale formassero un apposito regolamento per siffatte scuole miste da sottoporsi all'approvazione di questa S. Congregazione.

Resta finalmente a dirsi qualche cosa intorno all'ammissione dei giovani scismatici e protestanti nei pensionati e convitti cattolici. Non potrebbe però darsi una norma adeguata e sicura applicabile a ciascun collegio, convitto o pensionato senza aver prima particolari ed accuratissime notizie sopra tutte quelle circostanze, dalla cui cognizione dipende appunto il giudizio che deve portarsi sull'anzidetta promiscua convivenza di cattolici ed eterodossi. Sarebbe quindi necessario di conoscere il preciso scopo del convitto, la condizione e l'età di quelli che vi si ammettono, la qualità e il grado d'istruzione che vi si dà, il regolamento onde è ordinata l'interna disciplina, specialmente per ciò che spetta alle relazioni le quali passano fra i fanciulli (o fanciulle, se trattasi di convitto di sesso femminile) di diverso culto; se possano liberamente trattare e parlare fra loro, se sia ad essi proibito di ragionare intorno a punti religiosi. Altro articolo assai necessario a conoscersi è il modo con cui gli acattolici vengono diretti in materia di religione, vale a dire se vengono educati nella religione cattolica con o senza il consenso dei genitori; qualora non sono educati cattolicamente, se è dato loro il permesso od anche imposto l'obbligo di assistere in un coi cattolici alla S. Messa ed alle pratiche di pietà, se debbono astenersi sempre dal ricevere i Sagramenti, ovvero se sia loro permesso di recarsi a riceverli qualche volta nelle loro chiese scismatiche, e chi ve li accompagni. Interessa ancora sapere quale sia in ciascun convitto il numero dei protestanti e scismatici, e in quale proporzione si trovi con quello dei cattolici.

Occorrerebbe pertanto che i Superiori delle varie Missioni si procurassero possibilmente e rimettessero alla S. C. le suaccennate notizie intorno a quei convitti misti che si trovassero dipendenti dalla loro giurisdizione, per quindi riceverne le analoghe istruzioni adattate alle peculiari circostanze di ciascuno di essi. Frattanto però non sarà del tutto inutile riferire una risoluzione emessa nell'anno 1866 dal S. Offizio pel caso di un convitto misto di giovanette cattoliche di rito latino, e di scismatiche di rito orientale. Pria però di esporla fa d'uopo dare un cenno dell'interno regolamento del convitto medesimo, senza che non potrebbe ben comprendersi la portata dell'anzidetta risoluzione. Nello stesso stabilimento diretto da Religiose, in un con le giovanette cattoliche vengono educate anche le scismatiche di rito orientale. La proporzione del numero fra le une e le altre non fu sempre la medesima: da cinque anni però a questa parte le scismatiche costituiscono presso a poco la terza parte dell'educandato, e vengono esse istruite non solamente nelle scienze profane ma eziandio nella religione cattolica, quante volte i loro genitori scismatici ne facciano espressa richiesta. Oltre all'istituzione cattolica, le ridette educande scismatiche hanno in comune colle cattoliche, pie lezioni, esercizi spirituali, ed assistono con esse quotidianamente alla S. Messa. In addietro pregavano anche insieme ma presentemente per disposizione dell'Ordinario, affine di evitare la comunicazione *in divinis* pregano separatamente dalle cattoliche di rito latino, le une e le altre nella

loro lingua nazionale. Presso dimanda dei genitori le giovanette scismatiche una o due volte all'anno sono condotte sotto la vigilanza di persona di fiducia alla chiesa scismatica per ricevere i Sagramenti, le altre si astengono dal frequentarli. È da notarsi che gli Ordinari diocesani *pro tempore* non approvarono mai il metodo finora descritto che si osserva nel suaccennato convitto, ma lo tollerarono per la speranza che le fanciulle educate cattolicamente, tornate alle loro case e divenute *sui iuris* abbraccerebbero la religione cattolica, vi condurrebbero i propri mariti, e vi educherebbero la prole, come difatti già dieci di esse abiurarono lo scisma, ed una convertì il suo marito: e quand'anche non tutte si convertano, tuttavia speravano quei Prelati che l'educazione ricevuta cattolicamente farebbe loro deporre i pregiudizi contro la Chiesa Cattolica, l'odio ed il disprezzo contro i cattolici; nè d'altra parte vi è a temere come assicurava l'attuale Ordinario diocesano che le giovanette materialmente scismatiche, addivengano tali formalmente, atteso il tardo loro ingegno, secondo che attestano i superiori del rimentovato stabilimento, il quale d'altronde, se non ammettesse le giovanette scismatiche, mancherebbe dei mezzi sufficienti per mantenere le Religiose che lo dirigono, e non si troverebbe in grado di diminuire la retta alle convittrici latine d'ordinario povere e bisognose.

Presso tale relazione la S. C. del S. Offizio rispose come segue: « *Feria V, loco IV, die 1 iunii 1866.* — Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Sorores dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, iuxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne unquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adeant schismaticum a ministris schismaticis Sacramenta recepturae; quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit, Sorores passive se habeant; et pariter vetito, ne puellae ab amicis et coniunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant et in iis consentiant parentes vel tutores earumdem puellarum, antequam ipsae ad collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo (Ordinario) cum advertentia ut curet omnium horum executionem et bonum spirituale puellarum, quoad fieri poterit, etiam post egressum e collegio; et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda, qui iuxta casus adiuncta prudenter providebit, et sedulo caveat ne ex admissione schismaticarum ullum ne minimum quidem perversionis et indifferentismi periculum puellis catholicis subsit ».

Da questa risoluzione rilevasi il sentimento della prelodata S. Congregazione, e le cautele da essa prescritte in proposito, sebbene però il riferito decreto non possa darsi per regola generale applicabile a qualunque altro convitto misto, attese le varie circostanze di ciasun caso particolare, sulle quali siccome si disse, conviene avere esattissime notizie per adattarvi le analoghe provvidenze ed istruzioni.

Coerentemente alle sovraesposte norme, con lettera diretta sotto il giorno

16 gennaio 1841 ai Metropolitani Irlandesi [1] da comunicarsi ai loro suffraganei, si dichiarò che siccome dal sistema di educazione nazionale d'Irlanda nelle scuole secondarie o nelle classi inferiori promosso dal governo inglese per la gioventù appartenente a qualunque comunione cristiana, sembrava non essere derivato alcun nocumento alla Religione Cattolica durante il decennio da che il sistema medesimo era stato introdotto, perciò questa S. Congregazione avea giudicato non doversi profferire sull'argomento alcun definitivo giudizio, rimettendo piuttosto un tal modo d'insegnamento al prudente arbitrio ed alla religiosa coscienza dei Vescovi; essendochè il successo di esso dipendeva necessariamente dalla cura vigilante dei Pastori, dall'uso di varie cautele, e dalla esperienza del tempo avvenire. Peraltro la stessa S. Congregazione ammoniva seriamente i Vescovi Irlandesi quanto fosse necessario *che* si rimuovessero dalle scuole tutti i libri nocivi alla fede ed ai buoni costumi: *che* il precettore nazionale dei pedagoghi cattolici nella classe religiosa, morale ed istorica fosse cattolico, ovvero non ve ne fosse alcuno: *che* sarebbe cosa più sicura d'insegnare le sole belle lettere nelle scuole *promiscue* di quello che insegnare ristrettamente i così detti articoli fondamentali e comuni della religione cristiana, riserbando una speciale istruzione separatamente alle singole sètte: ed in fine *che* i Vescovi e parrochi fossero vigilanti onde dal suaccennato sistema nazionale d'istruzione non abbia a contaminarsi alcuno dei fanciulli cattolici, e si adoperassero energicamente per ottenere dal governo un ordinamento migliore, e più eque condizioni. Indicò ancora la S. Congregazione a quei Prelati che sarebbe cosa utilissima che le stesse località delle scuole restassero in potere dei Vescovi o dei parrochi, e che di affare sì grave si trattasse dai Prelati riuniti in sinodo provinciale, coll'obbligo eziandio di rendere consapevole la S. Sede di tutto ciò che fosse per avvenire in contrario.

Nell'anno 1857 poi in occasione che voleasi stabilire nelle città d'Irlanda scuole più alte sotto la esclusiva giurisdizione del Consiglio detto d'insegnamento nazionale, cosa (siccome veniva esposta alla S. Sede) piena di pericolo pel carattere protestante che presentavano coteste scuole, e per lo scopo che attribuivasi al governo di pervertire in esse i cattolici, con lettera del 20 febbraio dello stesso anno 1857 si eccitò a nome della S. Congregazione la sollecitudine e lo zelo dei Vescovi a difendere il loro gregge ed a vegliare su di esso con tanto maggior cura e diligenza quanto più grave era il pericolo, che dal nuovo sistema ridonderebbe alla salute delle anime, procurando con opportune ammonizioni, con prediche e lettere pastorali che fosse preservata la purità della fede dal contagio degli errori.

Per ciò poi che spetta alle scuole Universitarie e collegi misti istituiti dal Governo Inglese con lo stesso sistema per la istruzione scientifica della gioventù, la prelodata S. Congregazione con lettera dei 9 ottobre 1847,[2] manifestò ai Vescovi Irlandesi il suo timore che da tali collegi fosse per derivare gran pericolo alla fede cattolica, e che li reputava dannosi alla religione; onde li ammoniva di non prendere veruna parte a siffatta istituzione, e li eccitava invece a far fiorire maggiormente i già istituiti collegi cattolici, ed a procurare la erezione di un'Accademia cattolica. Il Governo inglese per sedare i concepiti timori modificò alcuni statuti del ridetto sistema; in seguito di che esaminatasi nuovamente la cosa, la medesima S. Congregazione non per ciò credette mitigare la già presa e testè riferita risoluzione sui ridetti collegi in vista dei gravi ed intrinseci loro pericoli, siccome indicossi ai Prelati d'Irlanda con lettera degli 11 ottobre 1848.[1]

[1] Cf. N. 4787.
[2] Cf. N. 4820.

Gioverà per ultimo aggiungere come la rimentovata S. C. di Propaganda nella generale adunanza dei 31 agosto 1863, esaminando le regole dell'Istituto delle Suore di N. S. di Sion eretto in Francia, e parlando delle giovani convittrici nel relativo educandato, decise doversi rispondere al fondatore «essere intendimento della S. C. che nelle scuole delle pensionate non si accolgano per massima generale se non giovani cattoliche. Che se per grave ragione occorresse di ricever donzelle di altre confessioni *da educarsi però cattolicamente*, debba rendersi di ciò inteso il Vescovo diocesano, affinchè di concerto colla Superiora stabiliscano con ogni diligenza le regole necessarie per evitare ogni pericolo di seduzione o perversione, fra le quali regole non si ometterà di prescrivere che nelle visite che ricevono le suddette donzelle dai loro parenti debba trovarsi ognora presente una Suora».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1329].

4874.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 12 ian. 1869.

Haec S. C. quam maxime optat ut missionarii et caeteri animarum curatores in India pueros ac puellas, cum usum rationis fuerint assequuti, vim et dignitatem S. Eucharistiae diligentissime edoceant eo ut convenienti tempore divini epuli participes fieri digne mereantur. Iidem assidue urgeant fideles ad frequentem S. Confessionis et Communionis usum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1340].

4875.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Stat. Foeder. Americ. Septentrion.), 15 aug. 1869.

Praxim pecunias exigendi ad fores ecclesiarum ut fideles ingredi possint, et divinis mysteriis adesse... penitus aboleri atque eliminari cupiens S. Congregatio, A. Tuam nunc in Domino adhortari non desinit, ut omnem curam conferas, si forte in aliquibus istius dioecesis locis consuetudinem huiusmodi invaluisse noveris, ne ulli omnino collectores, quando christifideles in ecclesiam ingrediuntur, quo divinis mysteriis adstare, vel verbum Dei audire

[1] Cf. N. 4827.

possint, ad earumdem ecclesiarum fores ponantur. Per hoc autem haud vetare intendit S. C. quominus pecunia sponte a fidelibus oblata ad Offertorium recipiatur, prout hucusque in maiori foederatorum Americae Statuum ecclesiarum parte fieri consuevit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1345].

4876.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Indiar. Orient.), 8 sept. 1869.

1. Quandoquidem aucto extremis temporibus Vicariatuum numero, ac missionariis multiplicatis, huc illuc nonnulli adversus mutuam pacem et concordiam veluti igniculi excitari visi sunt, quod nimirum diversitate nationum, educationis, Institutorum varietas etiam sententiarum oriretur, cui etiam accessit facilitas sese immiscendi in finitimarum Missionum negotiis, placuit EE. PP. singulis Missionum Praesulibus mandare ut 1. Administrationem aliorum Vicariatuum, nec scriptis editis nec alio quovis modo carpendam suscipiant. 2. Collectas in alienis Missionibus inconsulto Superiore non faciant. 3. Abstineant vero a transferendo missionarios vel moniales ex uno in alterum Vicariatum nisi consensus alterius Praelati qui eos suscepturus est, nec non iudicium S. Congregationis accesserit, idque etiam raro admodum efficiant.

2. Ne forte accidat, aliquem ex istarum regionum Praesulibus cui non adsit coadiutor cum futura successione designatus e praesenti vita migrantem Vicariatum ita relinquere ut nemo sit qui ordinariam iurisdictionem loco ipsius exerceat, in memoriam revocandam esse voluerunt EE. PP. omnibus Vicariis Apostolicis Constitutionem sa. me. Benedicti Pp. XIV quae incipit *Ex sublimi*, [1] qua indicitur ut qui ex Praesulibus neque Episcopum Coadiutorem cum futura successione neque Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem habent, statim atque ad unumquemque eorum illarum litterarum Apostolicarum certa notitia pervenerit deputent Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem, habilem tamen atque idoneum, qui eveniente cuiusvis Ap. Vicarii sine Coadiutore cum futura successione obitu tamquam Ap. Sedis delegatus teneatur assumere et obire regimen et gubernium Ap. Vicariatus, usque ad captam eiusdem Vicariatus Ap. huiusmodi possessionem a novo Vic. Ap. quem eadem haec S. Sedes constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa S. Sede ineundam ordinationem.

3. Animadverterunt iidem EE. PP. exceptis nonnullis Vicariatibus in quibus cleri indigenae status commendandum aliqua ratione se exhibet, in caeteris Indiarum Orientalium Missionibus vel paucos esse indigenas sacerdotes, vel non iis qualitatibus praeditos, quae in Christi ministris maxime necessariae sunt; in nonnullis etiam non paucos in eodem clero abusus irrep-

[1] Cf. N. 423.

sisse. Quapropter excitandum duxerunt zelum Vicariorum App. ut ad sacerdotum indigenarum institutionem promovendam omni studio animum adiiciant. Ad id vero perutile existimarunt ad omnes mittere Instructionem datam a S. Congregatione anno 1845 in qua eadem de re uberrime agitur, quaeque potissimum praestanda sint singillatim recensentur. [1]

4. Licet fatendum sit in nonnullis Indiarum orientalium Missionibus in quibus Regulares versantur, vitam indigenarum clericorum qui eorum institutum ut tertiarii vel oblati professi sunt exemplo atque utilitati fidelibus esse, gravissimae tamen rationes omnino suadent ut Vicarii App. omni studio, concordique actione ad clerum indigenam saecularem efformandum dent operam; atque ad regularem professionem nonnisi eos qui necessaria vocatione praediti apparent, admittant.

5. Quod si ex una parte omnis diligentia adhibenda est ut idonei sacerdotes saeculares, et animarum rectores inter indigenas eligantur, ex altera in eodem clero gubernando ita procedi debet ut naturalis eius gentis indoles nimis ad ambitionem et turbas prona, quod se extolli videat novos inde stimulos non suscipiat. Quod si quidam ex indigenis presbyteris praestantiores caeteris atque omnino laudabiles se praebeant adeo ut Praesules etiam Missionarii Ap. titulo dignos arbitrentur, ad id commendare illos poterunt S. Congregationi quae in negotio huiusmodi providere non omittet.

6. In multis vero Vicariatibus in quibus Religiosa Instituta vel non omnino adhuc exstant, vel tantum paucos sectatores habent, optimum erit consilium Vicariorum App. si cum clero indigenae saeculari efformando operam dederint, etiam Regulares Ordines et Congregationes inter indigenas statuere satagant sub regimine superiorum europaeorum in Indiis commorantium; quippe ea natura atque indole comparati sunt Indiarum populi ut facile ad religiosam vitam amplectendam adducantur; atque alia ex parte maxima emolumenta in christianam plebem inde sperari debent, sive iis regimen scholarum aliorumque iuventutis institutorum sive praedicationis Verbi Dei ministerium credatur.

7. Cum in nonnullis Missionibus mos utendi talari veste, praesertim cum sacerdotes in publicum procedunt, non ab omnibus diligenter servatus huc usque sit: immo vero alicubi graviores etiam abusus hac in re induci coeperint, mandat haec S. C. ut omnes ecclesiastici viri, memores decere omnino clericos etiam habitu gravitatem moderationemque exhibere, talares vestes sive albi sive nigri coloris, iuxta regionis consuetudinem et S. Congregationis Indulta saltem in publico deferant, atque ad hoc obtinendum omnis tergiversatio aut praetextus removeatur. Quod si necessitate cogente aut causa itineris per aspera loca praedictum habitum exuere cogantur, eam saltem vestem adhibeant quae sacerdotalem modestiam nullo prorsus modo dedeceat.

8. Nil profecto opportunius ad directionis uniformitatem inducendam, et concordiam fovendam, quam si una veluti regula et communibus firmisque traditionibus universi animarum rectores caeterique operarii evangelici

[1] Cf. N. 4816.

regantur. Quod et experientia in pluribus Indiarum Vicariatibus confirma-
tum est. Itaque S. C. omnes VV. AA. vehementer hortatur ut audito voto
missionariorum, collectionem regularum et usuum qui in Vicariatu invalue-
runt componere quamprimum, satagant quae quidem collectio seu Dire-
ctorium complectatur potissimum ea quae sive observanda a sacerdotibus in
sua vivendi ratione, sive in fidelibus gubernandis ab iisdem arcte servanda
sint. Atque huiusmodi Directorii exemplum ad ipsam S. C. dare non prae-
termittant.

9. Ita etiam ad animorum unitatem, sacri ministerii profectum, et uni-
formem disciplinae rationem servandam, maximam utilitatem obventuram
existimantes EE. PP. ex frequentibus missionariorum conventibus, com-
mendandum omnibus Vicariis App. duxerunt ut quam saepe opportunitas
permiserit congregationes eorumdem missionariorum cogant, et in his curent
ex singulorum experientia et consiliis deducere quae perfectius ordinari
possint, quaeque a proximioribus Vicariis App. expetenda sint, ut diffor-
mitas consuetudinum in variis Missionibus paullatim tolli valeat.

10. Id quoque ad ordinem servandum, vitandamque confusionem miri-
fice conducet, ut nimirum facultates quae missionariis communicantur,
praesertim vero matrimoniales, absque ambagibus iisdem ostendantur: ideo-
que cavendum omnino ne illae aliter quam in scriptis tradantur per appositas
litteras in quibus cum extensio facultatum tum etiam casus et censurae
reservatae aperte et determinate exprimantur.

11. Satagendum etiam erit ut studium doctrinae moralis maxime fovea-
tur, ac opinionum difformitas quantum possibile est amoveatur. Ad hoc
vero opportunum plane videtur consilium constituendi, ubi circumstantiae
id non prohibeant, collationes ad casus morales discutiendos ac dissolvendos,
quemadmodum in nonnullis locis summa cum fidelium utilitate peragi
coeptum est.

12. Gravissimas quaestiones circa lucrum ex mutuo agitari inter Evange-
licos Indiarum operarios animadvertentes EE. PP. ut quantum fieri potest
directioni Confessariorum, et conscientiarum tranquillitati consulerent,
mandarunt ad omnes Vicarios Apostolicos mitti exemplum Decreti S. Con-
gregationis Inquisitionis dati die 13 ianuarii anno 1780, et responsa S. Poe-
nitentiariae typis edita. (V. Instr. S. C. de Prop. Fide, an. 1873).[1]

13. Relatum autem est in pluribus Indiarum regionibus catholicos super
Biblia a protestantibus corrupta et a gubernio exhibita, si iuramenti emissio
occurrit, iurare consuevisse, ex alia vero parte haud difficile esse ab ipso
civili gubernio obtinere ut catholicis potestas fiat iusiurandum emittendi
super ipsorum Biblia. Itaque omnes Vicarii App. in quorum Missionibus
usus huiusmodi adhiberi consuevit diligenter curent ut anglo-indicum gu-
bernium libertatem fidelibus relinquat iurandi super Sacram Scripturam
ab Ecclesia catholica receptam. Quoadusque autem id a civili auctoritate
non obtinuerint, prudenter taceant si viderint fideles super biblia haereti-
corum iuramentum praestare dummodo de licito iureiurando agatur. Inte-

[1] Cf. N. 4880.

rea doceant S. C. an Biblia haereticorum pro iureiurando exhibita sint sub-
stantialiter corrupta, an exhibeantur ut a catholicis probentur, an vulgata
nostra latina excludi soleat. Demum a quibus et in quibus circumstantiis
ac pro quo obiecto huiusmodi iuramenta exigantur.

14. Placuit Emis PP. omnibus Vicariis App. praecipere ut ubi adhuc
Catechismus christianae doctrinae pro fidelium usu compositus non est,
quamprimum in lucem edatur, etiam adoptando aliquem Catechismum alibi
in usu; in omnibus vero Missionibus quoad hanc rem optandam uniformita-
tem collatis consiliis Vicariorum.

15. Ut maiori christianorum commodo atque utilitati provideatur, con-
cedendum existimarunt ut Vicarii App. et missionarii uti valeant formulis
benedictionum quae continentur in Appendice Ritualis Romani impressi
typis S. C. de Prop. Fide anno 1864. Quod si agatur de benedictionibus
diversis ab iis quae in illo volumine continentur ad S. C. recurrant.

16. Quia vero imprimis S. Consilio cordi est, ut istius dominicae vineae
operarii ad indigenarum salutem procurandam sese convertant ac maiori
in dies diligentia infideles in ovile Christi congregare contendant, EE. PP.
praecipiunt ut in omni statione militari inter indigenas posita praeter capel-
lanum militum et alter sacerdos constituatur qui praecipuum, imo et unicum
officium habeat praedicandi Evangelium circumstantibus Indiarum populis;
unde et vernaculas linguas perfecte calleat. Praeterea omnes missionarii ad
indigenarum curam addicti, etiam mores et consuetudines regionis in qua
degunt diligenter addiscant, nec omnino eas quae nil pravi aut superstitiosi
continent, impugnent, sive voce sive agendi ratione; ita vero se gerant ut
populorum venerationem ac fiduciam sibi comparare possint.

17. Et quoniam compertum est in pluribus Vicariatibus edi libros et
opuscula, in quibus de gentilium moribus et usibus sermo instituitur, quae-
que ad interpretationem Constitutionis Apostolicae sa. me. Benedicti XIV
quae incipit *Omnium sollicitudinum*[1] plus minusve directe referuntur, cen-
suerunt EE. PP. monendos esse Vicarios et missionarios Apostolicos mit-
tendum omnino esse S. huic Congregationi exemplar quarumcumque
instructionum et opusculorum in quibus agatur de rebus ad memoratae
Bullae interpretationem quoquo modo spectantibus.

18. Dolendum plane Emis PP. visum est multa centena millia hominum
impiae mahumedanae sectae addictorum per vastos Indiarum tractus,
praesertim vero in regione septentrionali reperiri, qui in vitiorum caeno mersi,
quamvis late diffundi catholicam veritatem videant, nullimode tamen de illa
amplectenda cogitent, immo et eam obstinato animo detestentur. Quia
tamen neminem negligendum esse in fidei praedicatione norunt, bene vero
plantandum ac rigandum, expectantes ut Deus det incrementum, hor-
tandos esse iusserunt Vicarios App. et missionarios, praesertim regionum
septentrionalium ubi homines huiusmodi minus adversos se catholicae
religioni ostendunt ut mahumedanorum conversioni adlaborent. Quod ut
facilius assequantur, optimum erit consilium si inter ipsos libellos de chri-

[1] Cf. N. 348.

stianae fidei divinitate tractantes diffundere satagant, quod et alibi magno cum fructu factum est. Illud quoque curandum omni studio ut inter sectatores buddhisticae religionis qui in multis regionibus nequaquam catholicae pietati multum adversari dignoscuntur idonei missionarii mittantur, qui eorum praeiudicia e medio tollere et christianae fidei sanctitatem edocere nitantur.

19. Ut in erectione novarum missionum et divisione vicariatuum in plures partes clarius innuantur omnia elementa quae necessaria sunt cum ad descriptionem regionum adamussim indicandam, tum ad statum spiritualem et temporalem Ecclesiae in eo tractu diligenter exprimendum, placuit redigendam esse Instructionem appositam eamque omnibus Missionum Praesulibus communicari.[1]

20. Quo facilius indigenarum presbyterorum qui in districtibus longinquis a Vicarii Ap. residentia degunt directioni consulatur, Emi PP. Vicariis App. ipsis suggerendum statuerunt ut in iis Missionibus, in quibus commode fieri possit, plures districtus vel paroeciae sub regimine unius missionarii europaei cum titulo *Superioris* constituantur.

21. Iusserunt praeterea omnibus Vicariis App. mandari, ut diligenter attendant nomina baptizatorum, et defunctorum, nec non matrimonia celebrata in libris appositis recenseri accurateque conservari ad tramites eorum quae praescribit Rituale Romanum: nec non diligenter curari recensionem status animarum, et adimplementi praecepti paschalis.

22. Prae oculis habita necessitate certos reditus aliqua ratione in pluribus Vicariatibus constituendi quibus Missionum onera ferri valeant, mandat S. C. huiusmodi Missionum Vicariis App. ut collatis consiliis rationem excogitent qua praedicto defectui occurri possit ac S. Congregationi proponant. Ad id verum assequendum insinuari voluit iisdem ut curent expensas pro victu atque itineribus minimas fieri, singulos autem missionarios unoquoque trimestri, aut bimestri, dati et accepti rationem respectivo Vicario Ap. reddere, quemadmodum in nonnullis Indiarum orientalium Missionibus laudabiliter introduci coeptum est.

23. Animadvertit etiam S. C. in fere omnibus Indiarum Vicariatibus, exceptis nonnullis Orae canarensis et malabaricae, decimarum solvendarum legem qua ecclesiarum et sacerdotum sustentationi provideatur minime extare, imo in pluribus Missionibus ipsa emolumenta quae *stolae* appellantur non solvi a fidelibus. Itaque ut facilius ad certorum redituum institutionem perveniri possit, excitandam esse voluit diligentiam Episcoporum ut prudenter provideant induci paullatim consuetudinem atque etiam, si efficere valeant, legem solvendi memorata iura stolae, quae decimarum locum teneant, atque ad certa sustentationis ministrorum sacrorum media stabilienda inserviant.

24. Summae gravitatis argumentum esse comperierunt. EE. PP. illud quod respicit titulum quo bona ecclesiastica in singulis Missionibus coram civili lege possidentur. Manifestum est enim nonnullis in locis eadem bona

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 645.

christianis communitatibus suo nomine retineri, in pluribus aliis vero Praesulibus et Superioribus ecclesiasticis tanquam privatis possessoribus, a gubernio adscripta censeri, nec ullum a civili lege in Ecclesia qua tali ius proprietatis agnosci. Nec deest circa idem caput inter Vicarios Apostolicos differentia sententiarum, nonnullis existimantibus satius esse bona Ecclesiae in christianae communitatis proprietate manere; aliis consulentibus ut omnia in possessionem Vicariis Apostolicis tradantur. Itaque quoad haec omnia accuratae ab iis informationes Sacrae Congregationi praeberi debent.

25. Quodcumque vero consilium opportunius ineundum videatur circa eiusmodi proprietatis titulum, hoc imprimis curandum erit ut ita proprietas et possessio ecclesiasticorum bonorum coram civili lege constituatur, ut securitati eorumdem omnibus quibus possunt modis VV. AA. provideant. Incertum est porro qua ratione transmittatur titulus legalis proprietatis cum ille apud Vicarios App. est in casu eorum obitus, vel renunciationis; ac pariter qua ratione coram gubernio possideant communitates christianae ubi proprietas ab ipsis retinetur. Itaque ea perspicue constituenda erunt. Ne vero quoad haec omnia Indiarum Orient. Praesules iis mediis destituantur, quae illis in huius gravissimi negotii examine utilitatem afferre possint, visum est EE. PP. expedire ut iis communicetur notitia eorum quae pro regionibus foederatorum Americae Statuum ab hac S. C. vel probata vel constituta sunt.[1]

26. Siquidem propter quarumdam ecclesiarum et paroeciarum indigentiam opportunum videatur Vicariis App. subsidia a civili gubernio petere, vel oblata accipere: ut id efficere possint, liberum cuique relinquit S. C. Quia tamen facile evenire potest ut ab ipso gubernio eae conditiones huius-

[1] *Concil. Baltimoren. VII:* « Statuerunt PP. ecclesias omnes caeteraque bona ecclesiastica, quae vel dono, vel fidelium oblationibus acquisita, in charitatis vel religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere, nisi appareat scriptoque constet illa Ordini alicui Regulari vel sacerdotum Congregationi in ipsorum usum tradita fuisse ».

Concil. Baltim. III: « Ne fidelium pia voluntas suo fraudetur effectu, et quae Deo dicaverint in Ecclesiae utilitatem ad alios transferantur usus, monemus Episcopos, sacerdotes et alios omnes, penes quos bona sunt mobilia vel immobilia ad ecclesiasticos usus data, ut, ea quae in singulis foederatis provinciis tutissima videbitur ratione, quamprimum curent ea, iuxta leges civiles, usibus a donatoribus designatis servanda. Quod si quis clericorum vel laicorum huiusmodi bona a designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in poenas a Concilio Tridentino latas (sess. 22, c. 11, *de ref.*) incurrere noverit ».

Concil. Baltim. IV: « Praesules omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant, omni qua valent ratione; ideoque legum seu auctoritatis civilis praesidium quaerant, ubicumque haberi possit, salvo tamen libero Episcoporum iure. Quod si nequeunt illud obtinere, saltem testamento iuxta legis dispositiones scite facto cuius duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventarium et titulos et instrumenta omnia rite disposita. Et si contigerit eos extra dioecesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquant, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper Episcopos ne sinant sacerdotes penes se retinere suo nomine quae a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt, eorumque fidei commissa ».

Decr. S. C. de Prop. Fide: *Quum in Foederatis* etc. — Cf. N. 4786.

modi praestationibus apponantur quae negotium Episcopis in rerum spiritualium administratione facessant, ideo S. Concilium singulos Vicarios App. monitos voluit ut in hac re de libertate et independentia ministerii ecclesiastici omnino caveant. Id eodem modo servandum circa stipendia capellanis militum a civili auctoritate concessa. Liberum pariter iisdem relinquitur postulandi a gubernio ut proprietatem ecclesiarum quas aedificavit publicis expensis Vicario Ap. cum aliqua dotatione cedat.

27. Ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat in unoquoque Vicariatu Consilium eidem administrationi gerendae constituendum est; ubi vero iam constitutum reperitur accurate reformandum. Quod quidem Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vic. Ap. designandis constare debet, cum quibus ipse Vic. in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia; et cum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis nunquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium.

28. S. C. diligenter etiam expendit ea omnia quae in relationibus Visitationis Ap. circa rationem administrandi bona ecclesiarum praesertim per Consilia fabriciariorum efferuntur. Intellexit siquidem non modo eadem Consilia nimis difformi methodo procedere, sed et inordinata esse pluribus in locis, ac a Vicario Ap. et caeteris superioribus ecclesiasticis independentia. Quapropter bona pia voluntate fidelium in divinum cultum expendenda, et male administrantur, et in profanos usus convertuntur. Itaque maxime optat S. C. praedicta Consilia idoneis praescriptionibus reformari. Quod priusquam fiat, mandandum censet singulis Vicariis Apostolicis ut informationes accuratas tum circa statum eorumdem Consiliorum tum circa modum res componendi praebeant. Et ut aliqua norma ex eo quod alibi gestum est ipsis suppeditur, communicandam iussit iisdem Praesulibus regulam pro fabriciariis ecclesiarum Hollandiae aliquibus ab hinc annis probatam.[1]

29. Gravitati ac decori cantus sacri qui in ecclesiis europaeorum adhiberi consuevit providendum censuerunt EE. PP. Itaque Vicarii App. ex praescripto S. Concilii Tridentini Sessione 22, decreto *De observandis et evitandis in Sacrificio Missae*, et Constitutionis Benedicti XIV, *Annus qui hunc vertentem*[2] ab ecclesiis arceant omnino cantus et sonos ubi aliquid profanum aut impurum miscetur, quod divinae rei et loci sanctitati minime conveniat.

30. Ad excitandam inter fideles devotionem erga SSm̃um Sacramentum Corporis et Sanguinis D. N. I. C. satagant superiores Missionum ut in ecclesiis ubi cura animarum exercetur, custodiatur S. Eucharistia ubi id tuto et decenter fieri poterit, servatis de iure servandis. Ut vero melius provideant accuratiori delationi eiusdem S. Eucharistiae ad infirmos, prae oculis habeant Instructionem ad id datam a S. Congregatione.[3]

[1] Cf. N. 4841.
[2] Cf. N. 395.
[3] Cf. N. 4846.

31. Quo diligentius foveatur pietas et ad charitatis opera exercenda fideles inflammentur, mandarunt EE. PP. ut universi Vicarii App. Indiarum Orient. excitarentur ad pias laicorum sodalitates, ubi non extant, de novo instituendas, et si iam pridem institutae fuerint, et a pristina pietate exciderint, ad legitima et probata statuta reducendas et restaurandas. In moderandis huiusmodi sodalitiis Rm̃i Antistites prae oculis habeant quae salubriter decreta fuerunt in Apostolicis Constitutionibus Clem. VIII *Quaecumque*,[1] Pauli V, *Quae salubriter*,[2] et in Concilio Romano Bened. XIII, Tit. 23, c. 1. Pias vero uniones mulierum et puellarum in India instituere, fovere et caute moderari pastoralis officii erit; et praedictae uniones congrua congruis referendo, iisdem legibus ac laicorum confraternitates, quoad fieri poterit, regantur.

32. In iis vero locis in quibus piae laicorum sodalitates institutae sunt, nulla tamen praescripta forma exteriori ac publica, nec constitutionibus, nec reditibus determinatis, curent Vicarii App. ita idoneis legibus easdem componere, ut propositis quibusdam exterioribus idoneis formis exinde augmentum pietati, divinique cultus splendori paretur.

33. Curandum praeterea ut in singulis Vicariatibus sive clerus sive populus interdum det operam exercitiis spiritualibus, ex quorum usu tanta in catholicum populum bona invecta esse dignoscuntur: quae quidem in omnibus ad tramites Epistolae Encyclicae SSm̃i D. N. Pii Papae IX quae incipit: *Qui pluribus* (9 novembris 1846) componi debent.[3]

34. Quamvis Vicarii App. fidelium pietatem erga Sanctorum Reliquias, imagines, et loca sacra ubi eae coluntur, excitare ac laudare debeant, cavendum tamen ipsis est ne ullius generis abusus aut superstitiones in saluberrima Sanctorum veneratione irrepere sinant. Quod ut impediant facilius, iis prae oculis habendum decretum Sacr. Conc. Trid., sess. 25, *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus*.

35. Cum vero ex relationibus Visitationis Ap. manifestum sit unum ex praecipuis mediis a protestantibus adhibitum ad populos suorum errorum veneno inficiendos positum esse in scholis quas ad instruendos pro suo lubitu pueros ac puellas per omnes Indiarum civitates aperiunt, EE. PP. hortandos esse iusserunt universos VV. AA. ut omnes vires ac studia sua in hoc conferre satagant ut per catholicarum scholarum institutionem sacrae puerorum puellarumque educationi ubicumque possunt provideant. Atque imprimis cum ex iisdem relationibus pateat in pluribus Vicariatibus mascu-

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 196.
[3] Haec ibi: « Cum vobis compertum sit, ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam, pium spiritualium Exercitiorum institutum vel maxime concedere, pro episcopali vestro zelo, tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere et hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis Exercitiis secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant qui creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ». — Cf. N. 504.

lorum sive europaeorum sive mixtorum atque indigenarum scholas, necessitati succrescentis iuventutis non sufficere, curandum est ut in illis multiplicentur, ac saltem ea ratione constituantur qua spectari possint ut scholae praeparatoriae ad Seminaria, unde scilicet desumi possint adolescentes in Seminarium Vicariatus transferendi. Providendum est etiam accurate scholis foeminarum, quarum cura, praesertim si de indigenis sermo sit, transactis temporibus in nonnullis Missionibus neglecta fuisse videtur.

36. De frequentia paganorum et protestantium puerorum ad scholas a catholicis constitutas, cum relata a visitatoribus considerasset S. C., iussit omnibus VV. AA. dari instructionem editam sub die 25 aprilis 1868 cum animadversione quod si ipsis aliqua supersit difficultas, Ap. Sedi referatur, expositis omnibus uniuscuiusque scholae peculiaribus adiunctis.[1]

37. Sedulo cavendum ne catholici pueri iis scholis intersint quas gubernium civile constituit, ac sub immediata directione Consilii supremi Instructionis versantur, quod doctores constituit, libros designat, iubetque ne in talibus scholis ulla de rebus fidei ac religionis mentio fiat. Porro quia experientia compertum est auctoritatem civilem non abhorrere a concedenda facultate aperiendi scholas privatas, ac pro iis subsidia subministrandi, hac opportunitate uti poterunt Vicarii App. ad has scholas praesertim anglicae linguae constituendas, dummodo conditiones quae a gubernio imponuntur nec catholicae fidei, nec bonis moribus, nec rectae cuiusque Instituti disciplinae sint contrariae. Denique ubicumque fieri poterit, curent erigi ita catholicas scholas, ut in iis gradus institutionis pueris traditae exaequet eam disciplinarum perfectionem quae in scholis gubernii observatur.

38. Ut saluti spirituali, christianaeque educationi puerorum, qui parentibus destituuntur, qua maiori fieri potest efficacia consuleretur, sapienter per orphanotrophiorum erectionem in nonnullis Indiae Orientalis regionibus provisum est. Quia tamen in pluribus Vicariatibus vel omnino adhuc tam salubre institutum desideratur, vel admodum imperfectum, nec plane necessitati respondens apparet, placuit Emis PP. hortandos esse in Domino Superiores Missionum ut huic operi accurate constituendo et augendo manum admoveant; nec tantum europaeis ac mixticiis orphanis provideant, verum et separatas domos pro pueris indigenarum aperiant.

39. Inimici catholici nominis, maximeque inter eos Ecclesiae infensi protestantes, ad errores et calumnias suas longe lateque inter istas gentes diffundendas, libris omnigenis in lucem editis utuntur. Ut ergo catholicis viris pateat via ad hominum huiusmodi audaciam effringendam, veramque doctrinam tuendam, satagant Missionum Superiores media undequaque possunt congregare ut typographias erigant in quibus iuxta opportunitatem libri edi possint ad exponenda christianae religionis dogmata, et calumniosa haereticorum ethnicorumque commenta retundenda: ubi vero eaedem typographiae erectae reperiuntur, omnino reformentur, augeantur, ut verae fidelium utilitati esse possint.

40. Ut pauperibus qui veram fidem amplecti cupiunt evangelizandis

[1] Cf. N. 4873.

aptiori ratione consulatur, maxime idoneum Institutum in quibusdam Vicariatibus statui coeptum est, nimirum domus catechumenis excipiendis alendisque, saltem usquedum Baptismi sacramentum recipiant. Compertum est tamen ex relationibus Visitationis Apostolicae in non paucis Vicariatibus domos huiusmodi adhuc deesse, alicubi vero nonnisi ut opus incipiens haberi posse. Quia ergo maxime cordi est S. huic Congregationi, ut ethnici omnibus modis alliciantur, atque adiuventur ad Iesu Christi D. N. fidem suscipiendam, hortatur Vicarios App. ut catechumenatuum fundationi adlaborent; adhibeant vero in hoc debitas cautiones non modo diversas pro utroque sexu domos designando, sed et curando ut separatim homines castarum, quas *puras* appellant, ab iis qui ad *non puras* pertinent recipiantur.

41. Placuit, monendos esse Vicarios App. praesertim Indiae Meridionalis ut diligenter caveant ne in exequiis ac sepulturis fidelium superstitiosum aliquid subrepat, sed in omnibus Ritualis Rom. praescriptiones observentur.

42. Decreta quae sequuntur quoad aquam baptismalem, a Pondicheriensi synodo secunda edita, ad omnes Vicariatus Indiarum Orient. extendi placuit. « 1. Aquam consecratam aliquo decenti loco et vase conservabit missionarius in ecclesia ubi ordinarie degit et in collatione S. Baptismatis adhibebit; idem faciet in ecclesiis in quibus per notabilem anni partem commoratur. 2. Occurrente casu necessitatis utetur facultate aquam foecundatam conficiendi extra Sabbatum Sanctum et Vigiliam Pentecostes. 3. In locis quae Sacramenta administrandi causa inviset, utetur aqua consecrata quando illam in itineribus secum facile ferre poterit ». Praeterea voluerunt EE. PP. omnibus Vicariis Apostolicis communicari Decretum datum Vic. Ap. Tunquinensi die 10 februarii 1806: « Omnino tenentur missionarii in conferendo Baptismo omnia agere ad praescriptum Ritualis Romani vel in ea etiam parte quae respicit sacramentalia et usum aquae ad id in baptismali fonte asservatae. At ubi aquam praescripto ritu benedictam asservare gravis sit incommodi aut periculi licebit eo casu missionariis vel cuilibet alii qui ad hoc Sacramentum conferendum pro temporum opportunitate aptus erit uti aqua communi praesertim si benedicta fuerit, pro aqua fontis baptismatis quae nonnisi gravi cum incommodo aut periculo haberi possit ».

43. Extenderunt quoque iidem EE. PP. ad omnes Vicariatus praescriptiones Pondicherianas memoratae Synodi habitae anno 1844 circa reiterationem Baptismi sub conditione: « 1. Unusquisque missionarius catechistas suos et covilpelleas, idest inferiores catechistas (aut officiales) semel saltem singulis annis diligenter examinare tenebitur ut certior fiat quinam inter illos sint fiducia digni. 2. Ut non teneatur missionarius baptizatos a catechista fiducia digno, sub conditione baptizare, requiritur ut adsint duo testes qui testificari possint Baptismum fuisse legitime collatum; quibusdam tamen casibus exceptis, in quibus, singulis perpensis circumstantiis, attenta peritia et probitate catechistae, cui tamen fiducia non est nimis facile concedenda, fieri potest ut nullum prorsus probabile dubium circa validitatem Baptismi oriatur, etiamsi non adfuerint duo testes. 3. Catechista infantem aliquem baptizaturus, testes, quotiescumque poterit, advocare tenebitur, dabitque operam ut testes ipsi apprime noscant quaenam sint conditiones ad huius

sacramenti validitatem requisitae. 4. Pueros a catechista fide digno baptizatos non licebit missionario sub conditione rebaptizare si praedicta exhibeantur testimonia, nec ulli pateat suspicioni testium sinceritas». His vero addendam iusserunt Instructionem S. C. an. 1851 ad R. P. D. Ludovicum Charbonneaux nunc Vic. Ap. Mysurensem missam. [1]

44. Ad omnes Vic. App. mitti iusserunt EE. PP. responsionem S. Congregationis datam Vicario Ap. Siamensi an. 1808 super interrogationibus in lingua vernacula in sacramento Baptismi adhibitis. Scripserat ad S. C. Vic. Ap. in relatione Missionis his verbis: «Non est liturgia in lingua vernacula, nec rituale nisi quod attinet ad solemnem administrationem Baptismi

[1] Dicta Instructio ita se habet «Per litteras diei 21 novembris A. Tuam praemonuimus praecipuum epistolae R. D. Boyer die 7 septembris datae, quam tuam feceras, argumentum circa necessitatem aliquibus in casibus ac locis, nullo praemisso examine, iterandi Baptismatis puerorum sub conditione, ut primum licuisset, lubentissime votis annuentes tuis, examini S. C. exhibituros.

«Coactis revera generalibus Comitiis die 1 labentis decembris, rem absolvendam curavimus, ac praevia Ssmi D. N. sanctione, quae definienda visa sunt, hisce A. Tuae nunciamus. Quantopere itaque in re tanti momenti inhaerendum iugiter sit generalibus Ecclesiae definitionibus, Baptismi scilicet Sacramentum, utpote una spiritualis generatio, et ex characteris vi ac natura, nulla ratione iterandum, quaeque item constans fuerit Apostolicae Sedis eadem de re doctrina ac praxis, A. Tuae apprime compertum esse, ex memorata ipsa epistola patet. In ea quippe amussim ac rite traditur, *generatim* ac *sine delectu*, cum adiunctione etiam seu conditione, quemlibet rebaptizandum non esse. Quamvis autem haec A. Tuam haud latere probe noverit S. C., nihilominus haud supervacuum duxit iterum iterumque in Domino hortari, ut pastoralem omnem vigilantiam adhibere pergas, ne temere ab huiusmodi definitionibus evangelici operarii unquam recedere audeant, ac meminerint, illis tantum permitti Baptismum conditionate administrari, de quibus, diligenti praemissa perquisitione, grave ac rationabile iuris factive dubium relinquatur, an Sacramentum alias rite susceperint. Qua de re eis proderit prae oculis habere tradita a Benedicto XIV, in suis *Instit.* 8 et 24, ac in *Synodo Dioec.*, praecipue lib. VII, cap. VI. Licet vero a diligenti eiusmodi praevia inquisitione vix forte unquam abstinendum esse, absque periculo iniuriae sacramenti, perfacile appareat, mature tamen perpensis libratisque omnibus, quae in supradicta epistola ab operario Boyer adnotantur, et A. Tuae testimonio firmantur, de quibusdam locis Vicariatus istius, attenta catechistarum ac fidelium qualitate, ita ut perquisitio, aut examen, ad validam invalidamve Baptismi collationem dignoscendam, arguendamve, aut omnino instituti nequeat, aut nulliter et sine ulla dubii illustratione certo fieret, S. eadem C., iis in adiunctis et iuxta exposita, durantibusque circumstantiis absque aliis, ut in tuto salus animarum ponatur, Baptismum addita conditione administrari posse declaravit.

«Maximo autem una simul animi moerore eadem perceperunt EE. PP. quae a missionario Boyer et ab A. T. narrantur, eam nempe esse quorumdam catechistarum ac fidelium quoque omnium, plerisque recensitis in locis, inhabilitatem et inscitiam vel ad unum Baptismi sacramentum administrandum, ut nemo prorsus eorum sit cui fides de rituali illius collatione praestari ullo modo queat.

«Persuasum quidem S. Congregationi est A. Tuam omnem dedisse ac daturam operam, ut deflendae nimis earum christianitatum conditioni, et calamitatibus occurratur, nec dubitat quin optimam, catechistarum praecipue, ubivis institutionem et instructionem, iuxta monita etiam tradita die 23 novembris 1845, urgeas (Cf. N. 4816). Nihilominus EE. PP. id magis magisque A. Tuae commendantes, monent ut donec satius provisum iis in locis fuerit, peritosque et idoneos viros praeficere datum tibi erit, ineptis illis catechistis praecipias et instes ut instrui satagant, ac interim, extra casum verae absolutaeque necessitatis, Baptismi sacramentum administrare non praesumant».

adultorum quod in linguam vernaculam translatum est. Circa interrogationes, fiunt in lingua vernacula; circa vero documenta et quaedam alia, est mihi dubium utrum possim legitime uti illa lingua vernacula. Ratione timoris soleo uti utraque, tum latina, ut non utar licentia quam non habeo, tum vernacula, ut intelligar a recipientibus et adstantibus. Circa quod supplico EE. VV. decernere quod in posterum facere debeam». Porro huic dubio S. C. negotiis Missionum sinensium praeposita respondit: «Scribendum Vic. Ap. Siamensi Baptismum in Ecclesia latina administrandum esse idiomate latino iuxta Rituale Romanum. Caeterum nihil obstare quominus lingua vernacula explicentur ea omnia quae pertinent ad ipsum sacramentum Baptismi». [1]

45. Quod attinet ad caeremonias Baptismi supplendas in hoc sacramento conferendo iis qui ab haeresi convertuntur, stent Vic. App. et missionarii praescriptionibus Ritualis Rom., *De Sacr. Bapt.*, Tit. 2, c. 4, n. 16, et Constitutioni Benedicti XIV, *Inter omnigenas*. [2]

46. Quandoquidem compertum est multos ex pueris ethnicis, praesertim castarum inferiorum, facile posse baptizari cum in articulo mortis constituti sint, et maxime tempore famis vel pestilentiae, S. C. vehementer in Domino hortatur omnes missionarios ut nullum non moveant lapidem ad memoratorum puerorum salutem aeternam omni conatu procurandam. Quia cum plurimi ex pueris in publicis nundinis a parentibus et propinquis vendantur, optimum erit consilium si quotquot poterunt ex iis emant, atque christianos effectos in orphanotrophiis educandos curent.

47. Quoad abusum admittendi haereticos ut patrinos in sacramento Baptismi, S. C. iussit in memoriam revocari omnibus Vicariis App. decretum SS. Conc. Trid., sess. 24, *de ref. matrim.*, c. 2.

48. Ut omnis controversia tollatur quae in quibusdam Vicariatibus exarsit circa nomina quae in Baptismo imponi possint, cautum est ut servetur Constitutio Ben. XIV, *Omnium sollicitudinum*, [3] et Rituale Romanum quibus locis de impositione nominum sermonem habent.

49. Ut casuum reservatio ordinate ac perspicue fiat nec ulla detur hinc causa anxietatibus aut dubiis, VV. AA. consulant Bened. XIV, *De syn. dioec.*, L. V, cap. 4 et 5, et ad eius normam redigant in scriptis notulam casuum reservatorum, praehabito praestantiorum missionariorum consilio.

50. Quoniam vero relatum est, attentis circumstantiis istarum Missionum, saepe expedire ut in denunciationibus Matrimonii fiat dispensatio, ita ut ex iis una tantum locum habeat, recolendum esse voluit S. C. Vicarios App. hac in re uti posse iure suo. Quod quidem est ad tramites Decreti

[1] Cf. N. 4692.

[2] Cf. N. 339.

[3] In dicta Constit. (12 sept. 1744) haec habentur: «Curent, quantum fieri potest, missionarii ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum, vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur, et neophyti hactenus appellari consueverunt, antequam per Baptismum essent divinae gratiae renati». — Cf. N. 348.

Conc. Trid., sess. 24, *de ref. matrim.*, c. 1. SSmus vero D. N., attenta earumdem circumstantiarum gravitate, indulget ut, cum necessarium visum fuerit, memoratae denunciationes fiant diebus ferialibus loco diei festi a sacris Canonibus praescripti.

51. Licet admittendum non sit, Vicarios App. eo ipso quod facultatem accipiunt dispensandi in quibusdam impedimentis matrimonium dirimentibus, posse pariter dispensare quoad impedimenta impedientia, tamen, prae oculis habita conditione regionum in quibus versantur, placuit SS. D. N. ipsis quoad memorata impedimenta impedientia easdem facultates concedere quae Episcopis in sua dioecesi competunt.

52. Nullimode adnuere potest S. C. ut in concedendis dispensationibus matrimonialibus taxae seu multae a contrahentibus exigantur, atque in hoc quamvis tergiversationem aut praetextum minime suffragari posse existimavit. Id tantum admisit ut fiat Vicariis App. facultas qua divites excitari possint ad praestandas eleemosynas, non per modum conditionis et praecepti, sed tantum admonitionis.

53. Mandarunt etiam EE. PP. ut dispensationes in impedimentis matrimonialibus semper in scriptis concedantur, facta expressa mentione Indulti a Summo Pontifice obtenti.

54. Quia vero ad S. C. perlatum est plures ex Indiarum Orientalium Praesulibus usos esse huc usque facultatibus quae respiciunt dispensationes in impedimentis matrimonium dirimentibus etiam ubi eveniat duo impedimenta diversa in eadem persona cumulari, putantes ad id facultates sibi concessas pertingere, quod tamen admitti nequit; cautum est ut quoad praeterita matrimonia in quibus, concurrentibus pluribus impedimentis, hac ratione dispensatum est, VV. Apostolici sileant, et relinquant coniuges in bona fide; quoad futurum vero tempus recurrant in singulis casibus ac si praevideant tempus difficile suppetiturum recurrendi ad S. Sedem petant facultatem pro numero casuum quae ipsis a Summo Pontifice, siquidem opportunum videbitur, concedetur. Eadem ratione si aliquod impedimentum dirimens locum habeat cum sermo est de matrimoniis mixtis, in hoc pariter casu non possunt Vic. App. dispensationes concedere, licet separatam facultatem habeant dispensandi in mixtis coniugiis. Itaque quod spectat ad dispensationes praeterito tempore hoc modo datas, Episcopi, ut supra, sileant et coniuges in bona fide relinquant. Quod vero spectat ad futurum, SSmus Dominus N. ad petitionem VV. AA. facultatem pariter concedet pro casibus urgentioribus ubi pateat tempus non adfuturum recurrendi ad S. Sedem super quo VV. AA. conscientia graviter oneratur.

55. Cum EE. PP. considerassent errorem valde diffusum esse in Indiis Orientalibus quoad secundas nuptias ut nimirum feminae ab iis veluti a minus honestis abhorrerent, praeceperunt ut missionarii moneant fideles de memoratis nuptiis, eas non esse neque a divina neque ab ecclesiastica lege improbatas, nisi aliud obstet, proindeque viduas ob incontinentiam ad iteratas nuptias hortentur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1346].

4877.

S. C. de Prop. Fide, instr. 24 maii 1870.

1. Facultas bis in die Missam celebrandi, qua Missionum Ordinarios solet Sancta Sedes insignire, ut et ipsi missionariis suis eam communicent, non pauca dubia excitavit, quae Sacrae huic Congregationi ab iisdem sunt proposita. Huiusmodi dubiorum ratio ex ipso clausularum rigore petitur, quae Alexandri VII iussu Formularum articulo, qui de hac agit facultate adiectae sunt.[1] Quamobrem opportunum visum est, in praesenti hac Instructione colligere communiores regulas ac principia, quae in memoratae facultatis usu prae oculis sunt habenda.

2. Nemo ignorat, ex regula generali iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, licere sacerdotibus semel tantum in die S. Sacrificium litare. Sic statuit Innocentius III:[2] « Respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicae, *nisi causa necessitatis suadeat*, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare ».

3. In casu ergo necessitatis permittitur sacerdotibus Missae iteratio eodem die. Id tamen debet intelligi, uti ex ipsis Formularum verbis dignoscitur, de venia celebrandi duas tantum Missas, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent. Postulavit olim Praefectus Missionis Cappuccinorum Tuneti, an uno eodemque die, *si necessitas urgeat*, plures quam duas Missas celebrare potuisset, propterea quod omnes eius missionarii in carceres coniecti erant. Atque S. Congregatio generalis Fidei propagandae praeposita die 7 augusti 1684 respondit: *non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas*. Quod iampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita *coram Sanctissimo* die 17 februarii 1648; namque exposito abusu, qui invaluerat inter sacerdotes captivitate detentos in Algeria, celebrandi tres Missas, *SSmus... iussit per dictum Praefectum (Algeriae) praecipi nomine Sanctitatis Suae sacerdotibus... quod cum Sedes Apostolica in facultatibus missionariorum potestatem, seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent*. Idem fuit repetitum annis 1818 et 1820 Praefecto Apostolico Tuneti.

[1] En dictus articulus ut prostat in facultatum Formulis a S. C. concedi solitis: « Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem... Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc dumtaxat obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet ».

[2] Cap. *Consuluisti*, de celebratione Missarum.

4. Necessitas ergo est unicus titulus, ex quo facultas sacerdotibus fit duas dicendi Missas. Imprimis tamen expedit cum Verricelli [1] animadvertere, quod « haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi, et raritate sacerdotum ». Quo posito principio, facile est quasdam negativas regulas eruere de usu facultatis, de qua agitur.

5. Ac *primo* quidem evidens est, haud recte sentire qui diceret, posse Missam iterari diebus festis suppressis, in quibus populus Missam audire non tenetur, quemadmodum monuit S. Congregatio anno 1837, hisce verbis: *Re mature perpensa, ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declararetur, facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur, ex eo unice titulo quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem sacerdote celebrari.* [2]

6. *Secundo*. Pariter interdicta est Missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi Missam satisfacere in suis privatis cappellis. Enarraverat anno 1842 Vicarius Apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo Vicariatu inolitam permittendi Missae iterationem *in castris magnatorum;* quum autem non putaret, his in adiunctis eam necessitatem esse, quae a Formulis exigitur, petiit tum ratione consuetudinis, tum moralis utilitatis, quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. Congregatio Inquisitionis iudicavit, *iuxta exposita non expedire*. Quumque subiunxisset Vicarius Apostolicus, nonnullos sacerdotes ex praehabita facultate ab eius praedecessore iterationem Missae prosequi, Suprema S. Congregatio decrevit, *facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet*.

7. *Tertio*. Ex huiusmodi resolutionibus infertur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem sacerdos offerre bis possit uno eodemque die S. Sacrificium. Quod etiam consonat cum eo quod docuit Benedictus XIV in Const. *Declarasti Nobis*, data die 16 martii 1746 [3] ad Episcopum Oscensem in Aragonia: *Solum inquirimus*, Pontifex ait, *utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparaverit, et utrumque falsum et alienum iudicamus*. Et ad praescriptionem quod attinet, inquit: *Si etenim iuxta civiles leges sanctae res praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel requisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus praecipit*. De praesumptione autem subiungit: *Sed ceteris praetermissis, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas*. Inde est, quod S. Congregatio, quum cognoverit aliquo in loco inolevisse consuetu-

[1] De apost. Missionibus, tit. IV, quaest. 98, dub. 18, n. 201.
[2] Cf. N. 4766.
[3] Cf. N. 365.

dinem iterandi Missam sine necessitate, non omisit eiusmodi reprobare consuetudinem tamquam abusum, zelum Episcoporum excitans ad eam eliminandam.

8. *Quarto*. Nec etiam presbyterorum paupertas Missae iterationem, ut ex Verricelli (loc. cit.) indicatum est, valet probare. Quidam Hiberniae Archiepiscopus anno 1688 petiit: « Num ex sola paupertatis causa possint Regulares duas Missas diebus festis celebrare in privatis domibus, quamquam omnes paroeciae et conventus proprias ecclesias et capellas habeant »; S. Congregationis responsum negativum fuit; quumque relatum esset in particularibus Congregationibus de Propaganda Fide habitis tum die 7 martii 1743, tum die 28 iulii 1750, eiusmodi abusum in Hibernia adhuc vigere, quia multi sacerdotes utebantur facultate iterandi Missam non alia de causa, nisi ut pinguiores eleemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarent, Emi Patres decreverunt: *Graviter moneantur sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant.* Et a Benedicto XIV [1] appellatur *abusus intolerabilis* facultas alicui sacerdoti facta iterandi Missam *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret.* Solum ut aliquo modo consuleret pauperibus Religiosis eius Regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta a Synodo provinciali Tuamensi anno 1817, ob damnum inde proveniens, sublata ipsis eleemosyna, quam Missae occasione percipere solebant ad ecclesiae ianuas, cum ipsi viverent ex fidelium oblationibus, S. Congregatio voluit, ut monerentur Episcopi, ut *in impertienda de auctoritate Apostolica sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apostolicis Constitutionibus approbatas, rationem habeant sacerdotum Regularium, ac praesertim illorum qui in pauperibus coenobiis moram trahunt*. Ceterum cum declaraverit S. Congregatio Concilii *ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur*, uti notificatum est per litteras circulares S. Congregationis de Propaganda Fide die 15 octobris 1863 [2] Ordinariis Missionum, quilibet iam praetextus abusui iterandi Missam intuitu stipendii sublatus est. Habita tamen peculiarium quarumdam Missionum circumstantiarum ratione, SSmus Pater dignatus est auctoritatem facere, ut constat ex dictis Litteris circularibus, earum Ordinariis permittendi, *ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant*.

9. *Quinto*. Necesse tandem non est adnotare, interdictam esse sacerdoti Missae iterationem, quoties alius haberi possit sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere, ceu expresse docet Benedictus XIV in citata Constit. *Declarasti Nobis*. Atque hinc est, ut, priusquam admittatur Missae iteratio, videndum sit, num aliquod e remediis a iure constitutis suppetat ad prospiciendum spirituali populi necessitati; atque imprimis tenetur ipse parochus

[1] Const. *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753, § 11. — Cf. N. 425.
[2] Cf. N. 4860.

stipendium alteri sacerdoti suppeditare; posita autem eius impotentia, tenetur populus; et denique, si neque populus ob paupertatem ad id compelli posset, Ordinarius supplere teneretur.[1]

10. Hactenus de casibus, in quibus prohibita est Missae iteratio. Ad casus quod attinet, in quibus ad hoc requisita necessitas concurrit, expositi in Constit. *Declarasti Nobis* inveniuntur. Hac in Constitutione consideratur in primis, iuxta unanimem theologorum consensum permitti iterationem Missae sacerdoti, *qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam.* Atque hic est primus et communior casus: alter, qui ibidem recensetur, est, *quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest.*

11. In his casibus iterari Missa potest etiam ab iis, qui facultate non sunt donati per Formulas, quae concedi solent per S. Congregationem Fidei propagandae praepositam, cum id concedat ipsum commune ius, semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi, ferre sententiam (§ 9). Revera, eiusmodi mediis indicatis, Benedictus XIV subiungit: *Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur.* Quin imo concors est theologorum opinio, quemadmodum et ipse Benedictus XIV animadvertit, in casu unius parochi cum duabus paroeciis, *Parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare.*[2] Ex quibus facile consequitur, articulum formularum, cum sit facultativus, protendi ad alios quoque casus necessitatis in communi iure non consideratos; secus enim inutilis ille articulus evaderet, saltem pro iis locis, in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso iure communi pro his paroeciis disponente. Quod consonat cum eo quod docet Benedictus XIV in opere *De Sacros. Missae Sacrificio,*[3] in quo postquam asseruisset, *casum, qui revera contingit, eum esse, cum parochus duas habet parochias*, etc. his verbis prosequitur: *Neque tamen quidquam praeiudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est concedendo missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a sacerdotibus duas Missas celebrari.* Et de huiusmodi quidem causis, quae locum in Missionibus habent, pro quibus Missionum Superioribus datur facultas, loquebatur anno 1832 S. Congregatio de Propaganda Fide, cum ad quemdam missionarium Philippopolitanum, qui non iterabat Missas, quamvis variis christianitatibus praesideret, opportunum praebuit monitum. Iniuncta scilicet illi Missae

[1] Ben. XIV, l. c. Vot. Card. Zelada, *Thesaur. resolut.*, Tom. 37, in causa Derthusen, 26 augusti 1768.

[2] De Syn. Dioec., l. VI, cap. VIII, n. 2.

[3] Lib. II, cap. V, n. 4.

iteratione, etiam ex mandato generalis Congregationis, adiungebatur: *Si autem quaeras, cur facultati iterandi Missam in formula Indulti adiiciantur illae rigoris clausulae, invenies in ipsa formula responsum; observabis enim, Indultum non coerceri ad populi indigentias diebus festivis; sed quum generalibus terminis contineatur, comprehendere quoque alios casus, de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in utraque paroecia, et in huiusmodi aliis casibus locum habere debere praescriptas cautelas.*

12. Atque in huiusmodi scilicet casibus minus frequentibus in usu eius facultatis identidem haerere visi sunt Episcopi et missionarii, de causarum praesertim sufficientia dubitantes, quae requirerentur iuxta clausulas facultati adiectas. At vero tot tamque varii sunt casus, qui de hac materia in Missionibus possunt contingere, ut praevideri facile haud possint, multoque minus reduci ad determinatas regulas; de iisdem enim iudicium variari potest iuxta dispares locorum, temporum personarumque concurrentes circumstantias. Haec est ratio, cur dubiorum particularium resolutio, quae hac de re sunt proposita, plerumque remissa est prudenti Superioris Missionis arbitrio.

13. Ac primo quidem saepius regula postulata est de *numero* fidelium, qui esset satis, ut Missa iterari posset. In Constit. *Apostolicum Ministerium*[1] edita pro Anglia dicitur, eiusmodi facultatem posse adhiberi, *cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur Sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato* plures *non satisfacerent.* Eiusmodi tamen generalis norma dubium omne non aufert de numero iterationi necessario. Idem dici potest de quodam negativo responso S. Inquisitionis anno 1688 dato Missionariis Capuccinis iu Graecia. Hi quaesiverant: *Utrum missionarius sacerdos solus in loco degens duas Missas diebus dominicis et festivis pro quindecim seu viginti personis, quae legitime impeditae primae Missae adesse non valuerunt, celebrare possit*; et Suprema S. Inquisitio die 28 ianuarii eiusdem anni decrevit: *non licere.* Quod si numerus viginti fidelium haud satis existimatur ut Missa iteretur, ulterius quaeri potest, quinam sit minimus numerus qui sufficiat.

14. Sed circa eiusmodi dubium, quemadmodum circa ea, quae *distantiam* respiciunt, S. Congregatio in more habuit, resolvenda haec esse prudenti Ordinariorum Missionum arbitrio, a quibus facultas dependet; ipsi enim in locis, in quibus degunt, recte aestimare possunt circumstantias in singulis casibus concurrentes. Et sane usque ab anno 1688 Praefectus Missionis Tuneti in Mauritania generatim postulabat, ut declararetur, qualis esse numerus fidelium deberet, qui Missa privarentur, ut Missa iterari posset; et S. Congregatio Fidei Propagandae die 16 novembris respondit: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Praefecti.* Similiter Episcopus S. Ludovici in Statibus Americae Foederatis anno 1828, exposito suo aliorumque Episcoporum timore propriam conscientiam gravandi ob formularum clausulas,

[1] Cf. N. 425.

postulavit: *Utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur Missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant.* At iussu Leonis XII litteris datis die 13 martii rescriptum est: *Omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, Se* (Sanctitatem Suam) *conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices, quibus in casibus, ratione habita adiunctorum dioecesis tuae, graves adesse causae censendae sint, facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti benigne declaravit.*

15. Similis quoque responsio data est anno 1851 Vicario Apostolico Limburgensi, qui dubium super distantia sic proposuerat: *In hac regione ex antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; quaeritur num recte?* S. Congregatio litteris diei 31 iulii respondit: *Praemisso, Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus deficiente presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt doctores necessitatis casum efficere (uti propositus videtur), in quo dispensationi a praecepto universali de non iterando Sacrificio ab eodem presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius Indulti verbis apprime perspicitur.* Atque haec instructio iisdem verbis missa fuit Episcopo Trevirensi anno 1833 cuius nomine varia dubia de Missae iteratione proposita fuerant, rescriptum enim ei fuit die 28 septembris, quod, eius quaesitis consideratis, *censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam... Vicarius Limburgensis obtinuit sub die 31 iulii anno 1851.*

16. Ceterum inter varia responsa, quae dimetiendam iudicio Superioris remittunt causarum gravitatem, nonnulla peculiarem mentionem merentur; eiusmodi sunt illa, quae, dum sequuntur consuetam regulam remittendi Superioris iudicio causarum aestimationem, indicant simul aliquo modo genus seu necessitatis gradum, quem iteratio Missae postulat, atque identidem aliquatenus temperant formidinem, atque leniunt nimiam animi anxietatem, quam Episcopis et missionariis illae clausulae creaverant, quibus haec facultas in Formulis coercetur. Unum ex eiusmodi responsis datum est anno 1848 ad Episcopum in Statibus Americae Foederatis; datis enim litteris die 8 maii sic est rescriptum: *Venio ad postulatum tuum circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi... Noverit ergo Amplitudo Tua, necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam; de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa, aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur.* Notatu dignior est declaratio, quae missa est anno 1828 ad quemdam Praefectum Apostolicum in Antillis Americae. Cum enim ille

haud fideret, posse se tranquille uti facultate, de qua agitur, ob graves conditiones, quibus constringitur, imploraverat *ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi presbyteris... ut diebus dominicis et festis de praecepto Missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas aut spiritualis fidelium utilitas.* Facta huius rei relatione S. Pontifici die 13 aprilis, hoc modo responsum est: *Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SSñus D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaverit necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut sacerdotes bis Missam eodem festo die celebrent, verborum, quibus Rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. committit de necessitate ista et causarum gravitate iudicare, atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum Rescriptum copiam faciendi sacerdotibus, ut Missam bis celebrent, te habere, Sanctitas Sua benigne declaravit.*

17. Eadem regula committendi arbitrio aut charitati Superiorum Missionum applicationem generalium principiorum practicis casibus, servata quoque est, quando in ipsis, prout exponebantur, non appareret ea causarum vis et gravitas (saltem si hae causae considerarentur in se et in abstracto), quam huius facultatis clausulae exigunt; quod quidem confirmat, in causis considerandis, quae usum facultatis suadeant, magnam rationem habendam esse omnium conditionum statusque fidelium. Huius rei argumento est responsio a S. C. data anno 1688 Vice-Praefecto Missionis Tripolitanae. Hic ob clausulas incertus quaesierat, « cuinam numero servorum aut liberorum posset praecise celebrare Missam secundam, quum interdum daretur casus, ut in balneo extra Tripolim, praesentes Sacrificio non adessent plures quam decem aut quindecim servi... et an in presbyterorum carentia pro illis solis posset celebrari secunda Missa diebus festis ». Iam vero quin obstaret resolutio eodem anno data a S. Congregatione Inquisitionis pro simili casu, ut notatum est superius § 13, S. Congregatio Fidei Propagandae praeposita die 5 octobris respondit: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Vice-Praefecti.* Neque mirum esse debet, si haec S. Congregatio benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob ipsorum conditionem peculiarem indulgentiam merebantur, quum unicum fortasse solatium eis esset SS. Missae Sacrificium. Aliud eiusmodi benignitatis argumentum, ratione circumstantiarum habita, anno 1860, suppeditavit S. Inquisitio; namque licet die 20 Iunii responderet Vicario Apostolico cuiusdam Regni Sinis adiacentis: *desiderium neophytorum bis aut ter in anno SSñam Eucharistiam sumere volentium* per se *non esse urgentissimam causam in casu de quo agitur* : id est iterandi Missam iuxta facultatem; attamen subiunxit: *sed, pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici.* Ex quibus eruitur, eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sunt, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias, quae casum concomitentur.

18. Haec sunt principia, quae prae oculis sunt habita quoad facultatem Missam iterandi, quaeque profecto in eiusdem facultatis exercitio Missionum Ordinarios tranquillos reddere poterunt. Quamvis autem sapienti Ordinariorum Missionum arbitrio hac in re deferri soleat, attamen ex hacte-

nus dictis apparet, quanta cautela ipsi uti debeant, quum semper eorum conscientia onerata maneat in legitimo huiusmodi extraordinariae facultatis exercitio. Nihilominus repetere heic iuvabit, quod S. Congregatio an. 1832 ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in Formulis adhibitas *intelligendas haud esse in* extremo rigore, *habito prae oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint.*

19. Superest nunc de ritu dicere seu de modo, quo iterari Missa possit. Semper a S. Congr. missionariis fuit praescriptum atque ab ipso Benedicto XIV, eum qui Missam iterat consuetas calicis ablutiones sumere non debere ob ieiunium, ita ut, « si in prima Missa post receptionem Corporis Christi et Sanguinis, profusionem acceperit, non debeat secundam Missam in praedictis casibus celebrare » [1] id est, etiam in iis casibus, in quibus populus Sacrificio diebus festis secus privaretur. Quamvis autem in Decreto S. Congregationis SS. Rituum in *Ebusitana* die 16 septembris 1815 praescriptum esset, ut unus tantum esset calix, quo uti debeat, qui duas celebret Missas; quum tamen eiusmodi decreti executio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis, idem Sacer Ordo in generalibus comitiis habitis die 12 septembris 1857 pro moderamine dicti decreti rescripsit: *usum duorum calicum in casu posse permitti.* Instructio, quae heic adiicitur, iussu eiusdem S. Congregationis SS. Rituum concinnata, modum respicit purificandi calicem, qui pro prima Missa inservierit.

INSTRUCTIO

A. S. Rit. Congregatione die 12 septembris 1857 edita pro sacerdote apostolicam facultatem habente bis missam eadem die celebrandi.

Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem, et palla tegat, ac iunctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus*, etc., et subinde, admoto aquae vasculo, digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporale manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio altaris, et, detecto calice, inspiciat, an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium

[1] Conc. Nemaus. 1284, apud Benedict. XIV, *De SS. Missae Sacrif.*, lib. III, cap. V, n. 4.

moraliter durat, et, superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam habiturus), et in secunda purificatione in calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit.

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est, ex Commentariis Bartolomaei Gavanti et Caietani Mariae Merati, hic ritum adiungere a sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem ecclesia offerre debet:

Hoc itaque in casu sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet iunctis manibus: *Quod ore sumpsimus Domine*, etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari praeparato abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine*, etc., abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit, usque ad secundam Missam; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque Hostiae oblatione, cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter levabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1352].

4878.

S. C. de Prop. Fide, instr. 27 apr. 1871.

1. Cum indecorum omnino sit atque a clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur, nemo ignorat, ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse,

ut quicumque in Ecclesia Dei ad sacros Ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque substentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset sustentare (Conc. Chalced., can. 6). Posterioribus vero temporibus titulus Ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cuius necessitas primitus pro ordinatione Diaconorum et Presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III, ad Subdiaconos quoque extensa fuit (Conc. Lateran. III, can. 5). Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina, Sess. 21, *de ref.*, cap. 2, hac super re constituit; cuius saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI litteris encyclicis ad omnes Episcopos per S. Congregationem Concilii die 18 maii 1679 datis gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet, ac *patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III (in cap. IV, *De praeben.*), [1] quique circa finem saeculi XIII usuvenire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam eius sustentationem sufficere Episcopi iudicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse iudicaverit. [2]

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur, ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adii-

[1] Thomassinus, *De vet. et nov. Eccl. discipl.*, part. 2, l. 1, c. 9, n. 2. — Habentur ad rem duae resolutiones S. C. Concilii quae ita se habent: 20 iulii 1629: « Quaeritur an super annuis perpetuis censibus constitui possint patrimonia pro clericis ad sacros Ordines promovendis ». S. C. respondit: « Posse super censibus perpetuis cohaerentibus rei immobili, et cum legitimis cautionibus et dummodo proprietas census sit talis summae ut in casu restitutionis et conversionis in bonis stabilibus vel Locis Montium non vacabilibus annui reditus pro decenti substentatione (*alimento*) promotorum sufficiant; quodque in casu huiusmodi restitutionis, censuum debitores teneantur pretium deponere penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum investiendi quanto citius in aliis censibus eiusdem qualitatis, vel in bonis stabilibus, vel in Locis Montium non vacabilibus, durante hoc patrimonii titulo nullatenus nisi ad praescriptum sacror. Canonum et Sac. Concilii Trid. alienandis; ad quod investimentum faciendum teneantur ipsi ordinati sub poena suspensionis ipso facto. Quod si contigerit patrimonium ab aliis quam ordinatis in huiusmodi censibus constitui, curent Ordinarii ut constituentes in forma iuris valida promittant quod in casu redemptionis, modo superius expresso, pro sufficienti ordinatorum victu providebunt ». — Cf. N. 2512.

3 februarii 1884: « Archiep. Lancianen.: 1. An redditus cuiusdam canonicatus iuris patronatus laicalis et familiae, qui libellas quotannis sexaginta et octo vix attingat, quod tantummodo adhuc beneficii naturam induat, posset haberi tamquam sufficiens titulus ad sacros et maiores Ordines suscipiendos. 2. Quod si non sufficiat, utrum augeri queat bonis patrimonialibus, vel aliunde, et quousque.

« R. ad 1. Negative. — Ad 2. Affirmative, usque ad taxae synodalis complementum ». — Cf. N. 4261.

[2] Conc. Trid., loc. cit., et Bened. XIV, *Inst. eccl.*, 26, n. 1 et 3.

ciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii Ecclesiae*, *Missionis*, *sufficientiae* et *Collegii*. Est autem titulus beneficii ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; aeque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet. [1]

4. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cuius qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex redditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulum, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex* [2] S. Pii V deducitur. Verum ex hisce clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros Ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii Ecclesiae* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui, cum Beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis christifidelibus elargiendis substentari possint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri, vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis clericis sacros Ordines conferret, s. m. Sixtum V Patriarchae Venetiarum indulsisse constat. [3]

6. Denique titulus *Missionis*, de quo potissimum heic sermo est, praetermissis titulis *sufficientiae et collegii* (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui maioribus Ordinibus initiari cupiunt, ut Apostolicarum Missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis Missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae ius circa ea quae ad praerequisitum pro sacra Ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in Missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est, Ordinarios clericis titulo Missionis non posse ss. Ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter ius commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus Missionum aut Collegiorum seu Congregationum quae Missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores

[1] Fagnan. in Cap. IV, *de Praebend.*, n. 24.
[2] Prid. Id. octobr. 1568. — Cf. N. 129.
[3] Campanil., *Diversor. iur. canonic.*, rubr. 8, cap. 4, n. 14, et Gartias, *De benef.* part. 2, cap. 16, n. 96.

eo parce utendum sibi esse: neque enim titulo Missionis omni absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi clerici qui ad Missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta S. Pauli monitum manus nemici cito imponendae, id potissimum valet, cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac alumni Collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant Missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes, ut Missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic Instructioni subnectitur Forma istius iuramenti iampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipit S. Congregatio.

9. Necesse non est, ut qui ad ss. Ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in Missione versetur, sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.

10. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii, cui intererit, relatione, iudicare utrum Missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, iuxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cuius est sic ordinatos praestiti iuramenti vinculo exsolvere. Quod si amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus Comitiis diei 1 septembris 1856 declaravit.

12. Pariter sacerdotes Regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicuius Missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius Missionis servitio deputentur, ut huius Missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit eius Missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi.

14. Ordinarii in Missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de iure servandis, neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum Missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra Ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incremento Missionum plurimum posse conducere, si qui in Collegiis sive Seminariis utriusque cleri, Evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum: eos hortatur, ut in annos singulos, anniversaria die praestiti iuramenti, illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI in audientia diei 7 maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant atque eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent sacrificium.

Formula iuramenti ab iis praestandi, qui titulo missionis ordinantur.

Ego N., filius N., Dioecesis vel Vicariatus N., spondeo, et iuro, quod postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut Vicariatu, *vel* [1] in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

[1] Iuxta hunc alterum modum iurare debent qui nondum alicui Missioni addicti fuerunt.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1369].

4879.

S. C. de Prop. Fide, 31 mart. 1872.

SS̃mus declaravit generatim prohibitionem concedendi absque speciali facultate dispensationes, quando in una eademque persona plura concurrunt impedimenta matrimonialia, non extendi ad eos casus in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum occultum seu fori interni.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1382].

4880.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1873.

Saepenumero contingit ut ad Apostolicam Sedem deferantur quaestiones circa lucrum ex mutuo, quibus a Romanis Congregationibus, apposita resolutione, in similibus casibus provisum est. Ut itaque Superioribus Missionum praesto sit necessaria notitia eorum quae hactenus hac super re decreta sunt, opportunum visum est S. Concilio Christiano Nomini propagando omnes memoratas resolutiones una cum Constitutione Benedicti PP. XIV, *Vix pervenit*, in lucem edere; easque ad omnes Episcopos, Vicarios ac Praefectos Apostolicos ab eadem S. Congregatione dependentes mitti placuit.

I. — *S. C. S. Officii sub die 13 ianuarii 1780 ad R. P. D. Vicarium Ap. N. N.* — « Cum aequalitas in contractibus, ut iusti sint, requiratur, nihil in mutuo vi mutui, ut saepe definitum est, accipiendum ultra sortem principalem. Quod si mutuanti lucrum cessare, vel damnum emergere, aut periculum imminere amittendae sortis, vel assumendi insolitos labores pro illius reparatione contingat, horum quidem compensationem repeti posse, duabus tamen conditionibus semper ob oculos positis, quarum prima, ut reapse titulus unus aliquis ex istis concurrat, altera ut nihil amplius, quam vere ille postulat, exigatur. Quamobrem a iustitiae regula deficere, et restitutioni obnoxios esse omnes contractus, in quibus aut interesse fingitur, quod compensetur, aut plus petitur, quod adaequata compensatio requirit. Imprudenter igitur atque illicite agere, manifestoque se iniustitiae discrimini committere patet, qui ex eo quod periculum, quod innuimus, plerumque in *tali loco* occurrat, *lucrum semper, atque idem semper lucrum requirunt*, quasi periculum semper intercedat, et cum adfuerit, eamdem semper remunerationem petat: *neque excusari quod minorem, quam quae Regni lege permittitur, usuram percipiunt; cum non ideo rectum sit aliquid, quod a iustitia minus de-*

flectit, nisi ad recti formam prorsus componatur, neque humana sed divina lege naturali, quae aequitatis tenax est, hominum actiones pensandae sint. *Eos tantum recte se gerere, qui ad individuos casus respicientes tunc solum compensationem exposcunt, cum periculum revera intervenit, et non aliam tunc compensationem quaerunt, quam quae periculi gravitati, quae proborum idcirco prudentumque iudicio aestimanda est, respondet* ».

II. — *S. Rom. Inquisit. an. 1784, mart. 18 ad Vic. Ap. D. D. N. — Super quaestione mutui.* — « Atque illud in primis est exploratum ratione mutui immediate, et praecise *nihil esse accipiendum* ultra sortem principalem. Si vero aliquid percipiatur ratione periculi probabiliter imminentis, non esse mutuantes inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis eiusdem, et servata proportione inter periculum, et id quod accipitur. His ipsis verbis ita definitum est a Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 12 septembris an. 1645, cuius decretum pro Sinensibus Missionibus editum hic adiungitur. [1]

« Quaeri nunc potest quale esse debeat periculum, et quae eius ratio, et natura, ut hoc concurrente titulo, possit mutuans aliquid ultra sortem recipere. In hac autem quaestione pro certo tenendum est, non qualecumque periculum satis aptum atque idoneum aestimandum esse, ut aliquod lucrum ex mutuo percipi possit. Nam cum titulus, ex quo iusta ac legitima causa consurgit, ut quiddam amplius ultra sortem ex mutuo debitam rite exigatur, debeat semper esse extrinsecus, nec mutui naturae coniunctus, et innatus: hinc plane consequitur, quod si periculum ex iis circumstantiis dumtaxat proficiscatur, quae omnibus mutuantibus istic communes sunt, nec ab ipsa mutui natura disiungi possunt, tunc certo quodlibet lucrum, quod ex mutuo captatur, ab usurae labe purgari minime potest. Quapropter cum pestis, incendia, turcarum persecutiones, aliaque huiusmodi infortunia, quae quamvis Constantinopoli frequentiora sint, in quacumque tamen urbe semper instant mutuantibus, maximopere cavendum est, ne propter commune hoc periculum, quod ipsius mutui vis ac natura importat, aliquid in mutuo ultra sortem exigatur. Maiorem potius habere videtur indaginem, cum periculum amittendae sortis immineat vel ex culpa ipsiusmet mutuatarii, quod veterator sit, fallax, vafer, quod fuga, aut malitiosis tergiversationibus creditorem fallere possit, vel cum praeter ipsius mutuatarii culpam, alia instent creditori pericula ex loci, temporis, ac personarum circumstantiis, quae ipsum in sorte recuperanda valde anxium, atque sollicitum teneant. Quamvis vero potiora semper haberi debeant pericula, quae ex culpa mutuatarii proficiscuntur, attamen in his omnibus casibus an, quomodo, et quanti aestimari tale periculum possit, ex quo titulus legitimus mutuanti praebeatur ad lucrum supra sortem captandum, perdifficile sane est generatim statuere. Ad unamquamque rem aestimandam, momentoque suo ponderandam, incumbat confessariorum solertia et doctrina: ipsi perpendant singulos casus, inquirant super qualitate, et probabilitate periculi, videant si assecuratione pignoris omne absit periculum, servent proportionem inter periculum, atque

[1] Cf. N. 4459.

id quod mutuanti lucrari supra sortem permittitur, probatos auctores consu-
lant, atque praesertim adhaereant sententiis, atque principiis ab hac Aposto-
lica Sede approbatis, tam in supra laudato decreto S. Congregationis de
Propaganda Fide anni 1645, quam in Epistola Encyclica Benedicti XIV, *Vix
pervenit*, edita anno 1745, cuius exemplum hic alligatur ». [1]

III. — *Pius VIII in audientia Assessoris S. Officii ad dubia Episcopi
Rhedonensis*. — « Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit Sacrae Congre-
gationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suae dioecesis sen-
tentiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data ut ea dite-
scant. De sensu epistolae encyclicae *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex
utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam quam quisque amplexus
est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelae, dissen-
siones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi
modo inhaerentibus, et innumera damna animarum. Ut animarum damnis
occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se
posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum
ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam
mutuo dandi negotiatoribus, et obiiciat sententiam tali mutuo faventem
multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a Sancta Sede non
semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut poenitens promittat
se filiali obedientia obtemperaturum iudicio Summi Pontificis, si intercedat,
qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant,
quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poeni-
tens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona
fide; isti confessarii etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam
nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione
facta, quando timent ne poenitens admonitus, restituere aut a tali lucro
abstinere recuset. Inquirit dictus Episcopus Rhedonensis: I. *Utrum possit
horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare*. — II. *Utrum alios
confessarios rigidiores ipsum adeuntes, consulendi causa possit hortari, ut isto-
rum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quaestione
iudicium ferat*.

« Loco ✠ Sigilli.

C. L. Episcopus Rhedonensis.

« *Feria IV, die 18 augusti 1830*. — SSmus D. N. Pius div. Prov. Pp. VIII
in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita audita relatione
superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium
Inquisitorum Generalium, respondit: *Ad I. Non esse inquietandos*. – *Ad II.
Provisum in primo*.

« Loco ✠ Sigilli S. Inquisitionis. — *Pro D. Nicolao Soldini Sanctae rom.
et univ. Inquisit. Notario, Angelus Argenti Secretarius* ».

IV. — *S. Poenitentiaria ad dubia D. Denavit Professoris theologiae in
Seminario S. Irenaei Lugdunensis*. — « Quando Sacrae Poenitentiariae dubia
circa materiam usurae proponuntur, semper remittit ad doctrinam summi

[1] Cf. N. 363.

Pontificis Benedicti XIV quae revera sat clara et perspicua est pro iis qui
bona fide eam perscrutari volunt. Attamen sunt quidam presbyteri, qui
contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum, solius vi
legis Principis, absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis;
quia, inquiunt, lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium
in praescriptione: et sic prorsus annihilant legem divinam et legem ecclesia-
sticam, quae usuras prohibent. Cum haec ita se habeant, orator infrascriptus,
existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, dene-
gat absolutionem sacramentalem presbyteris qui contendunt legem Principis
esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel
lucri cessantis vel damni emergentis. Quare infrascriptus orator humiliter
supplicat, ut sequentia dubia solvantur: — I. *Utrum possit in conscientia
denegare absolutionem presbyteris praefatis*. — II. *Utrum debeat*.

« Lugduni 25 maii 1830. *Denavit Professor*.

« Sacra Poenitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis,
respondendum censuit: – *Presbyteros de quibus agitur, non esse inquietandos
quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subii-
cere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae*. —
Datum Romae, in Poenitentiaria, die 16 septembris 1830.

« E. Card. De Gregorio, *Maior Poenit*. – F. Fricca, *S. Poenit. Secretar*. ».

V. — *Sacra Poenitentiaria Episcopo Veronensi communicat responsa alias
data a Suprema Congregatione Sancti Officii*. — « Sacra Poenitentiaria, perle-
ctis expositis a venerabili in Christo Patre Episcopo Veronensi in supplici
libello die 1 mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione qua-
tuor dubiorum quae in eo proponebantur sed oratori communicat responsa
data a suprema Congregatione Sancti Officii ad alia quaedam eamdem mate-
riam respicientia. Haec autem sunt huiusmodi: I. *Utrum confessarius possit
in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis
esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo vel
lucri cessantis vel damni emergentis*. – II. *Utrum debeat*.

« Respondetur: *Ad utrumque, non esse inquietandos, quousque Sancta Sedes
definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, adeoque nihil obstare
eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae*.

« Alia dubia: – I. *An confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV,
et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet, ex mutuo
divitibus aut negotiatoribus praestito percipi posse, praeter sortem, lucrum
quinque pro centum etiam ab iis qui nullum omnino alium, praeter quam legem
civilem, titulum habent mutuo extrinsecum*. – II. *An peccet confessarius, qui
dimittit in bona fide poenitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum
absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi extraordi-
narii titulo*.

« Respondetur: Ad I. *Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum
quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subii-
cere; adeoque nihil obstare eius absolutioni in sacramento Poenitentiae*. – Ad
II. *Provisum in praecedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis
Sanctae Sedis*.

« Alia dubia: – Vir quidam persuasus erat, Encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniae perceptum iuxta disposita a lege civili. Eius heredes quaerunt: I. *An Encyclicam recte acceperit.* – II. *Etiam supposito quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an heredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.* Respondetur: « Ad I. *Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis Sanctae Sedis.* Ad II. *Provisum in primo.*

« Alia dubia: I. *An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, obiicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a Sancta Sede, promittunt tamen obedire iudicio Summi Pontificis, si intercedat; et similiter agunt, quando poenitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum ut supra, nulla ea de re facta interrogatione quando timent ne poenitentes, admoniti restituere aut a tali lucro abstinere, recusent.* – II. *Utrum Episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.*

« Respondetur: Ad I. *Non esse inquietandos.* – Ad II. *Provisum in primo* ».

Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 14 augusti 1831. — *V. D. Solimei, S. Poenit. Secretarius.*

VI. – *Congregationis Generalis Sancti Officii a Gregorio XVI approbatae circa quaesita Capituli Collegiatae Locarni.* — « *Quesiti del Capitolo di Locarno.* — Beatissimo Padre – Il Capitolo di questa Collegiata di Locarno, diocesi di Como, territorio svizzero, ha la maggior parte delle proprie prebende in danaro, ricavato principalmente dall'estinzione delle decime avvenuta per decreto governativo: il qual danaro egli impiegar deve, per viverne dei frutti, ed adempire ai pesi annessi ai benefizii. Per le circostanze dei tempi e dei luoghi, o non si trova affatto come investire il danaro suddetto in stabili fruttiferi, i quali scarseggiano assai in proporzione della popolazione; o per la carezza di detti stabili, non frutterebbe che il due e mezzo per cento annualmente, il che peggiorerebbe eccessivamente le prebende già per sè stesse meschine. I censi si vogliono proibiti da queste leggi municipali: e sono mal sicuri, non esistendo in queste parti l'officio delle ipoteche che accerti la libertà e sufficienza de' fondi su' quali voglionsi stabilire. Inoltre questi stessi, che per fare i loro interessi ci chiedono il danaro, ricusano ordinariamente di sottoporsi ai censi, e amano meglio di riceverlo a prestanza col contribuire il quattro o il cinque per cento annualmente. Ciò premesso si domanda: I. *Se la necessaria onesta sostentazione dei beneficiati, che dee provenire dal frutto dei capitali di tali prebende, è dessa in tale circostanza un sufficiente titolo equivalente agli altri già approvati dalla Chiesa, per cui sia lecito un tale contratto di dare il danaro dotale di dette prebende a interesse del quattro o cinque per cento, dietro ipoteca di beni stabili e cauzione di persone note e solvibili, affine di assicurare la perpetuità delle prebende.*

II. *Se questo titolo, supposto ammissibile, si possa estendere a favore anche delle chiese, monasteri e altri luoghi pii, come anche dei pupilli e di altre persone che si ritrovano nelle circostanze medesime di sopra descritte ed hanno bisogno di far fruttare il proprio danaro per sostentarsi onestamente.*

III. *Se le leggi e procedure civili, che ormai approvano generalmente tali contratti e li fanno eseguire, non che il comune tacito consenso dei popoli, che per l'uso invalso dei secoli sembra li abbiano per maggior comodo e facilità sostituiti ad altri contratti più complicati e difficili, bastino a giustificarli.*

« IV. *Se sia attendibile l'autorità del nostro Ordinario, e di molti savii e dabbene ecclesiastici, che, avute di mira le circostanze suddette, opinano favorevolmente, e simili contratti approvano.*

« V. *Qual considerazione meritino in proposito le ragioni, che adduce Scipione Maffei nei suoi tre libri* Dell'impiego del danaro *dedicati a Benedetto XIV ed approvati dall'inquisitore di Padova l'anno 1744.*

« VI. *Se la Bolla* De usuris *emanata dalla felice memoria di Benedetto XIV l'anno 1745, probabilmente in sequela dell'opera del Maffei, al n. 3 di essa, e all'articolo* de contractu autem, *e seg. si possa interpretare favorevolmente a tali contratti.*

« VII. *Supposti illeciti tali contratti, che si ha a risolvere intorno a quelli già fatti, ed ai frutti già percepiti.*

« VIII. *Se tali contratti si possano rendere leciti almeno coll'assumere il pericolo fortuito del fondo assegnato in pegno a carico della prebenda, colle dovute proposizioni, come nei censi.*

« I sottoscritti oratori umilmente da Vostra Santità desiderano ed implorano una chiara ed opportuna decisione di questi loro dubbi per regolamento delle proprie e delle altrui coscienze generalmente agitate in proposito. – Locarno 13 maggio 1831.

« L'agente aggiunge la generale e grandissima scarsezza di numerario o di fondi, questi ordinariamente in possesso di pochi. Tolta la prestanza di danari, i possidenti per la maggior parte inabili al commercio e alle arti, consumati i pochi capitali, si ridurrebbero facilmente alla miseria. Gli altri sprovvisti di danaro proprio, o di fondi stabili da cambiare in contanti, non potrebbero avvantaggiare coll'industria. Mancando Monti di Pietà sarebbero obbligati sovente a vendere la piccola eredità paterna, e sovente a vilissimo prezzo, nelle loro necessità. L'agitazione delle coscienze è oltre modo grande. Onde diversi Ordinarii, tutto considerato, si sono pronunciati in favore. Altrimenti nascerebbe un dissesto generale, e totale impedimento degli affari e dell'industria.

« Feria IV, 31 aug. 1831. – Propositis superioribus Capituli Collegiatae Locarni precibus, quae iam per manus una cum dominorum Consultorum suffragiis distributae fuerant, Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt:

« Ad I, II, III, IV. *Non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis Sanctae Sedis.*

« Ad V, VI, VII, VIII, *consulant Encyclicam Benedicti XIV*, Vix pervenit, *et probatos auctores.*

« Fer. IV, 7 sept. 1831 – SSm̃us D. N. Gregorius XVI in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Eminentissimorum resolutiones approbavit.

VII. – *Sacrae Poenitentiariae ad nova quaesita D. Denavit professoris.* – « Ad S. Poenitentiariam iterum exponit orator infrascriptus: – Ex responso Sacrae Poenitentiariae ad oratorem infrascriptum directo die 16 septembris 1830, absolvendi sunt presbyteri, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo, absque alio titulo a theologis communiter admisso, donec Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco. Attamen, salvo Sacrae Poenitentiariae responso praefato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere Seminariorum Galliae, ac praesertim eorum quae a presbyteris Congregationis Sancti Sulpitii diriguntur, sententia quae reiicit titulum legis civilis tamquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi tenenda, donec Sancta Sedes definierit. Quapropter fidelibus, qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum praeter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse praefatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis, qui, perceptis huiuscemodi usuris, idest vi solius tituli legis, nolunt restituere. – Quaeritur: I. *Utrum durius et severius me habeam erga huiuscemodi fideles.* – II. *Quae agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec Sancta Sedes definitivam sententiam emiserit.*

Lugduni, 24 sept. 1831. — *Denavit Professor.*

« Sacra Poenitentiaria, perpensis dubiis quae ab oratore proponuntur, respondit: — Ad I. *Affirmative: quandoquidem ex dato a Sacra Poenitentiaria responso liquet, fideles huiusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos.* — Ad II. *Provisum in primo: unde orator priori Sacrae Poenitentiariae responso sub die 16 sept. 1830 sese in praxi conformare studeat.* – Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 11 novembris 1831. – *A. F. de Retz, Sacrae Poenitentiariae Regens.* — *F. Fricca, Sacrae Poenitentiariae Secretar.*

VIII. – *Sacrae Poenitentiariae ad quaestiones Ioannis Antonii Avvaro S. T. doctoris et regii professoris.* — « Em̃e et Rm̃e Domine. — Regia lex pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit, ut, quisquis alteri cuicumque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum actuarium 5 pro 100 supra sortem. Hinc in Pinaroliensi aliisque finitimis dioecesibus gravissima inter theologos fervet controversia, an, in casibus in quibus ex una parte nullus adest titulus lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendae, ex altera vero praeceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat mutuanti illud auctarium recipere et retinere. Alii enim auctarium illud omnino usurarium et illicitum, alii vero ab omni usurae labe immune prorsus licitumque esse propugnant: et, quod controversiam valde impliciorem reddit, omnes gloriantur se niti auctoritati Benedicti XIV, aut saltem eum sibi nullatenus adversari. Nimirum theologi, qui primam sententiam

tuentur, dicunt auctarium, de quo agitur, a Benedicto XIV reprobatum fuisse, implicite quidem in Encyclica die 1 novembris 1745, *Vix pervenit*, ut patet ex attenta eius lectione; explicite vero in opere *de Synodo dioecesana*, lib. X, cap. IV, n. 2 et 3 his verbis: *Graecis ex parte consensit Calvinus, qui ad cap. XVIII Ezechielis licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, sed a divite, praecise ratione mutui, exigere.* Errorem *a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinaeus in suo tractatu* de usuris, *ubi num.* 10 audacter *affirmat usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem. Eamdem* pravam *opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero inscripto* de usuris, *altero* de trapezitico foenore, *quibus in locis usuram, nisi charitatem laedat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit merces locatae pecuniae. Impiae Calvini et Molinaei opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici: illi, scilicet, qui, quum agitur de mutuo quo pecunia aliave res datur ad negotiationem, a foenoris labe excusant lucrum quod ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriae legibus definitum.* Porro, etsi Benedictus XIV in *Synodo dioecesana* solum loquatur ut privatus doctor, ipse tamen sine dubio omnium optime sciebat quid in sua Encyclica reprobare voluisset: adeoque quidquid circa usuram postea scripsit in *Synodo* et signanter citato cap. IV, ubi n. 10 doctrinam in Encyclica definitam summatim refert, habendum est tamquam eiusdem Encyclicae explicatio, a qua recedere piaculum sit.

« Theologi vero, qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo *ipsius ratione mutui, vel solius causa mutui, vel vi mutui ipsius, vel praecise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto*, quod veluti usurarium atque omni iure illicitum meritissime reprobavit Benedictus XIV tum in Encyclica § 3, nn. 1 et 2, tum citato loco *de Synodo*, n. 11, sed *ratione, causa, vi, ac titulo extrinseco legis civilis* dominium auctarii ex mutuatario in mutuantem transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam praescriptionem: vel *ratione publici boni*, quod, mutatis circumstantiis in praesenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset: vel *ratione ultronei* taciti ac mutui consensus in auctarium a lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest ius disponendi de rebus suis prout ei libuerit, et speciatim ex parte eorum, qui modo pecunia abundant et modo indigent, ac modo pecuniam mutuo dant, modo vero accipiunt: vel *ratione consuetudinis* in orbe catholico fere ubique receptae, etiam apud homines timoratae conscientiae, auctarium moderatum et a patriae legibus definitum exigendi: vel ob alias huiusmodi causas, quas Benedictus XIV nullibi expendit aut memoravit. Ad argumentum autem quod ex Encyclica et ex opere *de Synodo dioecesana* deducunt primae sententiae patroni, quadrupliciter respondent:

« Respondent 1, Benedictum XIV, in Encyclica, *Vix pervenit*, hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum, ultra sortem recipi posse, cum quis vel tenetur simplici ac nudo mutuo absque ullo auctario alteri succurrere, quod ex praecepto charitatis, ex eoque solo,

locum habet in multis casibus, idque ex eo quod tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi; vel mutuum dat in iis casibus, in quibus nullum alium iustum contractum praeter unum mutuum celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, verbi gratia quum alteri credit vinum, oleum, etc., ut patet ex § 3, num. 5, ubi postquam definivit falso et temere affirmari, reperiri semper ac praesto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere: *eumque qui ita affirmaret* non modo divinis documentis et catholicae Ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari; huius definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis: *Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente:* Volenti mutuari a te ne avertaris: *et quod simpliciter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit:* ac proinde iuxta Benedictum XIV quoties mutuo datur pecunia, et praeceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici ac nudo mutuo, semper una cum mutuo reperiri posse, quin imo praesto ubique esse legitimum aliquem titulum, verbi gratia *legem civilem, publicum bonum*, etc. cuius praesidio liceat auctarium moderatum ultra sortem recipere, iuxta tritam illam regulam: *In necessariis expressio unius est exclusio alterius*, aut saltem Benedictum XIV huic sententiae nullatenus adversari.

« Respondent 2, huic quoque sententiae nullatenus adversari Benedictum XIV in iis quae circa usuram scripsit citato cap. IV, *de Synodo*, num. 2 et 3: quia ibi solum docet, perpetuae Catholicae Ecclesiae de usura doctrinae, post graecos schismaticos, contradixisse tum Calvinum, qui erronee docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo *praecise ratione mutui* (in quo sita est usurae essentia) licite a divitibus exigi posse; tum Carolum Molinaeum, qui audacter affirmabat huiusmodi *usuram* a Calvino admissam, et suapte natura malam, non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram*, nisi charitatem laederet, ab omni culpa prave absolvebat, falso eo praetextu, quod sit merces locatae pecuniae; tum demum paucos quosdam doctores illos catholicos, qui, impiae Calvini et Molinaei opinioni *subscribere* non verentes, una cum ipsis audacter affirmabant et erronee docebant, *usuram non esse prohibitam nisi in quantum est contra charitatem*, atque a foenoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur percipiturque ex mutuo *praecise ratione mutui*, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriae legibus definitum. Haec omnia profecto ne latum quidem unguem differunt a doctrina, quae continetur in Encyclica. At vero aliud est usurarium et illicitum esse auctarium, etiam moderatum et a patriae legibus definitum, quod percipitur ex mutuo *praecise ratione mutui;* aliud est usurarium ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriae legibus definitum, quod percipitur ex mutuo

non *praecise ratione mutui*, sed *ratione legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulo supra commemoratas; primum affirmat Benedictus XIV: de altero ne verbum quidem facit.

« Respondent 3, in hypothesi quod Benedictus XIV in *Synodo* huic sententiae reipsa adversaretur, nullo modo culpandum fore, qui solidis rationibus innixus, a privata eius opinione seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine praefationis ad *Synodum dioecesanam* aperte profiteatur, *omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiae auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio de qua agitur, *nihil se in Synodo definire ac veluti decretorium exhibere velle*, allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui, etsi commentaria sua in libros decretalium scripserit quum summum pontificatum gereret, non tamen hoc sibi unquam arrogavit, ut, quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet etc.

« Respondent 4, in hypothesi quoque quod Benedictus XIV huic sententiae adversaretur in Encyclica, iam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium a lege permissum, quod percipitur in praesenti rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, imo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia quibus nititur catholicae Ecclesiae de usura et mutuo doctrina, quaeque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

« Ego, diligenter considerata, prout tenues ingenii mei vires fuerunt, Benedicti doctrina, ut moderatius, sic probabilius illud existimo: dubitari merito posse, utrum ea doctrina, ex se sola, huic controversiae dirimendae sufficiat necne. Verum cum, etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut sublata omni incertitudine sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam confessariis, qui novissime circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis, qui ratione munerum quibus perfungor, sive intra sive extra sacrum Poenitentiae tribunal consulturi sunt; Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quaestionum, quas hic subiicio:

« I. *An auctarium, de quo agitur, licitum sit. Et quatenus haec quaestio ex doctrina Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicae iudiciis directe resolvi nequeat:*

« II. *An poenitentes, qui auctarium illud sive bona, sive dubia aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant se esse paratos ad exequendum quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit. Et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quaestiones iam pluries nomine sancti Officii et Sedis Apostolicae provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat:*

« III. *An iis pariter qui neque ullum habent titulum lucri cessantis vel damni*

emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendae, neque versantur in casibus, in quibus praeceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5 pro 100 supra sortem, prout lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicae super hoc negotio determinationibus.

« Maxima fretus fiducia, quod Eminentia Vestra votis meis, in re mihi adeo necessaria, benigne obsecundabit, sum eroque semper Em. Vestrae (Pineroli, die 22 ianuarii 1832).

« *Humillimus obsequentiss. et deditiss. servus Ioseph Antonius Avvaro S. Theol. Doctor, et regius eiusdem facultatis Professor, Canonicus Theologus, et Provicar. generalis.*

« S. Poenitentiaria – Dilecto in Christo Iosepho Antonio Avvaro transmittendas censuit resolutiones alias datas ad quaedam dubia circa usuras, scilicet: (*sunt autem eae omnino quae superius attulimus num. V*).

« Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 11 februarii 1832 – *E. Card. De Gregorio, Maior Poenitent. — D. Fratellini, S. Poenitent. Secretar.* »

IX. – *S. Rom. et univ. Inquisitionis ad dubium Episcopi Nicaeensis.* – « *Rme Pater!* — In fasciculis quorum titulus *Annali delle scienze religiose*, vol. 1, num. 1, pag. 128, et *l'Ami de la Religion*, 2 avril 1835, num. 2436, legitur responsum, quod Emus Card. Poenitentiarius maior dedit die 7 martii 1835 illustrissimo ac reverendissimo Episcopo Vivariensi in quaestione ab ipso circa usuram proposita. Exposuerat enim Praesul, nonnullos verbi Dei praecones docere in publicis concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, quin ullum verbum facerent *de illa conditione*, responsis a Sacra Poenitentiaria nuper latis apposita, qua cautum est, ut poenitentes lucrum ex mutuo, legis civilis titulo, percipientes, *parati* esse debeant stare mandatis Sanctae Sedis: ac postulaverat, an illi sacerdotes essent improbandi. Cuius precibus benigne annuens Eminentissimus Poenitentiarius Maior respondit, Sacram Poenitentiariam haudquaquam voluisse responsis illis quaestionem a theologis agitatam de titulo ex lege principis desumpto definire, sed solummodo normam proposuisse quam confessarii tuto sequerentur erga poenitentes, qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide, paratique essent stare mandatis Sanctae Sedis: ac proinde minime probari posse illorum concionatorum agendi rationem, qui absolute docent in sacris concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis enunciatis conditionibus.

« Quidam attendentes ad illa verba in responso apposita *bona fide*, contendunt iuxta normam a Sacra Poenitentiaria confessariis pluries propositam, illos tantum sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum bona fide percepissent. Alii e contra asserunt, etiam illos, qui dubia vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis Sanctae Sedis: et, ut aiunt, hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, sed potius honestatem agentis et absolutionem, quam confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius

de patrato in mala fide poeniteant: et hoc deducunt ex ipsa postulatione Episcopi Vivariensis. Non petierat Episcopus, aiunt, utrum poenitentes dubia vel mala fide constituti obligandi essent ad restitutionem, sed tantum, utrum improbandi essent concionatores illi, qui, nulla enunciata conditione, licitum usum mutui praedicti praedicabant: quumque Sancta Sedes nondum quaestionem definierit, et patratum in mala fide, licet per se non inducat onus restitutionis, semper tamen inducat culpae reatum; hinc Eminentissimum improbasse aiunt istorum agendi rationem, qui, reticitis conditionibus *bona fide* et *standi mandatis Sanctae Sedis*, licitum usum dicti mutui absolute praedicabant, quin loqueretur Eminentissimus de obligatione restitutionis, de qua non postulabat Praesul. Deducunt quoque ex conditione a Sacra Poenitentiaria requisita in poenitentibus standi mandatis Sanctae Sedis, quae dispositio dubium necessario aut supponit aut excitat de honestate mutui praedicti. Quumque hinc et inde sint viri summae pietatis et non spernendae auctoritatis; hinc ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideatur, perhumillime petitur: *An poenitentes, qui moderatum lucrum, solo legis titulo, ex mutuo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctae Sedis.*

« Nicaeae 9 septembris 1837. – Subscriptus ✠ *Dominicus Episc. Nicaeensis.*

« Fer IV, die 17 ian. 1838. – In Congregatione Generali S. R. et Univ. Inquisitionis habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito supradicto dubio, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt: *Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis Sanctae Sedis.*

Loco ✠ sigilli. – *Angelus Argenti, S. R. et Univ. Inquisit. Notarius.*

X. – *S. Congr. S. O. sub die 26 mart. 1840:* « Proposito dubio, *an ad aliquid reddendum teneatur* N. N. cuius pater magnam pecuniae summam mutuo dederat cum lucro *decem pro centum*, legali taxae illius temporis respondente; et quatenus restitutioni esset obnoxius, *utrum saltem quinque pro centum retinere licite valeat*, rescriptum fuit: *Quoad usuras in genere, consulat decreta iam lata. Quoad excessivitatem fructuum, consulat R. P. D. Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et praxim illius temporis, quae vigebat apud viros timoratae conscientiae, et provideat* ».

XI. – Cum demum elapso anno 1871 ex quodam Italiae loco quaesitum fuerit: 1. *Se sia lecito, oggi, eziandio agli ecclesiastici, di collocare il danaro col frutto moderato, come permetteva la legge precedentemente sotto il legittimo governo, del cinque per cento.* – 2. *Se oggi sieno da inquietarsi quei luoghi pii, monache e monasteri, che ricevono il frutto del loro capitale del sei per cento, stantechè oggi si dà e si riceve nell'andamento comune.*

S. Congr. S. O. sub die 28 febr. 1872 respondit ad utrumque: *Iuxta responsiones alias datas, dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.*

Conclusio: – Haec autem quae sequendo ordinem temporis, hic retuli-

mus, sunt responsa praecipua inter alia plura, quae ad haec ipsa revocantur. Ex quibus colligi potest:

1. Generatim loquendo de lucro ex mutuo, nihil omnino percipi inde posse *vi mutui*, seu immediate et praecise ratione ipsius.

2. Aliquid ultra sortem percipere licitum esse, si forte titulus aliquis extrinsecus, non mutui naturae universim coniunctus et innatus, mutuo accedat.

3. Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis, cuiusmodi sunt *lucrum cessans, damnum emergens, atque periculum amittendae sortis, vel assumendi insolitos labores pro sortis recuperatione*, unum quoque legis civilis titulum ceu sufficientem in praxi haberi posse, tum a fidelibus, tum ab eorum confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub iudice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit.

4. Praxis huius tolerantiam minime extendi posse sive ad cohonestandam usuram quamvis modicam erga pauperes, sive usuram immodicam ac naturalis aequitatis limites excedentem.

5. Denique, quaenam usurae quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quaenam iusta ac moderata, universim determinari non posse, cum hoc dimetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1393].

4881.

S. C. de Prop. Fide (Natchez), 4 febr. 1873.

1. Se ed in qual modo convenga dichiarare che i sacerdoti ordinati a titolo di *missione*, rendendosi indegni di esercitare il sacro ministero, rimangono privati dello stesso titolo, e che l'Ordinario non è tenuto a provvedere al loro sostentamento.

2. Se in vista del difetto di altri titoli nei luoghi di missione abbia a derogarsi all'articolo dell'Istruzione, [1] nel quale si prescrive che gli Ordinari debbano costringere quei sacerdoti che rimanessero privi del titolo di missione, a sostituire a questo altro titolo.

3. Se approvare il progetto di dichiarare che i Prelati prima di conferire il titolo di *missione* ai sacerdoti regolari usciti legittimamente dal proprio Ordine, possano sperimentarli per qualche tempo, ammettendoli ad esercitare il sacro ministero nelle loro diocesi.

4. Se dichiarare più esplicitamente che un sacerdote passando per una diocesi, per la quale prestò il giuramento, ad altra, debba prestare in questa un nuovo giuramento, e che non possa ciò fare senza licenza della S. C.

5. Se sia necessaria la licenza della S. C. perchè un sacerdote ordinato a titolo di missione senza che abbia prestato il giuramento, possa da quella per la quale venne ordinato passare ad altra diocesi.

6. Se convenga limitarsi a comunicare le risoluzioni di questi dubbi al solo Vescovo ricorrente, ovvero debbano le medesime comunicarsi a tutti i Prelati dipendenti dalla S. C.

R. Ad 1. In casu, prout exponitur, praevia declaratione eiusmodi sacerdoti ab Episcopo facienda, et quamdiu praedictus sacerdos in sua prava vivendi consuetudine perseveret, nullum exhibens sincerae resipiscentiae signum, Episcopum non teneri ad sustentationem illi praebendam. Seiunctim autem a resolutione dubiorum, per epistolam significetur Ordinario (eidem Episcopo) ut ad dictam declarationem non deveniat, nisi postquam paternis ac repetitis monitis eiusmodi sacerdotem ad resipiscendum frustra invitaverit, atque de eius criminibus et publica diffamatione probationes certas, etiam extraiudicialiter conquisitas, sibi comparaverit, quas, in casu recursus, exhibere valeat S. Congregationi.

Ad 2. In casu proposito praedictam Instructionis (an. 1871) dispositionem non habere locum.

Ad 3. S. C. indulget ut Episcopus antequam conferat titulum *missionis* Regularibus a suo Ordine egressis, possit eos mittere ad tempus congruum ad aliquam missionem regendam, experimenti et probationis causa, exceptis apostatis, et iis qui utpote incorrigibiles eiecti fuerunt, quos perpetuae suspensioni obnoxios esse voluit Urbanus VIII decreto edito per S. C. Concilii die 21 septembris 1624. [1]

Ad 4. Affirmative ad utrumque.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative ad 1. partem; Negative ad 2.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1394].

4882.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Superior. Semin. Paris. Mission ad Exter.), 3 mart. 1873.

In S. Congr. S. Officii feria IV, 5 elapsi mensis propositum fuit dubium a D. Tua emissum, an scilicet post Bullam *Apostolicae Sedis* [2] vigeant adhuc censurae praescriptae in duabus Constitutionibus san. me. Benedicti XIV circa ritus sinenses et malabaricos. Porro EE. PP., omnibus diligenter consideratis, responderunt:

Constitutiones Benedicti XIV s. m. super memoratis ritibus sinensibus et malabaricis, annorum 1742 et 1744 [3] editas, omnino vigere, exceptis tantum censuris latae sententiae de quibus nulla fit mentio in Constitutione SSmi D. N. Pii PP. IX, quarto idus octobris edita, quae incipit

[1] Cf. N. 4878.

[1] Cf. N. 2454.
[2] Cf. N. 552.
[3] Cf. N. 329; 348.

Apostolicae Sedis moderationi; ideoque ad calcem formulae iuramenti quod a Bened. XIV in eadem Constitutione praescribitur et confirmatur, inter verba: *Poenis per praedictas Constitutiones impositis me subiectum agnosco, et declaro*, inseratur, post vocem *impositis*, hoc additum: *et adhuc vigentibus*. Id Dom. Tuae Eñi PP. significandum esse iusserunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1395].

4883.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 29 mart. 1873.

Cum Supremae S. Inquisitionis Congregationi dubium fuerit expositum an post Constitutionem *Apostolicae Sedis* editam a SSmo D. N. Pio div. prov. PP. IX quarto idus octobris 1869 [1] adhuc vigeant censurae *latae sententiae* contra ecclesiasticos et missionarios mercaturae in Indiis Orientalibus operam dantes, in Constitutionibus Urbani VIII, *Ex debito*, die 22 februarii 1633, [2] et Clem. IX, *Sollicitudo*, die 17 iunii 1669 [3] editis comminatae, EE. PP. Inquisitores generales in Congregatione habita Fer. IV, 4 decembris 1872 [4] cum considerassent reservationem aut exceptionem factam ad paragraphum *Quae vero censurae* praedictae Constitutionis posse quaestionibus ansam praebere, censuerunt supplicandum eidem SSmo Domino Nostro ut declarare dignaretur Constitutiones Summorum Pontificum Urbani VIII et Clementis IX superius memoratas adhuc vigere, et declarationem notificandam esse ab hac S. C. per litteras circulares, prout tenore praesentium fit, missionariis quibuslibet in Indiis Orientalibus et Americae existentibus. Porro Sanctitas Sua eidem sententiae in omnibus adnuendum censuit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1398].

4884.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 20 apr. 1873.

Prudenti saluberrimoque consilio ab antiquis temporibus constitutum fuit ut clerici, praesertim vero sacerdotes, vagi et ignoti temere ab Episcopis non reciperentur: bene vero vitae et conversationis, nec non ministerii alibi peracti probatio perspicua ab iis exigeretur. Nam quia tales clerici nulla testimonii fide commendati solent esse suspecti; ac saepe criminosi, vel alias irregulares, fugitivi, vel in exilium missi dignoscuntur, oportet ad malitias hominum praecavendas, fraudesque vitandas diligenter circa ipsos inquirere antequam illis Sacrificii celebratio ac sacramentorum ministratio permittatur. Hinc sapientissime a Concilio Tridentino, Sess. 23, c. 16, *de ref.*, decretum

[1] Cf. N. 552.
[2] Cf. N. 211.
[3] Cf. N. 243.
[4] Cf. N. 1023.

est ut « Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda ac sacramenta ministranda admittatur ». Quam PP. Tridentinorum constitutionem ad hanc usque diem diligenter observari per totum orbem Apostolica Sedes constanter curavit. Quare etiam in recentioribus Conciliis, praesertim Baltimorensibus, providae cautiones eadem super re determinatae fuerunt.

Graviter itaque tulit Sacra Congregatio de Propaganda Fide quod non semel ad eius aures pervenit, quandoque in Ecclesiis Missionum contingere ut facile in dioeceses recipiantur presbyteri et clerici quin litteras commendatitias praedictas afferant, immo et sine iisdem ab una Ecclesia discedant et in aliam transmeare audeant. Quo factum est ut nonnulli sacerdotes potius scandalo quam exemplo fidelibus quandoque fuerint ac non in aedificationem bene vero in destructionem.

Quapropter ne similibus damnis via in posterum pateat, omnino mandat S. Congregatio omnibus Episcopis in locis Missionum degentibus, nec non Vicariis ac Praefectis Apostolicis ut omni tergiversatione seposita, litteras commendatitias suorum Episcoporum a clericis et sacerdotibus peregrinis exigant; qui vero iis careant nullimode recipiantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1400].

4885.

S. C. de Prop. Fide (Angliae), 6 iul. 1874.

1. Se i Capitoli cattedrali possano esigere di essere convocati al sinodo con invito speciale firmato dal Metropolitano.
2. Se come proibire i canti delle donne nelle sacre funzioni.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Enixe commendetur Episcopis ut, quantum fieri potest, eradicare satagant huiusmodi abusum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1418].

4886.

S. C. de Prop. Fide, 10 ian. 1875.

Vicarius Ap. *N.* in Sinis exponit quod ante suam consecrationem, fidei professionem a Pio IV praescriptam [1] non emisit, eo quod tam ipse quam Episcopus consecrator crederent iuramentum in Pontificali Romano contentum et professionem fidei unam eamdemque rem esse. Nunc autem melius edocti, iidem duo Episcopi Vestram Sanctitatem suppliciter et humiliter rogant pro censurarum, si quas forte incurrerint, absolutione.

R. SSmus (Pius PP. IX utrumque) Vicarium Apostolicum absolvit, quatenus opus sit, a censuris ob praemissa quomodolibet incursis, firma

[1] Cf. N. 108.

manente obligatione Vicario Ap. *N.* emittendi coram aliquo missionario sui Vicariatus professionem fidei, iuxta formulam a Pio PP. IV praescriptam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1429].

4887.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 26 febr. 1875.

Se siasi imposta o s'intenda imporre per precetto, o solo o in via di consiglio la professione di fede nei Concilî Provinciali a quei Vescovi che già altre volte v'intervennero e ve l'emisero.

R. Iamdiu invaluisse laudabilem consuetudinem qua Episcopi in Synodis Provincialibus, etiamsi aliis iam interfuerint, fidei professionem emittant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1435].

4888.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Aegypti), 3 maii 1876.

Nell'Adunanza di Fer. IV, 5 aprile p. p., gli Emi Inquisitori Generali occuparonsi dei quesiti proposti da V. S. e tendenti a conoscere se possa permettersi ad allievi ed allieve dei diversi educandati misti, costì esistenti, l'intervento ai funerali di qualche loro compagno, od altro individuo appartenente alla famiglia del medesimo eterodosso, e risolvettero che fossero a Lei comunicati alcuni decreti emanati nei vari tempi dalla Suprema 13 genn. 1818 [1] - 30 giugno 1864 [2] - 14 genn. 1874 [3] - 2 giugno 1866 dal tenore dei quali potrà V. S. agevolmente rilevare non verificarsi nel caso da Lei esposto tutte quelle circostanze che si esigono perchè possa tollerarsi tale intervento; e però conviene ch'Ella invigili e ponga in pratica ogni mezzo per distogliere ed impedire che invalga tale uso. Qualora poi nei casi particolari vedesse di non poterlo impedire senza dar luogo a seri inconvenienti, sappia che a V. S. rimane esclusivamente riservata la facoltà di permetterlo in via di mera tolleranza; ed in tali evenienze dovrà avvertire i moderatori degli educandati che istruiscano i loro allievi intorno alla natura di tale intervento, la quale lungi dall'essere compartecipazione ad atto religioso, ha il semplice carattere di un materiale atto civile. Sempre per altro, e per modo di regola rimane vietato l'intervento ai funerali meramente civili di quelli che volgarmente diconsi liberi pensatori, nei quali per ostentazione ed in isfregio della religione, si escluda a bella posta l'intervento dei sacerdoti o ministri del culto.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1455].

[1] Cf. N. 856.
[2] Cf. N. 978.
[3] Cf. N. 1028.

4889.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Natcheten.), 26 ian. 1877.

Il n. 14 della Form. I contiene la facoltà comunicabile *largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam.* Ciò posto domandava V. S. se i singoli sacerdoti da Lei delegati possan concedere l'indulgenza *semel vel ter* nelle loro missioni *diebus a se eligendis*, ovvero se il Vescovo possa *pluribus diebus in variis locis* concederla *ter in unoquoque loco.* A tal dubbio sembra provveduto colla seguente risoluzione emanata dalla S. C. del S. Officio li 16 gennaio 1728: *Circa l'Indulgenza plenaria che può il Vescovo concedere tre volte l'anno in forza di speciale indulto, la Santità Sua col voto di questa S. C. ha risoluto che per la consecuzione di essa può (il Vescovo) assegnare diverse chiese, colla visita di una delle quali possa il popolo conseguire l'Indulgenza, e che questa in diverse città e luoghi può in diversi tempi assegnarla e pubblicarla, come pure l'Indulgenza delle 40 ore, purchè nella medesima città e luogo siano solo tre volte l'anno pubblicate.* — Non è difforme da questa la risposta data in altro simile caso dalla Congregazione Generale di Propaganda li 22 gennaio 1759, [1] la quale risposta dichiara inoltre potersi ciascuna volta determinare dal Vescovo più giorni, entro cui si possa dai fedeli conseguire l'Indulgenza.

Chiedeva V. S. se la clausola del n. 10 della Formola I *dummodo mulier* etc. sia da esprimersi, e in modo che altrimenti sia nulla la dispensa. Sul che debbo dirle che trattandosi della Formola I ove sotto il detto numero non trovasi alcuna clausola irritante, può ritenersi, come altra volta fu risposto da questa S. C., [2] *omissionem clausularum concessionem validitati non officere, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestatem raptoris non existit.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol II, n. 1466].

4890.

S. C. de Prop. Fide, instr. 9 maii 1877.

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices litterae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 413.
[2] Cf. N. 4679; 4851.

omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas, iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet. Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari: nam quae non prosunt singula, multa iuvant, arg. l. 5, *C., de probat*. Huiusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum. [1]

2. *Aetas feminae superadulta:* si scilicet vigesimumquartum aetatis annum iam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae*, vel *earumdem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter Regna, et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consaguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem maxime conduceret.

[1] Cf. N. 4235.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affini, vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda (V. S. C. S. Off., 25 iunii 1885). [1]

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, [2] contractum est: quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, c. 7, *de consanguin*. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid., Sess. 24, cap. 5, *de ref. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi*. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in Instructione die 17 apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV, 14 aug. 1822, decrevit: « Respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Formula II commissis, prout in Domino expedire iudicaverit ». Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus*. Ex superius memorata Instructione an. 1820 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis*. Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

[1] Cf. N. 1092.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

14. *Remotio gravium scandalorum.*
15. *Cessatio publici concubinatus.*
16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo, de religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.

Sed iam se convertit Instructio ad ea quae praeter causas in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine aut stylo curiae exprimenda sunt ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.
2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.
3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.
4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta aut transversa; item an oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.
5. *Numerus impedimentorum* ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas; vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto coniuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 29 martii 1842, probante s. m. Greg. XVI, ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse idem Tribunal literis 10 decembris 1874 edixit.
6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si iam contractum, aperiri debet an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, et, si sit consummatum, an mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1470].

4891.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. et Praef. Ap.), 1 iun. 1877.

Norunt omnes sa. me. Sixtum V celebri Const. *Romanus Pontifex* diei 20 decembris anni 1585 [1] sancivisse, ut singuli Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi per universum terrarum orbem constituti, statis temporibus, BB. Apostolorum Petri et Pauli Limina se visitaturos, ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de Ecclesiarum sibi creditarum statu rationem reddituros iureiurando pollicerentur. Iam vero disputatum fuit utrum Vicarii Apostolici, sive sint charactere episcopali insigniti, sive eo careant, eodem ac reliqui sacrorum Antistites officio adstringantur. Porro Sacra haec Congregatio christiano nomini propagando praeposita, in generalibus comitiis diei 1 februarii superioris anni, omnibus mature perpensis, pronuntiavit, Vicarios Apostolicos quoscumque ad id minime teneri *in vim Constitutionis fel. rec. Sixti V*, utpote quae respicit Praesules qui dioecesi canonice erectae praesunt; bene vero teneri *ratione officii.*

Sed quoniam alia prorsus est conditio Ecclesiarum rite constitutarum, alia Missionum, quae ob difficultates et angustias, inter quas haud raro versantur, proprii Pastoris solatio maxime indigent, plerumque haud expedit, ob ss. Liminum visitationem, Vicarios Apostolicos ab eorum residentia discedere. Quamobrem integrum ipsis erit, hoc munere per procuratorem, etiam in Urbe existentem, perfungi.

At Emi ac Rmi PP. non modo Vicarios ipsos, verum etiam Praefectos Apostolicos monitos volunt, ut, habita ratione temporis a Sixto V pro Episcopis statuti, vel frequentius, velut mos iam alicubi invaluit, accuratas relationes de toto eorum pastorali officio, deque omnibus ad missionum suarum statum, ad missionariorum populique disciplinam, animarum denique, quae illorum curae concreditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, transmittant. Hoc enim maxime interest, ut missionum earumdem necessitatibus, progressui ac prosperitati S. Sedes consulere valeat. Eum in finem heic adnectitur series *Quaestionum* quibus in praedicta relatione exaranda respondere Amplitudo Tua sataget.

Haec cum a SSmo D. N. Pio PP. IX benigne probata fuerint, Tibi significare meum erat, et Dominum Deum enixe precor, ut Te diutissime servet ac sospitet.

[1] Cf. N. 156.

CAPITA QUIBUS RESPONDERE DEBENT VICARII APOSTOLICI AC MISSIONUM PRAEFECTI UT DE REGIONIBUS SIBI COMMISSIS PLENAM SACRAE CONGR. RELATIONEM REDDANT.

(Infrascriptis quaestionibus accurate et praecise respondendum erit, adhibito cuique responsioni quaestionis numero: si quid vero aliquis forte reperiet quod ad suam missionem non spectet, is indicare poterit numerum, deinde iuxta scribere: *Ad talem numerum non est quod respondeam;* tum ad cetera perget).

De Missionis origine, progressu et confiniis.

1. Breve compendium historicum circa originem, progressum ac mutationes Vicariatus sive Praefecturae conficiendum erit.

2. Describenda confinia, quibus continetur territorium Missionis, ac si aliqua circa illa controversia existat, rationes exponentur. Insuper charta corographica Vicariatus, siquidem in promptu haberi possit, addenda, vel saltem deinceps transmittenda.

De missionariis, eorum qualitate et idoneitate.

3. De personis ecclesiasticis erit exponendum imprimis quinam sint missionarii, quibus s. ministerium exercendum in Vicariatu vel Prefectura concreditum est; an saeculares vel regulares, quam idoneitatem et vivendi rationem praeseferant, an sufficiens eorum numerus sit pro necessitate fidelium, an studio linguae vernaculae illius gentis accurate dent operam, an miti ratione erga christianos se gerant, an in sacro ministerio exercendo uniformitatem curent. Insuper an missionarii regulares regulas instituti sui ac praesertim tria vota substantialia paupertatis, castitatis et obedientiae fideliter servent; an Vicario vel Praefecto Apostolico etiam ut regulares, an alteri superiori sint subiecti; an plus aequo erga paganos vel protestantes aut schismaticos, si ibi adsint, obsequentes sint; an ex instituto vel ex consuetudine usque ad mortem in missione perseverent. An universi missionarii in usu facultatum quas accipiunt, nimis latas interpretationes ac facilitatem improbandam sequantur.

4. Nec praetermittendum si missionarii alterius Vicariatus aut Praefecturae aliqua ratione in administrationem propriae missionis sese immisceant.

De regimine missionum per Vicarios App.

5. Qua ratione provideant Praesules regimini Vicariatus seu Praefecturae, ne vita decedentes sine superiore fideles relinquant.

6. Utrum habeatur aliquod Consilium ordinarium missionariorum, quaeque attributiones illi adsignentur.

De Clero indigena.

7. Singulariter sermo instituendus de clero indigena, ac imprimis de idoneitate illius, deque animi qualitatibus, quibus praeditus apparet, ac de spe quae in ipso collocari possit.

8. Qua ratione consulatur educationi et institutioni clericorum indigenarum: praesertim an habeatur Seminarium; utrum sit separatum ab alumnis saecularibus, et quae studia ibi clerici doceantur, et utrum regulae a Tridentino praescriptae [1] in toto vel in parte serventur; cuius curae ac regimini creditum sit, denique an, si desit, aliquo modo constitui possit vel eiusdem defectui suppleri.

9. Quibus officiis indigenae adhiberi possint, et an excludantur a quacumque superioritate respectu habito ad missionarios europaeos.

De Institutis Regularium.

10. Quoad Instituta Regularium indicetur, an sint in Vicariatu seu Praefectura, et an educationi et institutioni iuventutis dent operam, idque exprimatur sive quoad instituta virorum sive quoad instituta mulierum.

11. An inter indigenas sint qui regularibus Institutis sint addicti, et ad huiusmodi statum se inclinatos praebeant; qua demum missionum utilitate possint ea inter indigenas diffundi.

12. Utrum ecclesiastici viri, sive saeculares sive regulares, clericali aut religioso habitu utantur, vel saltem alia veste quae eorum statum minime dedeceat.

De ministerio sacro ac de gentium conversione.

13. Circa sacrum ministerium exponendum an habeatur directorium sive collectio regularum et usuum Vicariatus seu Praefecturae quoad servanda a sacerdotibus cum in sua vitae ratione tum in fidelium regimine, illudque S. Congregationi exhibeatur.

14. An in communicatione facultatum missionariis facienda facilem aut difficilem se praebeat superior.

15. Utrum omnes missionarii in doctrina morali sint concordes, et utrum ad uniformitatem fovendam habeantur, vel haberi possint conventus pro casuum moralium examine conficiendo.

16. Utrum diffusa sit inter fideles lectio librorum prohibitorum.

17. Utrum in omnibus Vicariatibus et Praefecturis adsit catechismus, et quatenus affirmative, an in variis libris eius generis servetur uniformitas quoad doctrinae expositionem.

18. Utrum expediat eiusdem missionis districtus ita ordinare, ut plures uni missionario tamquam superiori subsint.

19. Utrum in singulis districtibus, quae parochiarum locum tenent, diligenter serventur libri baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum, nec

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

non status animarum; an ratio habeatur observantiae praecepti paschalis, et utrum memorati districtus ad formam paroeciae a canonibus requisitam accedant.

20. Indicetur an aliqua speciali ratione consuli possit ut facilius catholica fides inter indigenas propagetur.

De Ecclesiis, Capellis et Presbyteriis.

21. Exprimatur an sit in missione numerus sufficiens ecclesiarum et sacellorum, et utrum illae saltem necessariis ad divinum cultum ornamentis instructae sint.

22. An catholicus cultus in Vicariatu vel Praefectura libere exerceatur, et, quatenus negative, an ratio suppetat, qua obstacula e medio auferantur.

23. An in singulis sacerdotum residentiis sit decens presbyterium aut saltem aliquis locus a fidelibus oblatus, ubi convenienter manere possint.

De bonis Ecclesiae eorumque administratione.

24. Quas eleemosynas societas Propagationis Fidei lugdunensis praebeat, et an aliquod aliud medium praesto sit, ut sustentationi missionariorum et expensis pro divino cultu satisfiat.

25. Utrum et quae bona immobilia, vel quos reditus missio in promptu habeat ad finem memoratum adhibenda: et, quatenus negative, an aliqua ratio innui queat, ut pedetentim certi reditus, sive per oblationes fidelium, sive per alias praestationes ab ipsis solutas constitui possint.

26. Si missio bona immobilia vel reditus possideat, significandum erit an ab aliquo in hac possessione ecclesiastica turbetur, vel prorsus ipsa possessio a gubernio recognoscatur.

27. Quae cautelae adhiberi possint, ut securitati ecclesiasticorum bonorum provideatur.

28. Utrum adsit Consilium aliquod missionariorum ad eadem bona vel reditus administrandos, et ad impediendam eorumdem dissipationem, et utrum fideles aliquam partem habeant in praedicta administratione.

De rebus ad divinum cultum spectantibus.

29. Quoad hoc exponendum an in sacris functionibus ac praesertim in solemni Missae celebratione ritus omnes S. E. R. fideliter serventur, et utrum cantus adhibeantur et an iuxta canonicas praescriptiones.

30. Utrum et qui populares cantus in ecclesiis adhibeantur.

31. An in omnibus Ecclesiis, in quibus sine periculo profanationis fieri potest, adservetur et quomodo S. Eucharistia, quaeque sit in tantum Sacramentum fidelium devotio.

32. Utrum ad maiorem divini cultus decorem et ad pia opera exercenda canonice institutae sint aliquae confraternitates sive virorum sive mulierum, vel constitui possint.

33. Quatenus affirmative, quae sit praesens earumdem societatum conditio, et an reformatione indigeant.

34. An in cultu divino ac veneratione Sanctorum aliquae superstitiones irrepserint, et quae.

De educatione et institutione iuventutis.

35. Significandum an sint in missione scholae pro indigenis cum masculis tum foeminis, et an sufficiant fidelium filiis.

36. Utrum in ipsis admittantur etiam filii infidelium vel protestantium aut schismaticorum, et quibus cautelis, ne catholicorum fidei nocere possint.

37. An in memoratis scholis servetur omnimoda separatio puerorum a puellis.

38. Quibus credita sit iuventutis institutio.

39. An adsit aliquis convictus seu collegium sive pro masculis sive pro foeminis; utrum in eo admittantur infideles vel protestantes aut schismatici et quibus cautelis.

40. An adsint in Vicariatu vel Praefectura scholae ministrorum protestantium, vel scholae paganae, et utrum catholici eas frequentent.

41. An adsint orphanotrophia, et quibus subsidiis sustententur.

De quibusdam piis institutis diffundendae fidei valde opportunis.

42. Utrum adsint hospitia pro catechumenis utriusque sexus et quomodo ordinata sint.

43. Quae opportunior ratio censeatur adhiberi posse, ut catechistarum institutio magis utilis ad missionum bonum evadat.

44. Utrum erectum sit aliquod hospitale et quomodo administrentur reditus pro infirmorum sustentatione.

De festis, ieiuniis et abstinentiis.

45. Quaenam festa in missione observentur, et an aliqua mutatio hac in re petenda videatur ad obtinendam maiorem uniformitatem.

46. Quae ieiunia, quique abstinentiae dies serventur sive ab europaeis sive ab indigenis, et an etiam in hoc aliquid immutandum appareat.

De coemeteriis et sepulturis.

47. Utrum et quae superstitiones in funeribus apud christianos invaluerint.

48. An existant coemeteria separata pro christianis, et quatenus negative, an aliquid ad id obtinendum tentari possit; praeterea an sint benedicta.

De Sacramentorum administratione.

49. Exprimatur an in Baptismate administrando serventur omnia praescripta Ritualis Romani. Speciatim vero an fiat aliqua divisio caeremoniarum, et quo idiomate interrogationes fiant.

50. Utrum saepe aliquod dubium suboriatur circa diligentiam adhibitam a catechistis vel obstetricibus in Baptismate conferendo; et quatenus affirmative, quomodo hac occasione se gerant missionarii.

51. Utrum debita diligentia adhibeatur a missionariis, ne haeretici aut schismatici ut patrini in sacramento Baptismi et Confirmationis admittantur.

52. An Sacramentum Confirmationis iuxta generalem Ecclesiae usum vel potius immediate post Baptismum in missione conferatur.

53. An et qui sint in Vicariatu vel Praefectura casus reservati; utrum missionariis sufficienter innotescant.

54. Utrum fideles solemni praeparatione et pompa ad primam Communionem admitti soleant.

55. An in Vicariatu vel Praefectura promulgatum fuerit decretum Concilii Tridentini, sess. 24, *Tametsi*, circa Sacramentum Matrimonii.

56. Utrum accurate fiant publicationes ab Ecclesia praescriptae, et an diebus a iure praescriptis.

57. Quomodo se gerant missionarii in dispensationibus quoad matrimonii impedimenta, et: primo, an dispensetur in impedientibus; secundo, an plurimi occurrant casus concedendi dispensationes in dirimentibus, praesertim in gradibus proximioribus.

58. An in dispensationibus concedendis imponantur mulctae vel poenae.

59. Quomodo concedantur dispensationes, an in scriptis, et utrum exprimatur delegatio apostolica.

60. An usus matrimoniorum mixtorum invaluerit, et qua frequentia, et quomodo circa ea missionarii se gerant.

61. An in celebratione matrimoniorum christiani immisceant aliquas caeremonias superstitiosas.

De abusibus et necessitatibus Missionis.

62. Enumerentur omnes abusus qui forte irrepserunt etiam inter catholicos sive circa fidem, sive circa mores, vel administrationem sacramentorum, et cuiusque alterius generis.

63. Exprimantur praecipue causae huiusmodi abusuum, et media quibus evelli possint.

Tandem attente perpendantur spirituales missionis necessitates, distincte referantur; mediaque proponantur idonea ad maiorem religionis profectum inducendum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1473].

4892.

S. C. de Prop. Fide, decr. 16 iul. 1878.

Romani Pontifices pro commisso sibi divinitus munere pascendi gubernandique universam Ecclesiam, nihil antiquius habuerunt quam publicam orthodoxae fidei professionem praescribere iis qui christiano censeri nomine, et Apostolicae Sedis communione cohonestari vellent: qua quidem ratione tam fidei integritati, quam ecclesiasticae unitati consultum iri iudicarunt. Ex quo factum est, ut dum vetustis novae accederent haereses, et perniciosa vulgarentur opinionum commenta, certae aptaeque temporum locorum et personarum adiunctis proponerentur formulae Apostolica auctoritate munitae, quibus intemerata sanctorum Patrum fides sarta tectaque servaretur, et veri Ecclesiae filii a profanis novitatum fautoribus facile cernerentur. Cum vero eam ob causam nuper ab oecumenica Synodo Vaticana promulgatae fuerint dogmaticae constitutiones, [1] altera de Fide catholica, quae incipit *Dei Filius*, altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor Aeternus*, non modo congruum, sed etiam necessarium visum est, ut in Fidei professionibus, tum pro graecis tum pro orientalibus praescriptis auctoritate summorum Pontificum fel. rec. Gregorii XIII [2] et Urbani VIII, [3] mentio opportuna debitis locis insereretur decretorum praememorati Vaticani Concilii ad catholicam fidem, quae una eademque semper ubique esse debet, pertinentium.

Quapropter SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII, de consilio Emorum PP. Card. huius S. C. mandavit ut praefatae formulae *Gregorii XIII* pro graecis post verba: « Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo » adderetur comma istud: « *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata praesertim de Romani Pontificis primatu, et infallibili magisterio* indubitanter recipio etc. » In formula autem *Urbani VIII* pro orientalibus, post definitiones Concilii Tridentini interponi iussit sequentem paragraphum: *Item venero et suscipio oecumenicam synodum Vaticanam: atque omnia ab eadem tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu ac de eius infallibili magisterio firmissime amplector et profiteor*. Decrevit quoque Sanctitas Sua, ut in posterum fidei professio ab omnibus sive graecis sive orientalibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis sacrorum canonum sanctione statutis.

Super quibus omnibus hoc S. Congregationis decretum edi, et ab omnibus et singulis ad quos pertinet, inviolate servari praecepit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1496].

[1] Cf. N. 10.
[2] Cf. N. 146.
[3] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, p. 124, in nota, n. II.

4893.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep., Vic. et Deleg. Ap.), a. 1879.

Romano Pontifici Beati Petri successori et Iesu Christi D. N. in terris Vicario ius et debitum inest, nedum oves pascendi quae sunt in ovili Dominico, verum etiam errantes perditasque quaerendi, et inventas in ipsum ovile adducendi. Hoc sui muneris officium ac debitum SSmus D. N. animo recolens, ac decessorum suorum exempla sequutus, sollicitiorem curam adhibendam censuit ad haereticorum et schismaticorum reductionem procurandam, qui diversos orientales ritus tenent. Propterea catholicorum Praesulum, in quorum Dioecesibus, Vicariatibus vel Delegationibus miseros illos degere contingat, zelum et charitatem excitandam duxit, ut quoniam in partem sollicitudinis vocati sunt, gravissimo hoc officii sui debito fungi non omittant. Quo vero collatis cum Apostolica Sede consiliis, iunctisque viribus et concordi actione facilius ac tutius opus exeratur, mandavit, ut A. T. referat de numero et conditione haereticorum vel schismaticorum qui finibus istius Dioecesis (*vel* Vicariatus *vel* Delegationis) continentur ac de episcopalibus ipsorum sedibus earumque ordine ac dignitate. Necessarium quoque est novisse media iampridem adhibita, quaeque in praesentia adhibentur ad eos in veram et unicam Christi Ecclesiam revocandos: et de adhibitarum curarum prospero vel infelici exitu. Demum enucleate significetur oportet, quid fieri possit, inspectis omnibus temporis, locorum ac personarum adiunctis, ut, opitulante Deo, in verum et unicum Christi ovile reducantur, qui extra illud miserrime vagantur. Id enim SSmo D. N. propositum est ut nihil intentatum relinquatur, quod ad propositi finis assecutionem ducat, vel ducere posse videatur. Salebrosum hoc esse opus, multique laboris, et non pauca expectanda esse impedimenta exploratum est. His vero non despondendus animus, sed Christi Domini et Apostolorum exemplo, magis magisque excitandus et augendus, quos similia et maiora impedimenta non detinuerunt. Qui enim misit nos, non relinquet nos solos ministrare: promisit enim se nobiscum futurum usque ad consummationem saeculi. Quod si per totam noctem laborantes nihil ceperimus, non idcirco nos mercedem nostram perdemus, neque labor noster inutilis evadet. Cum enim advenerit miserendi tempus, aderit Dominus, et amplissimum dabit curarum fructum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1507].

4894.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Ottawien.), 17 apr. 1879.

Gli Eminentissimi inquisitori Generali hanno risoluto che malgrado le disposizioni della legge civile, i Vescovi di cotesto dominio debbon procurare di ottenere che (nei matrimonii misti) le consuete cauzioni si diano sempre

in iscritto, come già si pratica, e quante volte in qualche caso parrticolare siano convinti che le medesime non fossero prestate con sincerità di animo, non concedano la dispensa.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1517].

4895.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Praef. Ap. Norvegiae), 27 maii 1881.

I beni che si acquistano con l'elemosine raccolte per le missioni sono veri beni ecclesiastici, ancorchè non vengano riconosciuti come tali dalla legge civile; quindi 1. Un missionario non può di sua privata autorità acquistarli in nome proprio per poterne poi liberamente disporre, ma solo potrà farlo quando ne sia debitamente autorizzato e con le necessarie cautele. 2. Nè può, neanche in vantaggio della Missione, alienare o ipotecare senza una precedente autorizzazione i beni che avesse in tal modo acquistati. 3. Il Prefetto Apostolico può esigere dai missionari che facciano riconoscere legalmente simili acquisti, quando lo creda espediente, dove la Missione cattolica è considerata come corpo civile avente diritto di possedere; o almeno che tali acquisti si facciano in nome di più comproprietari fiduciari, per non esporre a facili perdite i beni acquistati per la Missione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1553].

4896.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Tunkin. Orient.), 1 sept. 1881.

1. Cum particularis aliqua Missio Ordini seu Instituto religioso a S. C. de Prop. Fide commendatur, onus assumit idem Ordo vel Institutum sufficientem numerum suorum religiosorum ad Missionem designatam mittendi tum ad curam animarum in christianitatibus iam existentibus exercendam, tum ad fidem inter infideles praedicandam. Quos vero Ordo vel religiosum Institutum missionibus destinare contigerit, eosdem proponit Vicario Ap. qui, si ad animarum curam exercendam idoneos invenerit, eos approbat, iisque iurisdictionem et necessarias facultates concedit. Quoad ipsorum a praedicto munere remotionem servanda est Constitutio fel. rec. Benedicti XIV quae incipit *Firmandis*. [1]

2. Omnes missionarii regulares in iis quae pertinent ad vitam religiosam et disciplinam internam proprii Instituti unice dependent a proprio superiore regulari.

3. Iidem missionarii regulares tamen, quoad curam animarum et sacramentorum administrationem, et in casibus a iure nominatim expressis, totaliter dependent a Vic. Apostolico.

[1] Cf. N. 349.

4. Hinc missionarii regulares duplici ligantur obedientia, una erga caput Missionis, altera erga superiorem regularem. In casu conflictus prima praeferri debet, quippe quae est erga ipsam supremam S. Sedis auctoritatem.

5. Institutio cleri saecularis et catechistarum pertinet ad Vic. Ap. qui ius quoque habet quoad omnia visitandi scholas primarias seu elementares in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

6. Quoad bona temporalia, sive mobilia sive immobilia, reditus, eleemosynas etc. quae intuitu missionum data sunt, religiosi sodales Vicario Ap. rationem reddere tenentur aeque ac missionarii cleri saecularis.

7. Mens est Sanctitatis Suae ut observentur etiam alia iuris capita, licet in hac instructione de iis mentio non fiat, quae continentur in Constit. *Romanos Pontifices* ab eadem Sanctitate Sua edita sub die 8 maii 1881.[1]

8. Ceterum nihil obstat quominus Vicarius Ap., attentis particularibus suae Missionis circumstantiis, pro sua prudentia, et salvis suis iuribus, consilio vel opera superioris regularis utatur, eidemque eas subdeleget facultates quas in Domino expedire consueverit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1558].

4897.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 6 febr. 1882.

Missionarii ad clerum saecularem spectantes, qui ab Apostolica Sede datis authenticis litteris ad missiones destinantur, Vicariorum Apostolicorum omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni omnes et singuli obnoxii sunt. Regulares vero qui exemptionis privilegio gaudent omnino iisdem Vicariis Apostolicis subiacere debent in iis generatim quae pertinent ad curam animarum, ad sacramentorum administrationem, atque in ceteris casibus a iure nominatim expressis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1563].

4898.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 24 sept. 1882.

Sovente avviene, che ecclesiastici di rito orientale, e talvolta anche laici si diano a questuare nell'Europa, cogli asserti titoli di fabbricare chiese, aprire e mantenere scuole, o altri simili, che possono interessare la fede e unità cattolica. Si presentano muniti di lettere commendatizie de' loro Prelati ed anche dei Patriarchi, lettere che talora sono state riconosciute non autentiche, e talora falsi anche i sigilli di cui erano munite. Talora i questuanti affermano anche titoli che non hanno, e non rifuggono dall'usare insegne che loro non convengono. Non lieve è il danno che deriva da tal, arbitrarie, e talora anche fraudolente questue, sia per la estorsione di denaroi che si fa ai fedeli, sia per la conseguente eventuale diminuzione delle loro

[1] Cf. N. 582.

elemosine specialmente a favore della Propagazione della Fede, e delle Chiese orientali, che han pur tanti bisogni, sia perchè generalmente parlando, una buona parte delle raccolte elemosine cede a vantaggio dei questuanti, dai quali non si ha rendiconto veruno, o non si ha mai certo ed ineccezionabile. È poi facile l'intendere, come o per un motivo o per l'altro, tali questue non riescano mai o quasi mai allo scopo per cui si dicono fatte; anzi è talora avvenuto, che del frutto di tali questue siasi abusato per combattere la stessa unità cattolica. Da ciò apparisce perchè la S. Sede è stata sempre sollecita d'impedirle, seppure in casi speciali non fossero espressamente autorizzate da questa S. C. la quale in tali casi ne tutela, per quanto è possibile, la fedele erogazione. Senza ricordare le disposizioni con cui la sa. me. d'Innocenzo XI nel gennaio 1677 vietava le questue dei greci, la sa. me. di Clemente XII col suo Breve *Dudum emanavit* dei 26 marzo 1736, di cui si annette copia,[1] tornava a proibire tali questue; proibizione che è pienamente in vigore per gli orientali in genere, quantunque oggi non possano forse eseguirsi tutte e singole le prescrizioni contenute nel citato Breve. In seguito questa S. C. non ha cessato d'insistere su tale argomento anche con circolari spedite ai Rm̄i Nunzi Apostolici, fra le quali giova ricordare l'ultima del 1875. Che anzi non una volta la stessa S. C. si è veduta astretta a diffidare col mezzo di pubblici giornali taluni questuanti, dietro le rimostranze de' Prelati, e talora anche dei governi. Non cessando però ancora il deplorato abuso, come consta dalle notizie e reclami, che frequentemente giungono alla S. C., si è sentita la necessità di ricordare le antiche e tuttora vigenti disposizioni affinchè non siano ammessi nè tollerati cotali questuanti, se pure non ne avessero formale ed esplicito permesso di questa S. C., rilasciato in forma autentica, e di data recente.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1575].

4899.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Deleg. Ap. pro Oriente), 8 nov. 1882.

La Santità di N. S. Leone XIII emanava la Costit. *In suprema* del 10 giugno corrente anno,[2] riguardante l'obbligo di tutti i Vescovi di applicare la Messa *pro populo* nei giorni festivi. Gli Em̄i PP. pertanto nella Generale Adunanza dei 24 luglio p. p. tolsero ad esame il tema *Sull'obbligo dell'applicazione della Messa* pro populo *fra gli orientali* così rispetto ai Vescovi, come riguardo ai parrochi, e secondo la mente esternata dal Sacro Consesso si partecipa alla S. V. quanto segue: Ella non ignora che secondo la decretale d'Innocenzo III nel Concilio Lateranense IV, *Licet graecos*, e secondo la spiegazione datane in una Congregazione dei teologi tenuta nel 1631 innanzi al Card. Pamphili, la miglior parte dei dottori, non escluso lo

[1] Cf. N. 298.
[2] Cf. N. 585.

stesso Lambertini (Benedetto XIV) è di sentimento che nelle Costituzioni Apostoliche non s'intendano compresi gli orientali se non nei tre seguenti casi: 1. Nei punti di fede e dottrina cattolica; 2. Dove la materia stessa dimostra la comprensione, in quanto non è una legge soltanto ecclesiastica, ma una dichiarazione della legge divina e naturale; 3. Quando, benchè si tratti di ordinazioni disciplinari, gli orientali vi sono espressamente nominati. Questa dottrina di teologi e canonisti non è stata finora sanzionata dalla S. Sede, è certo però che gli orientali *ab immemorabili* ritengono qual sentenza teoretica e pratica di non essere compresi nelle Costituzioni disciplinari se non nel modo predetto, e che questa loro persuasione non fu mai condannata dalla S. Sede. Posta questa teoria, è ben chiaro primieramente che tutti i Vescovi anche orientali sono certamente compresi nella citata Costituzione del S. Padre, *In suprema*, in quanto che essa dichiara il gius divino dell'obbligo della Messa *pro populo*, giacchè *vi pastoralis officii* sono assolutamente tenuti *de iure divino* i Vescovi di qualunque rito ad applicarla. Laonde non è questo un punto di disciplina mutabile e che possa essere, secondo i diversi riti, cambiato o abolito per qualunque contraria consuetudine, se si tratti dell'obbligo dei Vescovi *in se* di offerire il S. Sacrificio *pro populo*, e non già se si tratti del numero delle Messe, che debbono offerirsi in ogni giorno festivo. Questo numero viene determinato da una legge ecclesiastica in applicazione della legge divina, e quindi in ciò non è esclusa, secondo le diverse circostanze, ogni diversità e dispensa. — Venendo ora ai parrochi, *ex iure divino hypothetico* sono i parrochi obbligati all'applicazione della Messa *pro populo*. Deve però notarsi che il diritto divino ipotetico è anche dispensabile, per gravissime ragioni, dalla suprema autorità pontificia, potendo questa limitare i doveri parrocchiali nelle cose non necessarie *per se* alla salute delle anime. Con ogni diligenza pertanto la S. V. tornerà a verificare se esistano fra gli orientali della sua Delegazione vere parrocchie, ritenendo che a tale determinazione non si richieggono tutte le formalità prescritte dalle leggi della Chiesa latina, ma basta che per autorità del Vescovo siano stabilmente circoscritte certe comunità di fedeli, le quali abbiano il diritto di avere un sacerdote come *proprio pastore*, il quale *vi officii ipsi ab Episcopo commissi in hac tali communitate* debba esercitare *munus pastorale* colla giurisdizione *in foro interno vi ipsius officii*, coll'amministrazione dei sagramenti, colla predicazione della parola di Dio.

L'amovibilità *ad nutum* non è *per se* un segno della mancanza di diritto parrocchiale. Anche l'amministratore, messo dal Vescovo per un tempo determinato o indeterminato, ha tutti i doveri del parroco (purchè si tratti di vera parrocchia). Nè la mancanza di rendite dispensa dell'obbligo in parola, essendo questo compreso nell'*officio* pastorale, anche prescindendo dai frutti del Beneficio. Per contrario quando non si tratta di parrochi, ma di semplici missionari, nè di vere parrocchie, ma di semplici missioni, non evvi alcun obbligo di applicare la Messa *pro populo*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1578].

4900.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1883.[1]

Cum magnopere huius S. Consilii intersit in ecclesiasticis iudiciis eam methodum servari quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari iustitiae administrationi, nec non Praelatorum auctoritati tuendae, querelisque reorum praecavendis par omnino sit, placuit iterum ad examen revocari ea omnia quae in hac re pro ecclesiis foederatorum Americae Septentrionalis Statuum in Instructione diei 20 iulii anno 1878, nec non in responsione ad dubia circa eamdem posterius proposita continebantur. Itaque S. C. omnibus mature perpensis, SSmo D. N. Leone PP. XIII approbante, haec quae sequuntur observanda decrevit, praecedenti instructione ac successiva declaratione abrogata, iis exceptis quae in hac continentur.

I. Ordinarius pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis, sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat.

II. Haec vero remedia, alia *preventiva* sunt alia *repressiva*. Illa quidem ad praepedienda mala, scandalorum stimulos amovendos; voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectaria e medio tollantur.

III. Conscientiae Ordinarii remittitur cuiusque remedii applicatio, canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate.

IV. Praeventiva remedia sunt praecipue spiritualia exercitia, monitiones, praecepta.

V. Antequam vero adhibeantur, summaria factorum recognitio procedat oportet: cuius notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

VI. Canonicae monitiones vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam) ad modum paternae correptionis, vel servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat.

VII. Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius iubet per Curiam delinquenti analogum praeceptum intimari ita, ut in hoc explicetur, quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam, si praeceptum transgrediatur, incurret.

VIII. Praeceptum delinquenti a Curiae Cancellario coram Vicario generali iniungitur, aut etiam coram Vicario generali iniungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis, vel laicis spectatae probitatis.

[1] De modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum in foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

1. Actus iniunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delinquente etiam, si velit.

2. Vicarius Generalis iusiurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur.

IX. Quod vero pertinet ad remedia repressiva seu poenas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extraiudiciale ex informata conscientia pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum c. 1, Sess. 14, *de ref.*

X. In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem, processus summarie et sine strepitu iudicii, servatis semper in tota sua substantia iustitiae regulis conficiatur.

XI. Processus ex officio instruitur vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam perlato, et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur.

XII. Ubi Curiae iam constitutae sunt, compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat actuarius. In dioecesibus vero in quibus Curiae episcopales nondum possint institui, interim observanda est instructio anni 1878 cum responsione eam subsequenti ad proposita dubia, videlicet: singuli Antistites in synodo dioecesana, audito clericorum consilio, quod tamen sequi non tenentur, quinque, vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et, quantum fieri poterit, in iure canonico peritis seligant ad huiusmodi officium, ut in praedicta instructione declaratum extat, exercendum. Quod si ob aliquam gravem causam synodus haberi nequeat, quinque vel tres, ut supra, ecclesiastici viri per Episcopum ad idem munus deputentur. Electi in officio manebunt usque ad proximam Dioecesanae Synodi celebrationem, in qua vel confirmentur, vel alii eorum loco designentur. Quod si interdum morte aut renuntiatione, vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuatur, Episcopus audito consilio caeterorum ad commissionem pertinentium alios sufficiet. Porro commissio haec consultorum iureiurando obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum, et praeside Episcopo vel Vicario Generali, rem suam aget.

XIII. In qualibet Curia episcopali procurator fiscalis constituetur, ut iustitiae et legi satisfiat.

XIV. Pro intimationibus vel notificationibus, si apparitores Curiae desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quae eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiorem reddat: vel etiam a Curia per publicos tabellarios commendatae (quibus loci hoc systema vigeat) transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant.

XV. Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quae authenticis informationibus vel confessione extraiudiciali, vel testium depositionibus confirmetur: transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis ad normam art. VII et VIII factae deducitur.

XVI. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur quocumque rationabili dubio oppositi remoto.

XVII. Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiuntur.

XVIII. Testes ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur, praestito iuramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque antequam testificentur, cum de veritate tum de secreto iurent. Eo magis de officio fideliter adimplendo et de secreto pro rei, de qua agitur, exigentia servando, omnes iuramento obstricti sint, oportet, qui in instructione processus ex suo munere partem aliquam habeant.

XIX. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur: quae quidem auctoritas in responsione normas in hac instructione contentas observabit.

XX. Si indicentur testes, qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusent, necesse est id in actis commemorare, eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum, qui vel de relato, vel aliter, rem de qua quaeritur, noverint.

XXI. Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus intimatione scripta ad examen vocatur.

XXII. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit.

XXIII. Quod si ob accusationum qualitatem vel alia de causa haud expediat, ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere, ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

XXIV. Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse iudicandum: quam intimationem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur.

XXV. Verum si ad examen accedat, audiatur: et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae, quantum fieri potest, accurate discutiantur.

XXVI. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur, et in poenas canonicas incurrisse censeatur.

XXVII. Inquisitus, ubi ex his noverit quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit utetur iure defensionis a se ipso peragendae.

XXVIII. Potest etiam, si postulet, obtinere ut terminus ad defensionem scripto exhibendam praefigatur: maxime si ob ea quae art. XXIII iuncta sunt, responsionem ad accusationes contra se latas parare non potuerit.

XXIX. Absoluto processu redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucent, conficiat.

XXX. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine peragendi. Quod si idoneum non reperiat, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est.

XXXI. Si vero reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

XXXII. Defensor debitis sub cautelis in Cancellaria Curiae processum eiusque summarium inspiciet, ut reum tueatur; ac defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibere poterit. Ipse quoque ad iuramentum de secreto servando tenetur, quando iudex indolem causae id postulare censuerit.

XXXIII. Processus eiusque summarium ad procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit; dein ad Ordinarium remittitur, qui ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet, in qua eius discussio ac decisio locum habeat, idque inquisito significari curet.

XXXIV. Praestituta die causa coram Episcopo vel Vicario generali, praesente procuratore fiscali, defensore, et cancellario proponitur.

XXXV. Audito fisci procuratore, ac defensione rei, sententia pronunciatur, eiusque pars dispositiva cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

XXXVI. Sententia reo intimetur, qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere. [1]

XXXVII. In appellatione observentur normae expressae in Const. sa. me. Benedicti XIV, *Ad militantis*, die 30 martii 1742, [2] ac caeterae indictae a S. C. Episcoporum et RR. decreto die 18 decembris 1835 [3] et epistola circulari diei 1 aug. 1851. [4]

XXXVIII. Intra terminum decem dierum a notificatione sententiae interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore, sententiae executio locum habet.

XXXIX. Appellatione interposita, continuo Curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis autographis, idest processum, eius summarium, defensionem ac sententiam mittit.

XL. Haec porro superioris instantiae auctoritas, appellatione cognita, appellanti iniungit ut intra triginta dies defensorem deputet, qui ab ipsa approbandus est.

XLI. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat.

[1] Quoad appellationem, in Concilio Plenario Baltimorensi III notatur: « Quod si a iudicio curiae metropolitanae primae instantiae ad aliam curiam appellandum sit, appellatio ex speciali concessione S. Sedis fiet ad Metropolitanum viciniorem ».
[2] Cf. N. 326.
[3] Cf. N. 1908.
[4] Cf. N. 1961.

XLII. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam Archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procedendi methodo utetur, quae in hac instructione indicatur.

XLIII. Si clericus ob communes reatus a civili potestate, privilegio fori non obstante, processui ac iudicio subiiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit, ac inquirit, num ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitati, vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit.

§ 1. Pendente iudicio, vel imputato in carcere detento, prudens consilium erit, ut Ordinarius ordinationes mere provisorias adhibeat.

§ 2. Iudicio absoluto, si liber accusatus remittatur, Curia episcopalis iuxta informationes ut supra assumptas ea ratione procedet, quae in hac instructione constituitur.

XLIV. In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

XLV. Haud ita facile Curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, iudex appellationis a talibus damnationibus abstineat, cum ea indicia sufficiant ut in iudice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur, quae ad huiusmodi damnationem requiritur.

XLVI. Concilii plenarii Baltimorensis II decreta n. 125 quoad naturam missionum, et nn. 77, 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio, nullatenus innovata seu infirmata intelliguntur, salvis iis quae recentius de parochis seu rectoribus inamovibilibus constituta sunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1586].

4901.

S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1883.

I. *De processu matrimoniali.* — 1. Causae matrimoniales ad iudicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivantibus sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat.

2. Coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a toro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens, coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur.

3. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda

suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur; in aliis, qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

5. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

6. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens quidquid ad caussam pertinet in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

7. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

8. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta, vel saltem mentio in actis prostent.

9. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare ut in iudicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui ius habent petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

10. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit, tactis sanctis Evangeliis, de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

11. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessa-

rias iudicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas, testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

12. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis Sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

13. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

14. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum ✠ Crucis ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

15. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quarum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum, e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et ceteris servatis, quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

16. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

17. Inter examinandos primo loco venit ille qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

18. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta

poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

19. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

20. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere vidatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt dummodo tamen semper ea omnia inquirantur quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

21. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus, erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

22. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

23. Publicato processu, locus fiet defensionibus quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent refutare valeat.

24. Omnibus ut supra peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

25. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et caussa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire. Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

26. Ordo appellationis erit prout sequitur. Si prima sententia a Curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad Curiam metropolitanam; si vero a Curia metropolitana ea prodierit, appellabitur ad Curiam metropolitanam viciniorem. Ad S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit caussam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

27. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, ceterisque omnibus ad caussam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum est.

28. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore, in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur. Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit proprias animadversiones illis apponere valeat.

29. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus

se nil amplius habere dixerit, auditis prius, modo quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

30. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio caussarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata interim firma remaneat utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

II. — *De regulis servandis in tractandis caussis matrimonialibus in specie.* — Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus caussis matrimonialibus generatim servandas ut iuridica illis stet validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt.

31. *De impedimentis cognationis carnalis, vel spiritualis, et affinitatis.* — Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia Episcopali authentica declaretur.

32. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur nota sit aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis

vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes quibus innititur. Caeterum iudex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et numquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur et accurate custodiantur.

33. *De impedimento publicae honestatis.* — Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum, vel regesta existentia penes ministros haereticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt.

34. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur, ex documentis si habeantur, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex indiciis quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrimque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia

quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promi-
serint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et, si ab una tantum,
utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalen-
tibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese
matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de
sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit ut praesumi non possit
veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

35. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi
sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infanti-
bus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimen-
tum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum
erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod
facile fiet petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio pa-
rentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur cognoscunt. Si consti-
terit in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit utrum
post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

36. *De impedimento vis et metus.* — Circa impedimentum quod vis et
metus, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matri-
monium ex hoc capite impugnandum nisi qui violentiam et coactionem pas-
sus dicitur: reiici vero eum qui per longum tempus in matrimonio vixerit,
dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si
liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia
officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coa-
ctione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur
consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat.
Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili
facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit quanam de causa hoc acci-
derit, ut iudicari possit utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo
prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum
constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum
exquirendum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii
investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura mi-
narum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum
qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

37. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione
accusantur, ita consueverint agere cum persona quae coacta dicitur, ut
gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabi-
tationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba
gravi indignatione plena adhibita, intentata haereditatis privatio, eiectio e
paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accu-
santur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi
sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae; magna
ne ex matrimonio propriae domui utilitas, aut decus obventurum; quae
indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam
regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives,

ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent duro atque obsti-
nato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta obiici pate-
rentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae quae violen-
tiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri;
deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an
fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub
custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in
omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere,
et iuxta propriam voluntatem operari potuerit: an parentes ita eam segre-
garint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec
cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio
ineundo consilia praebere posse iudicaverint.

38. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur,
aliquando relationem habuerit cum eo cum quo postea contraxit; et utrum
aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo
inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore
consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam volun-
tatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta
sit suspicio contra decorem vel ipsius personae, vel familiae, a qua parentes
moveri potuerint ad matrimonium exigendum tamquam remedium bonae
famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit ut a
coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit, utrum usa fue-
rit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo
propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit,
utrum et quomodo altera pars operam dederit ut matrimonium revera con-
cluderetur. Considerandum erit, utrum quando contractus matrimonialis
erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua
fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit,
sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consen-
sum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum
nuptiale celebrabatur, utrum nempe his omnibus hilaris, prompte, et laeta
adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio erga alteram
partem, et erga eiusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa,
utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit,
an eisdem obstiterit, ea praesertim de caussa quia matrimonium nullum
putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postre-
mum factum probandum considerari debet, utrum hac de caussa inter
coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifesta-
verint, et quibus; a quo tempore post matrimonium istae querimoniae ince-
perint, et ex qua caussa vel ratione, utrum ad tales lites et dissensiones tol-
lendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et, in casu affirmativo, a quibus
et quo exitu.

39. Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges,
eorumque parentes, illi praesertim qui de coactione adhibita accusantur, et
opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine ob

quem ad vim adhibendam ducti fuerint. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum quae in actis habentur viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec locum habuerit. In hisce examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae caussa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

40. Caeterum in hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

41. *De impedimento ligaminis.* — Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis iuxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus Americae catholici commixti vivere cogantur cum haereticis, et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

42. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius, aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii exsistentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius

coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante, vel post prioris coniugis mortem; atque ita iudicetur utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

43. Quando ad mortem prioris coniugis probandam praesto non sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint, aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit; qua de caussa; ubi cadaver sepultum; utrum adsint et ubi commorentur alii qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias; a quo tempore fama de morte vulgari coeperit, et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum qui primitus de re ista sunt loquuti; utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint ut talem notitiam evulgarent. His cognitis, in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipue sunt: aetas personae quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit: tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius; locus vel loca, ad quae se contulerit, utrum valitudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerint, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint; eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda causa quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis, aut contrariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui

discessit continuavit cum altero coniuge sive per litteras sive per nuncios;
si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetu-
dinem adfuisse, et postea cessasse, quin cessationis causa aut ratio appareat,
gravis de morte obita praesumptio habebitur; si e contra constiterit eum qui
discessit nunquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut
cum propinquis et amicis, indicium mere negativum nullam probationem
facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in
aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam ele-
gerit, vel arti nauticae aut servitio alicuius navis sese addixerit, et cogno-
scatur in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones
erunt faciendae penes duces exercitus illius, et penes gubernatores vel offi-
ciales navis. Si cognita fuerint loca, in quibus commoratus est, in singulis locis,
et praesertim in illo in quo commorabatur, quando eius indicia perdita
fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas
personas, si praesto sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando
ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciant, atque
etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cogno-
minis, patriae, professionis, et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si
fieri possit, tribunal curabit, ut in locis in quibus idem commoratus fuerit
publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habent,
velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino pote-
rit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante
secundas nuptias, de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint,
iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non
enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur,
hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo consti-
terit.

44. At si non ex isto capite, sed potius quia primum matrimonium in
haeresi contractum, rescissum fuerit ob aliam caussam, specialia quaedam
erunt observanda. Et primo advertendum est, evangelicam et apostolicam
doctrinam esse matrimonium valide celebratum solvi non posse propter
adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam
coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab haere-
ticis confictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum ob aliquam
ex istis rationibus praecedens matrimonium dissolutum fuisse, caussa in
favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu
introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titu-
lum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico con-
fecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico
iudici minime licere. Quare tunc caussa ex integro erit instituenda, et iuxta
ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet,
ut acta tribunalis haeretici requirantur, quo plenior factorum et circumstan-
tiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint
exhibita, dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis indicia
colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quotenus fieri poterit,
etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam

harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depo-
sitio, si adesse cognoscantur; sicut neque alia acta, quae vel moderator
vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus
iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tri-
bunali haeretico prolatae, numquam tamen istam sententiam tamquam
sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existi-
mandum erit duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit
appellare.

45. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dican-
tur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali
haeretico, eadem erunt servanda quae dicta sunt de matrimoniis baptizato-
rum resolutis per sententiam tribunalis saecularis, nempe caussam admitten-
dam non esse, si rescissio proclamata fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito,
vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit.
Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum
utrum pars quae coram tribunali catholico agere intendit, secundum matri-
monium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium
acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum,
utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut sal-
tem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum.
Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, pri-
mum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum con-
nubium irritans; quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispen-
satio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed
Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis cir-
cumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum
sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel eius dispensatio
intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum, vel etiam regesta curiae,
in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matri-
monium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit
quod, antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata
fuerint omnia quae sacri canones pro his casibus statuunt; sed si institutis
opportunis investigationibus adhuc dubium subsit, ad S. Sedem erit recur-
rendum.

46. *De impedimento impotentiae.* — Ad impugnandum ex capite impo-
tentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solum-
modo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solli-
citi esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet,
necesse est ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque
licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis
ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit
semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum,
matrimonium dirimit solummodo cum illa ad quam impotentia ipsa refertur.
Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem
deveniatur ad adstruendam vel excludendam assertam impotentiam antece-
dentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam.

Hunc in finem prae oculis habenda erit instructio supremae Congregationis S. Officii.[1]

47. Quod si casus occurrat cui in instructione hac provisum non sit, ad iuris communis normam pertractetur ac decidatur oportet.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1587].

4902.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 25 iul. 1883.

Quo propositis huic S. C. dubiis fieret satis, a Sacra Supremae Inquisitionis Congr. quaesitum fuit: *An Vicarii Ap. absque speciali facultate possint excipere denunciationes in materia sollicitationis ad turpia, et an, eiusmodi denunciationibus acceptis, teneantur eas ad S. Officium deferre.* Emi PP. Inquisitores Generales, in fer. IV 20 Iunii curr. anni, respondendum censuerunt: *Supplicandum SSmo pro extensione ad omnes Vicarios App. Instructionis pro Vicario Ap. Cocincinae diei 1 iunii 1775, cum addito quod remittat ad S. Officium, per medium S. C. de Propaganda Fide in epistola clausa, nomina sollicitantium.* Cum autem Summus Pont. Leo XIII in audientia eiusdem feriae ac diei, decretum Emorum PP. approbare dignatus sit, et petitam concedere extensionem, hinc praedictam Instructionem, quae Vicario Ap. Cocincinae data fuit per epistolam diei 26 aug. 1775 ad A. T. mitto,[2] ex qua Intructione eadem A. T. intelliget, qua ratione se gerere debeat si quando, quod Deus avertat, huius casus occurrant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1604].

4903.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sin.), 18 oct. 1883.

Quae a praesulibus Sinensium missionum in conventibus synodalibus habitis in quinque regionibus ecclesiasticis in eo imperio constitutis acta fuerunt, ea quidem Sacrae huic Congr. gratissima ac perutilia visa sunt. Plura enim sive quoad personas Vicariorum App. ac missionariorum, sive quoad ipsam directionem et administrationem missionum saluberrime decreta sunt, multa etiam de ministerio inter gentes exercendo variisque modis fidei propagandae admodum opportune innuuntur, demum multa de gravissimis quaestionibus res Ecclesiae, nonnullos contractus, ipsam sacramentorum administrationem spectantibus disceptantur. Itaque dubium non est quin in proximis conventibus anno 1885 de more habendis nonnulla ex his gravissima et alia negotiorum capita iterum magna cum illorum fidelium utilitate ac profectu ad examen revocentur. Quod ut commodius fiat, atque ea ratione quae S. Consilii menti apprime respondeat, visum est nonnulla de

[1] Cf. N. 946, 1076.
[2] Cf. N. 4568.

iis attingere, quae maxime fidei provehendae utilia esse possunt, quaeque vel iam ab Episcopis indicata vel a S. C. proposita ampliorem tractationem exigere videntur. Haec itaque breviter his meis perstringo, potissimum in iis consistens quae regimen istarum missionum et media opportuniora ad conversionem gentium obtinendam respiciunt.

I. Imprimis Sacra haec Congr. studium Episcoporum ad idoneos ac spectatos verbi Dei praedicatores efformandos satis laudare non potest. Potissimum vero quae in Synodo Chansinensi, Sess. II, c. II, *de Missis Apostolicis*, n. 1 et 2, nec non c. III, *de vita et honestate clericorum*, de hoc argumento disseruntur, omnibus Vicariis App. ut prae oculis habeantur plane commendat. Uti enim ipsa haec S. C. ad primos Vic. App. Seminarii Parisiensis anno 1659 scribebat,[1] non debent missionum Praesules facile omni spiritui credere, sed probare spiritus si ex Deo sunt: « Hoc itaque in primis curandum ut magno studio perquirantur ac secernantur viri aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idonei tum vero quod pluris est non mediocri charitate ac prudentia insigniti, quas virtutes non aliorum iudicium et coniectura sed diuturnus rerum usus et experientia aliis muneribus cum laude peractis probaverint, qui secretorum sint capaces tenacesque custodes, qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo christianae fidei quam ore profitentur opem adstipulentur; qui denique ad evangelicae charitatis normam efformati aliorum se ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibuscum vixerint graves, nec exteris invisi ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus ». Hae itaque dotes maxime in evangelii praeconibus ab Episcopis quaerendae sunt. Quoniam vero Dei omnipotentis gratia favente messis quotidie copiosior in ista regione apparet, ut vere dici possit eam provinciam esse albam ad ipsam messem, operarii autem valde pauci numerantur, hoc S. Consilium singulari sollicitudine easdem missiones complecti volens, non deerit quin superioribus ordinum regularium ac piarum Congreg. et Institutorum per speciales litteras animos addat eosque hortetur ut multiplicandis evangelii praeconibus, quantum temporum malignitas sinit diligentem dent operam. Ac si (quod Deus faxit) maiorem operariorum numerum nanciscatur etiam novas missiones constitui curabit quibus aliis veluti igniculis adiectis gentes istas excitet, atque a tenebris et umbra mortis in admirabile Christi lumen ac regnum advocet.

II. Porro quamvis libentissime S. C. viderit plures ex Synodis de studio linguarum indigenarum a missionariis peragendo sollicitas fuisse, tamen optimum fore arbitrata est, si singulis PP. ante oculos proponat Instructionem huius S. Consilii die 21 martii 1774 circa idem argumentum ut, qua severitate hac in re procedendum sit, videant; iussitque, omnibus istarum regionibus praesulibus significari, eiusdem Instructionis tenorem diligenter servandum esse, ac missionarios universos omnino cogendos aut ad linguam sinensem addiscendam, aut ad ministerium abdicandum. Quo vero iidem evangelii praecones magis idonei fiant ad populos illos ad fidem adducendos,

[1] Cf. N. 4463.

neque tantum ad plebem, verum et ad homines superioris conditionis Christi religione imbuendos uti antiquis temporibus PP. inclytae Societatis Iesu magno cum profectu rem ipsam perfecerunt, mandat ac praecipit ut in singulis quinque regionibus in quibus synodi habitae sunt, eo opportuniori modo quod Episcopis visum fuerit, speciale studium ac veluti academia sinensis linguae erigatur et ex singulis vicariatibus aut saltem ex iis ubi res commodius fieri possit quidam peritiores in lingua vernacula missionarii designentur, qui ad huiusmodi literaturam serio incumbant, lucubrationes in ea lingua perficiant quibus et fidei veritates palam coram ethnicis exponantur, ac superstitiones erroresque inter eas gentes diffusi refutentur. Quibus hominibus et aliud mandatum committi debet ut inspectis illius gentis literis ac philosophia sub omnimoda directione Episcoporum iisque auctoribus Sacrae huic Congr. practice media designent quibus facilius inter superiores societatis classes fides insinuari ac praeiudicia in iis contra ipsam invecta minui, ac etiam si possibile sit plane deleri possint.

III. Ea etiam Emi PP. ad examen revocarunt quae de civili cleri habitu in nonnullis Synodis disputata sunt. Qua quidem in re cum confirmassent, quae circa idem caput in Synodo Sutchuensi (c. X, n. 10) sapienter statuta fuerunt, caetera prudenti Episcoporum arbitrio commiserunt, id tantum animadvertentes curandum omnino esse ut circa vestes a clero adhibendas caute procedatur, ne difficultates inter sacerdotes inopportunis innovationibus excitentur. Insuper mandarunt ut diligenter observentur quae in Synodo Sutchuensi circa quasdam incedendi rationes nimium luxum redolentes praescribuntur (c. X, n. 12).

IV. Quoniam vero inter praecipua argumenta a VV. AA. pertractata, magni plane ponderis est quod spectat cleri indigenae institutionem ac doctrinam, Emi PP. de tanto negotio vel imprimis solliciti, ac prae oculis habentes nunquam christianam religionem in Sinis firmam stabilitatem ac praepotentem progressum consecuturam, nisi homines illius nationis in clerum adscripti exemplo maxime, ne dum verbo, contribulibus suis praeluceant, atque propriae vitae morum speculo ad christianas virtutes informent, ad haec adeo pretiosa bona assequenda, quae sequuntur omnibus Episcopis indicanda censuerunt.

Primum quidem commemorarunt Instructionem ab ipso S. Consessu ad omnes missionum Praesules anno 1845 datam,[1] in qua de missione Episcoporum, et maxime de sedula indigenae cleri institutione accuratissima ratio habetur. In ea siquidem multa de necessitate initiandi optimos ex christianis incolis locorum missionis ad levitarum ordinem, de institutione seminariorum iisdem ad scientiam ac pietatem informandis atque in ministerio exercendis mirifice indigitantur; de dignitate vero eorum curanda atque etiam iuxta circumstantias augenda adduntur multa: ac propterea utilissima exinde documenta Praesulibus missionum erui possunt. Verum, quod ipsi etiam Sinenses Vic. Apostolici in conventu Romae habito an. 1870 apud S. Congregationem animadverterunt, nonnulla clero indigenae earum mis-

[1] Cf. N. 4816.

sionum peculiaria adhuc desiderabantur, quaeque ad eiusdem instructionis specialem pro iis locis applicationem pertinerent.

Hoc itaque occasione recensionis synodorum sinensium S. Consilium efficere aggressum est. Quod quidem dum libenter laudibus prosequitur ea quae huc usque Sinarum Praesules ad seminaria sive initianda, sive augenda perfecerunt, quaeque etiam novissime in synodis decrevere, censet nihilominus, quod et nonnulli ex dictis conventibus innuerunt, decretum Concilii Trident., Sess 23, c. 18, *de reform.* in memoriam Patrum revocare, atque illud, inspectis iis quae ex ipsis missionibus, vel tractatione praefatorum synodorum S. Congregationi innotuerunt, cleri sinensis institutioni specialiter, quantum adiuncta earum missionum sinunt, applicare.

1. Iuxta memorati decreti tridentini ordinationem certus puerorum numerus in seminario alendus ac religiose educandus praescribitur. Quo vero certiores fiant VV. AA. de bona puerorum inclinatione quos ad hunc numerum eligunt, servent in primis ordinationes Synodi Sutchuensis (c. 8, n. 1). Imo optimum foret consilium ut cum quis admitti peteret, vel fortasse missionarii idoneum putarent, ipsi eum in servitio altaris per unum aut duos annos saltem exerceant, vel etiam si fieri posset apud se retineant, illius propensionem, mores, docilitatem probaturi: cum vero eum idoneum arbitrentur, Vicario Ap. praesentent ut in seminarium, vel scholam praeparatoriam, si adsit, introducatur. Quod quidem iudicio ipsius Vicarii Ap. decernendum erit. Sint vero pueri duodecim annorum vel ad minimum decem, et generatim loquendo non ultra quatuordecim: qui caeteris qualitatibus a Concilio requisitis instructi sint. Biennio autem veluti in probatione in ipso seminario maneant; deinde si idonei invenientur in alumnorum numerum recenseantur. Quippe maximi interest, attenta sinensium natura adolescentulos ipsos quamprimum fieri potest sub cura missionariorum ipsiusque ecclesiae versari, de eorum indole diligenter inquiri, neque eos admitti nisi vere spes affulgeat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo et sancte inservituros.

2. Optimum quoque consilium S. Congregatio existimat, quod a nonnullis Vic. App. susceptum est ut singularis schola instituatur in qua pueri huiusmodi ab aliis separati ad seminarium praeparentur: vel satius, ut iam in pluribus missionibus factum est, collegium puerorum praeparatorium (*petit séminaire*) a seminario proprie dicto divisum constituatur.

3. Quoniam vero complures adhuc Vicariatus in Sinis vix figuram quamdam ac veluti initium seminariorum exhibent, nec media ad ea constituenda necessaria adhuc in promptu habentur, nec brevi reperiri poterunt, ne huius institutionis utilitate priventur, imo ut statim illius fructibus perfrui possint, Emi PP. earum missionum Praesulibus commendarunt ut consiliis simul initis seminaria quae appellant *centralia* sive provincialia unum aut plures in singulis regionibus iuxta opportunitatem instituere satagant, in quibus facilius et magistrorum et moderatorum copia, et pecunia collata caetera media necessaria comparari poterunt. Quod Tridentini PP. iam in decreto memorato aperte innuunt iis verbis: *si vero in aliqua provincia ecclesiae tanta paupertate laborent ut collegium in aliquibus erigi non possit, Synodus provincialis vel metropolitana cum duobus antiquioribus suffraganeis, in ecclesia*

*metropolitana vel alia provinciae ecclesia commodiori, unum aut plura col-
legia, prout opportunum iudicabit ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum,
in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit ubi
pueri illarum ecclesiarum educentur.*

4. Districte vero praecipit S. Consilium ut in maius Seminarium (*grand
séminaire*), ubi erectum sit, nullimode admittantur laici; qui vero vocatione
ecclesiastica carere dignoscantur, statim ab eo excludantur ita ut de tali
collegio verissime dici possit *illud Dei ministrorum perpetuum seminarium
esse*. Nec minori severitate servanda est Tridentini praescriptio; ut nimirum
discolos *et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter* (VV. AA.)
*puniant, eos etiam si opus fuerit expellendo, omniaque impedimenta auferentes,
quaecumque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum Institutum
pertinere videbuntur diligenter curent.*

5. Quod quidem ut efficaciter assequantur necesse omnino est ut com-
modiori Seminariorum curae et regimini opportune ita provideant, ut quos
sacerdotes iis praeficiant ab omnimoda aliorum ministeriorum administra-
tione dispensent atque eximant; ne dum diversis sollicitudinibus distinentur
huic tanti momenti negotio non diligentissimam dent operam. Quod si acci-
deret, teneram iuvenum naturam ad praecellentem sacerdotii vocationem
non ita fingere possent uti, ipso praeeunte Concilio, Ecclesiae intentionem
firmissimam esse, cuique legenti patet. Quin etiam curent Episcopi ut mode-
ratori seminarii spiritualis director alumnorum assignetur, cuius ministerio
quot ad pietatem ac sanctorum doctrinam hauriendam stimuli alumnis
addantur vix credibile est.

6. Laudat S. C. consilium PP. in nonnullis Synodis expressum quoad
instaurationem studiorum: de qua re Decretum Concilii Tridentini adeo
sollicitum fuit. Verum cum accuratissime consideraverit, quae ad ipsam
de statu studiorum in seminariis sinensibus his postremis temporibus relata
sunt, non solum sui muneris esse existimavit tenorem memorati decreti
Vicariis App. in memoriam revocare, verum etiam nonnulla specialiter indi-
care quae ad rectam instaurationem studiorum in Sinis censet pertinere.
Itaque in primis monendos esse autumat optimum fore consilium si in singu-
lis regionibus quorum Praesules in Synodum convenerunt ab ipsis communi
consensu doctiores quidam et experientia spectati deligantur viri qui simul
congregati de ratione studiorum in seminariis inducenda pertractent, ac
relatione sententiarum in quas descenderint elucubrata, eam Episcopis in
proximis conventibus synodalibus discutiendam tradant. Necesse autem erit
ut peculiariter de libris in scholis seminariorum adhibendis sermonem fa-
ciant, discutiantque an in classibus linguae latinae auctores aureae aetatis
indiscriminatim alumnis tradere expediat, tum etiam an et quomodo classici
auctores sinenses adolescentibus addiscendi tradi debeant. Praesertim vero
ad examen revocabunt quaestionem de auctoribus in philosophia rationali
ac theologia adhibendis. Qua in re laeto animo pervidit S. Congregatio
plures ex Patribus sollicitos se ostendisse ut philosophia ad methodum
S. Thomae in hisce scholis introduceretur. Hoc itaque propositum laudat,
ac optimum autumat si praedicti viri de ratione eam rem ad praxim dedu-

cendi tractaverint eos auctores indicando qui idonei ad id, inspectis locorum
et iuvenum circumstantiis reperti fuerint. Id sane, ut notum est, gratissi-
mum SSmo D. N. erit qui tantam de philosophia S. Thomae restituenda
sollicitudinem ostendit uti ex eius literis encyclicis patet. Item animadverten-
dum erit qua ratione in philosophicis et praesertim theologicis doctrinis
tradendis errores et praeiudicia nationis prae oculis haberi ac refutari de-
beant. Neque inopportunum esset si aliquod opus expresse contra haec
ipsa praeiudicia concinnatum exhibeatur ut scilicet iuvenes ad sacerdotium
designati veri certatores adversus gentis suae errata efformarentur. Denique
in id maxime contendendum est ut in doctrina *De Ecclesia* tradenda alumni
de vi ac ratione primatus Romani Pontificis ac de eius praerogativis ac
dotibus diligentissime iuxta Concilii Vaticani decreta[1] edoceantur, ac Ro-
manae Ecclesiae amore ac reverentia intima imbui valeant.

7. Cum vero ex ipsa nonnullarum Synodorum locutione, aliisque ad S. C.
relatis pateat non esse eamdem omnium Vicariorum App. sententiam circa
concursum clericorum et etiam laicorum christianorum ad gradus literarios
adipiscendos, placuit S. Consilio ut in primis omnibus Episcopis aliisque
Missionum Ordinariis communicetur decretum antiquum S. O., quod his
meis addo circa vetitum christianis concursum praedictum. Deinde vero
iisdem Praesulibus committit ut in proximo conventu synodali ad examen
revocent an in praesentiarum circumstantiae quoad superstitiosa mutatae
fuerint ab iis quae antiquitus existebant ita ut S. Congregatio Inquisitionis
de eadem re consuli iterum possit.[2]

8. Quod vero pertinet ad reditus ad seminaria constituenda iuvenesque
alendos, cum ea quae Tridentinorum PP. Decretum statuit in locis missio-
num locum habere nequeant, id tantum S. C. enixe commendat omnibus
Vicariis App. ut in eleemosynis ad opera missionum applicandis primam
potioremque partem post necessariam missionariorum sustentationem semi-
nario attribuant, Tridentinae Synodi sollicitudinem imitantes, quae adeo
gravibus verbis in horum collegiorum redditibus statuendis auctoritate sua
providere non dubitavit.

9. Cum autem alumni ad eam aetatem pervenerint, quae ad ordines
sacros suscipiendos necessaria est, non statim nec nimia facilitate iis manus
imponant: at prae oculis habeant ea quae Synodus Sutchuensis (c. VIII)
eloquitur, nimirum ut nemo ad sacerdotii dignitatem assumatur qui *per
longum tempus* non fuerit probatus, et iterum: nemo ad ordines sacros assu-
matur nisi quem *post longam in seminario probationem*, caelestis sapientia,
probi mores, *diuturna* iustitiae et castitatis observantia, competentisque
scientiae acquisitio commendet (ib.). Et, si necesse sit, sacram ordinationem
ultra communem annorum terminum, n. annos 24 absolutos, retardare
pro sua prudentia non dubitent.

Haec quidem si sinenses Praesules, quantum prae locorum ac tempo-
rum difficultate licuerit ad effectum perduci curabunt, indubie fructus non
exiguos ex collegiis ministrorum Dei in ecclesiae utilitatem referre poterunt.

[1] Cf. N. 10.
[2] Cf. N. 730.

V. At enim praeter hoc necessarium erit ut de ipsis indigenis iam in sacerdotio constitutis singularem curam gerant eosque ita missionariis europaeis socios addant, ut in omnes regimen aequa severitate ac modesta suavitate temperatum constituant. In quo quidem opportunum arbitrantur EEmi PP. recolere quae in iam memorata Instructione anni 1845 innuebantur circa rationem qua erga sacerdotes indigenas Vicarii AA. sese gerere debeant et praesertim n. 3, 4, 5, ita tamen ut neque ad conditionem eis molestam deprimantur, neque altius quam par est, et conditio temporum ac gradus eorum aptitudinis sinit, extollantur.

1. Quod autem regimen cleri generatim spectat, primum quidem haud praetermittere potest hoc S. Consilium suam voluntatem omnibus missionariis europaeis atque indigenis sacerdotibus aperte significare, qua nimirum exigit ut omnes plenam ab Episcopis suis dependentiam semper et ubique servent, uti in iuramento ante missionem susceptam vel sacros Ordines praestito palam professi sunt, nimirum se in divino ministerio exercendo laborem suum ac operam *sub omnimoda directione et administratione Ordinariorum* esse impensuros. Quam profecto subiectionem profiteri debent etiam servando assiduam obedientiam iis disciplinae legibus et regulis quas ad bonum missionum exitum obtinendum illarum praesules omnibus cooperatoribus suis imponere existimaverint.

2. Certe ambigi non potest singulari elogio dignos se praebuisse et esse habendos illos Vic. App. qui in regionibus extremi orientis vitam, ut aiunt, communem in clerum invexerunt. Ita prae ceteris inter tunquinenses missionarios summa cum laude factum est, cum institutione *Domorum Dei*, quae vocantur, sanctissimi praesules disciplinam missionariorum ac maxime indigenarum eo exitu corroborarunt, qui in assiduis ac atrocissimis persecutionibus manifeste in martyrum ac confessorum fortitudine ad haec usque tempora enituit. Quod plane propositum S. Congregatio nunquam satis sese commendare posse arbitratur pro iis locis in quibus locorum adiuncta hanc disciplinae rationem adhiberi permittant.

3. Ita pariter S. C. multa laude prosequitur quae in synodalib. comitiis Pekinensib. quoad rationem sustentationis clero praescriptae (Tit. I, c. 2) iubentur, quaeque in conventibus Chansinensi et Sutchuensi circa proprietatum acquisitionem, testandi facultatem, ac dati et accepti rationem singulis annis reddendam constituuntur (Sess. III, c. 2. – Sess. III, c. 4, n. 7).

4. Quod si inter indigenas sacerdotes Vicarius Ap. homines vitae sanctitate, zelo fidei propagandae, ingenio ac maturitate spectatos opperuerit, eos etiam ad alicuius districtus regimen eligere non dubitabit, in quo districtu alios iuniores sacerdotes indigenas sub illius moderamine mittet, ut huiusmodi sinenses praepositi addiscant se in regimine sacerdotum ita exercere ut non sint dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo.

5. Generatim vero optimum erit consilium si indigenae cleri, cum ad sacerdotium pervenerint, ad ministeria exercenda longe a loco ubi eorum familia commoratur, sub probati ac senioris presbyteri moderamine mittantur, ut discant non acquiescere carni et sanguini, sed regnum Dei unice quaerere, ac quos in Christo pepererint filios in charitate ac patientia guber-

nare. Si tamen (quod Deus avertat) contra disciplinam ecclesiasticam graviter offenderint, vel parum morigeros sese ostendant eos primo quidem V. A. in alium districtum transferat, praehabita admonitione; si vero incorrigibiles evadant, tunc illos etiam severioribus poenis iuxta culpae gravitatem plectat, ac si opus sit, ab officio in perpetuum suspensos in propriam familiam restituat.

6. Immo optandum plane foret ut in locis sinensium missionum quaedam *domus poenitentiales*, saltem singulae in singulis quinque regionibus erigerentur in quas huiusmodi sacerdotes vel ad tempus, vel in perpetuum ad emendationem et correctionem, vel saltem ad tollenda scandala detruderentur.

7. Caeterum erit Episcopis imprimis curandum ut ad regendum clerum ita res omnes apud se disponant ut faciliori ratione gubernium totius Vicariatus procedat. In quo quidem id advertendum est quod licet in pluribus Sinensis Imperii missionibus Consilium missionariorum, qui Episcopo in gerendis negotiis gravioribus adsideant, saluberrime invectum sit, praestet nihilominus ut in aliis in quibus vel adhuc huiusmodi subsidium desideratur, vel omnino regulariter constitutus consessus haud dici potest, quamprimum id fiat. Antiquissimum enim in Ecclesia catholica est ut seniorum quorumdam adiutorium ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem praesulibus adderetur: quod sequentibus temporibus per Capitulum ecclesiarum cathedralium effectum est. Curandum itaque ab omnibus, ut qua meliori fieri potest ratione Consilium illud munere suo diligenter fungatur.

8. Sutchuensis quoque antiquae Synodi vetitum omnibus missionariis districte EE. PP. iniungendum decreverunt, quo prohibetur ne ipsi in quaestiones inter fideles exortas, aut in tractatus matrimoniorum nullimode sese immisceant (c. X, n. 19).

VI. Postquam Vicarii App. clero indigenae saeculari efformando operam dederint, utilissimum opus aggrederentur, si ex ipso clero indigena aliquam congregationem veluti dioecesanam cum votis simplicibus instituere satagerent. Id enim Sacra haec Congr. Vicariis quoque App. Indiarum iam anno 1869 pro illius regionis indole suadere contendit. Licet vero non idem sit utriusque gentis, indicae nempe et sinicae ingenium, cum indi naturaliter dispositos se exhibeant ad regularem vitam amplectendam, tamen diffiteri nequit haud difficile fore hanc vitae rationem etiam in Sinensi Imperio introducere, si prius vitae communis in clero indigena methodus praemittatur; quandoquidem magna sunt emolumenta ex hoc perfectioris status cultu expectanda; cum exinde praestantiora virtutum exempla fidelibus eluceant, et huiusmodi viris regimen scholarum aliorumque iuventutis institutorum sive praedicationis verbi Dei ministerium credi commodius possit. Optandum etiam est ut si qui ex indigenis certam vocationem ad Regulares Ordines in missionibus existentes ostendant ii, sine detrimento tamen cleri saecularis, in eosdem admittantur. Quod si aliquod Institutum Regulare ex Europa vocari opportunum videatur, commendari licet desiderium conventus Pekinensis, ut vel Ordo Trappistarum vel aliud strictioris disciplinae Institutum introducatur. Id autem plurimum valiturum existimatur in Missione Thi-

betana tum propter specialem populorum ad arctioris vitae genus inclinationem, tum ut sanctioris austeritatis Instituto superstitiosis Lamarum excitationibus occurratur.

VII. Neque minorem curam Vicarii App. impendant necesse est ad ea excolenda instituta quae religiosas mulieres respiciunt. Qua in re sacer Emorum PP. Consessus laudibus prosecutus est quae a Conventu Pekinensi et Sutchuensi stabilita sunt circa virgines sive in domibus religiosis una degentes sive in domibus suis commorantes. Cum enim in hisce conventibus veteris Synodi Sutchuensis eiusque appendicis dispositiones commendentur, Emi PP. voluerunt ut eadem monita et decreta ab omnibus aliis Vicariis App. in Imperio Sinensi degentibus prae oculis haberentur. Imprimis vero curandum est ut singuli Praesules hanc S. C. reddant certiorem de ratione qua istae virgines sive in communitate sive extra se gerunt et de votis quae ipsae emittunt; interea tamen ipsi Vicarii Ap. satagant ut, quantum fieri potest, omnes istae devotae foeminae, quae virginitatem suam Deo devovere intendunt, in quadam communitate vivant, et aliquod europaeum religiosarum Institutum ipsis proponatur, a quo facilius vitae sanctimonialis regulas et commoda mutuentur. Quae vero in domibus suis vivere coguntur, eae nullum externum suae professionis signum habeant, vota vero temporanea emittant nisi aetas superadulta, aut extraordinarium virtutum exercitium in casu aliquo particulari aliud suadere videatur.

VIII. Sed quum gentilium conversio ad Christum Dominum in cuius cognitione vita aeterna omnium hominum sita est, finis praecipuus missionum existat, ad eam toto animo intendere Vicarii App. conentur. Sciunt porro conversioni viam quodammodo praeparare scholas, hospitalia, orphanotrophia aliaque beneficentiae et charitatis opera; ex iis enim ethnicorum animus ad considerandam et laudandam religionem, ex qua tot beneficia ad homines profluunt, facile erigitur: hinc pro viribus hisce institutis in singulis Vicariatibus erigendis manum admoveant. Quod vero attinet ad directam Evangelii praedicationem optime animadverterunt Patres Chansinenses hanc praecipuam apostolatus partem impleri non solum publice et in ecclesiis, sed praesertim in domibus familiisque privatis. Iidem Praesules recte docuerunt in praedicando non subtilitate sermonis sed simplicitate evangelica esse utendum, ad refellendas superstitiones optimam esse methodum libros apologeticos evulgandi, honorifice pro suo quemque gradu, et benigne omnes gentiles excipiendos esse, eorum infirmitatibus esse parcendum, eorumque dubia amice et clare et absque ostentatione esse solvenda. Haec profecto consilia aliis quoque Vicariis App. pro suis missionibus opportunissima videbuntur, iidemque ea ad praxim deducere procurabunt. Haec apprime conformia sunt iis quae in veteri Sutchuensi Synodo stabilita olim fuerunt. Ceterum ad plenam in hac re normam habendam recolere quoque iuvabit, quae monita cum ab anno 1659 missionariis haec ipsa S. C. danda censuit;[1] nempe non esse a potestatibus civilibus poscenda privilegia aut exemptiones; abhorrendum esse ab omni immixtione in rebus politicis

[1] Cf. N. 4463.

negotiisque Status; dum populis praedicatur lex Dei et iustitia eius, docendum esse obedientiam praestandam erga principes etiam discolos; in praedicatione verbi Dei et administratione sacramentorum nullam tumultus et rebellionis suspicionem esse creandam ex concionis et coetuum frequentia. Haec aliaque similia pietatis et prudentiae monita sectantes uberrimum profecto, Dei opitulante gratia, missionarii apostolatum exercentes laborum suorum fructum consequentur.

IX. Sacer Emorum Patrum Conventus nihil innovari iussit quoad parvum Catechismum, qui in singulis Vicariatibus adhibetur ad fideles in christiana doctrina erudiendos. Attamen optabile esse manifestavit, ut unicus Catechismus existeret pro catechistis; prout enim iussu Tridentini Concilii prodiit Catechismus Romanus ad parochos, tali ferme ratione utile visum est futurum, si opera aliquorum Theologorum in rebus sinensibus peritorum, et ex singulis regionibus selectorum huiusmodi catechismus, qui fusiorem dogmatum quamdam demonstrationem contineret, a S. C. probandus componeretur. Eorumdem autem theologorum studio uti possent Vicarii App. ut inquirerent quaenam sint corruptiones latinorum verborum quae in forma Baptismi subrepere in Sinis possunt, et an sinenses putent in mente sua sensum esse variatum. Hasce informationes ubi Vicarii App. rite collegerint, eos Sacrae huic Congr. communicare festinent, ut ipsa videat quid in hoc statuendum sit ut forma sacramenti ex Christi institutione stabilita sarta tectaque maneat.

X. Quoniam vero de catechistis sermo factus est, Vicarios App. non fugiet quantae utilitatis et quasi necessitatis eorum institutio et perfectio ad fidem propagandam conservandamque existat. Qua de causa Emi Cardinales voluerunt ut iisdem Praesulibus ea commendarentur, quae ad huiusmodi Institutum stabiliendum et perficiendum facere possent. Itaque hunc finem facile assequentur, per erectionem collegii alicuius, aut saltem alicuius specialis scholae pro catechistis efformandis. Collegia vel scholae ita institutae subesse deberent alicuius missionarii directioni. Ad collegia vel scholas admitterentur iuvenes vel adulti christiani, prout melius in Domino expedire Rmi Antistites censebunt. Episcopi autem quasdam leges seu normas ferre non omittent, quibus caveatur ne indiscriminatim officium catechistae cuique commendetur. In primis enim, praesertim cum agitur de iuvenibus, nemo assumendus est ad gradum catechistae nisi, praeter scientiam sufficientem, exercitium etiam prae se ferat christianarum virtutum. Scientia autem probari debet ex documentis quae singulis annis in scholis, peracto examine, obtinebunt. Quin immo et qui ad catechistae munus evecti semel fuerint, a discreto missionario examinari rursus debent singulis annis, ne quae didicerint obliviscantur, aut, quod peius foret, sanae doctrinae aliquos errores immiscerent. Qui catechistae in proprio pago seu urbe munere funguntur, aliquam artem aut aliud honestum officium exercere commode queunt, quo sibi victum et vestitum comparent; sed si qui ad aliam regionem mittuntur ut viam missionario praeparent animosque infidelium disponant ad praedicationem suscipiendam, aequum est eos expensis Missionis esse alendos. Ceterum cavendum semper est, ne catechistae soli

in aliquo loco, praesertim si agatur de longo temporis intervallo, relinquantur; hoc enim ipsis valde periculosum est; sed adnitendum, ut quatenus fieri possit, semper sub vigilantia missionariorum sint qui quotannis de ipsorum vita et moribus rationem suo Vicario Ap. reddant; vel cum alio catechista habitent, et sacramenta saepe suscipiant; optabile autem esset ut ii quamdam associationem inter se constituant, ut unus aliis exemplo sit, et communicato veluti fervore, omnes ad pietatem et zelum apostolicum excitentur.

XI. Nemo ignorat, et luculenta documenta testantur, quanta sollicitudine haec S. C. christiano nomini propagando semper curaverit ut salutari doctrina in missionibus quoque sinensibus fideles vel a teneris annis imbuerentur. Profecto plurimi illius regionis praesules ad hunc finem obtinendum, ut patet, ex eorum actibus synodalibus operam suam studiose contulerunt.

1. Verum earumdem synodorum examinis occasione eadem Sacra Congregatio, datis iamdudum monitis inhaerens, censuit strictius hortandos esse Vicarios App. in Sinensi imperio degentes, ut in singulis cuiusque Missionis districtibus unam saltem scholam vel diurnam vel nocturnam instituant, ad quam convenire possint et debeant pueri, ut veritates fidei, praecipua capita historiae sacrae, communes preces in Ecclesia recitari solitas edoceantur. Haec vero schola sub vigilantia missionarii maneat et ea forma et modo instituatur, quem ipsi Vicarii App. perpensis omnibus circumstantiis, opportuniorem in Domino expedire iudicaverint.

2. Scholis autem hisce catechisticis perutile visum est in pluribus Vicariatibus scholas litterarias addere, et de hac re nonnulla decreta in Synodis reperiuntur. Dum vero Sacra Congregatio iubet ea quae opportune sancita sunt omnino observari, alios Missionum superiores hortatur ut huius generis scholas et ipsi, ubi primum possint, erigant; hac enim ratione facile damnum vitabitur, ne fidelium soboles, sub praetextu quod a catholicis magistris litteras edoceri non possit, gentiles adeat et ethnicorum praeiudiciis et superstitionibus imbuatur.

3. Laudanda prorsus est eorum Praesulum solertia, qui praeter scholas, de quibus sermo institutus est, in suis Vicariatibus collegia pro laicis adolescentibus fundaverunt: ex iis enim hoc emolumentum maxime procedit, quod hac ratione haberi queant optimi viri qui catechistarum munere fungantur, vel in familiis virtutum exemplo et eruditionis merito aliis praeluceant. Optandum hinc est, ut singuli Vicariatus huiusmodi collegia habeant. Non est autem opus ut ab initio sumptuosa aedificia construantur, neque de magno numero alumnorum obtinendo anxium quempiam sollicitudo detineat. Sat enim est ab exiguis convictibus exordia capere; iisque adscribere divitum praesertim filios, qui modicam saltem pro victu et vestitu pensionem solvere valeant. Ceterum ad hasce communitates nullo modo admittantur infideles vel heterodoxi; si tamen specialis aliqua necessitas a regula generali deflectere suaderet, adhibendae profecto forent omnes eae cautelae, quae infra circa scholas mixtas exponentur, et ipsa S. C. edocenda esset de peculiaribus collegii circumstantiis, de eiusdem directione

et regulis, et de aliis scitu ad rem necessariis ut eadem S. C. possit pro casuum diversitate opportunas normas suppeditare.

4. Quod vero pertinet ad scholas, quae mixtae dicuntur, Vicarii Apostolici recolant Instructionem huius S. C. diei 25 aprilis 1868 datam [1] et animadvertant eas permitti dumtaxat posse, cum nullum vel nonnisi prorsus remotum fidelibus periculum subsit. Ad huiusmodi autem periculum avertendum scholis christianis non adscribantur infideles nisi praevio consensu missionarii in districtu residentis, et ubi plures numero infideles existant, in separato conclavi instituantur, et ludimagister pietate et vigilantia sit praeditus, et ita animo sit comparatus, ut quos invenerit fidelibus sive quoad fidem sive quoad mores detrimentum afferre, omnino expellat. Cum vero gravius periculum existat si fideles gentilium scholis intersint, Vicarii App. omnem abusum in hac re, siquis ex desidia vel malitia parentum irrepserit, omnino e medio tollere curent; et huiusmodi communicationem nonnisi in casibus verae necessitatis, et remoto perversionis periculo tolerent, et in difficilioribus casibus ad S. Congr. recurrant.

5. Consideravit insuper S. C. difficultatem, in qua versantur aliquando Vicarii App. magistros christianos inveniendi quos scholis elementaribus a se institutis praeficiant. Hac deficientia existente, prudenti eorum arbitrio relinquere censuit ut paganorum ludimagistrorum opera utantur, onerata tamen eorum conscientia, nequid detrimenti fideles ex eorum institutione capiant. Quod quidem extendendum autumavit ad usum librorum paganorum, quando dumtaxat lectioni vel scriptioni sinicae addiscendae inservire debeant. Verumtamen iidem fideles a studio librorum sinensium classicorum superstitiones continentium vel insinuantium omnino prohibendi sunt. Curandum tamen est Vicariis App., ut aliquae crestomathiae edantur, in quibus classicorum librorum selectae partes, quae sine fidei et morum offensione versari possint, et singulis scholarum classibus sint accommodatae, contineantur.

6. Neque minorem sollicitudinem adhibeant Praesules in puellarum institutione procuranda, a quibus bonum familiarum atque adeo virorum saepe dependet. Scholas catecheticas puellarum a viris dirigi absonum prorsus est, et sine periculo et scandalo permitti non potest. Hinc studeant Episcopi ut eas apud unaquamque religiosam domum, ubi fieri potest, constituant, et ad ipsas accessus pateat etiam puellis infidelibus, quum ex recitatione catechismi aliquas saltem christianae religionis notiones, veluti semina suo tempore fructum allatura acquirere utiliter possint. Quod si Institutum aliquod religiosarum foeminarum in eo districtu non existat, tunc harum scholarum curam virginibus sinensibus, quae domi remanent, commendetur: quod si nec virgines in aliquo districtu ad id idoneae adsint, hoc negotium aliis foeminis pietate insignibus et aetate maturis, praesertim viduis, credatur. Cavendum tamen est ne ex huiusmodi scholarum institutione invidia excitetur infidelium vel alicui scandali praebeatur occasio. Haec vero incommoda facile vitari possunt si, ut Episcopus Caradensis in

[1] Cf. N. 4873.

sua pastorali epistola, et ipsa S. C. in Instructione ad Vic. Ap. Sutchuensem die 29 aprilis anno 1784 data iam animadverterunt,[1] scholae multiplicentur, sed parvo numero puellae singulas scholas frequentent, si lectiones non singulis diebus sed interpolate per hebdomadam fiant; tandem si nimis frequens ad easdem invisendas missionariorum accessus non appareat.

7. Tandem hac in re quae ad instructionem refertur visum est opportunum Emis PP. omnium Vicariorum Apostolicorum zelum excitare, ut in singulis Vicariatibus aliquam typographiam saltem sinensem institui curent, in qua libri edantur qui videantur opportuniores sive ad fidelium pietatem fovendam sive ad errores gentilium confutandos.

XII. Ut autem sensim sine sensu via quodammodo sternatur ordinariae ecclesiastici regiminis formae, S. Congregatio laudavit decretum Chansinensis Synodi quo propositum fuit (Sess. III, C. 4) ut singuli Vicariatus App. in totidem districtus, singuli vero districtus in christianitates veluti dividerentur, idemque decretum aliis quoque Missionibus in Imperio Sinensi existentibus iuxta opportunitatem, inspectis locorum circumstantiis, observandum extendit. Nemo autem non videt, quod si unicuique districtui sacerdos speciali auctoritate instructus, ad instar Vicarii foranei, praeponatur, qui super alios sacerdotes in christianitatibus locatos vigilantiam exerceat et earum necessitates probe cognoscat, et de omnibus Vicarium Apostolicum certiorem reddat, hic faciliori ratione universae administrationi prospicere poterit. Horum autem vicariorum foraneorum specialis cura sit vigilare, ut in christianitatibus diligenter pro posse conficiantur et caute custodiantur quinque libri a Rituali Romano praescripti, praesertim baptismorum et matrimoniorum; itemque sub directione Vicarii Apost. promovere sacras quasdam societates sub patrocinio B. V. Immaculatae, ad salutem animarum, et pia Missionis cuiusque opera provehenda, quibus etiam speciales Indulgentiae ad Praesulum petitionem ab Apostolica Sede addi poterunt.

XIII. Quoniam Synodus Chansinensis in Sess. III, Cap. 1, *De Ecclesiis seu sacellis* plura sapienter constituit quae ad locorum sacrorum et ad residentiarum aedificationem pertinent, visum est opportunum caeteris quoque Praesulibus eadem decreta ob oculos ponere, eosque hortari ut in magnis et principalioribus christianitatibus, ubi adhuc desideratur, aliquod saltem sacellum aedificari curent, cui domus aliqua adhaerat pro missionarii habitatione; ex hoc enim fit ut pietas fidelium foveatur, cum ipsi in diebus praesertim festivis preces recitare et catechismum addiscere communi aedificatione in locis Deo dicatis possint. Dum autem Praesules ecclesias et sacella multiplicare intendunt, id prae oculis quoque habeant, ne rem hanc aliorum, et praesertim laicorum, arbitrio relinquant, ex quo plura incommoda et molestiae oriri possent; sed ipsi sibi reservent determinare necessitatem, et locum aedificii, et publico aliquo instrumento, qua meliori fieri potest ratione, inspectis regionis circumstantiis, statuant domum esse cultui divino dicatam et sub Vicarii Ap. iurisdictione esse positam; licet vero

[1] Cf. N. 4598.

fideles concurrere debeant pro viribus ad expensas sustinendas, tamen ipsi marte proprio nova sacella non aedificent, neque immutationem alicuius momenti facere, invito Vicario Apostolico, praesumant.

XIV. Sacra Congr. magni momenti ea omnia esse existimavit, quae ad bonorum temporalium administrationem referuntur; siquidem horum occasione saepe quaestiones, suspiciones, et invidiae oriantur, quae religionis bono et ecclesiastici ministerii honori maxime obsunt. Hinc, prouti iam anno 1869 Vicariis App. Indiarum praescriptum fuerat,[1] ita voluit ut in unoquoque Vicariatu Ap. sinensi, bonorum temporalium administrationi gerendae Consilium constituatur; ubi vero iam constitutum reperitur, accurate servetur. Iamvero huiusmodi Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vic. Ap. designandis, qui illi ipsi esse possunt qui adsistere debent Vicario Ap. in aliis gravioribus Missionis negotiis expediendis, constare debet, cum quibus ipse Vic. in rebus temporalibus quoque agat, eorumque audiat consilia. Hoc consessu uti debet Vic. Ap. sive ad tractationem rerum ipsarum temporalium gerendam, sive antequam ad alienationes efficiendas rem Ap. Sedi proponat, sive ad exercendam vigilantiam circa administrationes speciales bonorum uniuscuiusque christianitatis, oblationum et collectarum, sive ad revisionem redditionis rationum, quam singulis annis missionarii, servata quoad Regulares Constitutione *Romanos Pontifices* (Leonis XIII, 8 maii 1881),[2] Vicariis App. exhibere tenentur. Hac ratione profecto fiet ut ecclesiasticum patrimonium conservetur, benefactorum voluntas sarta tectaque sit, litibus et abusibus et corruptelis via praecludatur.

XV. Quum conventus Pekinensis et Hongkongensis renovandas existimaverint pro sua regione praescriptiones antiquae Synodi Sutchuensis, quarum vi mulieres tenentur caput velare cum ad Poenitentiae vel S. Eucharistiae sacramenta accedunt, Emi PP. visum est opportunum ut alii quoque Vicarii App. huiusmodi praxim sensim sine sensu introducere procurent.

XVI. Synodus Pekinensis inter caetera sequens postulatum S. Sedi proposuit, nempe: *Utrum adhuc sustineatur consuetudo qua aliqui missionarii in Sinis caput pileo cooperiunt dum Missae celebrant sacrificium*; cui quidem quaestioni S. C. S. Officii reposuit: *Ad mentem; mens est ut respondeatur Vicariis Apostolicis quod quibus in locis consuetudo de qua agitur abrogata fuerit, non sit iterum instauranda; ubi vero adhuc viget, curent Vicarii App., ut illa sensim sine sensu aboleatur*. Iamvero simul ac haec responsio Vicariis App. communicata fuit, nunnulli ex iis Sacrae huic Congr. abolitionem illius consuetudinis esse valde difficilem significaverunt, cum apud sinenses mos sit caput coopertum gerere in signum obsequii et reverentiae; hinc factum fuit, ut eisdem responsum sit decreti allati non nimis rigidam esse faciendam interpretationem, quasi nempe consuetudo illa absolute et omnino et illico aboleretur; sed mentem Emorum PP. Inquisitioni praepositorum fuisse, ut scilicet tolleretur si circumstantiae locorum, temporumque id permitterent; ceterum, cum agatur de re quae pertinet ad disciplinam ecclesiasticam, ha-

[1] Cf. N. 4876.
[2] Cf. N. 582.

bendam esse rationem consuetudinum et praeiudiciorum dummodo fidei et
bonis moribus non opponantur. Hanc vero responsionem Emi PP. omnibus
Vicariis App. communicandam esse censuerunt, ut in pari causa haud
discors esset ipsorum agendi ratio.

XVII. Animadvertit demum haec S. C. experientia comprobatum esse
christianos peiores non inveniri, quam qui simulato et ficto animo ad bapti-
smum accesserunt, vel ante competentem instructionem eumdem suscepe-
runt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimum
nuntium ei remittere non verentur.

De huiusmodi periculo iam sollicitos sese ostenderant Romani Pontifices
Clemens IX in sua Constitutione quae incipit *In Excelsa*[1] et Benedictus XIV
in alia Constitutione quae incipit *Postremo mense*,[2] et opportunas normas
in hac re missionariis suppeditaverant. Sed et vetus Synodus Sutchuensis
nonnulla adnotatu dignissima in eadem materia sancivit. Quapropter Sacra
Congr. hisce vestigiis inhaerens statuit, ut cum agitur de ordinariis casibus
conversionis adultorum, et excepto mortis eorum periculo, haec prae oculis
a missionariis habeantur, antequam eos ad baptismum admittant, nempe
ut catechumeni 1° cognoscant principalia mysteria fidei, Symbolum,
Orationem dominicam, decalogum, praecepta Ecclesiae, effectum Baptismi,
actus virtutum theologalium earumque motiva; 2° edoceantur ea quae vetita
sunt in Constitutionibus *Ex illa die*[3] et *Ex quo*[4] circa ritus sinenses, et prae-
sertim circa cultum Confucii ac progenitorum defunctorum aliasque super-
stitiosas prostrationes et genuflexiones ante eorum tumulum et feretrum;
3° admoneantur de obligatione restituendi, si quid iniuste perceperint usuris
aut alia ratione, et damna reparandi, si quae per culpam gravem intulerint:
quae si praestare renuant, indigni baptismo habeantur; 4° potissimum vero
quoad abusum opii et vitium poligamiae observentur, an scilicet omnino ab
iis abhorreant, vel saltem emendationis perspicua signa exhibuerint; 5° in fide
et christianis moribus longo tempore exerceantur, et crebra examinatione
probentur. Porro iuxta Instructionem iam latam ab hac S. C. die 20 februa-
rii 1801 tempus ac curriculum catechumenorum determinare pro singulis
casibus prudentiae et pietati Vicariorum App. pro tempore relinquitur. Illud
autem restringere convenienter debent cum agitur de senibus vel infirmis,
et eo magis de iis qui signa extraordinaria conversionis praeferant, aut in
persecutionibus eximia fortitudinis exempla dederint.

Haec itaque omnia Sinarum Praesules prae oculos habeant, ut christia-
nae fidei provehendae constituendaeque disciplinae accuratissimam dent
operam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1606].

[1] Cf. N. 244.
[2] Cf. N. 377.
[3] Cf. N. 275.
[4] Cf. N. 329.

4904.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Archiep. Baltimoren.), 25 iun. 1884.

1. Post celebratas mixtas nuptias, parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi ut promissae a coniugibus conditiones observentur, et effectum sortiantur.

2. Musices vis et potentia ea semper fuit, ut mentes et corda hominum vehementer inflammaret atque ad Dominum elevaret, et sacrae paginae caeli gaudia in hymnis et canticis beatorum spirituum nobis tamquam in imagine repraesentarent. Ecclesia, aemula caelestis Sionis, quae Sanctorum semper resultat laudibus, voluit sacris functionibus cantus inserere, ut fidelium animos ad pietatem et ad caelestium meditationem excitaret. Profanos vero cantus semper abhorruit, et Sancti Patres illecebrosas modulationes mollesque concentus in ecclesiis severissime condemnarunt. Hinc Summus Pontifex disciplinae ecclesiasticae solertissimus vindex, noscens alicubi magno cum pietatis et religionis detrimento ad instar theatrorum profanis melodibus ecclesias resonare, opportunum duxit omnes christiani orbis Antistites adhortari, ut musicen ecclesiasticam antiquae severitati restituerent, cantum liturgicum tantum in sacris functionibus adhibendo, qui efficit, iuxta divi Augustini testimonium, ut «per oblectamentum aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat» (Confess. L. X, c. 33). Si qui igitur abusus quoad haec in istis ecclesiis irrepserint, curent Patres removere atque radicitus extirpare, et cantum ecclesiasticum ad normas a S. C. Rituum praescriptas revocare.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1621].

4905.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Vic. Ap. Vizagapatam), 27 sept. 1884.

Quaestio quae ab Ampl. Tua proposita fuit super modo agendi missionariorum relative ad cremationem cadaverum castae *raiapont* sapienti Emorum PP. Supremae Inquisitionis iudicio submissa fuit. Responsum quod a venerabili illa Congregatione hac de re accepi continetur in sequenti decreto quod Tibi communico, nempe: « cremationem approbare non debes, sed passive te habeas, *collato semper baptismate*, et populos instruendos cures iuxta ea quae a Te exponuntur ».[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1626].

[1] Vicarius Ap. quae sequuntur exposuerat: «... Les cadavres (de deux de nos neophites) ont été brûlés au lieu d'être sépulturés. Les parents assurent n'avoir fait aucune cérémonie idolatrique selon l'usage, par respect pour les défunts. Je viens donc vous demander si en pareils cas le missionnaire est tenu de *protester*, au grand danger de faire croire aux païens que nous cherchons à détruire les privilèges de la caste. J'ai tout lieu d'espérer,

4906.

S. C. de Prop. Fide, instr. 10 oct. 1884.

Tridentinum Concilium decrevit (Sess. XXIV, cap. 18, *de ref.*): « Episcopum statim habita notitia vacationis parochialis ecclesiae (si opus fuerit) idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur ».

Pertinet deinde ad Episcopum indicere per publica edicta concursum. Terminus in edictis constituendus ex eodem Concilio Tridentino est dierum decem, sed concedit S. Pii V Constitutio *In conferendis*, § V,[1] ut hic terminus ad alios decem dies prorogari queat, et non ultra. Exacto termino in edictis praestituto, fit concursus. Cum vero neque in Conciliari decreto neque in Piana Constitutione examinis in concursu peragendi forma seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proposita fuisset, idcirco ad vitanda incommoda quae ex eo oriebantur, S. C. Concilii in litteris iussu s. m. Clementis XI, die 10 ian. 1721 editis, certam methodum habendi ad parochiales ecclesias concursum in posterum servandam praestituit. Posteriori tempore s. m. Benedictus XIV in Const. quae incipit *Cum illud*, 14 decembris 1742,[2] praefatas litteras (quae per integrum ibidem referuntur) confirmans, nonnulla praeterea addenda vel immutanda, nonnulla breviter in iisdem tradita clarius explicanda censuit.

Iuxta praescriptum Concilii Tridentini ac Benedictinae Constitutionis, examen per concursum tam super doctrina, quam super ceteris concurrentium requisitis qualitatibus, habendum est cum vacatio ecclesiae paroecialis contigerit. Viget nihilominus in aliquibus dioecesibus consuetudo examen de doctrina separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, et hoc ad ipsum pro vacante paroecia concursum remisso, examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi. Quamobrem generatim bis in anno examen habetur de scientia, in quo qui adprobati fuerint, ad quodcumque parochiale beneficium intra sex proximos sequentes annos vacaturum concurrendi ius habent, sed exeunte sexennio, examini se denuo sistere tenentur si beneficium parochiale obtinere velint. A lege autem subeundi hoc novum, exacto sexennio, examen ab Episcopo, audita examinatorum sententia, dispensari possunt qui inter synodales vel pro-synodales examinatores sunt

Eminence, qu'avec une instruction plus soignée sur la beauté des usages et des cérémonies religieuses, et de sages menagements, nous obtiendrons que l'on se conforme à la pratique universelle qui a force de loi, au sujet de la sépulture... La difficulté de sépulturer les morts se rencontre souvent. Je prie V. E. de me dire si je peux tolérer provisoirement l'usage suivant: Quand un païen demande à être baptisé au moment de la mort, le missionnaire lui accorde la grâce du baptême sans s'inquiéter de ce que deviendra le cadavre, étant bien persuadé que les parents païens ne tiendraient aucun compte de son désir que le cadavre soit enterré et non brûlé ».

[1] Cf. N. 119.

[2] Cf. N. 333.

assumpti, aut qui propter muneris vel beneficii quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant. Ceterum, paroecia aliqua vacante, concursus habetur, examinatoribus, adhibita ea quae in usu est cautione, iudicantibus quinam ex competitoribus ad regendam paroeciam vacantem apti sint, salvo semper Episcopi iure eligendi inter approbatos, quem ipse digniorem aptioremque iudicaverit. Haec porro praxis ab Apostolica Sede approbari solet ad tempus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1627].

4907.

S. C. de Prop. Fide, instr. 20 oct. 1884.

Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum quaeque prodere non expediret, facilis et prompta, nempe a iudiciariis formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem, et fidelium utilitatem tuendam, hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres Sess. XIV, Cap. 1, *de ref.* decreverunt: *Ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur.*

Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad clericorum crimina, quae extraiudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis; quae nempe audit suspensio *ex informata conscientia*. Ad hoc itaque ut in eadem infligenda, cum maiori, qua potest, cautela et securitate Ordinarii catholicarum Missinum procedant, S. Congregatio de Propaganda Fide praesentem instructionem edendam censuit, cui fidem Ordinarii in adhibendo hoc extraordinario remedio sese conformare curabunt.

1. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa, quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

2. In hoc praecipue ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens, simplici utatur praecepto, quo declarat se suspensionem ab exercitio sacrorum, vel ecclesiasticorum munium indicere.

3. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab

alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti, Sess. XIV, Cap. 1, *de ref.*, ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper exprimi partes exercitii Ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

6. Suspensionis ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen, seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

7. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

8. Verum tenet etiam suspensio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

9. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si huiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

10. Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto, colligantur; ita ut, eo ipso quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

11. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena multatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a Sacra Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Ceterum ex quo istiusmodi poena est remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudiciariis adhibetur, prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV in suo tractatu *de Synodo Dioecesana*, Libro XII, cap. 8, n. 6, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1628].

4908.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 26 ian. 1885.

Sacrarum Congregationum principium est saepissime declaratum, Institutorum monialium quae propagantur in plures dioeceses, et habent suam moderatricem generalem nullum Archiepiscopum vel Episcopum posse esse singularem superiorem; sed reguntur a moderatrice generali, ita ut domus et sorores singularum dioecesium subsint singulorum Ordinariorum iurisdictioni, iuxta normas a ss. canonibus statutas.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1631].

4909.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 1 iun. 1885.

1. Quali istruzioni convenga dare sull'ammissione nella chiesa cattolica o anche negl'Istituti Regolari dei giovani *utriusque sexus* appartenenti alle scuole o ai convitti delle Missioni (in oriente).

2. Se il missionario Apostolico in oriente, in forza delle sue facoltà ordinarie, possa riconciliare alla Chiesa cattolica *i nati scismatici* compresi nell'ambito della Missione affidatagli.

3. Se i suddetti scismatici possano essere ricevuti dal missionario Apostolico senza il consenso del Vescovo di rito orientale, nella cui diocesi avvenga la conversione.

4. Qual norma debba seguire il missionario, qualora il detto Vescovo ricusi di ricevere i convertendi, e rifiuti al missionario il consenso di riceverli.

R. Ad 1. Quoad primam partem: Si qui alumni haeretici vel schismatici (sive pueri, sive puellae) in sinum Ecclesiae catholicae recipi petant, Delegati Apostolici est prudenter providere, qui ad hunc finem etiam missionarium,

superiorem Missionis aut collegii, subdelegare poterit; serventur vero in casibus occurrentibus normae datae in responsis S. Officii ad Vicarium Apostolicum Bengalensem Fer. IV, 21 iulii 1880,[1] cum addito ex Fer. IV, 8 martii 1882,[2] circa aetatem exigendae professionis Fidei, vel etiam abiurationis.

Quoad secundam partem: *a*) Si quae alumnae aut aliae puellae ritus orientalis recipiendae sint in Congregationem Religiosam latini ritus, supplicandum SS̃mo ut ipsae, quin ideo ad ritum latinum transeant, sic receptae in huiusmodi Congregationem, quamdiu in eadem perseveraverint, in omnibus, etiam quoad Communionem paschalem, latino ritui sese conformare possint et debeant. Quod si deinceps, quacumque de causa, ad Congregationem pertinere desierint, eo ipso suum ritum orientalem sequi teneatur.

b) Si alumni vel alii in Ordinem seu Congregationem Religiosam latini ritus ad statum clericalem sint recipiendi, recurrant ad S. Sedem.

c) Quoad recipiendos vero in huiusmodi Ordinem aut Congregationem ad statum laicalem supplicandum SS̃mo pro indulto se ritui latino accommodandi, quamdiu in eodem laicali statu perseveraverint, prout supra de Sororibus Religiosis dictum est. — Quod attinet ad Communionem paschalem, ad Secretarium cum SS̃mo.

Ad 2. Affirmative; suscipiendi tamen sunt ad orientalem ritum, non autem ad latinum absque venia S. Sedis.

Ad 3. Affirmative; convenit vero, ut per se vel per Vicarium seu Delegatum Apostolicum certiorem reddant Episcopum, ad cuius dioecesim neoconversi pertinebunt.

Ad 4. Missionarii supplendo defectum sacerdotum proprii ritus, iuxta facultates a S. Sede impetratas vel impetrandas, fideles administrent, quin hi propterea a suo ritu ad latinum transiisse censeri possint. De re autem tota referant ad Delegatum Apostolicum. Et dentur responsa, huius S. C. 11 decembris 1838 ad dubia 7, 16, 21, 23.[3]

SS̃mus approbavit, sed quoad Communionem paschalem decrevit ut, si in locis in quibus ipsos morari contigerit, adsit proprii ritus ecclesia, in ea paschalis Communionis praecepto satisfaciant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1633].

4910.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 6 aug. 1885.

Essendo stato promosso il dubbio se gli orientali siano soggetti alla Costituzione *Apostolicae Sedis* pubblicata dalla f. m. di Pio IX, in data dei 12 ottobre 1869,[4] la Suprema Congregazione del S. Offizio con successiva

[1] Cf. N. 1066.
[2] Cf. N. 1073.
[3] Cf. N. 4778.
[4] Cf. N. 552.

approvazione della Santità di N. S. ha dichiarato quanto segue nella feria IV, 15 luglio corrente anno:

« 1. Per Constitutionem *Apostolicae Sedis* nihil esse innovatum circa censuras earumque reservationes pro fidelibus rituum orientalium.

« 2. Eosdem fideles subiici omnibus censuris ab Apostolica Sede latis in materia dogmatum et in Constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur ».

Vuole poi la sudd. Supr. Congregazione che per mezzo dei R̃mi Delegati Apostolici siano notificate queste disposizioni a tutti i Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi di rito orientale compresi nella rispettiva loro Delegazione, e che si ricordi loro: « illos fideles subiici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in Const. Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae*,[1] et in Constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1640].

4911.

S. C. de Prop. Fide, decr. 18 aug. 1885.

R. P. D. Episcopus Cliffordiensis suo et caeterorum Angliae Episcoporum nomine ab Apostolica Sede imploravit, ut iuramentum, quod ordinati titulo missionis praestant, eos exinde obliget non pro aliqua dioecesi tantum, prout antea consuevit, sed pro tota provincia ecclesiastica; ita ut presbyteri sic ordinati sola collatione novi tituli transferri in aliam dioecesim possint de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut ipsi novum iuramentum emittant. Insuper expostulavit ut quoad praeteritum, missionarii ordinati titulo missionis pro aliqua dioecesi intra provinciam, ad aliam dioecesim intra eamdem provinciam transferri possint novo titulo novoque praestito iuramento, absque recursu ad Apost. Sedem.

Iamvero cum supplices istae preces SS̃mo D. N. Leoni Papae XIII relatae fuerint, in Audientia diei 28 iunii 1885, Sanctitas Sua iisdem in omnibus annuere dignata est, et praesens in re decretum expedire mandavit.[2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1641].

4912.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 24 aug. 1885.

Quoad vota ad tempus, in his Institutis (Statuum Foed. Americae) dioecesanis (*quorum constitutiones ab Ordinario tantum probatae sunt, licet regulam a S. Sede approbatam sequantur*) emissa, Episcopi facultate ordinaria (dispensare possunt). Quoad autem vota perpetua (ratione voti perpetuae

[1] Cf. N. 309.
[2] Huiusmodi indultum extensum est (30 nov. 1885) ad dioeceses Statuum Foederat. Americae Septentrion.

castitatis S. Sedi reservati) nonnisi potestate delegata, quae continetur in facultatibus S. Congregationis de Prop. Fide concedi solitis (Form. I, n. 4), dispensare possunt, si ipsi graves rationes ita exigere coram Deo iudicaverint, praehabita tamen petitione Superioris vel Superiorissae, consentientibus eius consiliariis, ne scilicet dispensatio forte sit in praeiudicium tertii.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1642].

4913.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 18 ian. 1886.

1. Se convenga dare un'autentica interpretazione alle decisioni del 1880.[1] Ed in caso affermativo, se debba dichiararsi:

2. Da chi dipendano i missionari della Compagnia di Gesù come religiosi; se cioè dal Superiore regolare o dal Vicario Apostolico.

3. A chi spetti il diritto di cambiare le loro destinazioni.

4. Se la giurisdizione sui collegi o convitti nelle loro missioni spetti al Superiore regolare o al Vicario Apostolico.

5. A chi spetti l'amministrazione dei beni temporali appartenenti agli stessi collegi e convitti, o provenienti ai missionari da particolari titoli, massime dalle cappellanie militari.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Quatenus sunt Religiosi subduntur Superioribus regularibus vi *voti*, iuxta Constitutiones Societatis: in casibus vero a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae spectant ad curam animarum et sacramentorum administrationem, subsunt Vicario Apostolico *obedientia canonica*, uti iam Clemens VIII sancivit in Indiam missos religiosos « in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse; in reliquis vero non Ordinario loci sed suis superioribus subiectos remanere ». (Clemens VIII Bull., VI id. nov. 1601, *Religiosorum quorumcumque*).

Ad 3. Tum ad ministeria missionariorum curam animarum concernentia, tum ad curanda pia Instituta quae sunt in Vicarii Ap. potestate, ut seminaria, catechumenatus, hospitalia, scholae populares, et his similia, destinatio personarum quas Superior regularis praesentat, et collatio iurisdictionis pertinet ad Vicarium Apostolicum, ideoque etiam harum personarum remotio et translatio pertinent ad Vicarium Ap. et ad Superiorem regularem iuxta normas statutas a Benedicto XIV in Bulla *Firmandis*, § 11,[2] id est: « Eveniente autem casu quo vel Episcopus, vel Superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint, quoniam huiusmodi parochis sine praevia Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis sint amovibiles, dubitatum propterea fuit an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere sine Superioris regularis consensu, et an

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1531.
[2] Cf. N. 349.

remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit huiusmodi parochos tam ab Episcopo quam a Superiore regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur ».

Ad 4. Quoad collegia et collegiorum scholas atque convictus in quibus religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta iuventuti instituendae operam dare solent, et recta ratio postulat, et S. S. vult firma atque integra privilegia Regularibus concessa manere, adeoque tum regimen eorum Institutorum, tum personarum in iis destinatio ad Superiores regulares spectat, iuxta Societatis Constitutiones, et, quatenus opus sit, facto verbo cum SSm̃o. — (SSm̃us annuit).

Ad 5. Quoad administrationem redituum ex operibus religiosorum provenientium statuitur:

1. Administratio redituum colleg. et convictuum, item retributionum quae singulis cum dispensatione apostolica ex stipendiis Missarum et iuribus stolae vel ex industria personali proveniunt, ad Superiores regulares pertinet.

2. Vicarius Apostolicus permittitur statuere cathedraticum quod sibi solvatur, antea a S. C. approbandum. Ex pensionibus vero capellanorum militarium, quod honestae eorum sustentationi superest, a Superiore regulari totum tradatur Vicario Apostolico.

3. Proventus, de quibus dictum est, non extra Missionem, sed in operibus Missionis impendendi sunt; ad hunc finem Superior regularis singulis trienniis S. Congregationi rationem de iis reddere tenetur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1651].

4914.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 17 maii 1886.

Declarat S. C. nunquam sese fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Apostolicae Sedis, sive in causa ecclesiastica sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal interpositum deseruerint.

Episcopi vero iuxta declarationem capitis *Cogentes* a Suprema Congregatione Inquisitionis die 23 ianuarii 1886 editam[1] possunt in praedictum clericum animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis, et pro gravitate causae,

[1] Cf. N. 1099.

si id expedire in Domino iudicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in foro laicorum ab Ordinariis petatur, ipsi nunquam eam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1656].

4915.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 5 iul. 1886.

1. Se i sacerdoti orientali autorizzati ad amministrare il Battesimo ai bambini di rito latino possano contemporaneamente amministrare loro anche la Cresima.

2. Qualora un sacerdote orientale abbia amministrato ad un bambino latino Battesimo e Cresima contemporaneamente, deve la Cresima reiterarsi *absolute* o *conditionate*, o non reiterarsi.

3. Ove si dubiti del fatto, se cioè un bambino latino battezzato da sacerdote orientale, sia stato dal medesimo anche cresimato, deve starsi alla presunzione affermativa, o si deve reiterare la Cresima sotto condizione.

R. Ad 1. Negative, et ad mentem. Mens est quod cum saepe et gravissime id a S. Sede vetitum sit, moneantur Episcopi orientales ut et ipsi sacerdotes suos ab huiusmodi administratione omnino prohibita deterreant.

Ad 2. Detur decretum Supremae Inquisitionis diei 14 ianuarii 1885.[1]

Ad 3. Recurrant in casibus particularibus, expositis omnibus ad rem facientibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1660].

4916.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 6 sept. 1886.

Volendo un ecclesiastico cedere i suoi diritti ad un laico in una questione contro un prete, deve domandare la venia del Vescovo, e, se la lite è contro un Vescovo, alla S. Sede; che se esso non lo fa e non l'ottiene, rimane soggetto alle disposizioni emanate contro i preti ricorrenti ad *iudices laicos* e si considera come operante *in fraudem legis*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1663].

[1] Cf. N. 1090.

4917.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 28 mart. 1887.

È necessaria l'istituzione del processo canonico per la validità dell'atto con cui il Vescovo trasferisce, rimuove o trasloca un rettore missionario (amovibile) dall'officio di parroco a quello di vicario, ausiliare, o ad un officio inferiore di grado e dignità?

R. In casibus remotionis peragendae in poenam criminis vel reatus disciplinaris, affirmative; in reliquis, negative; sed opus est ut fiant graves ob causas, et habita meritorum ratione iuxta dispositionem Concilii Plenarii Baltimoren. Tit. II, c. 5, § 32: Si in casu translationis fiat recursus ad S. Congregationem, S. C. remittet recursum ad Metropolitam vel, si agatur de Metropolita, ad Metropolitam viciniorem.[1]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol II, n. 1669].

4918.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Deleg. Ap. Syriae), 10 maii 1887.

La S. V. Revma esponeva a questa S. C. la prassi seguita nelle dispense matrimoniali da Monsignor Arcivescovo maronita di Bairut, cioè che quando si è ottenuta una dispensa matrimoniale dal Patriarca o dalla S. Sede, se prima di darle esecuzione si scuopre concorrere nello stesso caso un altro impedimento di quelli in cui i Vescovi maroniti credono di essere autorizzati a dispensare, il suddetto Arcivescovo effettivamente dispensa dal nuovo impedimento senza rivolgersi nuovamente al Patriarca o alla S. Sede. Ciò posto Ella domanda se siano valide o nulle siffatte dispense.

La S. V. non ignora che affinchè valga una dispensa è necessario secondo la comune dottrina de' teologi, esporre tutti gli impedimenti che ostano al matrimonio, non che le circostanze che debbonsi necessariamente manifestare; e tale esposizione deve farsi non in separate istanze, ma unitamente nella medesima supplica, per la nota ragione che *tota rei gravitas debet dispensanti innotescere, et maior impedimentorum numerus difficiliorem reddit dispensationem*. Se adunque un impedimento dirimente pel quale deve ricorrersi o di fatto si ricorra sia al Patriarca, se ne ha la facoltà, sia alla S. Sede, concorra con altro dirimente o impediente in cui il Vescovo abbia la facoltà di dispensare, non basta ricorrere ed esporre il primo o al Patriarca o alla S. Sede ed il secondo al Vescovo per ottenere separate dispense, ma è d'uopo esporli ambedue alla S. Sede o al Patriarca, per implorarne la dispensa

[1] In Congr. Gener. 30 aprilis 1894 proposito dubio: « Se la decisione della S. C. del 28 marzo 1887 sulla necessità del processo canonico per la rimozione dei rettori amovibili (negl' Stati Uniti) sia applicabile anche al caso di un sacerdote non incardinato alla diocesi, in cui ha il posto di rettore »; responsum fuit: Affirmative.

dall'uno e l'altro impedimento. Proposto difatti alla S. Penitenzieria questo caso: « Quaedam dispensatio fuit concessa a Sanctitate Vestra super impedimento secundi gradus consanguinitatis: quaeritur an Episcopus virtute indulti 15 nov. (in quo conceduntur facultates circa impedimenta tertii et quarti gradus) super impedimento quarti gradus, *quod postea detegatur*, dispensare possit ». — S. Poenitentiaria die 15 aprilis respondit: Negative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1674].

4919.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 25 iul. 1887.

Decretum S. C. anni 1759,[1] quod permittit « ut uxores suorum virorum ritum *sequantur*, dummodo uxor non sit ritus latini » ex se patet, et a nullis fuit negatum; verumtamen circa extensionem et interpretationem praticam huiusmodi facultatis variae oriuntur quaestiones quas exponere liceat.

1. Utrum in casu proposito detur differentia inter verbum *sequi* in praesenti decreto usurpatum, et verba *eligere* et *adoptare* quae alibi pro casu identico reperiuntur.

2. Utrum facultas facta mulieri nubenti sequendi ritum viri sui, aequivaleat verae mutationi ritus pristini, ita ut omnibus obligationibus ritus maritalis teneatur, etiam mortuo viro.

3. Utrum mulier quae non potuit aut non voluit sequi seu adoptare ritum viri sui, nihilominus eidem sese conformare valeat in ieiuniis et diebus festis propter necessitatem, vel sine necessitate. Quaenam proinde necessitas requirenda, et quae licentia.

4. Utrum mulier quae tempore initi matrimonii prorsus ignoravit sibi licere ritum viri sui sequi seu adoptare, et post cognitum errorem, declarat se libenter eumdem adoptaturam fuisse si scivisset, et nunc quidem idipsum sequi cupere, possit dicta mulier quasi innovato beneficio gaudere, et deinceps ritum maritalem, nova facta declaratione, sequi et adoptare.

5. Utrum recenter et reapse, uti asserere volunt nonnulli, S. Sedes declaraverit mulierem, quae secuta est modo regulari ritum viri sui, ad pristinum ritum reverti posse, aut etiam violenter reduci.

R. Ad 1. Negative.
Ad 2. Affirmative.
Ad 3. Negative absque Apostolica dispensatione.
Ad 4. Affirmative.
Ad 5. Recurrendum in singulis casibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1678].

[1] Cf. N. 4526, 4527.

4920.

S. C. de Prop. Fide (C. G.), 25 iul. 1887.

1. Utrum pro dispensandis famulis et opificibus apud dominos diversi ritus commorantibus supra ieiunia et observantiam festorum requiratur necessario dispensatio specialis, nec non facultas expressa dispensandi, quin sufficiat dispositio iuris communis circa familiares.

2. Utrum alia sit ratio dispensandi cum famulis et opificibus ordinariam in domo dominorum habitationem habentibus seu operam praestantibus, et alia cum iisdem tantum accidentaliter servientibus.

3. Utrum servi familiares Tertiarii orientales in conventibus missionariorum seu praelatorum latinorum, sub eorumdem Superiorum obedientia permanenter viventes, privilegiis gaudeant quae Ordinibus Regularibus fuerunt concessa et approbata, nimirum ut sese conformare valeant in omnibus ritui latino, et imprimis SSmam Eucharistiam et sacramenta paschalia ab iisdem Superioribus suscipere.

4. A quonam Episcopo dependere censeantur fideles orientales propriis pastoribus destituti, si infra propriae dioeceseos limites missionario latino gaudeant tamquam parocho: num ab Episcopo orientali, an ab Episcopo latino? — Quid vero si extra limites propriae dioeceseos versentur?

5. Utrum indistinctim dicti orientales sub cura missionariorum constituti sese conformare debeant ieiuniis et festis ritus latini, an proprii.

6. *a*) Utrum in proposito quid vel nihil importet differentia azymi et fermentati, ita ut graecus ex. gr. proprio sacerdote destitutus SSmam Eucharistiam a missionario latino sub azymo recipere valeat et debeat, non obstante existentia in eadem civitate sacerdotis alterius ritus in fermento consecrantis.

b) Utrum si eidem graeco, prout fuit aliquando a S. C. responsum, libertas concedatur sese communicandi sub fermentato, dicta libertas vigeat pro communione quae est *de devotione* tantum, an etiam pro communione *de praecepto*.

c) Item si idem graecus maluerit Eucharistiam in specie fermentata accipere, censeturne ex ipso facto Communionis dependere quoad iurisdictionem parochialem a superiore ritus orientalis fermentum habentis, an, non obstante Communione, semper dependeat a superiore latino?

R. Ad 1. Affirmative ad 1. partem; Negative ad 2.
Ad 2. Negative, si in utroque casu mensa sit communis.
Ad 3. Negative quoad sacramenta; quod reliqua provisum in primo.
Ad 4. A proprio Episcopo orientali. Circa dubium (§ *Quid vero*), quoad dependentiam ab Episcopo latino, standum decreto Conc. Lateranensis.[1]

[1] In Canone Concilii Lateranensis IV haec habentur: « Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores; districte praecipimus, ut Pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesium provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina officia illis celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo

Ad 5. Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2.

Ad 6. *a*). Servetur instructio pastoralis s. m. Benedicti XIV,[1] in qua permittitur orientalibus communio ritu latino tantum in subsidium, nempe cum difficulter communicare possunt in proprio ritu. Congruum vero erit ut orientales fermentato utentes, et proprii ritus sacerdote destituti, S. Communionem a sacerdotibus alterius ritus in fermentato consecrantibus suscipiant.

Ad 6. *b*). Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2. dummodo difficulter in proprio ritu communicare possit.

Ad 6. *c*). Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1679].

4921.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 30 iun. 1889.

Sacrae huic Fidei Propagandae Congregationi dudum iam anteactis temporibus auctoritas per Summos Pontifices facta fuerat tribuendi Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis et Praefectis Apostolicis, aliisque Missionum Moderatoribus ab eadem S. Congregatione dependentibus, facultatem erigendi in locis sibi subiectis quascumque pias Sodalitates a S. Sede adprobatas, iisque adscribendi utriusque sexus christifideles, ac benedicendi coronas et scapularia earumdem Sodalitatum propria cum applicatione omnium Indulgentiarum, quas Summi Pontifices, praedictis Sodalitatibus, coronis et scapularibus impertiti sunt. Verum postquam per decretum S. Congregationis Indulgentiarum et Ss. Reliquiarum editum die 16 iulii anno 1887, constitutum est[2] quoad Confraternitates SS. Trinitatis, B. M. V. a Monte Carmelo, et Septem Dolorum, ne eaedem erigantur *nisi requisitis antea et obtentis a respectivorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus literis facultativis pro earumdem erectione*, a nonnullis dubitatum est num praedictum decretum loca etiam Missionum respiceret, in quibus plura rerum adiuncta prohibent quominus quae per illud praecipiuntur commode possint executioni mandari. Quapropter ad omnem ambiguitatem e medio tollendam SSmus D. N. Leo Pp. XIII in Audientia diei 15 superioris mensis decembris a R. P. D. Secretario praedictae S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum habita declarare benigne dignatus est Sacrum hoc Consilium Propagandae Fidei eisdem facultatibus quoad erectionem Confraternitatum a S. Sede adprobatarum uti prosequi posse quas ante promulgationem praedicti Decreti diei 16 iulii anno 1887 habebat. In Audientia vero diei 31 superioris mensis martii habita ab infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario eadem Sanctitas Sua insuper iussit ut per hanc S. Congregationem, non obstante quavis praevia S. Sedis prohibitione, libera facultas tribui possit erigendi etiam Confraternitates SSmi Rosarii, ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur nisi Indulgentias communiter concessas omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis. Moderatores igitur Missionum huic Sacrae Congregationi Fidei Propagandae subiecti facultates ab eadem sibi faciendas quoad omnium Confraternitatum erectionem, fidelium in easdem adgregationem, scapularium benedictionem et indulgentiarum applicationem, valide et licite exercere se posse sciant quin a quopiam cuiusvis Regularis Ordinis Moderatore veniam aut assensum expetere aut obtinere antea teneantur. Quoad Confraternitates SSmi Rosarii tamen, si velint eas ita constitutas ut fruantur etiam peculiaribus illis indulgentiis, quae competunt Confraternitatibus erectis auctoritate Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, tunc ad eum recursum habeant oportet.

Hac vero data opportunitate nonnulla insuper quoad praedicta notantur. Dubitarunt aliqui num ad adgregandos fideles cuiusdam loci alicui Confraternitati necessaria foret praevia ibidem eiusdem Confraternitatis canonica erectio. Verum licet id in fidelium commodum profecto cederet, ac plerumque consulendum videatur, necessarium tamen non est cum sacerdotes adsunt qui fideles in Pias Sodalitates adsciscendi facultatem habeant. Hoc tamen in casu sacerdotes praedicti tenentur fidelium cooptatorum nomina ad proximiorem Confraternitatem, cui eos adlegerint, transmittere, aut ad proximiorem domum religiosam respectivam, si de Confraternitatibus agatur quae regularis cuiusdam Ordinis auctoritate fuerint erectae.

Quod vero pertinet ad recensenda in albo Confraternitatum nomina fidelium iisdem adlectorum, id tamquam necessaria conditio absolute requiritur ut indulgentias Confraternitatibus adnexas lucrari fideles queant. Quapropter ab ea lege derogari nequit nisi per peculiaria indulta quae solum determinatos casus et certa loca respiciant. Attamen quando ob ingentem fidelium adgregandorum numerum aliave ratione contingat eorum nominum in albo recensionem difficultates sacerdoti cooptanti facessere, tunc designare is poterit unam vel plures pro opportunitate sibi visas personas, quae fidelium nomina scripto referant in catalogum, quem ipse postea subsignabit, et ad proximiorem Confraternitatem seu domum religiosam, uti superius dictum est, transmittat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1710].

eos verbo pariter et exemplo. Prohibemus autem omnino ne una eademque civitas sive dioecesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed, si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci catholicum Praesulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus. Unde si quis aliter se gesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum: et si nec sic resipuerit, ab omni ecclesiastico ministerio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio saeculari ad tantam insolentiam compescendam ».

[1] Cf. N. 328.

[2] Cf. N. 5105.

4922.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Archiep. Milvaukien.), 29 iul. 1889.

A. T. exponit omnes missionum rectores ad Synodum venire non posse, tum ne multae missiones sine sacerdote remaneant, ad quem fideles in casu necessitatis recurrere queant, tum quia decentia habitacula pro omnibus parari non possint, et proinde A. T. expostulat ut ex quolibet decanatu duo vel tres missionum rectores ab aliis eligi possint, qui Synodo intervenire debeant. Et A. T. notat eamdem facultatem Episcopo Baionensi mense februario huius anni ad decennium concessam. Iam vero, ut notat Benedictus XIV (*De Syn. dioec.*) admissio procuratorum nihil prorsus ad Synodi utilitatem conferre valet, et proinde facultas eligendi procuratorem nonnisi ex specialibus causis, ut in casu Episcopi Baionensis, et rarissime dari solet. Proinde A. T. singulis vicibus aut dimidiam partem rectorum missionum, aut illos ad Synodum vocare poterit quos vocandos opportunum in Domino iudicabit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2276].

4923.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Orient.), 20 ian. 1893.

Questa S. Congr. di Prop. crede opportuno inviare la presente circolare ai Rm̄i Patriarchi e Vescovi, che hanno giurisdizione in Oriente di qualunque rito essi sieno per invitarli affinchè cerchino ogni modo di dissipare i concepiti sospetti (della soddisfazione degli obblighi di Messe) ed usino di tutto il loro zelo per impedire ogni sorta di abuso, qualora vi fosse, circa un affare sì delicato di coscienza. A tal fine raddoppino la loro vigilanza per assicurarsi, se tali abusi esistono nei limiti della loro giurisdizione, ed interpongano la loro autorità coi mezzi, di cui dispongono, per apportare opportuni rimedii, ove sono necessarii a toglierli o prevenirli. Quando poi vedessero di non riuscire al desiderato effetto, si rivolgano a questa Sacra Congregazione, affinchè questa provveda con più efficacia. Gioverà a questo fine che i Rm̄i Ordinarii ricordino al loro clero che vi è grave obbligazione di soddisfare puntualmente gli obblighi di Messe, che si sono assunti, e che quindi non possono assumersi, quando non si vuole, o non si può soddisfare ai medesimi. Facciano sapere anche ai laici che, quando un obbligo di Messe si fa soddisfare da altri, vi è parimenti grave obbligazione di dare al celebrante quell'intera elemosina, che per volontà dell'oblatore è annessa tassativamente alla celebrazione, e che quindi senza una espressa facoltà accordata dalla Santa Sede non può riservarsi parte di quella elemosina, sia pur a scopo di pie opere e molto meno per fini affatto profani. Ricordino a tutti che, a questo proposito della esatta soddisfazione delle Messe, vi sono due proposizioni condannate dal Pontefice Alessandro VII, cioè la 9ª e la 10ª tra le 45, che egli condannò con decreto della S. Inquisizione emanato il 24 settembre 1665.[1] Delle quali due proposizioni la prima è: « Potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium sacerdotem satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta »: e quel che si dice di un sacerdote si deve intendere di qualunque persona, che fa celebrare delle Messe. L'altra proposizione condannata è: « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1823].

4924.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Indiar. Orient.), 19 mart. 1893.

Cum postremis hisce annis Summus Pontifex Leo Pp. XIII ad istas Indiarum Orientalium regiones, apostolicae Suae sollicitudinis curam convertens, ecclesiasticam in iis Hierarchiam instituit, non hoc sibi tantum proposuit, ut rei christianae ornamento et dignitati prospiceretur, sed potissimum ut novo firmata praesidio novisque viribus aucta, fecundiore cultu ea vigeret et incrementa maiora susciperet. Id quidem probe senserunt harum regionum Antistites, qui praesertim in Synodis hac illac in India post id temporis per opportunitatem convocatis, praeclara quaedam de gentium conversione sanxerunt. Verum ut temporum rerum opportunitati, quae benignissimo Dei consilio offertur, par respondeat etiam in agendo alacritas animorum et felix tandem rerum eventus, advigilare potissimum Sacra haec Congr. debet, cui propagandae per orbem fidei cura et officium est concreditum. Et sane ad sedulam hanc vigilantiam cum ipsa rei gravitas, tum praesertim catholicarum Missionum in India conditio vehementer impellit. Multa quidem ibi solerter constituta ac perfecta sunt, ut, quibus in locis per europaeos colonos invecta fides consedit spiritualia fidelibus auxilia suppetant. Horum numero accensendae potissimum sunt plures illae stationes, quae frequenti sacerdotum ministerio, sacris aedibus, scholis, aliisque aptis ad fidem fovendam institutis satis instructae conspiciuntur. Ex indigenis etiam ad fidem conversis coaluere non paucae eaeque spectabiles christianorum societates, in quibus iampridem enatis ac subinde felici progressione auctis omnis iam fere impenditur opera missionariorum, quos cura stationum europaearum reliquos fecerit. Hi quoque christiani indigenae impense exculti istorum Antistitum et eorum, quos socios sacri ministerii habent, sollicitudinem exercent et testantur; meritaeque proinde ipsis ab hoc S. Consilio habentur cum laude gratiae. Verum maiora iam aggredi decet; amplificandi scilicet inter ethnicos christiani nominis fines, innumerabilique hominum multitudini, superstitionis tenebris etiamnunc obsitae, fidei lumen invehendum. Id quidem alicubi impigre iam feliciterque praestatur; superatisque

[1] Cf. N. 734.

ingentibus difficultatibus non pauci infidelium manipuli ad christianam fidem pietatemque traducuntur. Sed quod adhuc aliquorum est laus, id iam oportet ut ceterorum etiam sit labor et decus. Constat enim in quibusdam Indiae provinciis, parum ab inito hoc saeculo, rem christianam inter ethnicos profecisse, ita ut Indorum plerique, tanta hominum multitudo, nullam adhuc allatam sibi opem ab Evangelii praeconibus senserint, tristique superstitione omnes fere detenti Nomen illud invocare non possint, quod unum datum est hominibus ad salutem. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* (Rom., X, 14). Porro haec tot misere pereuntium animorum ruina maximam semper huic S. C. curam iniecit; nec eadem umquam pro opportunitate destitit Missionum Moderatores modo singulos, modo universos hortari ut adducendis ad fidem ethnicis pro virili parte incumberent. Verum quominus id ex voto succederet plura interiecta sunt obstacula. Ad haec tamen vel removenda vel superanda oportet tandem adniti, ut innumerae gentes a tam diuturna inferni hostis servitute vindicatae, in Evangelii lucem et libertatem perducantur.

Haec igitur S. C. per has litteras adeundos censuit singulos Indiarum Orientalium Antistites; iisque peculiares quasdam rationes proponit, quas ipsi pro muneris sui officio inire teneantur ad promovendam gentium conversionem.

I. Ac primo id in unaquaque dioecesi praestandum erit, ut Missiones aliquot statuantur, quae infidelium conversionem uti *proprium peculiaremque finem* sibi praestitutum prosequantur. Quibus vero in dioecesibus eaedem iam extant, curandum est ut primo quoque tempore multiplicentur, ac sensim ad universum dioecesis territorium extendantur. Seligant ad id Episcopi quae videantur aptissima loca; in quorum delectu id maxime curabunt, ut ab europaeorum stationibus dissita sint. Cum vero experimento compertum sit huiusmodi missiones facilius constitui ac vigere ruri in parvis oppidis, eo operam suorum missionariorum potissimum convertant Episcopi, unde uberiores fructus percipi posse videntur. Apostolicos viros, qui his missionibus praeficientur, ab aliis negotiis curisque expeditos esse oportet, ut totos se infidelibus evangelizandis possint impendere. Cuius rei gratia iubet S. C. ut in singulis dioecesibus serventur decreta providissime conscita in Synodis Columbensi, Bangalorensi et Allahabadensi in India habitis a. 1887, ut scilicet: *unusquisque Episcopus curet ut missionarii singuli linguam propriam cuiusque regionis apprime addiscant, et duos saltem ex eis deputet exclusive ad evangelizationem paganorum* (Concilium Columbense, num. III, § 3; Concilium Bangaloren., n. III, § 3; Conc. Allahabaden., n. III, § 3). Hanc quorumdam missionariorum designationem ad ethnicos convertendos faciendam in unaquaque dioecesi S. C. praecipit, etiamsi id minus commodum accidere videatur iam constitutis fidelium communitatibus, ad boni Pastoris exemplum, qui nonaginta novem oves relinquere in deserto non dubitat ut deviam quaerat et reducat. Missionariorum vero nomina, quos ad id operis destinaverint, significabunt Episcopi huic S. C. sexto post mense ab hisce litteris acceptis; atque hanc consuetudinem semper posthac servabunt,

quoties statis temporibus de suae dioecesis statu referre debebunt. Cum autem infidelium conversio multis laboribus sit obnoxia, multamque prudentiam ac patientiam postulet, deligantur ad id munus qui apostolicis virtutibus rerumque usu prae ceteris videantur spectabiles. Hi vero ad praemoliendam rem animosque ethnicorum conciliandos studeant caritatis officiis eos delinire, suoque simul exemplo ac magisterio praeseferant eam gravitatem, scientiam ac sanctitatem et traditae ab ipsis doctrinae virtus et auctoritas consistat. Quod vero attinet ad ipsam Evangelii praedicationem animadvertant *hanc praecipuam apostolatus partem impleri non solum publice et in Ecclesiis, sed praesertim in domibus familiisque privatis:* id etiam prae oculis habentes: *in praedicando non subtilitate sermonis, sed simplicitate evangelica esse utendum; honorifice pro suo quemque gradu et benigne omnes gentiles excipiendos esse, eorum infirmitatibus esse parcendum, eorumque dubia amice et clare et absque ostentatione esse solvenda* (Instr. S. C. de Prop. F. ad Vicarios Apost. Sinarum, 1883). [1]

Ceterum quid maxime conferat ad varias gentes pro cuiusque ingenio permovendas res et usus ostendet, cum saepe a parvis magnarum rerum momenta pendeant. Ne despondeant proinde animum apostolici viri, si initio eorum conatus aut nullos aut levioris momenti successus habere videantur. Non ideo ab incepto desistendum, immo etiam adnitendum est magis; aliae ad proventum viae tentandae, nec quidquam inexpertum omittendum, donec propitia humanis laboribus Dei gratia adspiret, quae una dat incrementum semini, quod humana utique severit industria ac rigaverit. Ubicumque fere peracta ita res est, constanti animo accurataeque sollertiae cessere tandem difficultates, nec felici successu destituta expectatio est.

II. Licet vero Missionum proventus ac reditus tenues admodum prae necessitatibus esse soleant, caveant tamen Antistites ne totos illos impendant usui ac beneficio dumtaxat fidelium; sed quantulacumque demum sit annua summa redituum, sic eam ad varios ministerii sui usus patiantur, ut infidelium conversioni procurandae portio semper aliqua constet. Quod ut facilius praestent, maxime ab aedificiorum sumptu cultuque nimis exquisito abstineant, ut quae supervacaneis pompis decorique minime necessario subtraxerint, impendant levandis gravissimis necessitatibus, nullo nobiliori ornamento Christi Ecclesiam decoraturi, quam populorum sibi commissorum fide christianisque virtutibus. Quoniam vero divinae providentiae consilium id praestituit, ut humana quoque ope consentaneisque naturae modis fulciri atque eniti ad altiora debeamus, meminerint Episcopi sui quoque muneris officiique propriam eam curam esse debere, quae temporalia Missionum bona respicit. Sane pleraeque nunc in India dioeceses, cum proprios vix reditus habeant, corrogata tantum aliunde stipe externisque subsidiis sustentantur; id vero nec satis amplum nec satis certum. Quapropter cum etiam futuros Missionum casus longe prospicere oporteat, Sacra Congr. istorum Episcoporum mentem revocandam censuit ad necessitatem providendi, ut proprios certosque proventus aliquando habere dioeceses in India possint. Curandum

[1] Cf. N. 4903.

est igitur ut stabili quodam patrimonio eaedem instruantur, quemadmodum ad exemplum anteactae aetatis coeptum alicubi in hac ipsa Indiarum regione feliciter est. Ceterum cum tot quae urgent praesentissimae necessitates prohibeant, quominus ingens pecuniarum summa conferri ac seponi ad hoc opus queat, id solum S. haec C. ab ipsis Episcopis postulat ut vel tenues quasdam summas identidem per opportunitatem reservantes ad futura Missionum incrementa dubiasque temporum vices, tuto collocare studeant. Hanc autem pecuniae collocationem quonam potissimum modo fieri expediat, singulorum Episcoporum pro cuiusque dioecesis adiunctis erit inquirere. Ea tamen huic S. C. videtur prae ceteris ratio consulenda, ut agri ac fundi rustici per opportunitatem coemantur, qui postea aut in utilitatem Missionis excolantur, aut indigenis christianis locentur ad culturam. Denique hac in re studeant Episcopi ea servare, quae S. C. Vicariis App. Indiae per litteras datas die 8 septembris anno 1869 commendabat his verbis: *Ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat, in unoquoque Vicariatu Consilium eidem administrationi constituendum est. Quod quidem Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Ap. designandis constare debet, cum quibus ipse Vicarius in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia, et cum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis numquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium.*[1]

III. Quod vero ad sacrorum administros attinet, in quibus praecipuum est Missionum robur et firmamentum, in primis parem eorum numerum ex Europa habere curent Episcopi, pro cuiusque dioecesis amplitudine et incolarum frequentia. Quod etiam praecipuae curae esse debet Moderatoribus Institutorum et sacrarum Sodalitatum, quibus contigerit alicuius dioecesis culturam esse commissam. Animadvertant porro Moderatores huiusmodi gravissimo se obstringi officio, ne penuria operariorum eae Missiones laborent, quas a S. C. excolendas acceperint. Eos proinde obligatio in primis tenet missionarios eo numero suppeditandi, qui ad Missionis necessitates satis sint; tum etiam eorum partes erunt alia humana praesidia atque opes diligenter comparare, quibus Missio indigeat. Quod si impar suis viribus susceptum onus deprehendant, ne graventur S. hanc C. certiorem reddere, ut quod magis e re christiana fuerit ipsa provide statuat. Quibus vero animi corporisque dotibus instructi esse debeant ii, quibus apostolicum munus inter exteras gentes defertur, S. C. ita declarabat ad primos Vicarios App. Seminarii Parisiensis anno 1659 scribens: *Hoc itaque in primis curandum est, ut magno studio perquirantur ac secernantur viri aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idonei, tum vero, quod pluris est, non mediocri caritate ac prudentia insigniti; quas virtutes non aliorum iudicium et coniectura, sed diuturnus rerum usus et experientia, aliis muneribus cum laude peractis, probaverint; qui secretorum sint capaces tenacesque custodes; qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo christianae fidei, quam ore profitentur, opem adstipulentur; qui*

[1] Cf. N. 4876.

denique ad evangelicae caritatis normam efformati, aliorum se ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis, quibuscum vixerint, graves, nec exteris inviti ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.[1]

IV. Verum id pro explorato sacrorum Antistites habeant, una tantum missionariorum europaeorum ope progredi, prouti oportet, rem christianam inter gentes minime posse. Cum enim indigenae eo numero Christo aggregati fuerint, ut iis excolendis omnem missionariorum, qui non ita multi haberi ex Europa possunt, operam attribui oporteat, iam vix ullus reperietur qui subveniat reliquis infidelibus; omnemque fere Missionis progressum conquiescere ac subsidere necesse est. Proinde numquam se satis propriae dioecesi consuluisse existiment Episcopi, nisi indigenis clericis instituendis adsiduam, eamque solertissimam operam dederint. Tanti id momenti ab hac S. C. ducitur ad stabile Missionum bonum, quanti nihil fortasse aliud. Ex innumeris huc spectantibus sanctionibus gravissimisque documentis, quae a Romanis Pontificibus alias per se, alias per Sacrum hoc Consilium edita, Sanctae Sedis hac in re miram prorsus sollicitudinem testantur, referre hic solum iuvat ea, quae S. C. anno 1659 Vicarios App. Tunquini ac Cochinchinae monebat, scilicet: *potissimam rationem Episcopos in illas regiones mittendi fuisse, ut omnibus modis ac rationibus curarent iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur, et ab eis consecrarentur, ac suis locis per vastissimas easdem regiones collocarentur, rem illic christianam summa diligentia iis dirigentibus curaturi;* itaque hunc in finem incumberent, *ut ad sacros Ordines quamplurimos et quam aptissimos adducerent, instituerent et suo tempore promoverent*. Et haec quidem peculiaris cura ad clerum indigenam in regionibus Indo-Sinicis efformandum adhibita, merito inter causas recensetur, cur Missiones illae tot gravissimarum persecutionum impetum fortiter sustinuerint, triumphalique martyrum sanguine fecundatae, uberes prae ceteris fructus ediderint. Toties iteratis hortationibus novum nunc addit S. haec C. incitamentum; atque istius regionis Episcopis denuo praecipit, ut impensius etiam quam adhuc praestitum universe fuerit, sua studia intendant ad indigenas clericos et numero plures et ecclesiasticis virtutibus instructos efformandos; et in ipsis exordientis in India Ecclesiae praecipuam procul dubio spem locatam esse arbitrentur. Porro indigenarum horum clericorum numerum una cum numero fidelium succrescere apta proportione oportet, ita scilicet ut pastorum copia suppetat iis, qui ad Christi caulas accesserint, et apostolici viri, quibus id fuerit demandatum, novis subinde accedentibus operariis, ad promovendam ultra inter ethnicos fidem adlaborare commode possint. Aucto hac ratione clero illud etiam emolumentum obveniet, ut missionum centris ac subsidiariis stationibus sensim multiplicatis, facilius sacerdotis ministerio frui fidelibus liceat, qui nunc saepe locorum distantia ac difficultate itinerum diutius, quam par est, spirituali illo pabulo destituuntur, quo, nisi identidem recreetur, languescit cum pietate virtus. Hanc igitur, quae una patet, fidei late provehendae viam, auspice hac S. C., ingrediantur sine ulla cunctatione Episcopi, bonaque cum spe

[1] Cf. N. 4463.

secuturi prospere eventus. Constat enim nec adeo infrequentes penes Indos esse qui ecclesiasticae militiae nomen dare velint, nec parum opis ad sacrum ministerium haberi in iis, qui rite fuerint ad id instituti. Ceterum cum Christus Ecclesiam suam fundaverit, ut omnes gentes ambitu suo complecteretur, non est dubitandum quin praeclara charismatum dona possint penes omnes populos efflorescere, Eius Spiritu afflante, qui, ubi vult spirans, infirmas naturae vires erigit ut ad ardua quaeque consurgant. Id potius curandum est ut quae Deus humanae permisit industriae fideliter exequamur. Mature igitur e catholicis puerorum scholis seligantur ii pueri, qui ingenio, pietate, moribus praecellere videantur, quique ecclesiasticae vocationis indicia praeseferant. Huiusmodi gratiae germina accuratior educatio foveat atque explicet in apto aliquo dioecesis collegio, unde postea qui digni fuerint existimati in Seminarium cooptentur, ut eorum ecclesiastica institutio iis modis eaque ratione perficiatur, quam Ecclesia legibus praescripsit et quae ad finem aptissima rerum usu Episcopis innotuerit; ita ut indigenae clerici ad omnem scientiam pietatemque informati, pari educationis cultu cum advenis sacerdotibus conferri possint, et quibuscumque ecclesiasticis muniis obeundis idonei evadere queant. Commemorare hic iuvat Synodos Columbensem, Bangalorensem et Allahabadensem, de quibus supra mentio incidit, quibusque omnes Indiarum Missionum Antistites, licet non omnibus singuli, interfuerunt, decrevisse inter cetera, ut *unaquaeque dioecesis proprium habeat Seminarium pro instituendo clero indigena. Quod si aliqua Sedes suffraganea, ex defectu redituum, Seminarium instituere nequeat, Episcopus teneatur suis expensis alumnos indigenas mittere ad Seminarium metropolitanum* (nn. III, §§ 2).

V. Sacerdotibus indigenis, quorum tanta est necessitas, proximi utilitate succedunt, ex ipso laicorum indigenarum coetu selecti, catechistae. Quanto emolumento futurum sit in Missionibus huiusmodi genus hominum, plurium locorum ac temporum experientia demonstrat. At vero adiutrix eorum opera praesertim missionarios europaeos iuverit, qui ad ethnicorum conversionem incumbant. Indigenae enim homines, cum faciliorem ad populares suos aditum habeant, viam communient sacerdoti, qui opportune iam comparatos animos proclivioresque minus aegre ad evangelicae doctrinae veritatem deducet. Huiusmodi autem catechistas probatis omnino moribus esse oportet, idoneaque christianorum mysteriorum scientia praeditos; ea vero gravitate simul atque humanitate, ut et conciliare sibi animos possint eosque cum doctrina tum exemplo permovere. Ut tales eos effingant sedulam Episcopi operam impendent, eos a pueris diligenter instituentes. Illud etiam S. huic C. consilium summopere probaretur, alicubi iam magna cum utilitate executioni mandatum, ut quemadmodum clerici in Seminario, sic in Collegio, apte ad hunc finem designato, catechistae instituerentur.

VI. Inter haec, quae breviter hactenus commemorata sunt istorum Episcoporum officia ad rei christianae profectum, illud silentio praeteriri non debet, quod est de instituenda iuventute praecipuum. Quanti momenti sit recta adolescentium institutio, ad fidem disciplinamque christianam alte in populorum mentibus cordibusque defigendam, non est cur hic pluribus

declaretur. Ut enim nulla magis quam puerilis aetas in omnem partem flecti effingique potest, sic quae tunc suscepta fuerint vitae instituta, procedentis aetatis vices haud facile dimovebunt. Iis igitur praesertim in locis, ubi primum sata Evangelii doctrina fuerit, firmissimum enascenti fidei praesidium scholae suppeditabunt, per quas recentium fidelium soboles christiana disciplina mature instituta stabilis veluti nucleus constituitur, qui novis christianorum accessionibus gradatim postea augeatur. Tum etiam ex apte instructis scholis ea inter alias plurimas manabit utilitas, ut non mediocris catholico nomini per eas concilietur auctoritas, cum soleant indigenae isti homines, atque adeo ipsi civitatis magistratus, vel maxime ex huiusmodi institutis cuiusque religionis dignitatem dimetiri. Sed forte id prae ceteris permovere debet istos Antistites, quod hac ratione maxime obsisti possit haereticorum in India conatibus, qui, Christi nomine simulato, non paucos verae Ecclesiae praereptos sibi per iniuriam aggregant. Id autem cum humanis aliis, quibus abunde instructi sunt, praesidiis, tum potissimum ope scholarum praestant; illectamque specie scientiarum ac litterarum iuventutem falsa sua doctrina imbuunt, et haeresum contagione inficiunt. Et quod summopere est dolendum, non desunt e catholicis, qui istiusmodi praeceptoribus suos liberos, penuria catholicarum scholarum, educandos tradunt. Haud sane latet S. hoc Consilium plura istic naviter praestita iam fuisse, ut iuventutis educationi prospiceretur; sed dum collatae in id operae debitae laudes impenduntur, stimuli simul admoventur ut incepto perficiendo alacriter insistant Episcopi. Igitur in id ipsi elaborent, ut in singulis Missionibus schola constituatur, in quam convenire debeant catholici pueri ad litterarum et christianae professionis rudimenta addiscenda. In urbibus vero amplioribus magisque conspicuis dioecesis locis gymnasia etiam iuventuti pateant, ubi liberalioribus disciplinis navare operam possint adolescentes, qui pro suo ingenio aut ampliori, quem obtinent, in civitate loco in id adspirent. Atque haec quidem Instituta ipsa sibi necessarios proventus sufficere saepe poterunt. Maximae item utilitatis Collegia erunt, ubi pueri ob oculos Moderatorum commorantes, diligentiori etiam ratione institui ad pietatem et litteras queunt; atque inde maxime prodire poterunt, qui postea sacerdotum aut catechistarum vicem, pro rei dignitate, expleant. Licet vero Instituta huiusmodi pro cuiusque regionis modo excitari in omnibus dioecesibus debeant, tamen in iis praesertim, ubi urbium amplitudo et celebritas, maior ac provectior civilis cultus id postulare magis videantur. Quod vero attinet ad praeceptores, studeant Episcopi in suas dioeceses advocare religiosos viros ac mulieres ex iis Sodalitatibus, quae ad iuventutis educationem ex instituto incumbunt. Si vero res postulaverit, iis addi adiutores poterunt ipsi indigenae laici, non mediocri usui futuri.

VII. Haec autem omnia, quae S. C. uti opportunissima ad fidem sive tuendam sive amplificandam subiicit, prae oculis habeant isti sacrorum Antistites in Synodis Provincialibus proxime convocandis; eaque collatis consiliis curent sancire decreta, quae propositis rationibus exequendis certo stabilique modo provideant. Id enim in animum inducant Missionum in India Moderatores, S. hanc C. non hortari modo, sed praecipere ut iis opere prae-

standis animum applicent, quae praesertim de *ethnicorum conversione* et de *cleri indigenae institutione* praesentes litterae denuo prosequuntur. Huic S. Congregationis mandato, quod Summi Pontificis aperta voluntas et auctoritas firmat, libentes volentesque obsequantur tamquam nutui ipsius Christi, pro quo legatione funguntur; ipsos quidem certissimo atque amplissimo laborum praemio manente, quemcumque demum eorum opera fuerit sortita exitum. Sed et hunc, Deo bene iuvante, felicem omnino erecto in spem animo expectent. Praesertim cum ingentes difficultates, quibus obsepta res est, nonnihil fortasse temporum opportunitate molliantur. Quippe pacata in India omnia, patefacta itinera, Episcoporum praesidio res christiana ornata ac munita, adsiduoque novorum institutorum appulsu, vetera, gradatim minus firma, cum patria superstitione nutant.

Ne desint igitur occasioni qui acceperunt *ministerium verbi..., testificari Evangelium gratiae Dei* (Act., XX, 24), coram gentibus; sed quae vicissitudine et humanitate progredientium temporum ultro oblata sunt commoda, ad Iesu Christi gloriam aeternamque animorum salutem nobili conatu transferant.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1828].

4925.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Ruraemunden.), 7 iul. 1893.

Litterae, quibus A. T. postulabat facultatem concedendi clericis tuae dioecesis, ut ipsi acquirere possent actiones super vias ferreas, indeque lucrum habere, [1] ad S. Officii, missae fuerunt, et Emi Patres Inquis. Gen. stuatuerunt, ut Tibi communicetur decretum praedictae S. C. S. Off. fer. IV, 15 aprilis 1885, scilicet: « Iuxta exposita, et attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae..., dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum, seu titulorum, et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *dei giuochi di borsa*. — Quoad moniales, dummodo Episcopus certus sit de stabilitate mensae nummulariae, et absit periculum amittendae pecuniae, res remittitur prudenti arbitrio et conscientiae ipsius Episcopi. — Quoad sacerdotes, qui partem in administratione susceperunt, vel suscepturi sunt, non esse permittendum, sed Episcopus permittere poterit ut iidem moraliter influant in ipsam mensam nummulariam in eum finem, ut nihil contra bonos mores in ea fiat ». [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1841].

[1] Eo quod « fundus (ita Episcopus in suis litteris) hisce in regionibus multum pretii amiserit, ideoque census solidis hypothecis fulciti difficulter inveniantur, ac, si quidem inveniuntur, eorum solutio negatur (atque hinc), iure suo hypothecae uti, clericis maxime odiosum sit ».

[2] Cf. N. 1091.

4926.

S. C. de Prop. Fide, decr. 18 aug. 1893.

In variis catholici orbis regionibus, in quibus diversorum rituum fideles permixti inveniuntur, deplorandum sane est saepe saepius nonnullos proprii ritus ecclesia et sacerdote destitutos manere. Ex quo fit, ut quidam ex illis propriae devotioni satisfacere, nec non christianae vitae fervorem per sacramentorum frequentiam conservare et augere desiderantes, ex difficultate S. Communionem sumendi in proprio ritu, a S. Sede privilegium communicandi in ritu alieno etiam extra casus a iure permissos continuo expostulent; alii vero quam plurimi propter eamdem rationem inducantur potius ad diuturnam sacramentorum incuriam cum maximo eorum vitae spiritualis detrimento. Hisce recursibus ac malis effectibus permota haec S. Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis per opportunum aliquod ac salutare remedium iisdem occurrere voluit. Hinc, de consilio Emorum Patrum praedictae S. Congregationis, SS. D. N. Leo PP. XIII ... in Audientia diei 2 iulii anni 1893 sequens decretum edi et expediri mandavit, nimirum: Quo utilius frequentia promoveatur ss. sacramentorum, quae efficacissima sunt media a Christo Domino instituta ad procurandam salutem animarum, et quo opportunius duplex illud praedictum inconveniens de medio tollatur, omnibus fidelibus cuiuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur SS. Communionem, non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, iuxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi. — Rmis Ordinariis committitur officium, ut praesentis decreti notitiam ad suum quisque populum pervenire faciat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1846].

4927.

S. C. de Prop. Fide, decr. 18 aug. 1893.

Licet sancta mater Ecclesia evellendis abusibus, qui circa Missarum celebrationem irrepserint iugiter incubuerit, atque districte mandaverit, ut, omni sublata fraude ac negligentia, piae disponentium seu benefactorum voluntati plena servaretur fides, defunctorum animabus integra et prompta praestarentur suffragia, perdolendum tamen est hac nostra praesertim aetate in re tam sancta turpe mercimonium inductum fuisse. Siquidem nonnullorum hominum malitia factum est ut ad ephemerides, libros aliasque merces facilius vendendas ipsi Missarum eleemosynas colligere atque pretii loco earumdem celebrationem clero committere ausi fuerint; idque minime obstantibus contrariis resolutionibus, anno 1874 a S. Congregatione Cardina-

lium Concilii Tridentini Interpretum editis, Pio Papa IX s. m. approbante.[1] Porro SSmus D. N. Leo Papa XIII, detestabiles huiusmodi abusus e christiana republica evellere, ac opportune tanto avertendo malo prospicere cupiens, de consilio antea laudatae S. Congregationis nedum praedictas resolutiones in memoriam revocare, sed et salutaribus ecclesiasticis poenis easdem munire mandavit; prouti in adnexo decreto perspicere datum est.[2] Cum autem istiusmodi abusus etiam inter orientalis ritus clerum et fideles invaluerint, eadem Sanctitas Sua pro paterna sua sollicitudine in omnes mundi ecclesias, referente Emo Praefecto dictae S. Congregationis, praecepit ut decretum ipsum ad clerum et fideles ritus orientalis extenderetur, ac ea quae in ipso continentur ab omnibus adamussim servarentur. Curae igitur erit amplitudinis Tuae, dispositiones in memorato decreto contentas, meliori quo fieri potest modo, ad notitiam gregis, tuae curae concrediti, deferre; et mandare ut plenissime ab omnibus observentur; ac tandem invigilare, ne quis ab earumdem observantia deflectat.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1847].

4928.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Indiar.), 28 aug. 1893.

Inter ceteras terrarum orbis regiones, ad quas supremus Ecclesiae Christi Rector apostolica sollicitudine peculiarem curam convertit, amplum sane sibi locum vindicat Indiarum Orientalium regio, in qua, praeter cetera, et ecclesiasticae hierarchiae ordinibus rem christianam communivit, et indigenarum clericorum institutioni tam impense consulere nititur. Merito proinde illarum ecclesiarum Praesules, studiis Summi Pontificis obsecundantes, novo pro animarum salute ardore incensi, novisque veluti viribus aucti, omnem in id operam ponere satagunt ut, divina adspirante gratia, dissipatis errorum tenebris, turpique superstitione depulsa, ea denique apud Indiae populos christianorum morum adolescere incipiat honestas, quae optatam in praesens hominibus pacem, supremamque dein in aevum felicitatem concedere valeat. Porro huiusmodi Episcoporum laudabile studium, ut suos pluribus in locis iam protulit fructus, ita procul dubio uberiores laetioresque feret in dies, si illi nobile incoeptum prosequentes, omnia sua consilia ac vires in tam sanctum opus usque alacrius intenderint. Id sane postulat vel in primis ab eis divina illa vocatio, vi cuius evangelicorum nuntiorum nomine peculiari modo ipsi honestantur: postulat et miserrima tot animarum conditio, quae licet eodem ac nostrae inestimabili divini sanguinis pretio redemptae, sub ferreo tamen principis tenebrarum iugo adhuc detentae, longe ab aeternae salutis tramite infeliciter aberrant; idipsum demum postulat haec S. C. cuius praesertim est ad conversionem gentium intentos

[1] Cf. N. 4228.
[2] Cf. N. 4286.

usque oculos habere, ut quotidie magis in terris SSmi D. N. Iesu Christi protendatur imperium, et ubique ab omnibus uno ore glorificetur Deus. Itaque quo facilius in antedictis Indiarum oris id perfici contingat, Emi PP. sacro consilio christiano nomini propagando praepositi, aptissimum medium ad rem fore iudicarunt, si singularum provinciarum Episcopi sine ulteriori mora ad celebranda Provincialia Concilia invitarentur. Quapropter in comitiis plenariis die 31 iulii vertentis anni habitis, decreverunt, Summo Pontifice adprobante, ut, a mense novembri proxime adfuturo ad aprilem usque mensem adventantis anni 1894, in omnibus et singulis Indiarum Orientalium ecclesiasticis provinciis synodales conventus iuxta consuetum in Ecclesia morem haberentur. Ut autem maius honoris auctoritatisque pondus sacris huiusmodi comitiis addatur, voluerunt Emi PP., et SSmus Dnus probavit, ut pro hac tantum vice singulis Conciliis provincialibus primo in Indiis celebrandis ipse R. P. D. Ladislaus Zaleski, Archiep. Thebarum, S. Sedis Delegatus praesideat cum iure suffragii in omnibus eorumdem Conventuum sessionibus.

Heic vero supervacaneum foret multis verbis huiusmodi synodorum utilitatem extollere; quum propter magna quae ex iis rei christianae promanant bona, earumdem coactio a sacris canonibus fuerit iamdiu praescripta, iterumque a Tridentino Concilio praecepta,[1] ac per saeculorum tractum ab omnibus fere Pontificibus, sanctaeque Ecclesiae Patribus summopere semper fuerit commendata. Attamen praeter generales maximi procul dubio momenti rationes, ad synodorum provincialium convocationem praecipiendam Emos huius S. C. Patres alia quoque potissima ratio movit, quae ex curanda executione Instructionis die 19 martii huius vertentis anni super gentium conversione ab hac S. C. datae, est repetenda.[2] Multa enim in huiusmodi Instructione magni ponderis continentur consilia, ac praecepta, quae, si in praxim recte fideliterque traducantur, nihil dubii esse potest quin, miserentis Dei opitulante gratia, in istis Indiarum regionibus ad optatam metam res catholica efficacius provehatur.

In synodalibus igitur sessionibus sapientiae Episcoporum erit ea perpendere consilia, quae ad eiusdem Instructionis monita observanda aptiora videbuntur. Cavendum namque est ne ea umquam memoria excidant, sicque exoptato exitu, cum summo religionis detrimento, destituantur. Quamobrem procul dubio valde utile erit si praecipua memoratae Instructionis monita in ipsis synodorum decretis ita inserantur, ut exinde synodalis legis robur ac vim suscipiendo, cuilibet in posterum oblivionis periculo subtrahantur. Non minori studio adlaborandum erit in praedictis synodis, ut post institutam in Indiis episcopalem hierarchiam unaquaeque dioecesis apta ratione ordinetur. Ut enim Ecclesia, prouti decet, suum illic quoque regimen ad praescriptas iuris normas sensim adducat, necesse erit cuiusvis dioeceseos territorium in plures veluti parochias distinguere: curias dioecesanas apte constituere: instituta, collegia, scholasque erigere: ecclesiastica fundare patri-

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 2.
[2] Cf. N. 4924.

monia, rectasque pro tuta eorumdem administratione decernere regulas. Quorum quidem patrimoniorum reditus etiam pro indigenis clericis efformandis et alendis erunt adhibendi. Quum cleri dioecesani ex indigenis efformatio res sit iudicio huius S. C. maioris prae ceteris momenti, eam quoque Patres in synodis coadunati discutere non praetermittent, ut facilius, communi consilio, statuere valeant quomodo iuxta Tridentinorum Patrum mentem [1] in singulis dioecesibus, aut saltem provinciis ecclesiasticis Seminaria erigi possint, in quibus clerici indigenae necessariis disciplinis tuto instruantur.

Cum huiusmodi quaestionibus intimo iungitur nexu disciplinae ecclesiasticae argumentum, quod diligentissimo examine tractandum erit. Attamen circa huiusmodi quaestionem in mentem Episcoporum hoc unum revocare sufficiat, videlicet ut, quantum fieri poterit, in regulis ac normis ad disciplinam spectantibus maxima inducatur et servetur uniformitas, ut exinde quoque praecipua Ecclesiae Christi nota, ex unitate dimanans, luculentius ubique appareat, ac simul admiratio praecaveatur quae ex disciplinae discrepantia facile inter fideles exoritur.

Aliud negotium disciplinam attingens in Consiliorum dioecesanorum institutione est collocandum. Huiusmodi Consilia, e viris scientia ac probitate praestantibus atque a clero dioecesano seligendis componenda, quae praesertim in temporalium rerum administratione auxilium praebere Episcopis debent, non ubique adhuc existunt. Proinde dum de hisce Consiliis constituendis Patres in synodis leges ferent, simul accurate definient tum consultorum qui debeat esse numerus, tum eorumdem in munere perdurandi tempus: atque insuper decernant quaenam argumenta eorumdem consultorum examini erunt subiicienda, quaeque ab ipsis vel explicitum consensum vel simplex consilium obtinere debebunt.

Ceterum si quid aliud peculiari examine R. P. D. Apostolicae Sedis Delegato dignum fore videbitur, illud synodorum Patres ad trutinam revocare profecto non renuent.

Simul ac igitur praesentes litteras acceperint, studeant RR. PP. DD. Metropolitani Antistites, huius S. C. mandata eo quo decet obsequio executioni mandare. Eapropter, nulla interposita mora, singulos propriae respectivae provinciae suffraganeos Praesules de huiusmodi mandatis certiores reddere curabunt, eosque de tempore celebrandarum synodorum tempestive edoceant.

S. Congregatio confidit per diligentem atque accuratam Provincialium Conciliorum celebrationem, praeter cetera magni ponderis quae inde obveniant bona, illam quoque inter omnes Ecclesiarum Pastores concordiam et unitatem fore confirmandam et fovendam, quae Deo placet, Ecclesiae est decori, et saluti animarum provehendae medium dignoscitur aptissimum.

Quum autem singula quaeque Synodus fuerit absoluta, omnia eiusdem Acta et Decreta pro debita revisione et recognitione ad hanc S. C. transmitti debebunt.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1848].

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

4929.

S. C. de Prop. Fide, 11 apr. 1894.[1]

Litteris tuis ad hanc Sacram Congregationem quaedam proposuisti dubia, quorum solutionem postulabas, nempe:

I. An matrimonia catholicos inter et schismaticos, quae in hisce regionibus facile evenire possunt, quoad conditiones canonicas praemitti solitas, aequiparanda sint matrimoniis mixtis, id est, catholicos inter et haereticos (baptizatos) contrahendis?

II. Utro in ritu baptizari et educari debeant filii filiaeque parentum catholicorum quidem, sed ad diversos ritus pertinentium, veluti ad Romanum, Ruthenum, Armenum, etc.?

Porro omnibus mature perpensis respondendum censeo propositis dubiis ut sequitur:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Filii familiae, generatim loquendo, baptizari et educari debent in ritu patris.*

Post haec Deum O. M. rogo, ut Te diutissime sospitet.

Amplitudinis Tuae, addictissimus servus M. Card. Ledochowski, *Praefectus.* — Aloisius Veccia, *Secretarius.*

[Acta S. Sedis, vol. XXVII, p. 383].

4930.

S. C. de Prop. Fide, litt. (ad Ep. Mangaloren.), 10 oct. 1894.

Esaminato il dubbio da Lei proposto intorno alla erezione della Confraternita del Carmine nella chiesa delle Carmelitane scalze, ecco quanto debbo significare alla S. V. — La S. C. dei Vescovi e Regolari in data 6 novembre 1595 decise riguardo alle confraternite erette in chiese di monache: *non placet S. Congregationi ut in monasteriis monialium sub quovis titulo instituantur confraternitates laicorum, ad tollenda quamplurima quae exinde oriri possunt incommoda; imo praecipit ut erectae tollantur, secus transferantur.* [2]

Pertanto qualora trattisi di vera Confraternita, non può questa S. C. dare al caso da V. S. proposto altra soluzione diversa dalla testè riferita. Che se si trattasse non di vera confraternita ma di semplice ascrizione dei fedeli allo scapolare, ritenendone le religiose un apposito registro, allora soltanto si potrebbe tollerare; massime se il diritto d'iscrizione riguardasse le sole donne.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1882].

[1] R. P. D. Ios. Redemacher, Episc. Wayne-Castrensi.
[2] Cf. N. 1544.

4931.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Monachos Maronit. Libanen.), 4 febr. 1895.

Factum est iam tritum sermone axioma illud ex iure canonico: *Quidquid monachus acquirit, non sibi sed monasterio acquirit.* Ut enim ipsemet suus iam non est, sed Religionis, quae solemniter sibi eum adscivit, ita quidquid ipse acquirit, quidquid ei donatur ac ab aliis recipit, vel ad ipsum quolibet iure seu alia ratione pervenit, Religionis proprium evadit. Nil igitur mirum si sancti Ecclesiae Doctores et Patres gravissimis verbis eas improbent monachorum actiones, quibus paupertatis votum infringitur, illosque severe coarguant. Ita S. Augustinus in suis regulis praescripsit: « Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia... Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, *furti* iudicio condemnetur ». [1]

Eadem scribit S. Basilius: *Furtum* est privata possessio apud monachum sine licentia Superioris. Et rationem afferens subiungit: « Societatis enim (scilicet religiosi Ordinis) *expilatio* est rei cuiuscumque et undecumque in privatum usum revocatio ». [2] Et quo monachi magis ab hoc crimine abhorrerent, apud vetustos coenobitas mos aliquando fuit [3] ut si quis monachus ex vita migrasset, eo usque clam retenta tanquam propria aliqua pecuniae summa, haec super eius cadaver proiiceretur, clamantibus monachis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ut in quemdam monachum paupertatis violatorem mortuum factum fuisse, iubente (dum Ecclesiae clavum teneret) S. Gregorio Magno historia testatur. [4] Compertum autem est, religiosorum Ordinum Fundatores ad tantum opus divinitus instinctos nihil studiosius cavisse, quam ut paupertas in proprio cuiusque instituto in primis floreret. Superno quippe perfusi lumine et experientia docti, probe noverant sancti illi viri, ex tribus votis essentialibus religionis, ad maiora pericula obiectum esse paupertatis votum; et ideo curas ingeminarunt, ut in sanctis eorum domibus ceteras inter virtutes paupertas excelleret, et solidissime fundaretur, ne, dum haec, praeiudicata quidem opinione, tutior existimatur et negligentius defenditur, periculosius impugnetur. Franciscus Assisiensis « illas non fortuito audiens ex Evangelio sententias: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (Matth., X, 9-10), et: *Si vis perfectus esse vade, vende quae habes et da pauperibus... et veni sequere me* (Matth., XIX, 21), et haec tamquam sibi nominatim dicta interpretatus, continuo abdicat se rebus omnibus; vestimenta mutat; paupertatem sibi sociam et comitem

[1] Cap. *Non dicatis*, 12 quaest. 1, ex S. Aug. epist. 109.
[2] S. Basilius in Constit. mon., cap. 34.
[3] Cfr. P. Alphonsum Rodriguez: *Esercizio di perfezione* (parte 3, tratt. 3, cap. 16), ubi plura afferuntur exempla ex Hieronymo, Augustino, Caesario aliisque.
[4] S. Gregor. P. M. Dialog., *Surius in eius vita.* — Cfr. Rodriguez., loc. cit., cap. 11.

constituit in omni vita futuram: [1] et mirantibus cur tam sollicitus esset in eadem constituenda ac munienda suos inter alumnos, sapientissime respondit: *ei magis cavendum esse quo minus obnoxia periculis falso haberetur.* Iam vero summa ipsa cura et sollicitudo, qua sancti religiosorum Ordinum auctores urgebantur, ut in iisdem paupertatem studiose accurateque fundarent, atque regulis et constitutionibus munirent, huius quidem praestantiam, utilitatem, imo et necessitatem religiosae vitae roborandae ac fovendae luculenter ostendit. At eximia paupertatis praestantia atque vis ex eo clarius elucet quod paupertas sit princeps medium, quo religiosi viri ad *perfectionem* spiritus eorumdem statui congruentem facilius contendant, eamque pro humanae conditionis ratione alacriter prosequantur. Agitur enim hic non solum de *voto*, sed et de *virtute* paupertatis. Illud actus *externos* potissimum respicit, quum voti obiectum sit Religiosum temporalibus bonis expoliare; haec ad *internos* quoque cordis affectus extenditur, cum virtus paupertatis eo tendat, ut inordinatos cordis affectus erga res terrenas abscindat. Religiosa porro vita *schola* perfectionis est, ideo oportet quemque e Congregatione libanensi sodalem non eatenus studere paupertati ut sacrilegia ne admittat, sed summa contentione niti ut eam sectetur tum se rerum proprietate terrenarum exuendo, cum cordis in easdem affectus penitus abiiciendo. — Et vero quilibet Regularis gravi tenetur obligatione in via *perfectionis* progrediendi, aliqua saltem ratione proficiendo in eiusdem cultura. « Indefessum namque proficiendi studium, inquit Bernardus (Ep. 253 ad Abb. Garivum), et iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est ».

Atqui sine sedula paupertatis custodia nequit monachus religiosae perfectioni studere in eaque proficere. Nam qui ad religiosae perfectionis verticem enititur, primum eiusdem gradum ascendere debet discedendo a terra, quod per paupertatem fit; et frustra quis vel uno pede terrenis rebus inhaerens, superiores gradus conscendere praesumit. « Si enim, ut ait Augustinus (Serm. 112, de verb. Dñi), *amor rerum terrenarum viscum et spiritualium pennarum...* in ipso religiosae vitae limine haerent qui visco ne dicatur luto affixi, terrena ita diligunt, ut ea nunquam, satis dimittant ». Quibus omnibus vel ipsi religiosorum Ordinum suffragantur annales. Hi enim luculenter ostendunt, eorumdem omne decus ac robur, totiusque disciplinae vim ac perfectionem a paupertate pendere: scilicet quemvis Ordinem incolumen servatum iri, salvaque omnia fore dum in eo illibata floret paupertas; extrema contra subiturum discrimina si in eo paupertatis leges passim negligantur. Hinc merito paupertas tamquam murus et propugnaculum ponitur, quo religiosae vitae seu magnum perfectionis opus munitur. Quae cum habeant plane explorata infensi eiusdem perfectionis hostes, Religiosorum paupertati potissimum struunt ac moliuntur insidias, eamque undique aggrediuntur: probe rati, fore ut hoc diruto aut occupato propugnaculo, totum

[1] Leo Papa XIII, ep. encycl. *Auspicato concessum*, 17 sept. 1882. — Leonis XIII Acta, vol. III, p. 142-156.

religiosae perfectionis aedificium labefactare ac penitus evertere nullo labore valeant.

Quae de paupertatis vi ac praestantia dicta iam sunt, ipsis divinorum librorum testimoniis mirifice confirmantur. Christus enim Dominus roganti quid sibi agendum foret ut vitam consequeretur aeternam et, cum vel a iuventute divina servasset mandata, sciscitanti quid sibi faciendum superesset, « ait illi Iesus: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus... et veni, sequere me* » (Matt., XIX, 21), thesaurum habiturus in caelo, praemiumque recepturus aeternum. Haec eadem his omnibus dicta censentur, qui ipsum Iesum propius sequi et perfectionem prosequi contendunt: scilicet terrenis renunciandum bonis, affectum ad ea abiiciendum, paupertatem voluntariam amplectendam. Etenim sicut *radix omnium malorum est cupiditas*, ut Apostolus monet (I Timoth., VI, 10), ita contra paupertas est radix et fundamentum omnium virtutum. Quod sanctus Ambrosius declarans ait: « Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum abnegatio generatrix est nutrixque omnium virtutum ». Quare Salvator noster dum caelestem illam de perfectione seu vera beatitudine doctrinam in monte proponeret, primo gradu paupertatem posuit voluntariam, velut ceterorum fundamentum graduum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (Matth., V, 3); quod idem Ambrosius ita commentatur: « primam benedictionem hanc uterque Evangelista posuit. Ordine enim prima est, et *parens quaedam generatioque virtutum:* quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quisquam meritum regni caelestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem ». [1] — Hinc ut eandem virtutem Christus Iesus in hominum corda insinuaret, et altius animis imprimeret, nedum verbis, sed et vitae suae, ab incunabulis ad crucem pauperrimae exemplo commendavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1887].

4932.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Canad.), 14 mart. 1895.

Falso quorumdam mentibus ea opinio incessit, nihil periculi in scholis quas neutras vocant adesse, easque sine discrimine a catholicis pueris posse frequentari. Etenim, aliis omissis, eae quae neutrae scholae dicuntur eo ipso quod ambitu suo exclusam una cum aliis veram etiam religionem faciant, gravem huic inferunt iniuriam quum ab illo principe loco deturbatur, quem quum in omni humanae vitae consuetudine, tum maxime in iuventutis educatione habere debet. Nec fas est asserere privata parentum cura huic defectui posse sufficienter suppleri. Id scilicet remedium mali esse tantum ex parte poterit, sed educationis illius sine Deo in scholis traditae vitium pessimum non excusat. Cui et illud addatur, religionis dignitatem in puerorum existimatione imminui oportere, si illam veluti publico honore carentem intra domesticos parietes relegatam viderint. Quid vero si parentes, desidia aut occupationibus impediti, remissius, ut fieri solet, agant, neque extra disciplinam a liberis in scholis habitam, eorum religiosam institutionem sive per se sive per alios satis curent? Quamobrem nihil ferme ad fidem praeservandam in populis consultius fieri potest, hoc praesertim tempore quum eam tot errorum procella impetitam videamus, quam ope catholicarum scholarum religionem ac pietatem in teneris puerorum animis inserere, excolere et munire, ita ut una cum litterarum rudimentis ac liberalioribus disciplinis christianae vitae instituta alte recipiant, firmaque in reliquum vitae cursum retineant. In id operis qui studia viresque contulerit, is optime meritus de religione iure habeatur.

[1] S. Ambros., lib. 5 *in Lucae* cap. VI.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1890].

4933.

S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Ep. Stat. Foeder. Americae), 25 febr. 1896.

Exigua prorsus indigenarum sacerdotum copia, spiritualibus necessitatibus fidelium et ingentis acatholicorum multitudinis in vastissimis territoriis degentium omnino impar, nonnullis R̄mis Ordinariis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis persuadet ut tamquam singulare providentiae beneficium habeatur adventus sacerdotum, vel ecclesiastici status candidatorum, qui ex variis Europae regionibus oriundi, operam suam in bonum animarum Ordinario loci exhibent et petunt ut in clerum dioecesanum adscribantur. Verum in hac adscriptione peragenda regulas ecclesiastici iuris sapientissime ab Ecclesia datas servare opus est, ne forte in damnum animarum vertatur, quod ad earumdem bonum dirigi debet. Qua in re R̄mos Ordinarios latere nequaquam potest sacerdotis, qui in alienam dioecesim accepatri postulat, obligatio, ut scilicet obtentam a suo Ordinario discedendi facultatem exhibeat una cum eiusdem de immunitate a censuris deque bonis moribus testimonio, aeque ac obligatio candidati litteras dimissoriales et testimoniales Ordinarii originis praesentandi... Sacra Congregatio per praesentes literas omnibus et singulis R̄mis Ordinariis Statuum Foederatorum Americae Septen. notum facit sequentem regulam in posterum servandam esse, ut scilicet nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia dioecesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi testimoniales literas exhibeat huius S. C., quibus de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris, nec non de bonis moribus praesentantis plane constet.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1918].

4934.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 26 febr. 1896.

In seguito alla pubblicazione della Lettera Pontificia *Orientalium dignitas* [1] fu domandato se i cattolici orientali che usano il fermentato, trovandosi in luoghi ove sono solamente sacerdoti latini, ed orientali che consacrano in azimo, debbano sottostare alla giurisdizione del parroco latino, ovvero a quello del parroco orientale che più loro aggrada. A risolvere tal dubbio Sua Santità, udito il parere della *Commissione Pontificia per la riunione delle Chiese dissidenti*, ha deciso che i detti fedeli devono sottostare alla giurisdizione del parroco orientale da loro scelto, dalla quale per altro non potranno sottrarsi finchè dimorano nello stesso luogo. Quanto poi alla Comunione, siccome giusta il decreto della Propaganda (18 agosto 1893), [2] i cattolici orientali non aventi chiesa, o sacerdote proprio, possono liberamente comunicarsi *iuxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis:* per coordinare questo decreto armonicamente con la nuova prelodata disposizione che determina la parrocchialità di quei fedeli, è ben naturale che il detto decreto resti in vigore per le sole Comunioni fatte *devotionis causa*, e non per la Comunione pasquale, e per il Viatico, che dovranno d'ora innanzi essere somministrati dal proprio parroco, perchè non siano lesi i diritti parrocchiali.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1919].

4935.

S. C. de Prop. Fide, decr. 1 maii 1897.

Romana Ecclesia charitate apostolica et suprema auctoritate sua sedulam vigilemque in eo iugiter operam posuit ut Pastorum ac fidelium iura tueri et confirmare niteretur. Quocirca orientalium in America Septentrionali degentium potestatem recognovit proprium exercendi ritum, at simul ipsis subiectionem debitam latinis Ordinariis enixe commendavit. His duabus conditionibus praestitutis, plures, postremis hisce annis, easque utillimas normas edidit quibus eorumdem fidelium bono prospiceret et pietatem foveret. Dolendum tamen est orientales non paucos ob defectum sacerdotum proprii ritus spiritualibus auxiliis ferme destitutos manere. Quapropter ut eorum necessitatibus occurrere posset haec S. C. plurium Episcoporum precibus permota (firmis ceteroquin manentibus praescriptionibus contentis in litteris circularibus editis die 1 oct. 1890, [3] et 12 aprilis 1894, [1] praesertim quoad mittendos in Americam dignos ac coelibes sacerdotes et quoad subiectionem servandam erga Ordinarios latinos) haec tria, SSmo D. N. probante, decrevit:

1. Fidelibus orientalibus ad Americ. Septentrionalem confluentibus facultas esto, si libuerit, sese conformandi ritui latino; regrediendum tamen ipsis erit ad ritum proprium simul ac in patriam revenerint.

2. Orientalibus qui verum et stabile domicilium in America Septentr. constituerint non permittatur transitus ad ritum latinum, nisi obtenta in singulis casibus venia Apost. Sedis.

3. In provinciis ecclesiasticis Americae Septentrionalis, in quibus multi sunt fideles rutheni ritus, Archiepiscopus cuiuscumque provinciae, initis consiliis cum suis suffraganeis, sacerdotem ruthenum coelibatu et idoneitate commendabilem deputet, et, huius defectu, sacerdotem latini ritus ruthenis benevisum, qui super populum et clerum dicti ritus vigilantiam et directionem exerceat, sub omnimoda tamen dependentia Ordinarii loci, qui pro suo arbitrio, facultates ei tribuat quas in Domino expedire iudicaverit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1966].

4936.

S. C. de Prop. Fide, instr. mense dec. 1897.

Episcopus seu Ordinarius auctoritate Apostolica praeditus permittendi clericis vel laicis sibi subditis, ut legere ac retinere valeant libros a S. Sede prohibitos, haec quae sequuntur servanda animadvertat.

1. Presbyteris praestantioribus, et in aliqua ecclesiastica dignitate constitutis concedi posse praedictam facultatem legendi libros prohibitos etiam haeresim vel schisma ex professo propugnantes aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes ad effectum eos impugnandi aut in sacri ministerii honestorumque studiorum subsidium: exceptis semper operibus de obscoenis ex professo tractantibus.

[1] Cf. N. 627.

[2] Cf. N. 4926.

[3] Litt. encycl. S. C. de Prop. F., 1 oct. 1890: «Aliquibus abhinc annis mos invaluit ut in status foederatos Americae Septemtrionalis, praesertim in Archidioeceses Philadelphiensem et S. Pauli, concesserint sacerdotes ritus graeco-rutheni pro suscipienda cura fidelium in illis regionibus commorantium atque eumdem ritum profitentium. Quidam ex his sacerdotibus secum uxores et liberos duxerunt, gravissimum scandalum praebentes catholicis ac dissidentibus ibidem degentibus. Quapropter dictarum regionum Episcopos timor rationabiliter incessit ne ex ministerio cleri uxorati disciplinae ecclesiasticae et religioni in suis dioecesibus maximum detrimentum afferatur, eo vel magis quia plerumque dicti sacerdotes audent sacra munia exercere absque ulla dependentia ab Ordinariis locorum. Quorum instantissimas petitiones excipiens haec S. C. eiusmodi in posterum servandas esse normas decrevit:

«1. Sacerdotes ritus graeco-rutheni, qui in status foederatos Americae Septentrionalis proficisci et commorari cupiunt, debent esse coelibes.

«2. Huic S. C. debent in scriptis manifestare quaenam sit dioecesis ad quam pergere exoptant, ut res deducatur ad notitiam Ordinarii eiusdem dioeceseos.

«3. Sistere se debent coram Ordinario illius dioecesis in qua sacrum ministerium exercere vellent, ut ab eo facultates opportunas implorent.

«4. Memorati sacerdotes eorumdem Ordinariorum iurisdictioni subesse debent».

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1866.

2. Laicis praestantissimis facultatem legendi libros prohibitos, concedi posse ut supra n. 1, sed ad effectum tantummodo eos impugnandi vel in proprii officii honestorumque studiorum subsidium.

3. Aliis presbyteris sive saecularibus sive regularibus, et etiam virtute et scientia praestantibus laicis concedi praedictam facultatem posse: exceptis semper de obscoenis ex professo tractantibus, necnon haeresim vel schisma data opera propugnantibus, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentibus.

4. Clericis vel laicis, studiorum causa, concedi posse ratione studiorum facultatem legendi et retinendi, libros prohibitos suae disciplinae proprios et quoadusque studiorum cursum perfecerint; exceptis operibus de obscoenis ex professo tractantibus, nec non haeresim vel schisma propugnantibus, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentibus.

5. Utriusque sexus laicis petentibus, concedi posse de prudenti arbitrio et conscientia proprii confessarii, facultatem legendi et retinendi, sub custodia tamen et remoto scandalo illos nominatim libros prohibitos quos idem confessarius expedire in Domino iudicaverit; exceptis omnino operibus de obscoenis ex professo tractantibus, nec non haeresim vel schisma propugnantibus aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentibus.

Animadvertendum praeterea erit praedictam facultatem concedi posse:

I. Viris dumtaxat probis eruditisque, quos doctrina, pietate, zelo praestantiores esse perspectum sit.

II. Adolescentibus, qui in publicis scholis, gymnasiis, lyceis, academiis, studiis operam dant, quoad eos libros, quos laicae potestatis imperio prae manibus habere coguntur, quamdiu in ea necessitate versantur.

III. Alumnis autem Seminarii aut Collegiorum ii tantum permittantur libri, qui disciplinae suae proprii sint, et quorum lectio ratione studiorum suorum eis necessaria videatur. Libri autem huiusmodi, antequam eorum lectio permittatur, diligenter examinentur, et perspiciatur an manibus adolescentium sine gravi periculo tradi possint. Quod si ex eorum examine liqueat contra fidem vel bonos mores ex professo agere, aut ita pravos esse ut timendum graviter sit ne iuveniles animos corrumpant, perversisque opinionibus inficiant, nullo modo adolescentibus permittantur. In ceteris autem concedendis caute agendum et sedulo curandum erit, ut infectionis periculum, quantum fieri potest, removeatur, et contra venenum quo libri imbuti sunt, opportunum eis antidotum praebeatur: monitis semper iisdem alumnis licentiam hanc nonnisi pro tempore quo in Collegio aut Seminario versantur sibi concessam esse: quod si ea etiam post discessum indigere videantur, ad Ordinarium vel ad ipsam S. Sedem, ipsis recurrere necesse erit.

Praedicta autem licentia in singulis casibus gratis quovis titulo, et mentione facta de Apostolica obtenta ad id potestate concedatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1986].

4937.

S. C. de Prop. Fide, 10 maii 1898.[1]

In litteris diei 4 elapsi mensis aprilis datis, Amplitudo Tua, exponens virum quemdam Secretae *Old Fellows* Societati adscriptum obiisse, quin ullum poenitentiae signum prius dederit; quaerit:

1. Utrum in similibus casibus liceat administrare Sacramentum Extremae Unctionis et caeremonias publicas peragere, uti cum aliis catholicis?

2. Quid de sepultura ecclesiastica tum quoad caeremonias in Ecclesia, tum quoad locum in coemeterio?

Porro cum Societas anglice dicta *Old Fellows* sit ex damnatis ab Apostolica Sede, cum iis qui illi sunt adscripti eadem tenenda est regula, quae pro aliis addictis sectis ab Apostolica Sede damnatis. Videlicet, Societatibus istiusmodi adscriptis, si sint notorii, neque sacramenta, neque exequias, neque ecclesiasticam sepulturam concedi posse, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero iidem morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis dederint, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum.

Interim vero Deum precor ut Te diu sospitem servet.

Ampl. Tuae Addictissimus Servus M. Card. Ledochowski, *Praefectus*. — A. Archiep. Larissen., *Secret.*

[Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 319, 320].

4938.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. 7 dec. 1901.

Quamvis probe sciat haec S. Congregatio de Propaganda Fide, ingentem provenire Missionibus utilitatem ex ministerio Regularium: ita ut maxime in votis sit videre eorum domus ubique instituti: curandum tamen est, ut res ordinate et ad praestitutae disciplinae normam peragantur. Quamobrem duxit S. C. per praesentes litteras in memoriam Ordinariorum locorum a se dependentium revocare sententiam, quam ut communem hodie, et cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, tradit Constitutio SSmi D. Nostri Leonis XIII, quae incipit *Romanos Pontifices*,[2] nempe: non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. Cui legi cum aut semper aut ubique obtemperatum non fuisse videatur, ideo eius observantiam voluit S. C. per praesentes urgere.

[1] R. P. Dño Iosepho Medardo Emard, Episcopo Campivallensi.
[2] Cf. N. 582.

Diligenter ergo in posterum abstineant Ordinarii omnes S. Congregationi subiecti a licentia danda religiosis Institutis domum aperiendi in territorio propriae iurisdictionis, absque venia prius a praefata S. C. obtenta. Quod vero attinet ad domus religiosas huc usque in iisdem territoriis, S. Congregatione inconsulta, forte erectas, etsi haec, Ordinariis flagitantibus, singulisque ponderatis casibus, propensa omnino sit ad legitimas habendas huiusmodi fundationes: tamen mandat ut de praedictis, si quae existant domibus distinctus ab Ordinariis exhibeatur elenchus, ac simul pro iisdem canonica ratihabitio per supplicem libellum petatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2126].

4939.

S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Ep. Indiar.), 25 apr. 1902.

Cum a S. Propagandae Fidei Congregatione nuper quaesitum fuerit qualem agendi rationem sequi debeant fideles Indiarum Orientalium occasione proximae coronationis anglorum Regis Eduardi VII, in cuius honorem solemnes procul dubio in singulis acatholicorum templis functiones peragentur: negotium supremo S. R. U. I. iudicio rite fuit delatum. Porro EE. ac RR. illius S. Congregationis Patres in comitiis feriae IV diei 9 huiusce vertentis mensis, re undequaque mature perpensa, sequens ediderunt decretum, SSmo Domino Nostro Leone div. Prov. PP. XIII deinde adprobatum: omnes videlicet ac singulos Indiarum Episcopos monendos esse, ne christifidelibus sibi subiectis ullimode ingredi permittant acatholicorum ecclesias, dum in iisdem occasione supradictae coronationis anglorum Regis sacrae habebuntur coeremoniae. E contra exhortentur praelaudati Episcopi, ut in propriis cathedralibus, et in qualibet alia eorum arbitrio pro diversis locorum circumstantiis designanda ecclesia, aliqua sacra coeremonia celebretur cum cantu hymni *Te Deum*, Missa tamen solemni omnino excepta.

Dum huiusmodi dispositionem Amplitudini Tuae communico, nullimode dubito, quin a fidelibus istius dioeceseos eo, quo par est obsequio, fideliter observetur. Neque ipsi mirari forte debebunt, si permitti videant catholicis in civitate Londinensi, ob finem, de quo heic est sermo, templum haereticum adire; nam personalis Regis praesentia aufert ibi ab hoc civilis honoris actu quamvis communicationis in divinis ideam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2136].

4940.

S. C. de Prop. Fide, instr. 31 iul. 1902.

1. I Vescovi ed i preti nestoriani con prudenza e pazienza dovranno essere istruiti sopra i punti principali della fede cattolica che essi ignorano, o soltanto confusamente e inesattamente conoscono. La qual cosa sarà facile,

se si insiste sopra i dommi, la cui esplicita professione, fin dal 1891, fu da Mons. Enrico Altmayer Delegato Apostolico della Mesopotamia indicata alla Propaganda come indispensabile ad esigersi; e se si procura che sia ben spiegata e ben capita la formola di professione di fede che essi debbono emettere. Tali dommi sono:

a) « L'union hypostatique des deux natures divine et humaine dans la personne divine du Verbe, selon le Concile d'Ephèse.

b) « La dénomination de *Dei Genitrix* donnée à la B. Vierge Marie, mère de N.-S. Jesus-Christ Dieu et homme.

c) « La procession du Saint-Esprit *ex Patre et Filio*.

d) « Le nombre septenaire des sacrements.

e) « La matière requise pour la consécration valide du Corps de N.-S. dans l'Eucharistie, à savoir le pain de froment soit fermenté soit azyme.

f) « L'indossolubilité du mariage, même en cas d'adultère ou d'apostasie.

g) « Le jugement particulier immédiatement après la mort.

h) « La croyance catholique sur le Purgatoire et sur les suffrages des vivants en faveur des âmes du Purgatoire.

i) La doctrine des ss. Conciles de Florence et du Vatican sur la Primauté du Souverain Pontife et son infallibilité.

j) « L'admission de tous les Conciles oecuméniques, et nommément celui d'Ephèse.

k) « La confession explicite de croire tout ce que croit l'Eglise Catholique Romaine, de condamner ce qu'elle condamne etc. ».

2. Nessuna umana prudenza può legittimare l'omissione della espressione *Dei Genitrix*. Per fare accettare questa formola dommatica, con dolcezza e prudenza si dica ai fedeli che *Mater Christi* è una espresione cattolica, ma che gli errori passati le diedero presso gli eretici nestoriani ed altri un senso falso, e perciò per evitare ogni errore è necessario che si dica *Dei Genitrix*; senza perciò impedire che si dica *Mater Christi*, quando consti che si vuol dire in senso cattolico. Ma in ogni caso è necessario che le parole *Dei Genitrix* siano almeno in uso così frequenti, come *Mater Christi*.

3. Battesimo. — Sebbene generalmente sembri non potersi dubitare della validità del Battesimo, non è però escluso che in vari casi particolari le formola sia stata omessa o sostanzialmente alterata; perciò con prudenza s'invigili, principalmente trattandosi di Vescovi o preti. E se risultasse in casi determinati nullo o dubbio il Battesimo, si supplisca segretamente. È necessario indurre i nestoriani a battezzare i bambini (anche fuori di chiesa e in case private quando è necessario) almeno *intra octiduum a nativitate*; e distruggere l'errore che, conferito *extra templum* è una pura ceremonia, colla conseguente iterazione *in templo*. Siano anche istruiti sulla validità del Battesimo conferito da uno non prete, o laico. Quanto ai nomi prudentemente si eliminino i non cristiani, e se ciò subito non si ottiene, è ottima norma il decreto citato nel Concilio plenario dell'America Latina, n. 506. [1]

[1] Ecco il testo del decreto: « 506. Curent parochi, ne iis qui baptizantur, scandalosa nomina, turpia, ridicula aut fabulosa, vel impiorum cognomina imponantur; et si id impe-

4. Confermazione. — Questo sacramento deve assolutamente rimettersi in uso, e con prudenza fare che lo ricevano al più presto possibile i Vescovi ed i preti. Istruire con cura speciale sopra questo punto. *Olei sancti.* Resta assolutamente vietato mescolare l'olio consecrato a quello non consecrato nella collazione dei sacramenti.

5. Confessione. — Istruire sulla necessità della Confessione auricolare, e ripristinarla con ogni cura e prudenza, principalmente in favore dei poveri moribondi finora privati di ogni grazia sacramentale.

6. Eucaristia. — Togliere l'incredibile abuso di non pronunziare le parole sacramentali alla consecrazione nella Messa detta *degli Apostoli*, che è la più frequente. Istruire sulla vera formola di consecrazione, e sulla non necessità di mescolare alla farina per le ostie il *molka*, o pezzo di pane fatto dal Vescovo il Giovedì Santo; e vedere se non è putrido tale *molka* dopo più mesi che è fatto. Introdurre l'uso del S. Viatico ai poveri moribondi. Non lasciare ai laici la particola consecrata per comunicarsi nella Pasqua quando sono in viaggio. Ristabilire l'uso frequente della Messa dove è dimenticato. Si può tollerare la Messa detta la sera circa dieci volte l'anno *dummodo servetur lex ieiunii* (*hucusque ibidem vigens*).

7. Estrema Unzione. — Ripristinare assolutamente questo sacramento colle pratiche necessarie per l'assistenza dei moribondi. Istruire con zelo speciale i Vescovi ed i preti sopra questo sacramento.

8. Ordinazione. — Con molta prudenza istruire sulla intollerabilità degli abusi principali, come le apparenze o realtà simoniache in certe circostanze, l'ordinare Vescovi anche dei giovani inesperti, l'ordinare sacerdoti anche quelli che solamente sanno leggere, il conferire talvolta tutti gli Ordini insieme, incluso il presbiterato. In modo speciale e con somma prudenza indurre a non più rendere ereditaria la dignità episcopale. Ridurre il celibato alle limitazioni dovute, cioè non permettere l'ordinazione dei bigami, nè la 2ª, 3ª, e 4ª moglie dopo l'ordinazione.

9. Matrimonio. — In oriente l'azione dei genitori è grande nel consenso dei figli. Ma non si deve tollerare l'abuso dei nestoriani di maritare perfino dei bambini, e dopo che sono capaci di usare del matrimonio farli dormire insieme senz'altra cerimonia: tollerare quello che è tollerabile, ma con prudenza e soavità eliminare gli abusi più sostanziali. Togliere le violazioni dell'impedimento *ligaminis*, in uso quando la moglie si fa musulmana, e molto più quando è adultera.

10. Feste. — Renderle cristiane, e togliere l'abuso, dove esista, di contentarsi per tutta azione cristiana in detti giorni, anche del solo baciare la porta della chiesa o il muro di essa.

11. Digiuni e astinenze. — Si veda se alcuni di questi sono consecrati a uomini non cattolici, o non santi; e se tali siano i nomi di *Mar Zaia*, *Mar Petian*, *Mar Addai* e *Mar Mari*.

dire nullo modo possint, addant nomen alicuius sancti, cuius patrocinio baptizati protegantur. Quo in casu utrumque nomen, impium tamen vel scandalosum intra parentheses, in libro baptizatorum notetur » (S. Congregatio C., 13 iulii 1624, ap. Synod. Ostien. et Velitern. anno 1892, p. 2, art. 2).

12. Immagini sacre. — Istruire, e ristabilirne il culto nelle chiese, poichè nei libri liturgici in qualche modo questo culto esiste, ed anche in chiesa è ammessa l'immagine del Crocifisso scolpita nella croce.

13. Liturgia. — Dovranno introdursi nei libri liturgici le seguenti modificazioni:

a) Sopprimere i nomi degli eresiarchi e degli eretici, come Nestorio, Teodoro, Diodoro ecc.

b) Sopprimere gli offizi e le commemorazioni dei suddetti eretici e d'altri uomini non cattolici.

c) Eliminare tutte le invettive contro il Concilio di Efeso, S. Cirillo Alessandrino, il Papa S. Celestino ecc.

d) Correggere le espressioni eretiche e le frasi mal sonanti.

e) Aggiungere nei Diptici il nome del Sommo Pontefice regnante prima di quello del Patriarca.

f) Si può tollerare l'uso di fare il segno della croce con due dita sostenute dal pollice, e da dritta a sinistra, come usano anche oggidì i grecomelchiti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2149].

4941.

S. C. de Prop. Fide, decr. 4 febr. 1907.

Pluries petitum est a Regularium Ordinum, Congregationum et Societatum Moderatoribus, ut presbyteri suorum Institutorum alumni, ad Sinenses Missiones destinati, perdurante itinere, ne diu Poenitentiae sacramento priventur, cum duo vel plures sunt, sacramentalem confessionem excipere tum invicem inter se, tum etiam aliorum secum iter agentium possint, quamvis iuramentum circa sinenses ritus praescriptum nondum praestiterint. Eiusmodi autem preces cum infrascriptus Cardinalis, Sacro eidem Consilio Praefectus, SSmo D. N. Pio divina providentia Pp. X retulisset in audientia diei 20 decembris anni 1906, Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est, omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros ad Sinenses Missiones destinatos, qui duo vel numero plures consociati, ad littora Sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali, usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati, Regulares scilicet a proprio saltem superiore regulari, alii autem sacerdotes vel a proprio Ordinario ex cuius dioecesi discesserunt, vel ab Ordinario portus, in quo navem conscenderunt, vel etiam ab Ordinario cuiuslibet portus intermedii, per quem in itinere transierunt, posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium, et etiam Religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad Missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium, vel sarcinas per iter ferentium, vel alia quacumque ratione eorum iti-

neris sociorum; non obstante Constitutione fel. rec. Benedicti Pp. XIV incip. *Ex quo*, data die 11 iulii anni 1742, [1] quae vetat missionariis exerci-
tium Sacri ministerii ante emissum iuramentum circa ritus sinenses,
aliisque quibuscumque non obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2294].

4942.

S. C. de Prop. Fide, ep. circular. 1 ian. 1912. [2]

Sacrae huic *Congregationi de Propaganda Fide pro Negotiis Rituum Orien-
talium* persaepe recursum habent clarissimi Viri in ecclesiastica dignitate
et iurisdictione constituti, sive Ordinarii, sive apostolicae Sedis Delegati,
sive alii, a suprema Auctoritate remedium flagitantes contra improbandam
agendi rationem quorumdam ad ritum Orientalem pertinentium, qui hac
et illac, per Europae et Americae praesertim regiones, cursitant ad eleemo-
synas colligendas, quaesito colore vel praetextu propriae missionis necessi-
tates sublevandi.

Huiusmodi viri pecuniam colligentes, qui fere semper ad clerum orien-
talem catholicum se pertinere dictitant, et quandoque etiam vestium orna-
menta et titulos ecclesiasticarum praeseferunt dignitatum, exhibent docu-
menta linguis et characteribus in Occidente parum cognitis conscripta, et
sigillis variis munita, quae ipsi asserunt a Praelatis, vel etiam a Patriarchis
orientalibus prodire, et fidem facere de viri ea exhibentis honestate, et de
necessitate eleemosynarum ad construendas vel reparandas ecclesias, ad
scholas vel nosocomia aedificanda et sustentanda, ad orphanos alendos, aut
populos clade vel fame perculsos adiuvandos, vel ad aliud pium opus pro-
movendum.

Persaepe autem accidit documenta allata apocrypha esse, virum ipsum
sic emendicantem fraudulenter dignitatem et insignia ecclesiastica iactare
et gerere (quae etiamsi constarent vere concessa a suis Patriarchis, tamen
gestari non possent nisi intra limites territorialis iurisdictionis concedentis);
quandoque etiam nec sacerdotio insignitum nec ad Ordines Sacros promo-
tum esse: quinimo compertum est aliquando mendicantem non solum schi-
smaticum sed et infidelem esse.

Saepe etiam scopus ad eleemosynas captandas allatus fictus omnino de-
prehenditur; et generatim pecunia collecta in bonum privatum personale
ipsius cedit, absque ullo beneficio vel levamine orientalium fidelium aut
praedictorum operum.

Quam perniciosa sit et turpis haec agendi ratio, nemo est qui non videat;
nam bona fides et pietas catholicorum decipitur et fraudatur, Orientis genti-
bus et ecclesiis dedecus affertur, laeditur iustitia, et catholicum nomen non
levem iacturam patitur.

[1] Cf. N. 329.

[2] Ad locorum Ordinarios Latini ritus.

Quapropter sacra haec Congregatio et ipsi summi Romani Pontifices
semper conati sunt ut hi graves abusus fraudulentae emendicationis amove-
rentur, uti constat ex litteris Innocentii XI datis mense ianuario 1677, [1]
Clementis XII diei 26 martii 1736, [2] et ceteris omissis, ex monitione ad
apostolicae Sedis Nuntios anni 1875.

Cum autem temporis decursu, dispositiones et monita a suprema Aucto-
ritate lata in oblivionem decidisse videantur, Sedes apostolica etiam nuper-
rime rogata fuit, ut denuo supra memoratos abusus compesceret.

Attenta itaque hodierna itinerum facilitate, visum est non solum prae-
teritas de hac re dispositiones confirmare, sed etiam haec quae sequuntur
statuere:

I. *Ordinarii in sua dioecesi nullum Orientalem admittant pecuniae collecto-
rem* cuiusvis Ordinis vel dignitatis ecclesiasticae, etiamsi exhibeat authentica
documenta quolibet idiomate exarata et sigillis munita, nisi authenticum ac
recens praebeat Rescriptum sacrae huius Congregationis, quo facultas eidem
fit, tum a propria dioecesi discedendi, tum eleemosynas colligendi.

II. Quod si, neglectis hisce apostolicae Sedis mandatis, aliquis Orientalis
ecclesiasticus vir, etiamsi commendatitiis Praelati sui literis munitus, Euro-
pam, Americam vel alias peragret regiones ad eleemosynas colligendas;
Ordinarius loci in quo versatur, eudem moneat de vetita emendicatione,
eumque non admittat ad Missae celebrationem nec ad aliorum ecclesiasti-
corum munerum exercitium.

III. Si autem pervicacem se prodat, Ordinarius, etiam per publicas
ephemerides, clerum et fideles moneat huiusmodi pecuniae quaestus ut
illicitos et reprobatos habendos esse.

IV. Demum, si aliquod dubium oriatur, Ordinarii ad hanc sacram Con-
gregationem referant, quae opportune providebit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide pro
Negotiis Ritus Orientalis, die 1 ianuarii anni 1912. — Fr. H. M. Card. Gotti,
Praefectus. — Hieronymus Rolleri, *a Secretis*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 532, 533].

4943.

S. C. de Prop. Fide, ep. 15 iun. 1912. [3]

Per apostolicas Litteras *Orientalium dignitas Ecclesiarum*, datas pridie
calendas decembres anni 1894, [4] Leo f. r. Pp. XIII quoad ingressum Orien-
talium in religiosas latinas Sodalitates praecepit: « Nulli, utriusvis sexus,
Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quempiam Orientalem inter so-

[1] Cf. N. 4487.

[2] Cf. N. 298.

[3] Ad Superiores Generales Institutorum Religiosorum Latini ritus, de modo tenendo antequam orientales in eorum sodalitates admittantur.

[4] Cf. N. 627.

dales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit ».

Sapientissime quidem id cautum est, ut hac in re, et auctoritati Episcoporum, uti par est, deferretur, et una simul praedictorum Ordinum bono prospiceretur, eisdem fide dignum documentum suppeditando de postulantium vita et moribus.

Ast per memoratam praescriptionem derogatum non fuit dispositionibus iampridem statutis, ac praesertim in generali Conventu sacrae huius Congregationis habito die 1 iunii anni 1885,[1] quibus praecipitur in singulis casibus recursus ad apostolicam Sedem, seu ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, ad quam etiam pertinet facultatem tribuere ritum mutandi vel ad tempus, vel in perpetuum.

Iamvero, cum postremis hisce temporibus compertum sit, non semel Orientales in religiosa Instituta latini ritus receptos fuisse cum testimonialibus quidem litteris Ordinarii orientalis, sed inconsulta prorsus apostolica Sede; sacra haec Congregatio opportunum ducit Superiorum omnium, Institutis religiosis latini ritus, cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, praepositorum, in mentem revocare obligationem qua tenentur, consulendi nempe in scriptis sacram hanc Congregationem antequam inter sodales suos aliquis Orientalis cooptetur.

Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adiunctis; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti postulet in Institutum votorum solemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali; nam pontificium Rescriptum, si favorabile sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum.

Interim Deum precor ut Te diutissime sospitet.

Tuus, Reverendissime Pater, addictissimus Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus*. — Hieronymus Rolleri, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 534, 535].

4944.

S. C. de Prop. Fide, 22 mart. 1916.

Nella plenaria adunanza della S. Congregazione di Propaganda Fide per gli affari di rito orientale, tenutasi il 13 marzo 1916, fu presa in esame la proposta d'estendere agli Orientali il privilegio di dire tre Messe nel giorno della Commemorazione dei fedeli defunti, a norma della Costituzione Apostolica *Incruentum* del S. P. Benedetto XV,[2] con i seguenti dubbi:

I. Se il privilegio Benedettino di celebrare tre Messe nel giorno della solenne Commemorazione dei defunti si estenda agli Orientali.

Et quatenus negative:

[1] Cf. N. 4909.
[2] Cf. N. 706.

II. Se convenga estendere agli Orientali il privilegio di cui è parola nel primo dubbio.

Et quatenus affirmative:

III. In qual giorno i sacerdoti dei diversi riti orientali possano godere del privilegio medesimo.

E gli Emi signori Cardinali dopo maturo esame risposero:

Ad I. Negative.

Ad II. Prout proponitur, non expedire.

Ad III. Provisum.

Il S. Padre nell'udienza accordata al sottoscritto Segretario della medesima S. Congregazione, il 22 marzo seguente, si è degnato di approvare le surriferite risoluzioni. — Girolamo Rolleri, *Segretario*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VIII, p. 104, 105].

9. - S. C. INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS PRAEPOSITA.

4945.

S. C. Indulg., decr. 6 febr. 1657.

SSmus D. N. Alexander PP. VII declarat et decernit, quod quaecunque coronae, rosaria, grana, calculi, cruces, numismata (*medaglie* vulgo nuncupatae) et sacrae imagines, sive sint S. Caroli Borromaei, sive quinque Sanctorum a fel. rec. Gregorio XV Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatorum, sive quaecumque aliae cum indulgentiis antea a Romanis Pontificibus, Sanctitatis Suae Praedecessoribus, benedictae et concessae (quae quidem in hunc usque diem distributae sunt), non transeant personam illorum, qui eas de praesenti obtinent, neque commodari, aut precario dari possint; et quae a Sanctitate Sua concessa sunt, vel in posterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem SSmo concessae fuerint, vel quibus a praedictis de ordine eiusdem SSmi prima vice fuerint distributae, ita ut a nemine aliis commodato vel precario concedi possint, alioquin careant indulgentiis concessis. Et quantum attinet ad coronas, rosaria, grana seu calculos, cruces, numismata (*medaglie* nuncupatas) et sacras imagines cum indulgentiis ab iisdem Sanctitatis Suae Praedecessoribus benedictas et concessas, quae usque in hodiernum diem effectum sortitae non sunt, id est nulli hactenus distributae sunt, nemini uti benedictae deinceps distribui possint, quodsi de facto distribuantur, careant indulgentiis iam concessis. Ac aliqua re ex praemissis, ut praefertur, benedicta, deperdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit, quacumque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis et expressa mentio facienda esset, cui per praesentes Sanctitas Sua derogavit et derogatum esse voluit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., p. 447, n. IV].

4946.

S. C. Indulg., 19 mart. 1671.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cuius praecipua cura est, ut sublatis ambiguitatibus, fallaciis, et ea, quae multitudo parere solet, confusione, unusquisque fidelium certis, minimeque dubiis indulgentiis perfruatur; inhaerendo Apostolicis Constitutionibus, nimirum fel. rec. Clementis VIII cuius initium *Quaecumque* etc., [1] et Pauli V,

[1] Cf. N. 192.

quae incipit: *Quae salubriter* etc., [1] declarat, nulli Ordini, Congregationi, Societati, etiam Iesu, Capitulo, Archiconfraternitati, Confraternitati, vel Coetui cuicumque, neque eorum superioribus, officialibus, seu ministris, aliisque personis quibuscumque etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, licuisse, nec in posterum quandocumque liciturum, ullas Indulgentias aliis communicare, nisi eas, quae a memorato Paulo vel eius successoribus Romanis Pontificibus praescriptae et concessae, seu antea concessae, specialiter postea renovatae, sive in specie confirmatae fuerunt, etiamsi facultas illas communicandi eis a S. Sede Apostolica cum quibusvis clausulis et decretis ante emanatam Pauli praefatam Constitutionem concessa fuisset. Communicationes autem indulgentiarum eo, quem diximus, modo iam hactenus factas, tum quae deinceps quandocumque fient, nullas, nulliusque roboris et momenti esse, et fore; easdem communicationes nullas pariter, minimeque ratas et validas futuras, nisi servata forma supradictae Constitutionis Clementis VIII, cum specifica et individua expressione Indulgentiarum, quae communicantur (idest ut singulae nominentur et exprimantur) factae fuerint.

Declarat insuper, Regulares quoscumque cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam Iesu, ac Instituti, etiam specifica et individua mentione digni, et dignae, non potuisse, nec posse Confraternitatibus, Sodalitatibus, aliisque similibus Congregationibus quibusvis tam hactenus erectis, et institutis, quam in posterum quandocumque erigendis, et instituendis, sive quorumcumque privilegiorum vigore aggregatis et aggregandis, ullo modo communicare indulgentias ipsis Regularibus concessas; sed tantum illas, quas ut huiusmodi Confraternitatibus, Sodalitatibus, seu aliis similibus Congregationibus communicent, facultas eis specifice et nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit. Die 16 martii 1671. Et die 19 eiusdem mensis, facta relatione ad SSmum D. N., Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, et ita servari mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 6].

4947.

S. C. Indulg., 23 apr. 1675.

Tria dubia per Secretarium erant proposita, et per omnium manus transmissa, ut diligentius examinarentur:

1. *Utrum indulgentia plenaria in articulo mortis, quae sine alia declaratione adiecta concedi solet, in vero mortis articulo accipienda sit, an in praesumpto, an demum in utroque?*

2. *An cunctis petentibus sit indulgentia plenaria in articulo mortis concedenda?*

3. *An contriti, sed neque confessi, neque SSma Communione refecti indulgentiam plenariam consequantur, quam supplicantibus passim pro mortis articulo largiuntur Romani Pontifices?*

[1] Cf. N. 196.

Sac. Congregatio die 23 aprilis 1675 respondit:
Ad 1. *In vero tantum articulo accipi.*
Ad 2. *Cunctis petentibus concedendam esse.*
Ad 3. *Eiusmodi contritos indulgentiam lucrari, si Pontifex in sua concessione Confessionem, vel aliud simile non requirit.*
[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 9].

4948.

S. C. Indulg., 23 apr. 1676.

Licet s. m. Paulus PP. III per binas suas Constitutiones [1] concesserit, ut SSmi Corporis Christi Confraternitates omnes et singulae ubivis locorum institutae ac instituendae, iisdem privilegiis, concessionibus, indulgentiis, gratiis et indultis, quae Confraternitati SSmi Sacramenti in Ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe erectae largitus fuerat, ac in posterum largiretur, uti, potiri, et gaudere possent ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones et Ordinationes, quae deinceps emanarunt, praesertim vero per similis memoriae Clementis VIII Constitutionem de aggregationibus editam, [2] facultates et indulgentiae tam supradictae S. Mariae de Minerva, quam ceteris omnibus Confraternitatibus antea concessae, aut abrogatae aut saltem moderatae comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium revocari posse videtur, an huiusmodi Pauli III concessiones pristinum suum robur adhuc retineant.

Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praefectorum, optans summopere SSmi Sacramenti venerationem et cultum in dies magis augeri, et ob eam causam huiusmodi Societatem in omnibus ecclesiis parochialibus erigi, atque ad id Christifideles praecipuis gratiis excitari, speciali ordine habito vivae vocis oraculo a SSmo D. N. Clemente PP. X fel. rec. Pauli V vestigiis inhaerente, decernit, ac declarat. iuxta easdem Pauli III Constitutiones, Confraternitates omnes et singulas SSmi Corporis Christi, ubique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione fore et esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, facultatum, gratiarum et indultorum ab eodem Paulo V Archiconfraternitati SSmi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romae apud S. Petrum die 3 novembris 1606 nominatim et expresse concessorum ac in posterum a Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus et singulis uti, potiri, gaudere posse ac debere statim, atque Confraternitatum earumdem erectio, Apostolica vel Ordinaria auctoritate facta fuerit; servata tamen in reliquis omnibus praedicta Clementis VIII Consti-

[1] Const. *Dominus Noster*, 30 nov. 1539. — Bull. Rom., tom. 4, I, p. 167-170.
[2] Cf. N. 192.

tutione. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis de indulgentiis ad instar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscumque.
[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 13].

4949.

S. C. Indulg., 17 nov. 1676.

Dubium erat in folio per manus omnium transmisso: *An Episcopus clero et populo cupienti sanctorum Martyrum corpora, quae in altari satis honorifice reposita sunt, pretiosiorem in loculum, seu capsam condere, ac super eodem altari collocare, vel extra dioecesim transferre, possit eius rei tribuere facultatem?*

Et adhibita distinctione Sac. Congregatio die 17 novembris 1676 respondit:

Posse quidem licentiam concedere Sanctorum corpora perpetuae data sepulturae transferendi ad locum decentiorem in eadem ecclesia: sed alienandi, aut extra dioecesim transferendi, sine Romani Pontificis auctoritate non posse.
[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 14].

4950.

S. C. Indulg., 27 sept. 1677. [1]

Avendo risoluto questi miei Illustrissimi Signori della Congregazione dell'Indulgenze, con autorità ed ordine particolare avuto *vivae vocis oraculo* dalla Santità di N. Signore, di levare alcune difficoltà che si trovano nell'eseguire la Costituzione di Clemente VIII di felice mem. fatta già sopra le aggregazioni delle Confraternite, [2] e dichiarare ancora alcune cose concernenti le istruzioni antiche fatte dai Superiori delle Religioni, fanno sapere a V. S., che si contentano, che i Superiori Regolari, a' quali è stata concessa nuova facoltà da Sua Beatitudine d'istituire Confraternità secolari (secondo la forma della suddetta Costituzione), possano confermare senza consenso dell'Ordinario de' luoghi quelle Confraternità, le quali si trovano canonicamente erette da' medesimi Superiori Regolari, avanti che si pubblicasse l'istessa Costituzione nelle Chiese proprie loro Collegiate, dove stiano almeno dodici Religiosi di famiglia ordinaria, non ostante che nella patente della confermazione si dica espressamente farsi ciò di consenso dell'Ordinario medesimo. Dichiarando però, che nel fare nuova istituzione nelle Chiese tanto Regolari quanto Secolari di qualunque sorta, e nel confermare eziandio l'antiche erette in Chiese Secolari e Regolari ancora, nelle quali non stiano dodici Religiosi, si debba necessariamente avere il testimonio e consenso dell'Ordinario, ed osservare tutto il restante che si prescrive nell'istessa Costituzione.

[1] Archiepiscopo Bononiensi.
[2] Cf. N. 192.

Permettono similmente, che i medesimi Regolari, a' quali è stata concessa la suddetta nuova facoltà d'istituire, possano confermare le Confraternità antiche, e istituirne di nuove, ancorchè non sia tutta quella distanza di luoghi, ove sono e saranno tali Confraternità, che viene prescritta da' Brevi Apostolici, mentre però oltre tutti gli altri requisiti concorra anche a questo il consenso particolare dell'Ordinario del luogo, il quale si dovrà esibire in scritto, prima che si dispensi sopra tal distanza, e non altrimenti.

Permettono ancora che ritrovandosi diverse Confraternità di secolari antiche, erette canonicamente, come sopra, in Chiese Regolari Collegiate di dodici Religiosi almeno, si possano confermare, servata però in tutto il resto la forma data dalla medesima Costituzione; e parimente che essendo in una Città o Terra più d'una Confraternità antica dell'istesso nome ed istituto, eretta canonicamente da' Superiori Regolari, si possano confermare secondo la suddetta forma; ma nell'istituire nuove Confraternità vogliono le Signorie loro Illustrissime, che una sola se ne possa fare in qualunque Città, Terra o Luogo, eccettuando però la Compagnia del Santissimo Sacramento, la quale concedono, anzi desiderano che sia eretta in ogni Chiesa Parrocchiale, non ostante che ci si trovi eretta prima qualsivoglia Confraternità.

E perchè molti dubitano, se per la Costituzione di Sua Beatitudine sopra l'Indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con rivocazione dell'antiche, vengano rivocate anche l'Indulgenze concesse alle Chiese Regolari ed a quei che le visitano, ancorchè la Costituzione comprenda chiaramente solo le persone Regolari, senza estendersi alle Chiese loro; tuttavia la Congregazione per levare ogni dubbio, dichiara che l'Indulgenze concesse a quelli che visitano le Chiese de' Regolari, stiano nella loro forza e vigore, finchè la Santità Sua farà altra deliberazione, e però si possono lasciare pubblicare, quando non osti altra cosa.

Tutto questo è parso alla Congregazione di scrivere a V. S. acciocchè nell'occorrenze di cotesta Chiesa sappia ciò, che passa in questo particolare, e lo faccia sapere ancora a' Vescovi della sua Provincia, ed io prego a V. S. dal Signore ogni vero bene. – M. Card. Arigone. – Dominicus Peregrin, *Secret.*

[Ferraris, V. *Confraternitas*, art. I, n. 33].

4951.

S. C. Indulg., 7 mart. 1678.

Delatae saepius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam indulgentiae quaedam confictae et omnino falsae, quae per diversas orbis christiani partes circumferuntur; aliae vero examinandae, quae adhibito studio inventae sunt vel apocryphae, vel a Romanis Pontificibus revocatae, vel nullae, quod datum eis tempus praeterisset; quarum quidem plurimae, cum non facilem cognitionem habeant, Christifideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe indulgentiae remissio-

nisque peccatorum suorum consequendae frustrantur: quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui et indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi et in indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illae, uti asserunt, concessae a Ioanne II et Sixto IV recitantibus Orationem charitatis Iesu Christi Domini Nostri: *Precor te, piissime Domine* etc.; ab Urbano II ecclesiae S. Mariae, ut vulgo dici solet, *Campagnolae et S. Victoriae;* ab Eugenio III revelationi de plaga in humero Iesu Christi factae S. Bernardo; ab Innocentio III Archiconfraternitati et Ordini Redemptionis; a Bonifacio IX visitantibus capellam S. Nicolai de Tolentino in eius die festo; a Ioanne XXII osculantibus mensuram plantae pedis B. Mariae V; ab Alexandro VI imagini B. Mariae, vulgo dictae *Laghetti;* a Leone X gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressae, deinde Mediolani anno 1663 (suas tamen habent et veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci); recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii; et imagini Conceptionis Mariae Virginis immaculatae in circulo depictae, cuius pedibus luna subiecta est; a Pio IV vel Pio V Principi Senarum, a Clemente VIII dicentibus Orationem: *O magnum mysterium* etc.; et ecclesiae S. Mariae, quam vocant *Montis Serrati*, Avenione impressae; tum aliae pro animabus Christifidelium defunctorum impressae Matriti 20 iulii 1606; a Paulo V cantantibus Hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur;* vel si die Sabbati intererunt, dum idem canitur; et coronis, rosariis, imaginibus, et numismatibus, quae *medallias* appellant, ab eo benedictis, Federico Card. Borromaeo supplicante anno 1611, dum Ecclesia Romae in honorem S. Caroli aedificaretur; et ab eodem Paulo et Gregorio XV dicentibus *Sia lodato il Santissimo Sagramento, Laus Sanctissimo Sacramento;* ab Urbano VIII in honorem eiusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti; et sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus *Ave Filia Dei Patris, ave Mater Dei Filii;* a Clemente X recitantibus mane, meridie ac vespere consuetam Antiphonam *Angelus Domini* et in fine *Deo gratias et Mariae;* ac demum aliae a nonnullis Romanis Pontificibus tributae, ut aiunt, coronis mysteriorum Passionis Domini nostri Iesu Christi, prece Magni Ducis Etruriae.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica et Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a purgatorii poenis affirmant. Tales aliae Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani et Rochi, et Romae Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani; tales demum aliae Crucesignatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini et Bononiae.

Eius generis sunt et illae concessae, ut aiunt, capellae Rosarii in ecclesia S. Antonii de Rovigo seu Rodigii, vel ecclesiae sanctissimae Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die festo Inventionis sanctissimae Crucis; vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula; vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. Virginis; vel recitantibus Officium S. Franciscae Romanae, aut Antiphonam *O Passio magna* etc. in memoriam Passionis Iesu, aut rosarium S. Annae

(quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat), aut Orationem, quae impressa cum imagine S. Annae circumferri solet *Ave gratia plena* etc. (quae Oratio prohibetur), aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatae, quod asserunt a Paulo V probatum fuisse; aut Orationem *Deus, qui nobis in sancta Syndone* etc. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671 concessa precibus Ducissae Sabaudiae ad annos 25 cunctis in illius ditione degentibus); aut aliam *Ave Filia Dei* etc. post Communionem recitandam; vel aliquo conspicuo signo venerantibus sanctissimi Eucharistiae Sacramenti nomen; indulgentiae rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscriptae, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant pro dicentibus Orationem illam vere piam *Deus, qui pro redemptione mundi* etc.; tum quae impressae iterum fuerunt Papiae anno 1670 sub hoc titulo *Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Signore Papa Leone X all'Immagine della Concezione della gloriosa Vergine Maria*, vel Pisauri sub nomine Beatae Ioannae, anno 1608 evulgatae, vel Barlettae, seu Baruli a recitantibus quasdam non sane malas Orationes lucrandae, vel Parmae a visitantibus per Quadragesimae dies ecclesias tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii et Vastallae a recitantibus Orationem *Ave sanctissima Maria, Mater Dei, Regina coeli* etc. et aliae in peculiari impresso libro descriptae, quibus frui dicunt devotos Seraphicos et benefactores.

His annumerandae sunt, quae crucibus Caravaccensibus tributae dicuntur; vel coronae, sive stellario Conceptionis Virginis immaculatae, quod ex duodecim globulis precariis constat; vel granis, crucibus et coronis Aloisiae ab Ascensione, Hispanae Monialis Ordinis S. Clarae; vel mensurae altitudinis Iesu Christi D. N.; vel imagini, aut mensurae vulneris lateri eius inflicti; vel Orationi, ut aiunt, in sepulchro D. N. repertae; et indulgentiae, ut aiunt, innixae revelationi factae S. Birgittae, Mechtildi, et Elisabeth; vel B. Ioannae de Cruce, et concessae, ut asserunt, granis, quae aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum regem, et Ministrum Generalem FF. Minorum Observantiae S. Francisci.

Omnes vero et singulas iam dictas indulgentias Sac. Congregatio partim esse confictas et plane falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quae nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari et lucrandas Christifidelibus proponi vetat; foliaque et libros, ubi sic proponuntur seu asseruntur, omnino praecipit aboleri, nisi praedictae indulgentiae fuerint diligenter expunctae; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris et legitimis taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII latum die 9 ianuarii 1597 coronis, rosariis, granis, seu calculis, crucibus et imaginibus sacris, vel ante Bullam Pauli V, quae incipit *Romanus Pontifex* etc., editam 23 maii anno 1606[1] personis Regularibus quarumcumque Religionum et Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115

[1] Bull. Rom., tom. 5, III, p. 207-209.

Clementis VIII, cuius initium *Quaecumque* etc.[1] et 68 Pauli V incipientem *Quae salubriter* etc.[2] habitas per aggregationem vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Iesu, Capitulo, vel coetu quocumque, vel ab eorum officialibus, Superioribus aliisque personis vel persona, etiamsi earum vel eius mentio specialis et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatae aut confirmatae, nullius esse roboris et momenti pariter declarat.

Porro Summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinae Christianae, Confraternitatibus SS. Trinitatis et Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariae de Mercede et Redemptionis captivorum, B. Mariae de Monte Carmelo, Cincturae S. Augustini et S. Monicae, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum cuncta Sanctitas Sua probavit et inviolate servari iussit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 18].

4952.

S. C. Indulg., *Romana*, 22 dec. 1710.

Exstat in nobili Collegio Clementino de Urbe quaedam Congregatio sub invocatione SS. Nominis Mariae et S. Ioseph canonice erecta, cui adscribuntur tum Religiosi, tum convictores aliique in praedicto Collegio commorantes. Hi omnes, ut indulgentias lucrarentur, quibus fruuntur confratres venerabilis Archiconfraternitatis SS. Nominis Mariae positae in ecclesia S. Bernardi ad Columnam Traianam, eidem Archiconfraternitati aggregari obtinuerunt. Verum post assecutam aggregationem non levis dubitatio orta est, an praefatas indulgentias obtinere valeant; siquidem aggregandi facultas a s. m. Innocentio XI Archiconfraternitati concessa illas dumtaxat respicere videtur Confraternitates, quae extra Urbem reperiuntur. Verba Brevis sunt haec: *ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectae officialibus et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates eiusdem instituti extra Urbem praedictam ubicumque locorum exsistentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis Papae VIII,*[3] *Praedecessoris Nostri, desuper edita, aggregare illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones communicare libere et licite possint, etc.*

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 196.
[3] Cf. N. 192.

Quaeritur ergo:

An ven. Societas in Collegio Clementino erecta obtinere valeat indulgentias, quibus gaudet Archiconfraternitas SS. Nominis Mariae ecclesiae S. Bernardi?

Et quatenus negative,

An et qua ratione provideri possit, ut illas in posterum lucretur?

Sac. Congregatio die 22 decembris 1710 respondit:

Quoad primam partem: *Negative, et aggregationem non sustineri.*

Quoad secundam: *Dilata.* [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 31].

4953.

S. C. Indulg., 23 mart. 1711.

Cum venerabilis Archiconfraternitas Doctrinae Christianae posita in ecclesia S. Martini de Urbe, Sacrae Congregationi Indulgentiarum humiliter exposuerit, saepius a nonnullis dubitatum fuisse, an attenta Bulla a s. m. Paulo V edita, quae incipit *Ex credito,* [2] satis sit, ut una Confraternitas eiusdem instituti in aliqua civitate aggregetur, ad hoc, ut cunctae aliae similes Confraternitates ab Ordinario loci erectae seu erigendae, aggregatae pariter censeantur, vel potius insuper requiratur, ut singulae Confraternitates, quae in tota dioecesi eriguntur, ab Archiconfraternitate seorsim aggregationem suscipiant; cumque pariter supplices preces porrexerit, ut EE. PP. ea de re suum oraculum proferre dignarentur, eadem Sacra Congregatio, etiamsi verba praedictae Bullae satis clara viderentur, tamen, ne ullus in posterum dubii locus superesset, die 23 martii 1711 declaravit, *sufficere, ut aliqua Confraternitas Doctrinae Christianae in una civitate Archiconfraterni-*

[1] Vide S. C. Indulg., *Romana*, 24 aug. 1711: Discusso dubio in hac Sacra Congregatione die 22 decembris anni proxime elapsi: *an Societas in nobili Collegio Clementino de Urbe erecta et Archiconfraternitati SS. Nominis Mariae aggregata eas obtinere valeat indulgentias, quibus Archiconfraternitas fruitur*, et ea de causa ipsa in primis aggregatione in examen deducta, unanimi consensu responsum fuit: *aggregationem non sustineri.* Quapropter praedicti Collegii convictores aliique tum religiosi, tum laici in eodem commorantes SSmo D. N. supplicem libellum porrexere, quo exposuerunt, se in posterum curaturos, ut ab eadem Archiconfraternitate singuli in praedicto Collegio degentes in albo confratrum describantur, ut tanquam veri confratres indulgentiarum participes fieri possint. Verum quia Sacramentis refici et divina officia celebrare tenentur in privato Collegii oratorio, humiliter postularunt, ut SSmus D. N. clementer indulgeat, ipsos praefatum oratorium invisentes, ibique recitationi Officii B. M. V. aliisque precibus vacantes, eas lucrari indulgentias, quas confratres eadem exercitia in ecclesia S. Bernardi ad Columnam Traianam peragentes consequuntur, insuper asserentes, se identidem missuros certum convictorum numerum, qui publicis functionibus ab Archiconfraternitate faciendis sacco superinduti totius Collegii nomine intersint.

Quaeritur itaque:

An Oratorum precibus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 24 augusti 1711 respondit:

Negative.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 39].

[2] Die 6 oct. 1607. — Bull. Rom., tom. 5, III, p. 284-286.

tati aggregata sit, ad hoc, ut cunctae aliae ab Ordinario loci in tota dioecesi erectae seu erigendae, aggregatae censeantur, et omnium spiritualium gratiarum et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 35].

4954.

S. C. Indulg., 22 apr. 1711.

Licet ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita non semel declaratum fuerit, nonnulla sanctimonialium monasteria, quae antea sub gubernio Fratrum sui Ordinis degebant, per hoc, quod Episcopo loci subiecta deinde fuerint, privilegia et indulgentias, quibus antea fruebantur, nullatenus amisisse; tamen cum saepius alia etiam monasteria, quae simili modo sub immediata Episcoporum iurisdictionem translata sunt, idem ab Apostolica Sede declarari humiliter postulaverint; ut nulla in posterum dubitandi ratio supersit, eadem Sacra Congregatio, re mature discussa, die 20 aprilis 1711 declaravit, monasteria omnia sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam iurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu exsisterent. Quam Sacrae Congregationis sententiam SSmus D. N. die 22 eiusdem mensis approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 36].

4955.

S. C. Indulg., 20 maii 1711.

Discusso dubio in Sacra Indulgentiarum Congregatione: *An attentis verbis, quae in Brevibus indulgentiarum apponi solent:* « prasentibus ad septennium valituris », *septennii initium a die publicationis Brevis desumendum sit?* eadem Sacra Congregatio sub die 18 maii 1711 declaravit: *Non a die publicationis, sed a die Datae Brevis septennii tempus incipere.*

Et facta relatione SSmo D. N. per me infrascriptum Secretarium die 20 eiusdem mensis Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 37].

4956.

S. C. Indulg., *Conimbricen.*, 28 ian. 1716.

Sacra haec Congregatio decreto edito die 20 aprilis 1711 [1] declaravit, sanctimonialium monasteria, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam iurisdictionem Episcopi translata sunt, seu in poste-

[1] Cf. N. 4954.

rum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse aut amissura fore. Verum nonnulla monasteria reperiuntur, quae, licet regulare aliquod institutum sectentur, numquam tamen regimini Religiosorum eiusdem instituti, sed ab ipsa fundatione ad haec usque tempora vel S. Sedi, vel locorum Ordinariis immediate subiecta exstiterunt. Huiusmodi est monasterium SS. Sacramenti oppidi Lourical, quod quamvis S. Francisci regulam profiteatur, tamen sub immediata iurisdictione Episcopi Conimbricensis erectum fuit; ideo Abbatissa et Moniales eiusdem monasterii declarari humillime postulant:

1. *An memoratum huius S. Congregationis Decretum suum etiam monasterium comprehendat?*

Et quatenus Negative,

2. *An ad illud extendi debeat?*

Sac. Congregatio die 28 ianuarii 1716 respondit:

Consulendum Sanctissimo pro concessione omnium indulgentiarum, quibus gaudent alia monasteria Ordinis S. Francisci.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 58].

4957.

S. C. Indulg., 28 apr. 1716.

Post relatum in Sacra Congregatione habita die 28 mensis ianuarii labentis anni [1] supplicem libellum Monialium monasterii oppidi Lourical Conimbricen. dioecesis, humiliter postulantium, ut EE. PP. declarare dignarentur, quod huiusmodi monasterium, quamvis ab ipsa fundatione sub immediata iurisdictione Episcopi semper exstiterit, tamen iisdem gauderet indulgentiis, quibus gaudent monasteria, quae semper sub gubernio Superiorum Regularium exstitere, placuit Eminentissimis Patribus respondere: *supplicandum SSmo pro petita declaratione, et quatenus opus sit, pro nova concessione omnium indulgentiarum, quibus fruuntur ceterae Moniales Ordinis S. Francisci sub immediata iurisdictione Superiorum Regularium degentes.* Quibus SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua, iuxta votum huius Sacrae Congregationis benigne annuit. Verum similibus precibus a Monialibus Ordinis S. Augustini Barensis civitatis subinde SSmo D. N. expositis, Sanctitas Sua mandavit, ut dubium generale proponeretur pro cunctis Monialibus idem postulantibus.

Quaeritur igitur:

An cuncta monasteria Monialium, quae numquam sub gubernio Superiorum sui Ordinis fuere, iisdem indulgentiis fruantur, quibus gaudent Moniales, quae actu degunt, vel saltem aliquando exstitere sub immediata iurisdictione Superiorum Regularium sui Ordinis?

Sac. Congregatio die 28 aprilis 1716 respondit:

Supplicandum SSmo pro declaratione, quod Moniales cuiuscumque Ordinis Regularis, quamvis actu non degant, nec umquam exstiterint sub gubernio Regularium, gaudeant omnibus indulgentiis, quibus fruuntur ceterae Moniales, quae sub gubernio Fratrum sui Ordinis exsistunt, et quatenus opus sit, pro nova concessione earumdem indulgentiarum.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 59].

[1] Cf. N. 4956.

4958.

S. C. Indulg., *Wladislavien.*, 14 dec. 1717.

Cum de validitate nonnullarum indulgentiarum, quas s. m. Innocentius XI Conventui FF. Minorum de Observantia nuncupatorum Wejeropolis concesserat, a nonnullis dubitatum fuerit, placuit EE. PP. die 6 iulii labentis anni 1717 rescribere: *Constare de indulgentiis a s. m. Innocentio XI concessis die 12 martii anno 1678.* Verum cum insuper declarandum superesset, an fideles, attento Brevi concessionis, easdem indulgentias saepius eodem die lucrari valeant, rescriptum pariter fuit: *in reliquis dilata, et ponatur in folio.* Verba itaque in praefato Brevi contenta, quae in praesenti expendi debent, sunt quae sequuntur:

Ac etiam illis, qui similiter vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti Viam Captivitatis Christi nuncupatam, quae ibidem ad dimensionem Hierosolymitanam (ut etiam accepimus) aptata est, peregerint, in illaque Via diversa sacella, in quibus mysteria Passionis D. N. J. Ch. repraesentantur, itidem devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer concedimus.

Ex quibus orta est quaestio:

An illi, qui saepius eodem die Viam Captivitatis Christi nuncupatam peregerint, necnon praefata sacella visitaverint, non unam sed plures indulgentias plenarias eodem die lucrari valeant?

Et Sac. Congregatio die 14 decembris 1717 declaravit:

Illos, qui praefeta peregerint, unicam dumtaxat in die indulgentiam plenariam lucrari posse.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 67].

4959.

S. C. Indulg., *Zagabrien.*, 17 febr. 1718.

Post erectam in ecclesia S. Michaelis loci Iosephburgi Berg Confraternitatem sub invocatione eiusdem S. Michaelis Archangeli s. m. Innocentius XII indulgentias similibus Confraternitatibus in perpetuum dari solitas, eidem benigne concessit die 29 maii 1695. Cum autem Episcopus Zagabriensis humillime postulaverit, ut Eminentissimi Patres nonnulla dubia desuper exorta declarare dignarentur, audito voto unius ex Sacrae huius Congregationis Consultoribus, rescriptum fuit: *Iterum proponatur.*

Dubia autem, quae praedictus Episcopus Zagabriensis proposuit, sunt haec:

1. *An haec Confraternitas sit restricta solum ad capellam S. Michaelis Iosephburgi, vel etiam, attentis illis verbis, quae habentur in Brevi,* nempe congregationibus publicis vel privatis eiusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, *sit extensibilis non solum ad dioecesim Frisingensem, sed etiam ad alias dioeceses, in quibus huiusmodi Confraternitates dependenter a matrice et principali capella Iosephburgi erectae reperiuntur?*

Et quatenus sit extensibilis,

2. *An huiusmodi erectioni aut quasi filiationi Confraternitatum obstent verba Brevis:* utque si dicta Confraternitas etc.?

3. *An confratres et consorores alibi exsistentes lucrari possint indulgentiam plenariam concessam pro festo S. Michaelis, visitando alias ecclesias ab Ordinario designatas, seu potius praedicta indulgentia intelligi debeat solum concessa capellae Iosephburgi?*

4. *An non obstante clausula Brevis* Volumus autem, ut alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus etc. *confratres et consorores dictae Confraternitatis, si alteri Confraternitati adscribantur, lucrari possint indulgentias aliis Confraternitatibus concessas, aut super numismatibus a SSmo D. N. dari solitas vel alias similes?*

Sac. Congregatio die 17 februarii 1718 respondit:

Ad 1. *Quoad primam partem Affirmative, quoad secundam Negative.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Quoad primam partem Negative, quoad secundam Affirmative.*

Ad 4. *Affirmative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 68].

4960.

S. C. Indulg., 10 apr. 1720.

Ad tollendos nonnullos abusus, qui in expediendis litteris patentibus aggregationum Archiconfraternitatibus Almae Urbis retroactis temporibus irrepserant, Sacra Congregatio Indulgentiarum decreto edito die 6 martii 1608, approbante s. m. Paulo V, statuit atque decrevit, ut pro expeditione praedictarum litterarum aggregationum, seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, secretarii notariique labore, vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque, nihil omnino ultra scutatum unum aureum pro omni aggregatione, institutione, vel confirmatione quovis praetextu, aut colore etiam merae eleemosynae exigi, aut recipi valeat, sub poena ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque indulgentiarum et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, et privatione pariter officiorum et inhabilitate ad eadem officia in posterum obtinenda pro ministris, superioribus, officialibus aliisque contra praedictum decretum facere praesumentibus; quae a nullo alio, nisi a Romano Pontifice pro tempore exsistente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus poenis,

arbitrio eiusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu praedicti decreti oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita habita die 9 aprilis 1720 decrevit atque mandavit singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis et Archiconfraternitatibus, eorumque superioribus, ministris atque officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut pro expediendis litteris patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscumque nihil ultra unum scutatum aureum sub quovis praetextu, aut quaesito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynae recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem poenis contentis in supra memorato decreto edito die 6 martii 1608, ne Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, coelestes Ecclesiae thesauros non quaestus aut alicuius lucri causa, sed ad pietatem fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. Clementi XI relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis decretum approbavit, et in omnibus executioni mandari iussit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 76].

4961.

S. C. Indulg., *Romana*, 11 maii 1722.

Ut nonnulli abusus, qui longo temporis decursu irrepsisse dicebantur, penitus abolerentur, Sacra haec Congregatio die 9 aprilis 1720 [1] inhaerens alteri decreto iam antea edito, anno videlicet 1608, declaravit, ut pro litteris patentibus aggregationum, seu verius pro expensis illarum, nil aliud Archiconfraternitates recipere possent, nisi unum scutatum aureum, opportunis etiam poenis adiectis, ut fusius in memorato decreto continetur. Postmodum vero, cum supplicatum fuerit pro declaratione: *An inter ceteras expensas, quae simul iunctae excedere non possunt praedictam summam unius scutati aurei, comprehenderetur etiam intortitium, quod offerre solet in actu ingressus procurator Confraternitatis aggregandae,* die 1 octobris 1720 responsum fuit: *omnia comprehendi, et nihil omnino recipi posse pro qualibet aggregatione praeter unum scutatum aureum.* Nunc vero venerabilis Archiconfraternitas Confalonis de Urbe humiliter exponit, in libro suorum statutorum capite 36 expresse disponi, quod procurator Confraternitatis, quae petit aggregationem, praedictum intortitium offerre debeat, ac proinde demisse postulat, ut Sacra haec Congregatio declaret, posse Archiconfraternitatem oratricem, non obstantibus supramemoratis decretis, in posterum retinere consuetudinem recipiendi etiam intortitium, quia actus admissionis, in quo procurator Confraternitatis saepedictum intortitium offert, est omnino distinctus et separatus ab actu expeditionis litterarum patentium aggregationis, pro quibus nihil aliud praeter scutatum aureum hucusque recepit, et in posterum recipiet.

[1] Cf. N. 4960.

Quaeritur itaque:

An praeter scutatum aureum pro litteris aggregationis Archiconfraternitatis percipere possit etiam intortitium a procuratore Confraternitatis aggregandae in actu admissionis?

Sac. Congregatio die 11 maii 1722 respondit:

In decretis. [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 80].

4962.

S. C. Indulg., *Augustana*, 14 dec. 1722.

Decreto edito die 4 iunii anni 1721, [2] Sacra haec Congregatio prohibuit, ne cruces et coronae, quae loca Terrae sanctae et sacras Reliquias ibi existentes tetigere, in posterum publice aut secreto vendantur, quod a nonnullis turpis lucri cupidis ausu temerario fieri delatum fuerat. Post huiusmodi decretum Iacobus de Le Cluse, civis Augustanus, huic Sacrae Congregationi humiliter exposuit, se quam plurimas ex dictis coronis et crucibus, quae sacra loca sacrasque Reliquias tetigere, ab Hierosolyma secum detulisse, facultatem postulans praedicta vendendi, iusto tamen pretio, nec ullo habito respectu vel ad contactum rerum sacrarum, vel ad indulgentias, quas praedicta gestantibus s. m. Innocentius XI concessit. Pretium vero exigere contendit tum pro expensis in emptione praedictarum rerum, tum pro vectigalibus pro earum asportatione solutis, tum etiam pro summo labore, ac discrimine vitae, cui se in adeo longa peregrinatione exposuit. Nonnulla insuper documenta addidit, quibus Ordinarius Oratoris fidem et probitatem commendat.

Quaeritur itaque:

An non obstante supra memorato decreto danda sit facultas Oratori supradictas cruces et coronas vendendi?

Sac. Congregatio die 14 decembris 1722 respondit: *Negative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 82].

4963.

S. C. Indulg., *Cremonen.*, 13 apr. 1726.

Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia erant proposita:

1. *An Confraternitas Orationis et Mortis oppidi Casalis Maioris, aggregata Archiconfraternitati Urbis, possit sine licentia Episcopi in suo oratorio exponere Eucharistiam infra annum, et praecipue 40 horarum in octava defunctorum, aliasve functiones peragere iuxta assertum institutum in casu?*

[1] Cf. tamen Decretum *Urbis et Orbis*, d. d. 8 ianuarii 1861: « Ad Religionis ». — Cf. N. 5061.

[2] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 78.

Et quatenus Negative,

2. *An sufficiat semel dictam licentiam petere, tam pro expositione infra annum, quam 40 horarum, aliisque functionibus iuxta dictum institutum, seu potius illa requiratur toties quoties?*

3. *An petita et non obtenta dicta licentia habeatur pro concessa in casu?*

Sac. Congregatio die 13 aprilis 1726 respondit:

Ad 1. *Negative quoad primam partem, et quoad secundam explicentur functiones.*

Ad 2. *Servetur solitum.*

Ad 3. *Negative et amplius in omnibus.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 91].

4964.

S. C. Indulg., *Papien.*, 20 iul. 1728.

Confraternitas B. Virginis Lauretanae in civitate Papiae alias aggregata Archiconfraternitati SS. Nominis Mariae de Urbe, certior facta de Constitutione Ven. Serv. Dei Innocentii XI edita 11 maii 1689, [1] disponente, quod ad effectum participandi de indulgentiis concessis dictae Archiconfraternitati necesse sit, profiteri idem institutum; quia vero Confraternitas oratrix ab antiquo erecta diversum profitetur, quod mutare non intendit, freta etiam indulto speciali obtento a Sanctissimo die 7 iunii 1726, quod per dictam aggregationem non intelligantur abrogata eius primaeva iura et praeeminentiae, supplicat pro declaratione, ut, non obstante diversitate instituti, frui valeant indulgentiis Archiconfraternitatis aggregantis.

Quaeritur itaque:

An non obstante Constitutione Innocentiana precibus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 20 iulii 1728 respondit:

Negative.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 94].

4965.

S. C. Indulg., *Warmien.*, 12 dec. 1731.

Pium sodalitium sub titulo SS. Sacramenti erectum in parochiali ecclesia oppidi Brunsbergen. inter quamplures alias indulgentias obtinuit anno 1722 a s. m. Innocentio XIII plenariam perpetuam pro principaliori festo Confraternitatis ab eadem ad libitum eligendo et approbando ab Ordinario. Vigore huiusmodi facultatis sodales decreverunt, servatis servandis, festum diem S. Georgii, quod peculiari cultu iam antea in eadem parochiali celebrabatur. Verum occurrente eodem die festo S. Adalberti, Protectoris regni Poloniae, quod sub ritu primae classis in tota dioecesi servatur, transferri

[1] Bull. Rom., tom. 8, p. 527.

consuevit solemnitas festi S. Georgii ad diem vel immediate sequentem, vel eo, festivitatibus paschalibus recurrentibus pariter impedito, ad subsequentem alium, et pluries etiam usque ad mensem maii. Veriti itaque Oratores de validitate indulgentiae extra diem ad formam concessionis electum, supplicant Sacrae huic Congregationi pro eiusdem tanslatione ad diem, quo solemnitatem S. Georgii decreverit celebrari. Quae cum omnia Ordinarius veritati niti testetur, quaeritur:

An indulgentia praefata perpetua sit, ut petitur, transferenda?

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attentis narratis die 10 decembris 1731 censuit, *ut, quoties ob occurrentiam alterius Officii superioris ritus sit transferendum festum S. Georgii a die 23 aprilis ad primam diem non impeditam iuxta rubricas Breviarii Romani, transferatur quoque indulgentia in supplici libello expensa.*

Et facta de praedictis SSm̃o D. N. relatione die 12 eiusdem mensis decembris per me infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 101].

4966.

S. C. Indulg., *Ordinis FF. Capucinorum*, 11 iun. 1732.

Ecclesiae omnes Conventuum FF. Ordinis Capuccinorum ubilibet exsistentes pro utriusque sexus Christifidelibus illas visitantibus, in Sanctorum Ordinis, pluribusque aliis festis diebus ex Summorum Pontificum benignitate innumeris gaudent indulgentiis in perpetuum, sive ad tempus. Sub huiusmodi generalibus concessionibus, an quoque comprehendantur ecclesiae, seu capellae et oratoria publica, quae in residentiis, atque hospitiis Missionum iidem Fratres habent, nonnulli in controversiam duxerunt eo, quia pro his ecclesiis in Missionum residentiis exsistentibus Apostolica Sedes generali non obstante concessione pro omnibus Ordinis eiusdem ecclesiis, specialia ad certum tempus, et in aliquibus tantum ex dictis festivitatibus dederit indulta. Pro dubii huius declaratione eiusdem Ordinis Procurator Generalis supplices SSm̃o D. N. porrexit preces, quae a Sanctitate Sua huic Sacrae Congregationi remissae sunt.

Quaeritur igitur:

An ecclesiae, capellae, et oratoria publica in residentiis et hospitiis Missionum praefati Ordinis, gaudeant indulgentiis generaliter concessis omnibus ecclesiis Conventuum Ordinis eiusdem?

Sac. Congregatio die 27 maii 1732 respondit:

Affirmative pro ecclesiis et oratoriis publicis residentiarum, quae tamen sint fixa, et ad quae confluunt fideles ad Sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta.

Quibus relatis per me infrascriptum Secretarium sub die 11 iunii eiusdem anni SSm̃o D. N. Clementi PP. XII, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 102].

4967.

S. C. Indulg., *Monialium Tertii Ordinis S. Francisci*, 3 dec. 1736.

Moniales monasterii seu conservatorii oppidi de Aveyro, Conimbricen. dioecesis, et quamplura similia monasteria Monialium in partibus Germaniae sub nuncupatione Elisabethinarum, omnes regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentes, emisso ultra tria substantialia quarto voto perpetuae clausurae, ab ipso fundationis primaevo tempore Ordinariorum curae et iurisdictioni subiectae reperiuntur, atque hactenus crediderunt, frui se posse privilegiis et indulgentiis omnibus Tertio Ordini S. Francisci concessis, licet sub cura et gubernio Fratrum eiusdem Ordinis non degerent.

Cum autem s. m. Benedictus XIII Constitut. incipien. *Paterna Sedis*, edita 4 Idus decembris 1725 [1] universum Tertium Ordinem S. Francisci directioni et iurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis subiiciens, eorum monasteria et personas, etiam saeculariter viventes, ab Ordinariorum quacumque iurisdictione exemerit; monasteria praefata et personas, quae Ministro Generali eiusque Delegatis non se subiecissent, privilegiis et indulgentiis omnibus privaverit; hinc veritae Oratrices adhuc Ordinariorum iurisdictioni subiectae, se destitutas remansisse praefatis gratiis, supplicarunt SSm̃o D. N. pro expressa declaratione dubii sequentis:

An tam Moniales Tertii Ordinis S. Francisci monasterii oppidi de Aveyro, Conimbricen. dioecesis, quam monasteria similis instituti in variis partibus Germaniae posita, licet sub cura et gubernio Ordinariorum, fruantur indulgentiis earum Ordini generaliter concessis?

Sac. Congregatio die 3 decembris 1736 respondit:

Affirmative.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 118].

4968.

S. C. Indulg., *Nolana*, 1 apr. 1743.

Raymundus Ursinus monasterium Monialium Canonicorum Regularium S. Augustini Collegii nuncupatum ea sub lege aedificavit, ut FF. Minores de Observantia S. Francisci Monialium antedictarum curam haberent et gubernium, earumque confessiones exciperent, cuius dispositio a fel. rec. Pio II approbata ac confirmata fuit. Praeterea cum ab ipso fundationis exordio divinum Officium iuxta Franciscanum ritum recitaverint, necnon cingulo ac tessera, vulgo *abitino*, dictae Moniales usae sint, putant, se quoque profiteri Tertii Ordinis S. Francisci institutum, et idcirco indulgentiis Tertio Ordini concessis frui posse. Ad omnem tamen removendam dubita-

[1] Bull. Rom., tom. 12, p. 49-53.

tionem, quae suboriri quandoque posset, id declarari petunt ab hac Sacra Congregatione, et quatenus communicatio huiusmodi non adesset, illam ex gratia sibi concedi desiderant.

Quaeritur itaque:

1. *An Moniales Collegii civitatis Nolanae gaudeant indulgentiis Tertii Ordinis S. Francisci in casu?*

Et quatenus Negative,

2. *An sint concedendae?*

Sac. Congregatio die 1 aprilis 1743 respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Gaudeant Ordini concessis.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 138].

4969.

S. C. Indulg., *Monialium Ordinario locorum subiectarum*, 30 maii 1744.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 18 maii 1744 declaravit, *Sanctimoniales quascumque Ordinariis locorum subiectas, gaudere indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum, quarum ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul institutum profitentur.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 30 eiusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 143].

4970.

S. C. Indulg., 4 febr. 1746.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad dubium super praefatis precibus formatum nempe: *An et quomodo annuendum sit precibus in casu, an nimirum ecclesiae PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci, nationis Germano-Belgicae, seu capellae exsistetes sub iurisdictione Episcoporum et dominio saecularium gaudeant privilegiis Ordinis?* die 31 ianuarii 1746, praevio recessu a decisis sub die 20 septembris 1745,[1] declarandum esse respondit, omnes et singulas capellas publicas praefatorum FF. Recollectorum in regione Germano-Belgica exsistentes gaudere, donec residentiam inibi Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis eiusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas Christifideles ad Sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant.

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 155.

De quibus facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 4 februarii eiusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 157].

4971.

S. C. Indulg., *Herbipolen.*, 25 iun. 1746.

Sodalitium SS. Corporis et Sanguinis Christi sub invocatione Adorationis perpetuae iamdiu Monachii et in ceteris Bavaricae ditionis locis erectum atque a Sede Apostolica sub hac lege anno 1674 confirmatum, ut *omnes* (sunt verba Brevis fel. rec. Clementis X) *huic sanctissimae Confraternitati incorporari cupientes ab ipsomet Archiconfraternitatis Corporis Christi praeside, vel a parocho locorum illorum, in quae praedicta Archiconfraternitas nondum est introducta, suscipiantur, quorum tam nomina quam cognomina certum in librum cum deputata orationis hora assignentur, exhibita e contra ipsis deputatae orationis horaria scheda; casu autem, quo dictae Corporis Christi Confraternitati iam antea essent inserti, nominibus eorum cum deputata orationis hora tantum assignatis a dictae Confraternitatis Secretario deputatae horariae schedae iisdem exhibeantur, quae post obitum cuiusque aliis distribuantur*, anno 1736 Episcopus Herbipolen. institui in sua dioecesi curavit, necnon a s. m. Clemente XII confirmari, conditione vero adiecta: *servata tamen Clementis Praedecessoris forma et dispositione.* Verum cum praefatus Episcopus omnes et singulos suos dioecesanos in huiusmodi Sodalitii erectione sodales fecerit, cum lege tamen, ut singulis annis parochi orationis horam parochianis distribuant, in pluribus paroeciis mos invaluit, ut pro sodalium libro deserviat deputatus pro animarum statu; quapropter nonnulli in dubium revocare inceperunt, utrum hoc pacto servata revera dici queat Apostolica dispositio requisita.

Quaeritur itaque:

An consuetudo introducta in dioecesi Herbipolen. pro Sodalitio SS. Corporis et Sanguinis Christi tolerari debeat, vel potius forma a s. m. Clemente X praescripta omnino servanda sit in casu?

Sac. Congregatio die 21 iunii 1746 respondit:

Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam partem.

De quibus facta per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 25 praedicti mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum EE. PP. benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 158].

4972.

S. C. Indulg., *Viennen. in Austria*, 26 aug. 1747.

Cum pluribus non obstantibus decretis, quibus Sacra Congregatio Indul-
gentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit, et signanter die 20 aprilis
1711,[1] monasteria omnia Sanctimonialium, quae a cura et gubernio FF. suo-
rum Ordinum sub immediatam Episcoporum iurisdictionem translata sunt,
seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et
indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse seu amissura fore, sed eodem
modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si
sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu exsisterent; die vero 3 decem-
bris 1736 [2] monasteria Monialium in partibus praesertim Germaniae sita sub
nuncupatione Congregationis Elisabethinarum, licet sub cura et gubernio
Ordinariorum exsistant, gaudere indulgentiis earum Ordini generaliter con-
cessis, ac die 23 septembris 1741 SSmus D. N., audito prius voto eiusdem
Sacrae Congregationis, die 19 eiusdem mensis declaraverit,[3] et quatenus opus
sit, concesserit, ecclesias Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci Assi-
sinatis gaudere indulgentia Portiunculae nuncupata die 2 mensis augusti
pro omnibus Christifidelibus eo modo, quo gaudent ecclesiae FF. Minorum
universi eiusdem Ordinis S. Francisci, et demum 18 maii 1744,[4] Sanctimo-
niales quascumque Ordinario locorum subiectas gaudere indulgentiis suo-
rum respective Ordinum, aut Congregationum, quorum ritum in Officio
recitando sequuntur, ac simul Institutum profitentur; his, inquam, non
obstantibus pro parte Monialium tertii Ordinis S. Francisci Congregationis
Elisabethinarum nuncupat. Civitatis Viennae in Austria Sacrae Congrega-
tioni expositum fuit, nonnullos credidisse, sive excogitasse, ipsarum eccle-
siam et alias eiusmodi Congregationis et Ordinis utpote Ordinario subiectas,
privilegiis et indulgentiis in ecclesiis earum Ordinis et signanter pro die
2 augusti concessis minime gaudere, sed praefata decreta pro personis
dumtaxat Monialium, non vero pro omnibus Christifidelibus illarum eccle-
sias visitantibus intelligenda fore; quare proposito desuper dubio: *An indul-
gentiae generaliter concessae ecclesiis Fratrum pariter et Monialium tum in
diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis huiusmodi solemnitatibus, cun-
ctae et singulae aeque lucrari queant a Christifidelibus visitantibus ecclesias
Monialium, quae Ordinariorum gubernio et iurisdictioni subsunt?*

Sac. eadem Congregatio die 19 augusti 1747 ad formam alterius decreti
die 27 februarii 1673 respondit ac declaravit: *Gaudere.*

De quibus facta per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis
Secretarium die 26 eiusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua
votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 166].

[1] Cf. N. 4954.
[2] Cf. N. 4967.
[3] Decreta Autentica S. C. Indulg., n. 132.
[4] Cf. N. 4969.

4973.

S. C. Indulg., 2 mart. 1748.

Ut pietatis opera in christiana republica augeantur, simulque charitatis vincula fideles ipsos magis magisque obstringant, iamdiu mos invaluit privilegia, indulgentias, aliasque spirituales gratias, quibus Patriarchales Basilicae, aliaeque ecclesiae, nosocomia, Archiconfraternitates et alia huius generis pia instituta gaudent, aliis per aggregationes communicandi; verum cum super huiusmodi aggregationibus plura quotidie emergant dubia, et praesertim, num qui aggregandi facultatem habent, privilegia sibi competentia ampliare, sive limitare in aggregatione queant; pariterque an pro suo arbitrio ipsas aggregationes ad tempus, vel in perpetuum concedere possint; tum etiam utrum privilegium altaris, quo aggregans fruitur, communicari possit, et revera sub nomine privilegiorum et indulgentiarum intelligatur illud communicatum; idcirco ad occurrendum indulgentiarum indemnitati, neve Christifideles in re tanti momenti decipiantur, decidenda in Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum proposita fuerunt sequentia dubia:

1. *An Patriarchales Basilicae, aliaeque ecclesiae, necnon nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cuiuscumque Ordinis, sive Instituti ceterique habentes facultatem communicandi privilegia, possint privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio in aggregationibus?*
2. *An aggregationes faciendae sint ad tempus, vel in perpetuum?*
3. *An privilegium altaris sit communicabile?*

Et Sac. eadem Congregatio die 5 Februarii 1748 declarandum esse censuit:

Ad 1. *Negative, nisi aliter in indultis Apostolicis provideatur.*
Ad 2. *Aggregationes faciendas esse in perpetuum.*
Ad 3. *Negative.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 2 martii eiusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 171].

4974.

S. C. Indulg., *Iustinopolitana*, 3 aug. 1748.

Sodalitium SSmi Sacramenti in ecclesia cathedrali civitatis Iustinopolitanae canonice erectum anno 1500 iam fuit Archiconfraternitati SSmi Sacramenti S. Mariae supra Minervam Urbis aggregatum. Cum vero in aggregationis instrumento insertum fuerit quaedam Bulla s. m. Pauli III, quae Brevi fel. rec. Pauli V revocata dicitur; sodales eiusmodi Confraternitatis Iustinopolitanae de hac re solliciti ad omnem removendam dubitationis causam duo

a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarari supplicarunt. Primum, utrum antedicta aggregatio cum insertione et iuxta formam Bullae Pauli III facta adhuc subsistat? Secundum vero, quibusnam indulgentiis gaudere sodales queant, et re vera gaudeant? Examinatis proinde his desuper examinandis et praesertim decreto eiusdem Sacrae Congregationis die 15 februarii 1608 de mandato laudati Pauli V promulgato, formatisque idcirco dubiis:

1. *An aggregatio Sodalitii SSmi Sacramenti erecti in ecclesia cathedrali Iustinopolitana facta Archiconfraternitati SSmi Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam iuxta tenorem Constitutionum s. m. Pauli III adhuc subsistat?*

Et quatenus Negative,

2. *An supplicandum SSmo pro sanatione, sive convalidatione, in casu?*

Et quatenus Affirmative,

3. *Quibus indulgentiis gaudeat?*

Eadem Sac. Congregatio habita die 30 iulii 1748 respondendum esse censuit:

Ad 1. et 2: *Supplicandum esse SSmo pro sanatione cuiuscumque, quatenus sit, defectus.*

Ad 3. *Gaudere indulgentiis iisdem, quibus gaudet Archiconfraternitas SSmi Sacramenti erecta in ecclesia S. Mariae supra Minervam.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Pro-Secretarium die 3 augusti eiusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 176].

4975.

S. C. Indulg., 16 dec. 1749.

Cum Sancta Tridentina Synodus, Sess. 25, cap. *de Reliquiis*, decreverit: *Non esse recipiendas novas Reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo,* nonnulla dubia exorta sunt super facultate Episcopis tributa recognoscendi et approbandi Sanctorum Reliquias, quae, ut quam citius dirimantur, Sacrae Congregationi proponuntur, nempe:

1. *An unusquisque Episcopus extra Romam sua in dioecesi quascumque sacras Reliquias valeat authenticare?*

2. *An sacrae Sanctorum Reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli et thecae nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur), ab altero Episcopo ultra montes possint reprobari, quin et confiscari, vel impediri, ne publicae venerationi exponantur?*

Sac. Congregatio die 16 decembris 1749 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative ad formam Concilii.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 183].

4976.

S. C. Indulg., *Monialium S. Ursulae*, 16 dec. 1749.

Proposito dubio a Monialibus S. Ursulae excitato, utrum fruerentur indulgentiis Ordini Eremitarum S. Augustini concessis, Sacra ista Congregatio die 12 ianuarii 1677 rescripsit: *indulgentiis praedictis Moniales perfrui posse.* [1] Nuper autem in aliquibus huiusmodi monasteriis alia duo dubia sunt exorta, quae solvenda proponuntur:

1. *An Moniales S. Ursulae fruantur indulgentiis concessis ac concedendis Ordini Eremitarum S. Augustini?*

Et quatenus Affirmative,

2. *An praefatas indulgentias consequi possint omnes visitantes illarum ecclesias in suis respectivis festivitatibus?*

Sac. Congregatio die 16 decembris 1749 respondit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Affirmative, exceptis sex festivitatibus, in quibus impertitur Benedictio Papalis pro Monialibus tantum valitura.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 184].

4977.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 22 apr. 1752.

Ut debito iugique cultu ubique terrarum SS. Eucharistiae Sacramentum Christifideles venerarentur, summopere semper exoptavit Apostolica Sedes; quapropter voluit, ut Confraternitates SSmi Sacramenti ubique terrarum in quacumque ecclesia parochiali erigi possent; quinimo, ut fideles ipsi ad huiusmodi devotionem propagandam allicerentur, spiritualibus gratiis easdem Confraternitates cumulavit. Verum, quamvis decreto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 23 aprilis 1676 [2] edito et a ven. mem. Innocentio XI sub die 1 octobris 1678 per Apostolicum Breve confirmato, [3] sancitum iam fuerit, ut quocumque in loco Confraternitates SS. Eucharistiae Sacramenti canonice fuissent erectae, huiusmodi Confraternitates absque ulla aggregatione, aliove actu immediate gaudere indulgentiis Archiconfraternitati eiusdem SSmi Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam Urbis exsistenti concessis et concedendis. Attamen cum ab ipsamet aliisque Archiconfraternitatibus SS. pariter Eucharistiae Sacramenti aggregandi facultate eisdem ab Apostolica Sede concessa iam fruentibus, plures etiam pro una eademque civitate, oppido vel loco aggregationes passim expediantur, ex quibus iurgia pariter et dis-

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 15.
[2] Cf. N. 4948.
[3] Bull. Rom., tom. 8, p. 57, 58.

sensiones non tantum timeri possunt, sed ortas iam esse nonnulli testantur, ideo supplicatum fuit praedictae Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro declaratione: *An aggregationes, quae fiunt ab Archiconfraternitatibus SS. Eucharistiae Sacramenti post decretum editum ab ipsa Sacra Congregatione anno 1676 et postea a s. m. Innocentio XI anno 1678 confirmatum, subsistant in casu?* Et Sac. Congregatio die 17 aprilis 1752 declarandum esse censuit: *Aggregationes huiusmodi quantum ad communicationem indulgentiarum ab Archiconfraternitatibus praetensam esse inutiles.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 22 eiusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 192].

4978.

S. C. Indulg., *Angelopolitana*, 28 aug. 1752.

Cum in parochiali ecclesia, loci de Huamantla, Angelopolitanae dioecesis, magnam habeat venerationem quaedam miraculis clara imago Iesu Christi Redemptoris Nostri Domini *del Desposo* nuncupat., et in eius capella, eiusque in honorem et cultum centum abhinc circiter annis auctoritate Ordinarii instituta sit pia utriusque sexus Christifidelium Confraternitas; nunc vero presbyteri Ioseph Nicolaus et Ignatius Xaverius Cavallero, germani fratres, dictae capellae reparatores et egregii benefactores ceterique eiusdem Confraternitatis confratres et consorores dubitantes de ipsius subsistentia et canonica erectione, ad effectum gaudendi indulgentiis, tam obtentis, quam obtinendis, eo quia ab Apostolica Sede non fuerit confirmata, supplicarunt humillime pro benigna declaratione:

1. *An dici possit canonica dictae Confraternitatis erectio, solius Ordinarii auctoritate facta?*

2. *An reportari debeat Apostolica confirmatio?*

Quibus Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 28 augusti 1752 rescribendum esse censuit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Non indigere.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 195].

4979.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 4 febr. 1754.

Nonnulli parochi, in quorum ecclesiis erectae sunt Confraternitates B. M. V. de Consolatione, Cincturae nuncupatae, necnon B. M. V. de Monte Carmelo, a Sede Apostolica praeter plenariam indulgentiam in praecipua festivitate earumdem Confraternitatum, facultatem impertiendi Pon-

tificiam benedictionem, iuxta modum a Sanctitate Sua praescriptum, obtinuerunt. Dum autem eadem facultate parochi pacifice utebantur, aliqui Religiosi Ordinis S. Augustini evulgare coeperunt, antedictam facultatem inutilem esse, nec ullo modo subsistere, eo quod huiusmodi facultas privative competeret Ordini S. Augustini ex speciali concessione Sedis Apostolicae; quinimo praefatam Benedictionem a PP. eiusdem Ordinis dari posse, nedum in ecclesiis eorum Conventuum, verum etiam Monialium Ordinis, necnon in aliis quibuscumque, in quibus Confraternitas Cincturae sit erecta. Verum de huiusmodi evulgato rumore nimis offensi parochi supradicti tanquam sibi Sanctaeque Sedi nimis iniurioso, rem ad Sacram istam Congregationem detulerunt, ut scandala oborta ex praefata seditiosa oblocutione e medio tolli queant. Quod ut facile praestari possit, subscripta dubia decidenda proponuntur:

1. *An facultate, quae ex indulto Sedis Apostolicae nonnullis Ordinibus Regularibus competit, dandi Pontificiam Benedictionem statutis anni diebus, Regulares uti dumtaxat possint in ecclesiis suorum Conventuum; vel potius sit eis potestas illam impertiendi in ecclesiis Monialium, tam Ordini, quam Ordinario locorum subiectis?*

2. *An eadem facultate uti etiam possint in aliis quibuscumque ecclesiis, in quibus Confraternitates dictorum Ordinum sunt erectae?*

Sac. Congregatio die 4 februarii 1754 respondit:

Ad 1. *Affirmative quod ad primam partem, et Negative quod ad secundam.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 199].

4980.

S. C. Indulg., 28 ian. 1756.

Etsi a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, plura saluberrima prodierint decreta, et praesertim super earumdem indulgentiarum publicatione et impressione; cum tamen, sive hominum malitia sive incuria nuper nonnulli abusus irrepserint, inhaerendo decretis alias editis, eadem Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1756 censuit, illa esse confirmanda et innovanda, prout praesenti decreto confirmat et innovat. Praeterea, cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti itidem decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem Sacrae Congregationis deferre.

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione die 28 eiusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando, omnia confirmavit publicarique mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 205].

4981.

S. C. Indulg., *Urbis*, 31 iul. 1756.

Ut in aggregationibus Sodalitiorum ab Archiconfraternitatibus faciendis omnia rite recteque peragantur, plura tum Summorum Pontificum, tum Sacrae huius Congregationis saluberrima prodiere decreta, et praesertim ad removendam turpis lucri suspicionem pluries cautum est, ut in expeditione litterarum patentium nuncupat. aggregationis, seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, intortitio, Secretarii Notariique labore vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque, nihil omnino ultra unum scutatum aureum pro singula aggregatione, institutione vel confirmatione, quovis praetextu, colore, aut titulo, etiam eleemosynae, exigi aut recipi valeat, sub poenis ipso facto incurrendis, nullitatis videlicet aggregationis, amissionis indulgentiarum et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, item privationis facultatis aggregandi et officiorum, necnon inhabilitatis ad eadem officia in posterum obtinenda, quoad ministros, Superiores, officiales, aliosque contra huiusmodi decretum facere praesumentes, quae a nullo alio nisi a Romano Pontifice pro tempore exsistente remitti valeant, aliisque etiam sub gravioribus poenis arbitrio eiusdem Romani Pontificis imponendis. Nuper autem cum eidem Sacrae Congregationi delatum sit, officiales nonnullarum Archiconfraternitatum titulo *strenae* ministris ipsarum Archiconfraternitatum debitae, alioque mentito colore praeter scutatum aureum, intortitium et aliam summam exigere; quinimmo sibi persuadentes, secretario sive amanuensi Archiconfraternitatis privative quoad omnes competere facultatem transcribendi formulam aggregationis, renuere idcirco huiusmodi formulam ad transcribendum tradere petentibus aggregationem, ab eis pro huiusmodi transcriptione summam sibi benevisam exigere. Quapropter Sacra Congregatio, ne longo temporis decursu antiquorum decretorum oblivio inducatur, et tam veteres, quam novi abusus omnino removeantur, die 24 iulii 1756 inhaerendo enuntiatis decretis, et praesertim editis diebus 10 aprilis 1720 [1] et 11 maii 1722, [2] censuit, ea esse innovanda et confirmanda, prout praesenti decreto innovat et confirmat, iterumque decernit in praefata summa scutati aurei omnia et singula supra enuntiata contineri.

Praeterea declarat, nullum ius nullamque facultatem privativam competere secretariis, amanuensibus aliisque quocumque nomine nuncupatis ministris Archiconfraternitatum transcribendi formulam aggregationis nihilque ultra praefatam summam scutati aurei pro huiusmodi transcriptione uti comprehensa in supra enuntiatis expensis exigere posse; proptereaque mandat singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis et Archiconfraternitatibus quibuscumque, eorumque Superioribus, ministris et

[1] Cf. N. 4960.
[2] Cf. N. 4961.

officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut in expediendis litteris patentibus aggregationum, seu pro illarum expensis supra expressis aliisque quibuscumque nihil ultra scutatum unum aureum sub quovis praetextu aut quaesito colore, etiam a sponte dantibus, titulo *strenae*, aut eleemosynae recipere audeant, aut recipi permittant, sub eisdem poenis supra indicatis, ne Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, coelestes ecclesiae thesauros non quaestus, aut alicuius lucri causa, sed ad pietatem potissimum fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. die 31 iulii 1756 relatis, Sanctitas Sua decretum Sacrae Congregationis approbavit, et in omnibus executioni mandari iussit. [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 209].

4982.

S. C. Indulg., 19 maii 1759.

Ut Christifideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum *qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti ecclesiam visitaverint*, quae in indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita discussis die 31 martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto, *Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; necnon praefatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.*

Factaque de iis per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SSmo D. N. die 19 maii 1759, Sanctitas Sua eiusdem Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 214].

4983.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 19 maii 1759.

Ut erga parochiales ecclesias, quae ob earum tum dignitatem, tum antiquitatem magno semper in honore habitae sunt, Christifidelium amor magis magisque augeatur, utque suam erga eas benevolentiam peculiarem demonstraret SSmus D. N. Clemens PP. XIII, praevio Sacrae Congregationis

[1] Cf. tamen decretum *Urbis et Orbis*, diei 8 ianuarii 1861: « Ad Religionis ». — Cf. N. 5061.

Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae voto, speciali gratia altaris privilegiati quotidiani ad septennium omnes et singulas totius Orbis praefatas ecclesias benigne decorari voluit, revocatis huiusmodi privilegiis intuitu paroeciae sive in perpetuum, sive ad tempus iam concessis; ea tamen adiecta lege, ut quilibet Episcopus de huiusmodi gratia supplicet pro sua respectiva dioecesi, et unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuscuiusque dioecesis parochialibus ecclesiis suffragetur. Praeterea, ne huiusmodi privilegio fraudentur aliae ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti Collegiatae, et Abbatiales Nullius, et parochiales a se dependentes, Sanctitas Sua pari benevolentia modo supra indicato hoc idem privilegium mox enuntiatis ecclesiis communicatum voluit. Exspirato vero septennio, Sede plena, eadem Sanctitas Sua mandat, ut ipsimet Episcopi et Abbates, Sede autem vacante, Vicarii Capitulares, sive in spiritualibus Abbatiarum administratores pro renovatione eiusmodi privilegii supplicent.

Ne autem parochi expensis graventur, voluit insuper Sanctitas Sua, nihil omnino exigi posse, sub poena nullitatis privilegii, ab officialibus tum Episcoporum, quum Abbatum in certiorandis parochis, sive in expediendis litteris pro designatione altaris privilegiati in unaquaque parochiali ecclesia dioecesis. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 215].

4984.

S. C. Indulg., *Bergomen.*, 30 ian. 1760.

Episcopus Bergomen. (circa altaria privilegiata) [1] quaerit:

1. *An Summus Pontifex decorare voluerit non solum omnes ecclesias parochiales et collegiatas, sed etiam eas, quae non sunt parochiales, nec collegiatae, sed sunt in honore habitae ob earum antiquitatem, dignitatem et speciales praerogativas, an tantum parochiales et collegiatas, quae etiam habitae sunt semper in honore ob earum antiquitatem, dignitatem et speciales praerogativas?*

2. *An privilegium pro collegiatis extendi possit ad omnes, vel saltem ad aliquas ecclesias huius Bergomen. civitatis, et dioecesis, quae habent residentias ad instar collegiatarum?*

3. *Quaenam sint ecclesiae dignitate et antiquitate semper in honore habitae, et speciali praerogativa pollentes?*

4. *An per designationem novi altaris ad septennium iuxta Breve intelligantur suppressa non solum privilegia antea concessa intuitu paroeciae, verum etiam quaedam alia?*

5. *An Missae, ut gaudeant privilegio huiusmodi, debeant celebrari de Requie, an sufficiat earum applicatio pro defunctis, cum non possint celebrari de Requie?*

Relatis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia diei 30 ianuarii 1760 supra expositis dubiis, Sanctitas Sua respondendum esse decrevit:

[1] Cf. N. 4983.

Ad 1. *Ecclesias, quae neque parochiales sunt, neque collegiatae, etsi dignitate et antiquitate pollentes, non gaudere concessione privilegiati altaris quotidiani ad septennium, atque eo tantummodo gaudere ecclesias parochiales, et per communicationem collegiatas. Antiquitas vero ecclesiarum parochialium et collegiatarum ex primaeva earum origine desumitur, ac proinde in honore habitae et habendae sunt.*

Ad 2. *Poterit extendi etiam ad illas, etsi collegiatae non denominentur, in quibus ad instar collegiatarum choro assidue inservitur.*

Ad 3. *Concessionem altaris privilegiati quotidiani ad septennium non indigere huiusmodi declaratione, et satis responsum ad primum.*

Ad 4. *Nova designatione altaris privilegiati quotidiani ad septennium revocanda esse anteriora privilegia unice intuitu paroeciae concessa, non alia de causa, e. g. Confraternitatis, capellae seu altaris iurispatronatus alicuius familiae, sive ratione publici coemeterii, aut praefixi numeri Missarum in ecclesia seu particulari altari satisfaciendi.*

Ad 5. *Sufficere applicationem, cum nequit celebrari Missa de Requie iuxta decretum S. C. Rituum a Ven. Innocentio XI approbatum sub datum 4 maii 1688 Pontificatus sui anno XII.* [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 218].

4985.

S. C. Indulg., *Wormatien.*, 30 ian. 1760.

Beatissime Pater! Cum non ita pridem a Sanctitate Vestra Eminentissimus Elector Moguntinus Breve Apostolicum obtinuerit, vi cuius in dioecesi Wormatiensi, sibi qua Episcopo, subiecta, in omnibus ecclesiis tam collegiatis, quam parochialibus designare posset unum altare privilegiatum pro defunctis, et in executione illius Brevis dubia obveniant, nempe:

1. *An illud privilegium ad septennium obtineat pro singulis diebus totius anni, quandocumque sacerdos approbatus in designato altari Missam applicaverit pro certo defuncto?*

2. *An ecclesia, in qua designatur altare, debeat esse consecrata, vel saltem altare lapideum consecratum, cum in hac dioecesi, in qua religio catholica vix a saeculo iterum inducta, perpaucae numerentur ecclesiae, vel etiam altaria consecrata, sed ut plurimum super portatilibus Missae celebrentur?*

3. *Cum in Brevi Apostolico solum de parochialibus ecclesiis mentio fiat, an non etiam istud privilegium ad filiales ecclesias extendendum, cum etiam in singulis saltem Dominicis et festis, et quando sepultura occurrit, divina habeantur, ne catholici in filialibus (quae olim omnes fuerunt matrices, sed per introductum Calvinismum ab Electoribus Palatinis, pastoribus suis destitutae, et nunc tandem recuperatae, ita ut in illis simultaneum exercitium Religionis cum acatholicis habeatur), sint praeter culpam deterioris conditionis, quam in matricibus, quae per accidens matrices factae sunt ob commodiorem sustentationem*

[1] Bull. Rom., tom. 8, p. 518, 519.

parochi in uno loco, quam in altero, cui et postea tres, quatuor et quandoque plures filiales ad deserviendum assignatae reperiuntur?

4. *Cum etiam pagi reperiantur, in quibus pastor catholicus quidem habitat, sed propria ecclesia non potitur, ideoque assignatam acceperit domum publicam, in qua divina tractet; an non etiam altare inibi positum, vel alia sacella domestica publico cultui tamen destinata gaudere possint privilegio altaris a Summo Pontifice pro defunctis privilegiati?*

Proinde Christianus de Merle, Episcopus Synopen. et suffraganeus Wormatiensis, humillime supplicat Sanctitati Vestrae benigne resolvere et declarare dicta dubia ad effectum, ut scire valeat, quomodo in eis tuto se gerere debeat.

Relatis per me infrascriptum Secretarium in Audientia habita sub die 30 ianuarii 1760, SSmo D. N. Clementi PP. XIII supra propositis dubiis, idem SSmus respondendum esse decrevit:

Ad 1. *Affirmative iuxta decretum Sac. Congregationis Rituum approbatum a Ven. Innocentio XI sub datum 4 maii 1688.* [1]

Ad 2. *In medio altaris, in quo Sacrum peragendum est, debet saltem reponi sacer lapis consecratus cum capsula Reliquiarum SS. Martyrum.*

Ad 3. *Poterit extendi privilegium ad eas dumtaxat filiales ecclesias, in quibus parochus functiones vere parochiales exercet, uti sepelire mortuos, baptizare, SSmum Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate et similia.*

Ad 4. *Similiter dicendum, si in eiusmodi domibus et capellis publico cultui designatis parochus catholicus functiones vere parochiales exerceat.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 219].

4986.

S. C. Indulg., 26 mart. 1760.

Beatissime Pater! Cum Cardinalis Patriarcha Delphinus, Archiepiscopus Utinensis ex gratia Sanctitatis Vestrae acceperit Breve, quo ipsi concessa fuit facultas declarandi altare privilegiatum quotidianum ad septennium in omnibus ecclesiis parochialibus et collegiatis suae civitatis et dioecesis, et eidem Cardinali suborta sint infrascripta dubia circa eamdem concessionem, supplicat Sanctitati Vestrae, ut eadem supremo suo iudicio dirimere dignetur:

1. *An gratiae altaris privilegiati capaces sint eae ecclesiae parochiales aut curatae, quarum rector exercet parochialia officia cum independentia et tenetur ad orandum pro populo, vel ad quas ex supradictis ecclesiis debeat coarctari tale privilegium?*

2. *An concedendum sit altare privilegiatum ecclesiis dissitis et sitis in montibus et collibus, aut iis, in quibus nunc fiunt officia parochialia?*

3. *An in parochiis, quae habent duas ecclesias (filiales), possit utrique concedi supradicta gratia, an vero alternatim?*

[1] Bull. Rom., tom 8, p. 518, 519.

SSmus D. N. Clemens PP. XIII in Audientia ab infrascripto Secretario habita die 26 martii 1760, propositis dubiis mentem suam benigne declarando, ita respondendum mandavit:

Ad 1. *Ex decreto diei 30 ianuarii huius anni* [1] *omnes ecclesiae, de quibus in dubio, capaces sunt altaris privilegiati.*

Ad 2. *Privilegium concedendum esse primis enuntiatis ecclesiis, secundis negandum.*

Ad 3. *Ambabus concedendum esse privilegium, dummodo in ipsis exstent sepulchra, et functiones proprie parochiales exerceantur.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 221].

4987.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 2 aug. 1760.

SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne concessit, ut confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis, seu Sodalitii, aut Congregationis ubique locorum exsistentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant; ita tamen, ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera iniuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exsequantur. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cuiuscumque Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 222].

4988.

S. C. Indulg., *Camerinen.*, 16 dec. 1760.

In ecclesia Abbatiali Plebis Taurinae, Camerinen. dioecesis, multis abhinc annis canonice erecta fuit Via Crucis, et parietibus appositae fuerunt stationes decenter pictae ornataeque cum parvulis crucibus auro linitis. Nunc vero occasione fabricae, ne cruces et stationes pulvere sordescerent per D. Abbatem remotae fuerunt, earum loco aliis vulgaribus stationibus et crucibus suffectis. Hac de causa maxima orta est inter populum contentio super indulgentiarum acquisitione. Quamobrem sequentia dubia examinanda proponit:

1. *An in ecclesia, ubi canonice erecta est Via Crucis, si stationes et cruces renoventur, vel mutentur, cessent indulgentiae; ac proinde opus sit nova erectione seu approbatione?*

2. *An, ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia stationibus et crucibus, indulgentiae ab iis acquirantur, qui in dicta ecclesia, tamquam si stationes et cruces exstarent, exercitium devote peragunt?*

[1] Cf. N. 4985.

3. *An si dictae stationes et cruces remotae, ut supra, apponantur in parietibus sacrarii seu oratorii sub diverso tecto, vel alterius ecclesiae, lucrentur indulgentias pium peragentes exercitium ante easdem stationes in praedictis locis ad tempus repositas?*

4. *An qui exercitium Viae Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam etc., indulgentias lucrentur si illud prosequantur, vel ad indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere?*

Sac. Congregatio die 16 decembris 1760 respondit:

Ad 1. *Negative iuxta modum; et modus est, quod si renoventur et mutentur salva substantia, negative simpliciter, ut supra; si non salva substantia, negative pariter, sed in hoc casu novae cruces denuo benedicantur ad formam Constitutionum.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative quoad diversas ecclesias; in reliquis recurrant in casibus particularibus.*

Ad 4. *Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; negative quoad secundam; et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 223].

4989.

S. C. Indulg., *Curien.*, 14 febr. 1761.

Beatissime Pater! Attentis Sanctitatis Vestrae Litteris in forma Brevis, quibus conceditur Episcopis facultas declarandi in ecclesiis parochialibus et collegiatis altare privilegiatum, sacerdotes et parochi dioecesis Curiensis in Grisonibus, ne in errorem inducantur, supplices adeunt Sanctitatem Vestram pro sequentium dubiorum solutione:

1. *An huiusmodi privilegium suffragetur pro defunctis etiam per aliam Missam, quam de Requie?*

2. *An per idem privilegium revocata censeantur alia privilegia uni vel pluribus altaribus ecclesiarum parochialium concessa, et quaenam in casu?*

3. *An eodem privilegio saltem per epikeiam gaudere possint ecclesiae curatae, aut tales, ubi parochi proprie non inveniuntur, sed in quibus parochiales functiones a propriis parochis peraguntur?*

SSmus D. N. in Audientia habita die 14 februarii 1761 ab infrascripto Secretario propositis dubiis respondit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Huiusmodi privilegia non censentur revocata, dummodo non intuitu ecclesiae parochialis, verum alio titulo concessa fuerint.*

Ad 3. *Eiusmodi privilegio gaudere praefatas ecclesias, dummodo in ipsis functiones vere et proprie parochiales peragantur.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 225].

4990.

S. C. Indulg., *Americana Novi Regni Hispanici*, 28 apr. 1761.

Fel. rec. Benedictus XIV per suas Litteras Apostolicas in forma Brevis sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 25 maii 1754, cuius initium: *Non est equidem etc.*, confirmavit omnes et singulas indulgentias ac privilegia in perpetuum concessa Congregationi, seu Confraternitati B. M. V. Guadalupensi, Patronae novi Regni Hispanici in America, nonnullasque alias per dictum Breve indulgentias concessit cum facultate, ut eas confratres etiam absentes et ubicumque locorum commorantes lucrari possint. Ampliavitque dictum privilegium regibus principibusque et eorum consanguineis usque ad secundum inclusive gradum adscribendi se confratres, et acquirendi omnes et singulas indulgentias praedictae Congregationis etiam absentes. Hinc exortum est dubium, *an fideles absentes possint admitti et adscribi in confratres?*

Ratio dubitandi ea potissimum videtur, quod impedimentum absentiae non tanti habitum est a Summo Pontifice, ut ex eo absentes confratres et reges ac principes ab acquisitione indulgentiarum excluderet; adeoque absentes a numero confratrum non forent reiiciendi. Attamen cum declaraverit Pontifex defectum absentiae non obesse confratribus iam adscriptis et regibus et principibus, quibus specialis adscribi in confratres facultas impertita est, nullo pacto videntur admittendi absentes, qui neque vi admissionis, aut gratiae dici possunt confratres.

Additur in precibus, quod si absentes nequeant admitti in confratres, dignentur EE. PP. rescribere, quod admitti valeant, et ad minus incolae novi regni praedicti, ad quod extenditur patronatus praedictae B. Mariae Virginis, quemadmodum nonnullis similibus Confraternitatibus Europaeis clementer indultum est, et signanter Confraternitati Sanctissimae Conceptionis Liciensis (de Lece).

Quaeritur itaque:

1. *An absentes admitti possint in confratres?*

Et quatenus Negative,

2. *An supplicandum sit SSmo pro eorum admissione, vel ad minus pro admissione incolarum praedicti novi Regni Hispanici?*

Sac. Congregatio die 28 aprilis 1761 respondit:

Negative in omnibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 226].

4991.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 19 maii 1761.

Cum ex veteri more, et laudabili Ecclesiae instituto die secunda novembris omnium Defunctorum memoria recoli, eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et Ecclesiae

suffragiis, potissimum vero acceptabili sacrosanctae Missae Sacrificio iuvari soleant, SSmus D. N. Clemens PP. XIII ex paterna sua charitate erga omnes fideles tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto catholicae Ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e purgatorii poenis liberatae ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio Venerabilium S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum, universali hoc decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque sacerdote saeculari vel cuiuslibet Ordinis et Instituti Regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata, decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque sacerdos pro dicta Missa, licet privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 228].

4992.

S. C. Indulg., *Belgica*, 8 febr. 1762.

Quum a commorantibus in Belgio Theologis infrascripta dubia Sacrae Congregationi Indulgentiarum proposita fuerint definienda, videlicet: 1. *An cum Dominica secunda post Epiphaniam Officium SS. Nominis Iesu, et Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis Officium SS. Nominis Mariae est transferendum, Missae solemni, quae tunc istis diebus cantatur de Dominica, vel de festo altiori occurrente, adnexa sit indulgentia plenaria a fel. rec. Innocentio XIII concessa illis, qui, consistentes intra status haereditarios Caroli VI Imperatoris, interfuerint? et quatenus Negative,* 2. *An tunc, et eo casu, ut Christifideles eam indulgentiam valeant adipisci, cantari debeat Missa votiva solemnis de SS. Nomine Iesu vel Mariae respective?*

Eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali feria II, 8 februarii currentis anni 1762 supradictis dubiis rite examinatis rescribendum esse censuit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia habita sub eadem die 8 februarii, Sanctitas Sua decreta Sacrae Congregationis benigne approbavit; atque ita perpetuis futuris temporibus indultum fel. rec. Innocentii XIII intelligendum esse ac in praxi exsequendum declaravit atque mandavit. [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 230].

[1] Cf. decret. *Cameracen.*, diei 12 iulii 1847, ad 4; *Briocen.*, 6 maii 1852, ad 1 et *Urbis et Orbis*, 9 aug. 1852. — Cf. N. 5042, 5049, 5050.

4993.

S. C. Indulg., 9 dec. 1763.

Quum Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 31 mensis martii anno 1759 fuerit in voto, Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiae consecutione, peragi omnino debere etiam ab his, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, necnon praefatam Confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia festivitatis expleatur, votumque Sacrae Congregationis SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19 maii praedicti anni mandaverit; [1] quamplures supplices libelli tum Regularium Communitatum et praesertim Monialium, tum etiam parochorum, et nonnullorum Episcoporum pro suis dioecesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quae interdum, imo persaepe incidit pro sacramentali Confessione sive in festo vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem ut adeo proficuus indulgentiarum thesaurus reddatur fidelibus accommode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suae, ut opportuno aliquo remedio de Apostolica benignitate providere dignaretur. Quibus precibus ad praedictam Sacram Congregationem remissis, propositum in ea fuit dubium: *An, et quomodo sit consulendum SSmo super praefati decreti executione, vel declaratione in casu?* et responsum fuit: *Consulendum SSmo D. N., ut concedere dignetur indultum omnibus Christifidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin iuxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias iubilaei, tam ordinarii, quam extraordinarii aliasque ad instar iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur.*

Et facta per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium de praemissis omnibus SSmo D. N. relatione die 9 decembris 1763, Sanctitas Sua piis bonorum desideriis ac votis satisfacere, et indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie sancteque vivendo, donis divinae misericordiae digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, et praefatum indultum in forma suprascripta expediri, et publicari mandavit; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 231].

[1] Cf. N. 4982.

4994.

S. C. Indulg., *Tarvisina*, 6 nov. 1764.

Extant in Tarvisina dioecesi parochiales ecclesiae quamplures, in quibus canonice sunt erecta fidelium utriusque sexus Sodalitia, quae gaudent indulgentiis omnibus, privilegiis, praerogativis ac specialibus gratiis, quas Summi Pontifices alicui ex approbatis Archiconfraternitatibus olim concesserunt; iis etiam parochialium earumdem ecclesiarum rectores praesunt vicaria quadam auctoritate tributa a Generalibus Regularis Ordinis Magistris seu Praepositis ac Ministris, ad quos ipsae pertinent Archiconfraternitates. Quoniam vero Apostolicis Litteris datis anno 1762 3 Nonas septembris,[1] et recenti anno proxime praeterito, 3 Kalendas septembris data Constitutione[2] SSmus D. N. Clemens PP. XIII facultates impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam Benedictionem Regularibus iam concessas Ordinibus reservavit, Paulus Franciscus Iustinianus, Tarvisinus Episcopus Sacrae Congregationi definiendum proponit, *num istiusmodi parochialium ecclesiarum rectores, salvis tamen Apostolicis mandatis, praesertimque Benedicti XIV Epistola Encyclica diei 19 maii 1748,*[3] *possint statis anni diebus super populum Apostolicam Benedictionem effundere ex donata facultate, quae a Generalibus Regularium Ordinum Ministris, una cum universitate privilegiorum suorum in diplomate erectionis Sodalitii, aut alio quovis modo fuit ipsis communicata?* Dubitat praeterea idem Episcopus, *num maneat facultas nomine Pontificis populum benedicendi concionatoribus die postrema Quadragesimae, necnon aliis sacerdotibus Regularium Ordinum pro spiritualibus exercitiis, sive missionibus?* Quae dubia declaranda humiliter exposcit.

Relatis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia diei 6 novembris 1764 supradictis dubiis ab Episcopo Tarvisino propositis, idem SSmus respondit: *Negative ad utrumque, ad formam Constitutionis a Sanctitate Sua editae sub datum apud Sanctam Mariam Maiorem anno 1762 tertio Nonas septembris.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 232].

4995.

S. C. Indulg., *Wladislavien.*, 27 nov. 1764.

Episcopus Wladislaviensis humillimis precibus exponit, se obtinuisse a Sanctitate Vestra Breve altaris privilegiati quotidiani ad septennium pro omnibus et singulis ecclesiis parochialibus, necnon collegiatis et abbatialibus suae civitatis et dioeceseos, revocando intuitu huiusmodi indulti privilegia

[1] Cf. N. 457.
[2] Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 399-401.
[3] Cf. N. 386.

omnia paroeciis sive in perpetuum sive ad tempus concessa; itaque Orator tria sequentia dubia declarari expostulat:

1. *An indulgentiae altaris privilegiati adnecti possint altaribus portatilibus, quae plurima sunt in sua dioecesi?*

2. *Quum in sua dioecesi ob tenuitatem beneficiorum pleraeque parochiales unitae sint, an idem privilegium intelligatur concessum omnibus et singulis, vel iis tantum, in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum ceteris maioribus sint unitae?*

3. *An Missis de festo vel de feria lectis, diebus in quibus Missae defunctorum prohibentur, applicari possit idem altaris privilegium ad formam Decretorum a S. Rituum Congregatione emanatorum de anno 1667, 1669 et 1688?*

SSmus D. N. Clemens PP. XIII in Audientia habita die 27 novembris 1764 relatis a me infrascripto Secretario supradictis dubiis ab Episcopo Wladislaviensi propositis respondendum esse iussit:

Ad 1. *Negative; namque ex ipsis terminis concessionis, qua tribuitur Ordinario facultas designandi semel unum tantum altare, satis innuitur, quod dictum altare debeat esse fixum ac stabile; necnon quum in casu reaptationis altaris privilegiati soleat peti translatio privilegii ad aliud altare, conceditur dicta translatio durante tantum tempore fabricae, ex quo colligitur, privilegium in eodem altari stabile permanere.*

Ad 2. *Eadem Sanctitas Sua declaravit, privilegium altaris quotidiani ad septennium illis tantummodo ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae parochiali unitae, seu eiusdem subsidiariae, plerasque parochiales functiones (quae proprie parochiales sint) infra annum exercent.*

Ad 3. *Affirmative ex decretis tum Sacrorum Rituum Congregationis,*[1] *tum huius Sacrae Congregationis Indulgentiarum.*[2]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 234].

4996.

S. C. Indulg., *Vindana*, 23 sept. 1775.

Nonnulla dubia ad hanc Sacram Congregationem delata fuerunt a Vicario Generali dioecesis Vindanae in Britannia Minori nimirum:

1. *Qui accepit facultatem benedicendi centum cruces, seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, potestne, dummodo praescriptum numerum non excedat, ad eumdem effectum benedicere coronas, parvas statuas, immo et Crucifixos; etiamsi, ut plerumque accidit, crux sit efformata ex ligno, ebore, aliave materia fragili, et ad hanc benedictionem inepta, et tantum effigies Christi sit metallica?*

2. *Qui accepit facultatem benedicendi tercentum coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum divae Birgittae nuncupatarum, accepitne eo ipso facultatem benedicendi totidem rosaria loco coronarum? Ratio dubitandi est,*

[1] Cf. N. 5575; Bull. Rom., tom., tom. 8, p. 518, 519.
[2] Cf. decretum *Urbis et Orbis*, diei 19 maii 1759. — Cf. N. 4983.

rosaria quindecim constare decadibus, et coronas quinque tantum, unde tercentum rosaria nongentis coronis aequivalent?

3. *In facultate benedicendi cruces seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, etsi nulla de eo fiat mentio, subauditurne hoc additum, cum applicatione omnium indulgentiarum in elencho recensitarum?*

4. *In fine eiusdem elenchi vetat Sanctitas Sua huiusmodi impressionem extra Urbem; haec prohibitio estne mere politica, et ad ecclesiastici regni incolas tantum, non ad universos orbis fideles directa? Obligatne in conscientia extra fines Romani Imperii?*

5. *Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiae plenariae potestne, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum?*

6. *Benedictio supradicta potestne bis aut amplius in eodem morbo, qui insperate protrahitur, impertiri, etiamsi non convaluerit aegrotus? Si possit iterari haec benedictio, quodnam requiritur intervallum inter eius largitiones?*

7. *Invocatio saltem mentalis SSm̃i Nominis Iesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac benedictione missis, praescribiturne, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio sine qua non, ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam?*

8. *Episcopus ad supradictam benedictionem impertiendam delegatus cum facultate subdelegandi:* Primo *debetne perpaucos subdelegare sacerdotes, ut maius sit benedictionis istius et indulgentiae huic adnexae desiderium, simul et maior utrique concilietur reverentia?* Secundo: *potestne omnes suae dioecesis subdelegare confessarios, ne etiam una, si fieri possit, ex suis ovibus tanta privetur gratia?* Tertio: *potestne subdelegare omnes directe et speciatim parochos sive plurimos sacerdotes in dignitate constitutos, et indirecte et confuse omnes Confessarios hisce verbis:* Dilecto nobis in Christo etc. te delegamus, eligimus et deputamus, quatenus valeas etc. insuper quemcumque confessarium a te ad tui libitum semel vel pluries, et quandocumque opus fuerit, eligendum pariter eligimus et deputamus ad eamdem gratiam conferendam, *hic subdelegandi modus estne validus?*

9. *Quae in supradictis Brevibus exstat clausula:* et quoad Moniales, illarum confessarium ordinarium, *statuitne, tale munus invalide quoad illas exerceri a quolibet sacerdote (etiam Vicario Generali) deputato ad hanc benedictionem impertiendam, sive omnibus et singulis fidelibus in tota dioecesi, sive Monialibus tantum, sive specialiter Moniali hic et nunc aegrotanti, nisi sit illarum confessarius ordinarius? Si ita sit, quisnam est ille confessarius ordinarius? An qui iurisdictione in illas gaudet ordinaria? an monasterii, de quo agitur, aegrotae confessarius actualis, sive eius, qui ante morbum, quo laborat, confessiones exceperit, sive non? Sive sit monasterii confessarius ordinarius, sive non?*

Sac. Congregatio die 20 septembris 1775 respondit:

Ad 1. *Standum verbis concessionis.*

Ad 2. *Rosaria et coronae promiscue accipienda sunt.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Relatum, et servetur decretum.*

Ad 5. *Affirmative ad formam Bullae Benedicti XIV.* [1]

Ad 6. *Semel in eodem statu morbi.*

Ad 7. *Affirmative.*

Ad 8. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; Affirmative ad tertiam partem quoad parochos speciatim ruri degentes.*

Ad 9. *Facultas pro confessario ordinario tantum.*

Et facta de praemissis relatione SSm̃o D. N. in Audientia diei 23 septembris 1775 per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 237].

4997.

S. C. Indulg., 18 sept. 1776.

Cum in quibusdam ecclesiis cathedralibus, quae simul etiam sunt parochiales, exortum fuerit dubium: *An eaedem ecclesiae gaudeant duplici altari privilegiato, uno a fel. rec. Benedicto PP. XIII concesso omnibus cathedralibus,* [2] *altero a s. m. Clemente PP. XIII, qui concessit facultatem de septennio in septennium renovandam* [3] *omnibus Episcopis concedendi altare privilegiatum ecclesiis parochialibus suarum dioecesium?* supplicatum fuit huic Sacrae Congregationi, ut dignarentur pro spirituali regimine earumdem ecclesiarum praesens dubium resolvere.

De quo, facto per me infrascriptum Sac. Congregationis Indulgentiarum Secretarium verbo cum SSm̃o D. N. in Audientia diei 18 septembris 1776, eadem Sanctitas Sua declaravit: *cathedrales ecclesias, quamvis sint etiam parochiales, uno tantum gaudere altari privilegiato, vel illo in perpetuum concesso a Benedicto XIII omnibus cathedralibus, vel illo a Clemente XIII omnibus parochialibus impertito, salvis tamen peculiaribus circumstantiis.* [4]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 238].

4998.

S. C. Indulg., 23 sept. 1780.

Ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuit: *Num admitti possint authenticae Reliquiarum a solis Vicariis Generalibus subscriptae?*

Et Sacra Congregatio respondendum censuit:

Authenticas Reliquiarum a solis Vicariis Generalibus subscriptas esse reiiciendas.

[1] Cf. N. 380.
[2] Cf. N. 281.
[3] Cf. N. 4983.
[4] Cf. decretum *Urbis et Orbis*, diei 10 septembris 1781. — Cf. N. 4999.

Quam Sacrae Congregationis regulam SSmus D. N. Pius PP. VI in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 23 septembris 1780 confirmavit, et quatenus opus esset, de novo mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 240].

4999.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 10 sept. 1781.

Capitulum ecclesiae cathedralis Segusii in Gallia subalpina, sive provincia Pedemontana, declarari postulat, an liceat sibi uti in eadem ecclesia duplici altari privilegiato. Alterum enim in ara maiori, ubi nunc exercentur functiones Pontificales et canonicales, concessum autumat ex Brevi anni 1724 s. m. Benedicti XIII, quod incipit *Omnium saluti*, [1] cum eadem ecclesia nuperrime erecta sit in cathedralem, alterum autem, quo hactenus gavisum est ex decreto anni 1759 s. m. Clementis XIII, quod incipit: *Ut erga parochiales*, [2] concessum ait eidem ecclesiae uti paroch'ali in ara, ubi nunc asservatur augustissimum Eucharistiae Sacramentum, et fiunt functiones parochiales. Ex duplici itaque hoc titulo, quia scilicet ecclesia est unica parochialis, et quia erecta nunc est in cathedralem, duplici altari privilegiato posse gaudere petit.

Quaeritur itaque:

1. *An ecclesiae cathedrales, quae simul sunt parochiales e Pontificis decretis, ius habeant ad duplex altare privilegiatum?*

Et quatenus Negative,

2. *An consulendum Sanctissimo pro huiusmodi concessione?*

Sac. Congregatio die 10 septembris 1781 respondit:

Ad utrumque: *Negative.*

[Decreta Authentica S. C Indulg., n. 241].

5000.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 29 febr. 1820.

In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod « ab huiusmodi benedictione Sanctitas Sua reiicit imagines sive impressas, sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata vulgo *medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur ». Hinc propositis dubiis huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum:

1. *An ab huiusmodi benedictione reiiciantur etiam coronae seu rosaria, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficientur?*

[1] Cf. N. 281.
[2] Cf. N. 4983.

2. *Specialiter an possint applicari indulgentiae coronis ex vitro, seu cristallo confectis?*

3. *An uni et eidem rei, puta, uni coronae, possint applicari indulgentiae diversae v. g. indulgentiae dictae Apostolicae, et indulgentiae dictae S. Birgittae?*

4. *An recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt indulgentiae v. g. coronam, vel salutationem Angelicam, dictam* Angelus Domini, *possit lucrari indulgentias huic orationi applicatas?*

Eadem Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido, atque compacto.*

Ad 3. *Affirmative, dummodo ad eas lucrandas renoventur opera iniuncta iterabilia.*

Ad 4. *Affirmative.*

Factaque de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII per me infrascriptum Secretarium in Audientia habita die 29 februarii 1820, eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 249].

5001.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 21 mart. 1820.

In concessionibus indulgentiarum nonnullae pro earum consequutione generaliter apponi solent conditiones, iuxta veterem praxim et intentionem Summi Pontificis concedentis, quibus non adimpletis, indulgentiae praefatae lucrari nullatenus possunt. Huiusmodi est aliquarum indulgentiarum concessio, quam SSmus D. N. Pius PP. VII elargitus est cum extensione ad totam octavam festi. Hinc oriuntur infrascripta dubia, quae Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae explicanda proponuntur; videlicet:

1. *An cum inter ceteras conditiones praescriptas auditio Sacri solemnis requiratur, istud vero diebus feriatis infra octavam, exceptis cathedralibus ecclesiis, vix alibi, praesertim ruri, celebrari soleat, indulgentiae hae diebus infra octavam feriatis, ceteris conditionibus adimpletis, auditione etiam Missae lectae et non solemnis, lucrifieri possint?*

2. *An ex intentione Concedentis per solemne Sacrum iuxta liturgistas, Sacrum cum thurificationibus et assistentiis intelligi debeat?*

3. *An Sacrum cantatum, prout ruri in ecclesiis parochialibus diebus Domini et festis absque praedictis ritibus celebrari solet, sufficiat?*

4. *Qui sit super his Romae sensus et quae consuetudo?*

Eadem Sacra Congregatio auditis Consultorum votis, et re maturo examine perpensa, respondit:

Ad 1. *Negative, et consulendum SSmo pro declaratione, vel extensione appositae conditionis ad Missas lectas in diebus, ecclesiis et locis, in quibus Missa cum cantu non celebratur.*

Ad 2. *Consulendum SSmo.*
Ad 3. *Provisum in antecedentibus.*
Ad 4. *Sensus est, quod ad lucrandas indulgentias implendae sunt conditiones appositae, et haec nedum Romana consuetudo, verum etiam est regula ubique servanda.*

Factaque de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII in Audientia habita die 21 mensis martii anni 1820 per me infrascriptum Secretarium, eadem Sanctitas Sua Congregationis votum benigne approbavit, et insuper quoad primum et secundum concessit et declaravit, quod ad effectum lucrandi indulgentias in casu appositae conditionis, ubi cantatur Missa sine sacris ministris, nec adhibitis thurificationibus, satis erit huic assistere, et audire Missam lectam in diebus, ecclesiis et locis, ubi Missa cum cantu minime celebratur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 250].

5002.

S. C. Indulg., *Viterbien.*, 11 iun. 1822.

Quamvis qualibet sanctorum corporum pars veneratione colenda sit, *haec est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo*, nihilo tamen secius maior solet esse fidelium devotio erga integrum alicuius Sancti corpus aut eiusdem membra praecipua. An autem haec inter enumeranda sint femoris ossa, ut veluti reliquia insignis habeatur, a Capitulo et Canonicis collegiatae ecclesiae SS. Luciae et Faustinae Viterbii postulatum fuit Sacrae huius Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae oraculum.

Eadem Sacra Congregatio in Palatio Apostolico Quirinali sub die 15 aprilis currentis anni, re mature perpensa, auditisque insuper Consultorum votis, protulit negativam sententiam.

Et facto verbo cum SSmo in Audientia habita die 11 iunii 1822 Sacrae Congregationis votum nedum approbavit, verum etiam publicari mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 251].

5003.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 12 iun. 1822.

Cum non pauci ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam supplices libelli porrecti fuerint, praesertim e Gallia ob confessariorum inopiam, pro obtinenda facultate sacramentalem Confessionem peragendi per plures dies ante Eucharisticam Communionem ad indulgentias acquirendas praescriptam; necnon ut explicetur, an ad easdem lucrandas liceat sacra Synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessae; eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali sub die 15 aprilis proxime praeteriti, auditis Consultorum votis,

omnibusque mature perpensis, censuit, *licere ad praefatum effectum, Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis; quo vero ad petitam explicationem respondendum censuit: Firmo remanente decreto 9 decembris 1763* [1] *pro iis fidelibus, qui ad Confessionem saltem semel in hebdomada accedunt: pro ceteris autem fidelibus, in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et, facto verbo cum Sanctissimo, extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles, ut Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus iniunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam iubilaei concessas, ut in citato decreto 9 decembris 1763.*

Factoque verbo cum Sanctissimo in Audientia habita per me infrascriptum Secretarium die 11 iunii 1822, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, ac publicari mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 252].

5004.

S. C. Indulg., *Urbinaten.*, 24 ian. 1824.

Cum sicut humillime exponebatur ex parte Archiepiscopi Urbinaten., haeredes familiae *Bonaventura* inter cetera bona ad ipsos spectantia, nonnullas Sanctorum reliquias haereditasse, praesertim vero corpus S. Alexandri Martyris, necnon cives desiderium ac devotionem illas possidendi ac venerandi ostendisse; cum autem *haec sit Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo*, cumque proprium sit, ut locorum Ordinarii, debitum ipsarum Reliquiarum (iisdem recognitis) cultus et venerationis incrementum quaerant et augeant, hinc SSmus D. N. Leo PP. XII Archiepiscopi Oratoris precibus annuens in Audientia die 24 ianuarii 1824 habita per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretarium, decrevit et statuit, ut idem Archiepiscopus Urbinaten. praenuntiatas Reliquias, ne in contemptionem incidant, recognoscat, et proprio sigillo munitas una cum S. Alexandri Corpore apud se ipsum retineat, ad effectum donandi alicui ecclesiae pro suo arbitrio eligendae, ut publicae fidelium venerationi exponantur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 254].

[1] Cf. N. 4993.

5005.

S. C. Indulg., *Aturen.*, 20 iun. 1836.

Episcopus Aturen. Sanctitatem Vestram humiliter rogat, ut sequentibus dubiis et quaesitis per Sacram Indulgentiarum Congregationem respondere dignetur:

1. *Multoties ad dealbandas parietes, ab iis disiunguntur simul vel successive quatuordecim cruces vel imagines Viae Crucis, aliquando ex una ecclesia in aliam transferuntur vel in oratorium; quaeritur an amittantur benedictio et indulgentiae?*

2. *Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis in ecclesia vel oratorio erectae adnexas, requiriturne recitatio sex Pater et Ave post quatuordecim stationes?*

3. *Quando propter gravem causam accidentalem Ordinarius praecipit vel approbat Orationem Quadraginta Horarum dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari positis de iure ponendis?*

4. *Facultas data die 12 iunii anni 1822* [1] *confitendi sua peccata infra octo dies, quae praecedunt festum, cui adnexa est indulgentia plenaria, extenditurne ad dies Orationi 40 horarum consecratas, et Communio potestne fieri die praecedente, modo visitetur SSmum Sacramentum fidelium adorationi expositum?*

5. *Possuntne applicari indulgentiae coronis, seu annulis argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem ad recitandum Rosarium, vel tertiam eius partem?*

6. *Possuntne indulgentiis S. Birgittae dictis donari coronae precatoriae quinque et non sex decadum? Post quamlibet decadem requiriturne recitatio Symboli Apostolorum ad lucrandas indulgentias?*

7. *Licetne, aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis 1° quando aegrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis? 2° quando post applicationem in peccatum relapsus est? 3° quando post applicationem diuturna laborat aegritudine, uno verbo, quando Rituale permittit, aut praecipit iterationem Extremae Unctionis, aut confessarius iudicat iterandam esse absolutionem?*

Sac. Congregatio die 20 iunii 1836 respondit:

Ad 1. *Non amittuntur benedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiae ad illam dealbandam; sed si simul omnes cruces removeantur, ut postea iterum ponantur in dicta ecclesia, fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine Apostolica facultate.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Quoad* Confessionem *Affirmative, i. e. extenditur etiam ad indulgentiam lucrandam in Oratione XL horarum concessam; quoad* Communionem peragendam die praecedente, *Negative.* [2]

[1] Cf. N. 5003.

[2] Vide tamen decretum *Urbis et Orbis*, diei 6 octobris 1870. — Cf. N. 5077.

Ad 5. *Negative pro indulgentiis Rosarii recitationi concessis.*

Ad 6. *Negative quoad primam partem, nisi habeantur peculiares facultates; Affirmative quoad secundam partem, si dicatur corona sex decadum S. Birgittae nuncupatae.*

Ad 7: Ad 1 et 2. *Negative;* ad 3. *prout iacet, Negative pariter in omnibus.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 257].

5006.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 13 nov. 1837.

Vicarius Generalis dioecesis Cameracensis humiliter quaerit:

Utrum indulgentiae, quae lucrantur in visitatione stationum Viae Crucis cessent, si quaedam tabulae vel cruces, non omnes, neque maior pars tollantur vetustatis causa, et in earum locum absque facultate Pontificia novae tabulae vel cruces substituantur?

Et quatenus Negative,

2. *Utrum novae praefatae tabulae vel cruces gaudeant indulgentiis, quibus gaudebant veteres?*

Sac. Congregatio die 13 novembris 1837 respondit:

Cum ad lucrifaciendas indulgentias, quae pro stationum Viae Crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio, sed crucium, proinde si ob vetustatis causam ipsae tabulae removeantur, ac in earum locum, etiam absque Pontificia facultate, novae tabulae substituantur, indulgentiarum concessio perseverat; imo etsi cruces ipsae, quae solae necessario requiruntur, ob eamdem rationem, vetustate scilicet labentes renovari debeant, dummodo earum non sit maior pars, nec nova erectione opus est, nec indulgentiarum beneficium amittitur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 258].

5007.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 11 iun. 1838.

Episcopus Cameracensis exponit, legem totam dioecesim afficientem promulgatam fuisse quoad Sodalitates canonice erectas; quae lex fert, ut a duobus confratribus singulis anni Dominicis diebus quaestuando argentum colligatur. Cum vero a § 8 Bullae Clementis VIII hoc prohibeatur, [1] quaerit:

Utrum ob factum, quod lex praelaudata ferebat, Sodalitatum associationes nullae sint, ita ut confratres privilegiis et indulgentiis frui nequeant.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, ac re mature perpensa, die 11 iunii 1838 respondit:

Nihil obstare iuxta citatam Clementis VIII Constitutionem § 8, quominus

[1] Cf. N. 192.

Confraternitates eleemosynas colligant iuxta legem totam dioecesim afficientem ab Ordinario praescriptam erogandas in ecclesiae seu oratorii reparationem atque ornatum, vel in alios pios usus de consensu eiusdem Ordinarii; proindeque Sodalitatum associationes sustineri, et confratres privilegiis et indulgentiis gaudere.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 260].

5008.

S. C. Indulg., *Veronen.*, 24 sept. 1838.

Episcopus Veronensis petit solutionem dubiorum, ut infra:

1. *Ex Constitutione Benedicti XIV Summi Pontificis diei 13 decembris 1740*[1] *conceditur indulgentia in memoriam agoniae D. N. I. C. pro singulis sextis feriis; num pulsatio campanae fieri debet hora tertia post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, vel hora 21 horologii Italici, ut vult libellus Romae editus anno 1834 inscriptus* Raccolta di orazioni, e pie opere etc. Typis Perego-Salvioni?

2. *Utrum benedictio Apostolica pluries impetiri possit infirmis, novo mortis periculo redeunte?*

Sac. Congregatio die 24 septembris 1838 respondit:

Ad 1. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam iuxta Romanam consuetudinem.*

Ad 2. *Negative, eadem permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 263].

5009.

S. C. Indulg., *Massilien.*, 17 dec. 1838.

Titius, civitatis Massiliensis, apud se possidet ac retinet devotam quamdam Deiparae Virginis effigiem in tabula coloribus pictam, cui Episcopus Ordinarius adnexuit quadraginta dierum indulgentiam acquirendam a Christifidelibus nonnullas preces ante ipsam recitantibus. Rursus alios Episcopos, quotquot per illam civitatem transeunt, idem Titius exorat, ut unusquisque alios quadraginta dies de indulgentia praefatae imagini concedat.

Quaeritur a Sacra Congregatione:

Quid dicendum sit de praedictis concessionibus, quidque de Episcopis transeuntibus sine permissu Ordinarii indulgentias concedentibus?

Sac. Congregatio die 17 decembris 1838 respondit:

Indulgentiae, quae ut supra a nonnullis Episcopis pro aliquibus precibus recitandis ante imaginem B. M. V. sunt imperitae, nullius roboris sunt ac momenti, ac revera apocryphae,[1] *praeter illam nempe quadraginta dierum, quam prima tantum vice Episcopus dioecesanus ex iurisdictione sibi dumtaxat competenti est elargitus.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 265].

[1] Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 27.

5010.

S. C. Indulg., *Tornacen.*, 28 ian. 1839.

Episcopus Tornacensis Sacrae Congregationi hoc dubium solvendum proposuit:

Inter chartas, quae in ecclesia S. Waldetrudis, dioecesis Tornacensis, asservantur, inveniuntur Bullae et decreta episcopalia, quibus conceditur facultas erigendi Confraternitatem dictae S. Waldetrudis, sed dubitatur, an praefata Confraternitas umquam erecta sit, vel an defectu confratrum desierit existere. Cum vi et tenore Bullarum Confraternitas in perpetuum erigenda esset, petitur, an nova erectione canonica opus sit ad instaurandam hanc Confraternitatem, vel, si nondum erecta fuit, Bullis et decretis praedictis uti nunc adhuc liceat?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, die 28 ianuarii 1839 declaravit:

Non indigere nova canonica erectione pro Sodalitate S. Waldetrudis instauranda; ac si etiam ob defectum confratrum ipsa desierit, tamen indulgentiae ac privilegia in enuntiata Bulla contenta minime amissa esse; proindeque vigere.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 269].

5011.

S. C. Indulg., *Lingonen.*, 30 ian. 1839.

Vicarius Generalis, et Moderator Generalis piarum Sodalitatum intra dioecesim Lingonensem, a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita expetit responsionem ad infrascripta dubia; scilicet:

1. *Utrum sacerdos rector Sodalitatis B. M. V. de Rosario olim canonice erectae sive per PP. Ordinis Praedicatorum, sive per indultum speciale Apostolicum, habeat eo ipso, quod sit rector dictae Sodalitatis, facultatem benedicendi rosaria, et quidem pro omnibus Christifidelibus cum applicatione indulgentiarum, quas applicant dicti PP. Ordinis Praedicatorum?*

2. *Utrum quando stationes Viae Crucis canonice erectae designantur per depictas imagines, indulgentiae dictae Viae Crucis sint adnexae praedictis imaginibus, an vero loco ipsi in quo collocantur?*

3. *Utrum quando praedictae imagines de loco primo amoventur, et in alio reponuntur, eo ipso cessent indulgentiae?*

[1] Vide decretum diei 12 ianuarii 1878. — Cf. N. 5081.

4. *Utrum in praedicto casu indulgentiae remaneant affixae loco primo, an vero sequantur imagines?*

5. *Utrum quando praedictae imagines primitus benedictae omnino pereunt, aut penitus tolluntur, sufficiat ipsarum loco substituere novas imagines cum simplici benedictione sine nova erectione, an vero necessaria sit nova facultas erigendi?*

Sac. Congregatio die 30 ianuarii 1839 respondit:

Ad 1. *Negative, nisi in diplomate erectionis, sive in indulto Apostolico addita sit facultas rectori pro tempore rosaria benedicendi, atque illis consuetas indulgentias applicandi.*

Ad 2. *Negative quoad utramque partem; etenim indulgentiae crucibus tantum sunt adnexae, quae quidem solae sunt benedicendae, minime vero imaginibus.*

Ad 3. *Affirmative, si sermo sit de crucibus, ut in secundo dictum est.*

Ad 4. *Si stationes Viae Crucis per cruces erectae a loco removeantur, ubi canonice erectae fuerint, et in alium transferantur, indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur.*

Ad 5. *Si cruces primitus benedictae omnino pereunt, iterum canonica erectio necessaria est; si pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla benedictione; si penitus tolluntur aliqua peculiari ratione, et ad tempus tantum, ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione, nec benedictione opus est ad indulgentias lucrifaciendas.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 270].

5012.

S. C. Indulg., *Calcedonien.*, 1 iul. 1839.

Ex dioecesi Calcedonien. in Bythinia proposita fuerunt sequentia dubia:

1. *Quando coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis divae Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes altenturne meditari quindecim mysteria D. N. I. C. ut indulgentias percipere valeant?*

2. *Daturne eadem obligatio mysteria meditandi, quando coronis applicata fuit benedictio cum indulgentiis ordinariis?*

3. *Si affirmative respondeatur, oblatio specialis mysteriorum debetne fieri antequam singulae decades recitentur?*

4. *Debetne fieri mentio specialis mysterii in recitatione Salutationis Angelicae, dicendo, v. gr., post haec verba: ventris tui Iesus haec alia: quem concepisti, vel quem visitando Elisabeth portasti etc. vel quem peperisti etc.?*

5. *Estne libera electio mysteriorum, quae recoli debent in recitandis coronis B. M. V., aut danturne dies stricte determinati pro tali, vel tali genere mysteriorum recolendo, ita ut tali die determinato recoli debeant mysteria gaudiosa, tali die dolorosa, tali die gloriosa?*

6. *Quando Summus Pontifex indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requiriturne, ut haec indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, an sufficit e*

contra, ut certi sint, praedictam indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam?

Sac. Congregatio die 1 iulii 1839 respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Negative, si benedictio respiciat indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho ex typographia Rev. Cam. Apost. anno 1831 edito; Affirmative, si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione Rosarii.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative, quia quando requiritur meditatio mysteriorum pro acquirendis indulgentiis, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Angelicae Salutationes, ut ex decreto Sacrae huius Congregationis diei 13 aug. 1726 a Benedicto XIII approbato.* [1]

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem; quoad vero secundam, invaluit consuetudo, ut per gyrum cuiuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur, nempe gaudiosa in secunda et quinta feria, dolorosa in tertia et sexta, gloriosa tandem in Dominica, quarta feria et sabbato.*

Ad 6. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 273].

5013.

S. C. Indulg., *Aginnen.*, 20 sept. 1839.

Vicarius Generalis dioecesis Aginnen. in Gallia expostulat solutionem nonnullorum dubiorum de indulgentiis, quibus gaudet Via Crucis rite erecta.

1. *An pereant indulgentiae, cum Cruces, vel imagines quatuordecim stationum aut partim, aut integre, quacumque de causa e loco suo amoveantur, etiam ad breve tempus?*

2. *An pereant, cum novae imagines, servatis crucibus, aut vice versa, novae cruces, servatis imaginibus, in locum aliarum pariter aut partim, aut integre sufficerentur?*

3. *An pereant indulgentiae, si cruces et imagines meliori modo disponantur?*

Sac. Congregatio die 20 septembris 1839 respondit:

Ad 1. *Indulgentiae Viae Crucis crucibus tantum sunt adnexae, minime vero imaginibus, quae necessariae non sunt. Hoc posito, si cruces, vel imagines quatuordecim stationum Viae Crucis aut partim, aut integre e loco suo moveantur ad tempus, ut denuo eidem loco restituantur, indulgentiae non pereunt.*

Ad 2. *Si cruces primitus benedictae omnino pereant, vel tollantur, iterum nova erectio et benedictio requiritur ad acquirendas indulgentias; si vero pereant, vel tollantur ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla nova erectione et benedictione; ideoque indulgentiae perseverant.*

Ad 3. *Ob meliorem dispositionem crucium indulgentiae non amittuntur.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 275].

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 92.

5014.

S. C. Indulg., *Incerti loci in Gallia*, 12 febr. 1840.

Parochus habens in propria parochia Confraternitatem sacri scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, ut plures ad eamdem attrahat, docet fideles suos, lucrandis indulgentiis non obstare (ne iis quidem, qui Officium divinum non recitant), 1° si abstinentiam in feria quarta non servent; 2° nec si 7 *Pater* et *Ave* singulis diebus non recitent; 3° si utrumque panniculum sacri habitus ex eadem parte pendentem et simul iunctum deferant; 4° si eumdem sacrum habitum non supra pectus portent, sed ab humero transversim sub brachio quolibet.

Quaeritur igitur:

Utrum haec cum mente Concedentis concordent?

Sac. Congregatio die 12 februarii 1840 respondit:

Christifideles, qui in Confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae Confraternitati, dummodo tamen pia peragant opera iniuncta in concessione earumdem. Servare autem abstinentiam a carnibus quarta feria, necnon septies in die Orationem Dominicalem et Angelicam Salutationem recitare haud sunt conditiones generales pro lucrandis indulgentiis deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda, qui speciales indulgentias lucrari cupiunt.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 279].

5015.

S. C. Indulg., *Sancti Flori*, 28 iul. 1840.

Episcopus S. Flori in Gallia quaerit:

Utrum per indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis, an vero tantum indulgentia quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicanda?

Sac. Congregatio, votis Consultorum auditis, die 28 iulii 1840 respondit

Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus Clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 283].

5016.

S. C. Indulg., *Taurinen.*, 26 aug. 1840.

Ex parte P. Praepositi Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, civitatis Taurinen., exponitur, quod anno 1815 per eamdem civitatem transeunte Pio VII s. m., sacerdotes eiusdem Congregationis, pedes Summi Pontificis osculantes, illum humiliter exorarunt pro concessione, seu prorogatione indulgentiarum ac privilegiorum, quibus iam ante suppressionem eadem Congregatio gaudebat, quibus idem Pontifex pulchre respondit, indulgentias et privilegia non amisisse, nam *siete stati oppressi* (inquit), *e non soppressi; la soppressione non è stata legale*; [1] at vero pro maiori eorum tranquillitate quaerunt a Sac. Congregatione:

Quid sentiendum sit hac super re?

Sac. Congregatio die 26 augusti 1840 respondit:

Oratores nulla indulgentiarum seu privilegiorum nova concessione ob allatum ab eodem Pontifice rationem indigere.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 285].

5017.

S. C. Indulg., *Valentinen.*, 5 febr. 1841.

Vicarius Generalis Capitularis ac Superior Trinitariarum, civitatis et dioecesis Valentinensis, quaerit a Sacra Congregatione:

1. *Utrum praefatae Trinitariae per diversas Galliarum dioeceses diffusae publicare possint in earum ecclesiis singulas indulgentias concessas earum Ordini S. Ioannis de Matha usque in praesens, quatenus attenta revocatione s. m. Pauli V plurimarum indulgentiarum Ordinibus Regularibus concessarum* [2] *dictae indulgentiae amplius subsistere non videntur?*

2. *Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viae Crucis, benedicendi cruces, numismata etc. debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?*

3. *Utrum valide erectae sint Sodalitates, cum in Gallia, et praecipue in dioecesi Valentinensi servatus non sit modus praescriptus in Bulla Clementis VIII, relatus in Bibliotheca Ferraris;* [3] *impetrato tamen a Sede Apostolica indulto, vi cuius, et iuxta eius tenorem erectio peracta sit, ac confecto verbali processu uniuscuiusque erectionis in qualibet respectiva parochia?*

4. *Utrum in adscribendis fidelibus Sodalitati sacri scapularis liceat uti in plurali parva formula:* Accipe vir devote etc.?

[1] *Oppressi estis*, inquit, et *non suppressi; suppressio minime fuit legalis.*

[2] Const. *Romanus Pontifex*, 23 maii 1606. — Decreta Authentica S. C. Indulg., p. 443, n. III.

[3] Cf. N. 192.

5. *Utrum sufficiat recitatio Confessionis, idest* Confiteor *etc. in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta, quando impertienda sit benedictio cum indulgentia in mortis articulo?*

6. *Utrum necesse sit tribus vicibus recitare* Confiteor *etc., quando administratur sacrum Viaticum, extrema Unctio, ac indulgentia in mortis articulo impertitur?*

7. *Utrum infirmus lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam?*

8. *Utrum sacerdos valide conferat indulgentiam plenariam in mortis articulo omissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam?*

Sac. Congregatio die 5 februarii 1841 respondit:

Ad 1. *Negative. Possunt tamen promulgare indulgentias tantum earum Ordini concessas iuxta Summarium recens constructum a Sacra Congregatione, ab eaque approbatum, non obstante revocatione s. m. Pauli V; dummodo praefatae Trinitariae canonice fuerint receptae.*

Ad 2. *Affirmative quoad Viae Crucis erectionem, Negative relate ad alias facultates, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus.*

Ad 3. *Affirmative, exstante iam Sanctae Sedis indulto derogatorio Bullae, seu Constitutionis Clementis VIII.*

Ad 4. *Affirmative iuxta praepositam rubricam in precibus benedictionis sacri scapularis.*

Ad 5. *Negative iuxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat.*

Ad 6. *Affirmative iuxta praxim et rubricas.*

Ad 7. *Negative in eodem mortis articulo.*

Ad 8. *Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 286].

5018.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 19 mart. 1841.

Delatis precibus ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam ex parte Episcopi Monasteriensis, in quibus dubium proponebatur: *Num is scilicet, qui in die festo Paschatis, quo Benedictio Papalis datur ab Episcopo, et ea de causa indulgentiae plenariae concessae sunt, pro acquirendis his indulgentiis SS. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipit, per hanc SS. Sacramentorum susceptionem etiam praecepto Ecclesiae de Communione paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad haec SS. Sacramenta tempore paschali accedere teneatur?*

Sacra eadem Congregatio, auditis Consultorum votis, respondendum esse duxit: *Consulendum Sanctissimo.*

Factaque de omnibus Eidem SSmo D. N. Gregorio PP. XVI per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia habita die 19 martii 1841 Sanctitas Sua benigne declaravit: *Per Confessionem et Communionem die Paschatis Resurrectionis peractam et indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari, et satis praecepto Paschatis fieri.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 288].

5019.

S. C. Indulg., *Briocen.*, 29 maii 1841.

Parochus ecclesiae curialis vulgo Rosternen. in dioecesi Briocensi, item rector Congregationis B. M. V. in minori seminario vulgo Plouguernevel eiusdem dioecesis, Sacram Congregationem Indulgentiarum demisse exorant, ut sequentia dubia declarare dignetur:

1. *An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae?*

2. *An possit per preces iam obligatorias v. gr. per Horas canonicas satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam?*

3. *An sufficiant quinque* Pater et Ave, *quae recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare, ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda indulgentia plenaria praescriptum est associatis operi Propagationis fidei?*

4. *Intra quotas horas diei ipsius, vel diei pridianae recitari debeant preces a Summo Pontifice praescriptae ob lucrandam indulgentiam plenariam?*

5. *An possit indulgentia altaris privilegiati lucrifieri a sacerdote, qui celebrat Missam de feria non privilegiata, seu de festo, quod non sit duplex, nec infra octavam?*

6. *An in facultate a S. Sede concessa benedicendi pro numero mille cruces, crucifixos, numismata etc. haec verba* pro numero mille *intelligenda sint de mille crucibus, mille crucifixis, mille numismatibus etc.?*

7. *An, qui obtinuit facultatem benedicendi coronas precatorias, iisdemque indulgentias impertiendi, habeat absque speciali privilegio facultatem quoque benedicendi et ditandi indulgentiis coronas Domini, vulgo dictas* Camaldulensium?

8. *An fideles, qui non intendunt recitare coronam precatoriam, recitant quasdam preces manu tenentes coronam sive Domini, sive Beatae Virginis, et grana volvunt, lucrantur pro unoquoque* Pater, *vel* Ave, *vel* Credo, *vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam?*

9. *An, qui quotidie recitat Hymnum* Veni Creator Spiritus, *et Sequentiam* Veni sancte Spiritus, *possit in eodem mense lucrari duas indulgentias plenarias?*

10. *An idem vir possit aggregari multis Sodalitatibus, et lucrari indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas impleat?*

11. *An idem altare in eadem ecclesia possit assignari ut altare proprium variis Sodalitatibus, v. gr. SS. Rosarii, Beatae Virginis de Carmelo, SS. Cordis Iesu?*

12. *An, quando possessor coronae Domini, vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae, seu crucis?*

Sac. Congregatio die 29 maii 1841 respondit:

Ad 1. *Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscuiusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur.*

Ad 4. *Intra idem tempus designatum pro indulgentiarum acquisitione.*

Ad 5. *Negative, et standum Indulto s. m. Clementis XIV sub die 7 martii 1771.*

Ad 6. *Negative, sed mille in totum.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Negative.*

Ad 9. *Negative; legitur enim in decreto huius concessionis* Veni Creator Spiritus *vel* Veni sancte Spiritus.

Ad 10. *Affirmative.*

Ad 11. *Affirmative in genere, et de consensu uniuscuiusque rectoris respectivae Sodalitatis ibi erectae, sed ad praecavendas quaestiones, quae facile oriri solent quoad functiones peragendas et altare custodiendum, magis expedit, si fieri potest, ut quaelibet Sodalitas suum habeat altare.*

Ad 12. *Negative absque speciali facultate.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 291].

5020.

S. C. Indulg., *Mechlinien.*, 15 dec. 1841.

Marianus Verhoeven, presbyter archidioecesis Mechliniensis, publicus professor sacrorum canonum in Universitate catholica Lovaniensi, ad Sacram Congregationem recurrit pro decisione sequentium dubiorum:

I. *Per decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum datum die 12 iunii 1822 conceditur, Confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad indulgentiam lucrandam:*[1] *quaeritur* 1. *An* verba infra hebdomadam *significent octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdomadam illam totam, et integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. Confessio facta die Dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc tresdecim dies inter Confessionem, et festivitatem intercessissent?* 2. *An Confessio octava die ante festivitatem peracta vi huius indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc Confessionem aliae etiam lucrifieri possint indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio caeteroquin requireretur?*

II. *Utrum cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur indulgentia, Confessio tamquam conditio* sine qua non *praescribitur, necesse sit, ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad indulgentiam lucrandam?*

[1] Cf. N. 5003.

III. *Si a Sancta Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in Rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet, vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum, etiamsi sit portatile?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 15 decembris 1841 respondit:

Ad I. *Quoad primam partem primi quaesiti: Affirmative; quoad secundam partem: Negative.*

Quoad primam partem secundi quaesiti: Negative; Affirmative quoad secundam partem.

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 295].

5021.

S. C. Indulg., *Quebecen.*, 15 dec. 1841.

Episcopus Quebecensis Sacrae Congregationi dubium solvendum proposuit:

Utrum tempore visitationis pastoralis et spiritualium recessuum, seu exercitiorum, quae frequenter peraguntur in paroeciis dictae dioecesis, lucrari possit indulgentia plenaria a fidelibus, sacra Communione peracta, eodemque tempore per ipsam unicam Communionem praecepto paschali satisfieri? Et rursum: An idem dicendum sit de indulgentia iubilaei?

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 15 dec. 1841 declaravit, respondendum esse:

Affirmative quoad primam partem, quemadmodum responsum fuit Episcopo Monasteriensi die 19 martii currentis anni[1] *relate ad acquisitionem indulgentiae plenariae papali benedictioni adnexae, quae in Paschate Resurrectionis impertitur, una eademque Communione tantum in paschalis praecepti adimplementum peracta. Quoad secundam partem similiter Affirmative, nisi aliter constet ex Bulla indictionis iubilaei.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 296].

5022.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 25 ian. 1842.

Cum Episcopus Cameracensis in erigendis Sodalitatibus cuiuscumque tituli, unicuique Sodalitati eadem statuta servanda tradiderit, quin mentio fiat in ipsis de aliquo pio opere a sodalibus exercendo, quaerit a Sacra Congregatione:

1. *Utrum indulgentiae talibus Sodalitatibus ab Apostolica Sede concessae*

[1] Cf. N. 5018.

validae sint, et an sodales eas lucrari possint, adimpletis tantum conditionibus in Pontificiis concessionibus praescriptis?

2. *Utrum praefata statuta servanda sint sub poena nullitatis indulgentiarum, ita ut fideles indulgentiis priventur ob eorum inobservantiam sive integram, sive ex parte tantum?*

3. *Utrum receptio fidelium, seu adscriptio in Sodalitatem facta a parocho respectivo illius ecclesiae, in qua Sodalitas reperitur erecta, sufficiens sit ad lucrandas adnexas indulgentias, quamvis statuta mentionem non faciant, quod parochus debeat esse Sodalitatis rector?*

4. *Utrum Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatibus sunt muniti communicandi indulgentias Sodalitatibus, quas in propriis dioecesibus erexerunt, debeant sub poena nullitatis necessario uti formula a s. m. Clemente VIII approbata,*[1] *an satis erit eas erigere cum diplomate cuiuscumque formulae, episcopali signo obsignato, in quo, citato Apostolico indulto, mentio quoque fiat tum de necessitate adscribendi sodalium nomina in Sodalitatis album, tum de distantia servanda, prout Clemens VIII s. m. in sua Constitutione praescribit?*

Sac. Congregatio die 25 ianuarii 1842 respondit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera iniuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis, seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias acquirendas.*

Ad 3. *Affirmative quatenus parochus sit ab Episcopo erigente deputatus ad recipiendos sodales, etiamsi nulla de eo facta sit mentio in statutis.*

Ad 4. Quoad primam partem: *Negative.*

Quoad secundam partem: *Ordinarii se conformare debent Litteris Apostolicis particularibus ab ipsis obtentis, et ubi in concessionibus enuntiatur:* servata Constitutione Clementis VIII, *hoc respicit conditiones in ipsa Constitutione enuntiatas, quae sunt observandae, minime vero formulam, quae servanda est a Superioribus Regularibus in respectivi Ordinis tantum Sodalitatibus erigendis.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 298].

5023.

S. C. Indulg., *Gandaven.*, 12 febr. 1842.

Cum Episcopus Gandavensis in Belgio dubia sibi a confessariis suae dioecesis proposita solvere, et praxim uniformem in eadem dioecesi introducere cupiat, enixe a Sacra Congregatione quaerit:

1. *Utrum benedictio in articulo mortis iuxta formulam Benedicti XIV in Constitutione* Pia Mater [2] *reiterari possit in eodem morbi statu?*

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 380.

Et quatenus Affirmative,

2. *An ea toties iterari possit, quoties aegrotus in peccata saltem venialia relapsus ab eis absolvetur?*

Sac. Congregatio die 12 februarii 1842 respondit:

Sacra Congregatio in una Veronen. cuidam illius Episcopi dubio: An scilicet benedictio Apostolica pluries impertiri posset novo mortis periculo redeunte? *die 24 septembris 1838 responsum dedit:* Negative, eadem permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative vero, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.[1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 300].

5024.

S. C. Indulg., *Incerti loci*, 7 iun. 1842.

Proposito dubio: *An in designatione altarium pro acquirendis indulgentiis, nomine Ordinarii in privilegio intelligatur sola persona Episcopi, vel etiam Praelatus, qui gaudet ordinaria iurisdictione in suo districtu?*

Sac. Congregatio die 7 iunii 1842 respondit:

Praelatus, qui gaudet iurisdictione, potest deputari ad designandum altare pro acquirendis indulgentiis, et nomine Ordinarii hoc in casu non solum intelligitur Episcopus, sed etiam Praelatus iurisdictione ordinaria in suo districtu praeditus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 302].

5025.

S. C. Indulg., *Corisopiten.*, 7 iun. 1842.

Episcopus dioecesis Corisopitensis decreta seu responsiones expostulat a Sacra Congregatione ad sequentes proponendas quaestiones:

1. *Quando Episcopus, virtute delegationis Apostolicae in ecclesia parochiali, seu succursali erexit aliquam Sodalitatem de Monte Carmelo vel Rosarii etc. nec specialem rectorem designavit, numquid praedictae ecclesiae pastor hoc ipso et absque alia designatione institutae Sodalitatis rector censeri et haberi debet, ita ut in illam admittere valeat et suos et aliorum parochianos, completis formalitatibus aliunde praescriptis, speciatim benedicendi et imponendi scapularia?*

2. *Impedito pastore, numquid eius vicario competunt supraenumeratae facultates?*

3. *Hoc recepto, quod pia Sodalitas si alicubi erigitur, nominatim designandus est istius Sodalitatis rector; potestne Episcopus declarare rectoris munus ab ecclesiae pastore, quae Sodalitate donatur, in perpetuum fore obeundum, et pastor pro tempore fruiturne virtute huius declarationis facultatibus in prima et secunda quaestione memoratis?*

[1] Cf. N. 5008.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 7 iunii 1842 respondit:

Ad 1. *Negative; excepto solummodo casu, quod in illa ecclesia seu paroecia nullus alius esset, qui possit destinari, et tunc eo ipso quod Episcopus ibi erigit Sodalitatem, tacite videtur rectorem designare ecclesiae pastorem, non iure suo utendo, sed Sodalitatis necessitate rectorem exigentis.*

Ad 2. *Affirmative, dummodo vicarius sit de gremio Sodalitatis.*

Ad 3. *Negative, nisi Episcopus speciales habeat facultates, nam generice loquendo, quotannis fieri debet rectoris aliorumque officialium Sodalitatis electio.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 304].

5026.

S. C. Indulg., *Auxien.*, 22 aug. 1842.

Archiepiscopus Auxiensis Sacrae Congregationi dubia ut infra solvenda proponit:

1. *Utrum parochus, seu moderator Confraternitatis cuiuscumque, sive legitime impeditus, sive non, possit licite et valide sibi vicarium, vel alium presbyterum quemcumque approbatum subrogare ad recipiendum fideles Confraternitati adscribendos?*

2. *Utrum vicarius, vel alius presbyter ita subrogatus pro una vice, vel ad tempus, possint habitus confratrum, vel sororum, necnon coronas deprecatorias, seu rosaria benedicere cum applicatione indulgentiarum, non secus, ac ipsemet parochus vel moderator Confraternitatis?*

3. *Utrum haec omnia absque ullo fidelium Confraternitati adscribendorum, seu adscriptorum detrimento fieri possint?*

Sac. Congregatio die 22 augusti 1842 respondit:

Ad 1. *Negative, nisi ei facta fuerit in concessione facultas subdelegandi vicarium vel alium presbyterum.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Negative, deficiente in sacerdote adscribente, seu benedicente legitima auctoritate.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 306].

5027.

S. C. Indulg., *Lemovicen.*, 22 aug. 1842.

Episcopus Lemovicen. sequentium dubiorum solutionem a Sacra Congregatione expostulat:

1. *An Confraternitates SSmi Sacramenti, ordinaria auctoritate erectae, virtute decreti Sacrae Congregationis sub die 16 febr. anni 1608 (?) et Constitutionis Innocentii XI*, Iniuncti nobis, *anni 1678*, [1] *sine ulla aggregatione, vel*

[1] Bull. Rom., tom. 8, p. 57, 58.

nova concessione fruantur gratiis omnibus et indulgentiis Archiconfraternitati, quae Romae est, concessis?

2. *Quaenam formula adhiberi debeat in communicatione indulgentiarum concessarum Archiconfraternitatibus Romae erectis, quam communicationem idem Episcopus diversis Confraternitatibus in sua dioecesi erectis, vel erigendis elargitur, auctoritate sibi ab Apostolica Sede per diversa Rescripta delegata, servatis tamen servandis iuxta Constitutionem Clementis VIII.* [1] *Num necesse sit singulas indulgentias* nominatim *communicare, et hoc agere cum interventu duorum de Capitulo? Utrum defectus statutorum, vel officialium in dictis Confraternitatibus, tum etiam si in illis pia opera vel usus singulares adhibeantur non conformes illis, quae in Archiconfraternitatibus Romae servantur, officiat necne validae erectioni, vel indulgentiarum communicationi?*

3. *Cum paroeciae non distent ab invicem una leuca, si tamen sunt in separatis oppidis constitutae, poterunt erigi in ambabus Confraternitates eaedem?*

4. *Confraternitates ab Episcopo auctoritate a S. Sede delegata erectae, fruuntur necne eadem bonorum operum, et orationum communione cum Archiconfraternitate, et iisdem privilegiis et indulgentiis ac illae, quae aggregatae ordinario more fuerunt?*

Sac. Congregatio die 22 augusti 1842 respondit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. Ad primam partem: *nullam determinatam formulam praescriptam esse Episcopis Sodalitates erigentibus, sed tantum Ordinibus Regularibus iuxta Clementis VIII Constitutionem, proindeque decretum solummodo Episcopi erigentis satis erit ad canonicam erectionem.*

Ad secundam partem: *Negative.*

Ad tertiam partem: *Negative, dummodo opera exerceantur, quibus adnexae sunt indulgentiae.*

Ad 3. *Affirmative, si agatur de Confraternitatibus SS. Corporis Christi et de Doctrina Christiana, quae praeter indulgentias huiusmodi Sodalitatibus a Paulo V concessas, singulari quoque privilegio gaudent, iuxta Sacrae huius Congregationis decreta, quod nempe in singulis quoque paroeciis possint institui; Negative vero, si agatur de Confraternitatibus in genere.*

Ad 4. *Affirmative si agatur de Confraternitate SS. Corporis Christi; si vero de Doctrina Christiana, quoties in dioecesi aggregata est una ex his Confraternitatibus, ceterae etiam erectae, aut erigendae, aggregatae censentur; Negative quoad alias Confraternitates in genere.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 308].

5028.

S. C. Indulg., *Incerti loci*, 22 aug. 1842.

Nonnulli sacerdotes supplicarunt Sacrae Congregationi, ut declararetur:

1. *An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare, et stationes percurrere, ut valida sit erectio?*

[1] Cf. N. 192.

2. *An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato, alter quicumque tabulas collocare possit privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore?*

3. *An quando in priorum tabularum locum aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et Viam Crucis erigendi?*

4. *An mutatio crucium de loco in locum in eadem ecclesia secum importet annihilationem indulgentiarum Viae Crucis adnexarum?*

Sac Congregatio die 22 augusti 1842 denuo declaravit, in erectione Viae Crucis benedicendas tantum esse cruces, minime vero tabulas, seu picturas, et respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative, dummodo substitutio non sit maioris partis crucium.*

Ad 4. *Negative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 311].

5029.

S. C. Indulg., *Caenomanen.*, 18 nov. 1842.

In variis Galliarum dioecesibus, et praesertim in dioecesi Caenomanensi permultae existunt Confraternitates SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, et SS. Cordis Iesu. Diversae illae Confraternitates ex speciali S. Sedis facultate ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectae; nomina confratrum et consororum in particularibus regestis inscribuntur, sed ad directorem Archiconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque Confraternitate eliguntur. Caenomanensis Episcopus omnes fidelium anxietates praecavere aut sedare volens, expostulat a Sacra Congregatione:

1. *An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub poena nullitatis?*

2. *An necesse sit sub eadem poena, ut administratores eligantur?*

3. *An Episcopus designare possit directorem uniuscuiusque Confraternitatis suae dioecesis sive iam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae?*

4. *An director ab Episcopo sic designatus, eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum, et scapularia benedicere, ac imponere possit?*

Sac. Congregatio die 18 novembris 1842 respondit:

Ad 1. *Negative, quia formula praescribitur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda.*

Ad 2. *Negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum Sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Negative, nisi in huiusmodi concessionibus facta sit facultas rectori pro tempore benedicendi rosaria, coronas et scapularia.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 312].

5030.

S. C. Indulg., *Pinerolien.*, 12 maii 1843.

Episcopus Pineroliensis cupiens in sua dioecesi Sodalitatem erigere sub titulo immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum cum omnibus indulgentiis, quibus virtute Brevis diei 24 aprilis 1838 ditata fuit ipsa Archisodalitas in ecclesia B. M. V. de Victoriis urbis Parisiensis, prae manibus habuit illius Archisodalitatis statuta sub die 16 decembris 1836 ab Archiepiscopo Parisiensi approbata; sed cum ad trutinam revocarentur omnia, atque perpenderentur huius Pineroliensis dioecesis circumstantiae, in quibus praedicta statuta haud possent in integrum observari, dubium exortum est, num omnes horum Parisiensium statutorum articuli necessarii et essentiales essent ad lucrandas indulgentias; hinc quaerit a Sacra Congregatione:

1. *Omnesne et singuli articuli Parisiensium statutorum sunt necessarii et essentiales ad constituendam in suo esse hanc Societatem pro lucrandis indulgentiis eidem concessis?*

2. *Si non omnes et singuli, quinam sunt ita essentiales, ut nullo modo variari possint?*

3. *Facultasne facta fuit per citatum Apostolicum Breve Praeposito ecclesiae B. M. V. de Victoriis determinandi statuta, quae sic determinata sufficiant ad indulgentias lucrandas?*

Sac. Congregatio die 12 maii 1843 respondit:

Quoad primum: *Negative, et dummodo Sodalitas canonice erigatur, sodalesque adimpleant opera pro acquirendis indulgentiis ab Apostolica Sede praescripta, varietas partialis, seu generalis statutorum (quae ab Ordinariis respectivorum locorum pro diversitate temporum et circumstantiarum erunt constituenda) non obest acquisitioni indulgentiarum, eo quod statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias lucrifaciendas; quod si nonnulli statutorum articuli aliqua peragenda opera sodalibus proponant, quae ex Pontificia concessione ditata sint indulgentiis, ipsi tamquam essentiales habendi sunt, ut nullo modo variari possint, ne tali spirituali emolumento sodales sint fraudati.*

Quoad secundum et tertium: *Responsum in primo.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 320].

5031.

S. C. Indulg., *Gratianopolitana*, 24 maii 1843.

Episcopus Gratianopolitanus licentiam obtinuit erigendi in sua dioecesi plures Sodalitates, pium quoque Viae Crucis exercitium, necnon declarandi unum altare privilegiatum in ecclesiis parochialibus, ac denique parochos deputandi pro impertienda indulgentia plenaria in mortis articulo: quaerit a Sacra Congregatione:

Utrum duo Vicarii Generales (titulares) eiusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiunt, saltem quoad iurisdictionem ordinariam, uti fatentur omnes, gaudeant facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates erigendi, instituendi Viam Crucis, altaria declarandi privilegiata?

Sac. Congregatio die 24 maii 1843 respondit:

Indulta, seu facultates, de quibus in proposito dubio, etsi non cedant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata, ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat tamquam ab ipso legitime delegatus; sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetraverit, hinc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis expostulasset iis verbis, aut similibus, nempe eos sive per se, sive per suos Vicarios Generales communicandi.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 321].

5032.

S. C. Indulg., *Leodien.*, 9 aug. 1843.

Sacerdos quidam Begginagii Hasseletensis, dioecesis Leodiensis, petit a Sacra Congregatione solutionem sequentium dubiorum:

1. *An cesset indulgentia Confraternitatis SS. Rosarii, vel aliae indulgentiae, si nova aedificetur ecclesia fere in loco, ubi vetus existebat?*

2. *An cesset indulgentia, si nova ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris ecclesiae?*

3. *An cesset indulgentia si nova ecclesia aedificetur in alio loco, et non in coemeterio veteris ecclesiae?*

Sac. Congregatio die 9 augusti 1843 respondit:

Ad 1. *Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Ut in secundo.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 323].

5033.

S. C. Indulg., *Mechlinien.*, 10 maii 1844.

Professor publicus ordinarius sacrorum canonum in academia catholica Lovaniensi, dioecesis Mechliniensis, ad Sacram Congregationem recurrit, ut decisionem sequentium dubiorum de indulgentiis obtinere possit:

1. *An Christifideles secundum canonem* Omnes utriusque sexus[1] *Sacramentum Eucharistiae suscipientes tempore paschali possint per hanc sacram Communionem lucrari indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam inter caetera praescribitur sacra Communio; ea praesertim de causa de hac re dubitat Orator, quod a s. m. Benedicto PP. XIV in Litteris encyclicis:* Inter praeteritos etc.[1] *videtur definitum, unam Communionem pro indulgentia in forma iubilaei concessa, et pro paschali etiam praecepto sufficere non posse?*

[1] C. 12, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V, 38.

2. *An sacerdos, qui Missam celebrat ex. gr. pro defuncto, eidemque applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, possit eodem die vi sacrae Communionis in Missae Sacrificio peractae lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi, vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?*

3. *An sacerdos in honorem B. M. V. Missam celebrans pro accepta eleemosyna, possit per sacram Communionem in Missae Sacrificio peractam lucrari indulgentiam vel sibi, vel defuctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?*

Sac. Congregatio die 10 maii 1844 respondit:

Ad 1. *Affirmative, dummodo indulgentia lucrifacienda, non sit in forma iubilaei, pro qua tantum requiritur peculiaris Confessio atque Communio; satis enim declaratum est a SSmo D. N. Gregorio PP. XVI per decretum Sacrae huius Congregationis in una Monasterien. sub die 19 martii anni 1841.*[2]

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Affirmative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 327].

5034.

S. C. Indulg., *Rothomagen.*, 20 aug. 1844.

Curatus parochialis ecclesiae *de Saint-Ouen* nuncupat. Civitatis Rothomagensis petit a Sacra Congregatione *potestatem permutandi quoad locum Viae Crucis stationes in propria ecclesia existentes, eisque substituendi alias stationes seu tabulas absque ulla peculiari caeremonia, ita tamen, ut hae postremae iisdem fruantur indulgentiis?*

Sac. Congregatio die 20 augusti 1844 respondit:

Ex pluribus huius Sacrae Congregationis decretis colligitur, minime necessariam esse facultatem commutandi stationes, seu cruces quoad locum, dummodo agatur de eadem ecclesia, minimeque facultate indigere substituendi stationes, dummodo tamen cruces tabulis superpositae omnes, *vel* in maiori numero *perseverent; secus vero nova erectio, novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 328].

[1] Cf. N. 404.
[2] Cf. N. 5018.

5035.

S. C. Indulg., *Versalien.*, 17 sept. 1845.

Quidam sacerdotes per Episcopum Versaliensem debite delegati ad recipiendos fideles in Confraternitatem Carmeli, et ad benedicendum habitum huiusce Confraternitatis, non habent potestatem inscribendi nomina receptorum in albo Sodalitatis, nec mittunt eorum nomina ad monasteria religiosorum Carmelitanorum; quaerunt:

Utrum eiusmodi fideles sic recepti indulgentias dictae Confraternitati a S. Sede concessas lucrari possint?

Sac. Congregatio die 17 septembris 1845 respondit:

Affirmative, quatenus sacerdotes debite delegati sint ad recipiendos fideles in Sodalitatem; monendi tamen sunt praefati sacerdotes, ut nomina receptorum in albo ipsius Sodalitatis vicinioris, sive monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 330].

5036.

S. C. Indulg., *Briocen.*, 25 sept. 1845.

Vicarius Generalis dioecesis Briocensis sequentia dubia solvenda proposuit:

1. *Utrum rector Confraternitatis ipse nomina recipiendorum vel receptorum in album Confraternitatis debeat inscribere?*

2. *Utrum ad lucrandas indulgentias Confraternitatis SSmi Rosarii necessarium sit, ut in altari B. M. V. dicato exstet imago eiusdem quindecim mysteriis circumdata.*

Sac. Congregatio die 25 septembris 1845 respondit:

Ad 1. *Inscriptio materialis a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem tantum Christifidelis sit rite receptus.*

Ad 2. *Negative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 331].

5037.

S. C. Indulg., *Syracusana*, 24 ian. 1846.

Archiepiscopus Syracusanus supplicat Sacrae Congregationi, ut declaret: *Utrum vi dispositionum Capitis* Cum ex eo 14, de poeniten. et remiss. *quae concedunt Archiepiscopis et Episcopis facultatem quadraginta dierum occasione sacrarum functionum, quae ipsis praesentibus vel absentibus peraguntur, possint quoque adnectere indulgentiam quadraginta dierum aliquibus imaginibus, seu statuis ab ipsis designandis, lucrandam a visitantibus, seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes?*

Sac. Congregatio die 24 ianuarii 1846 respondit:

Affirmative, servatis tamen Apostolicis ordinationibus circa fragilitatem obiectorum, quibus non sunt adnectendae indulgentiae.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 333].

5038.

S. C. Indulg., *Mechlinien.*, 20 mart. 1846.

Marianus Verhoeven, presbyter archidioecesis Mechlinien. in Universitate catholica Lovanien. in Belgio ss. canonum professor publicus ordinarius Vobis, Eminentissimi et Reverendissimi Principes, humiliter exponit, S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam die 15 decembris 1841 resolutionem dedisse super dubio, quod his verbis proposuit Orator: *Quaeritur, si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum etiamsi sit portatile?* Responsum fuit: *Negative, excepto casu indulti altaris privilegiati personalis, quo frui potest sacerdos in quocumque altari, sive locali sive portatili celebraturus.* [1]

Ex hac resolutione coniecit Orator, verba *altare fixum seu locale* et *portatile altare* a Sacra Congregatione Indulgentiarum intellecta fuisse eo sensu, quo a scriptoribus de rebus liturgicis passim intelligi videntur, scilicet ad propriam fixi seu localis altaris rationem non sufficere firmum terraeque fixum fundamentum, nisi ita stabiliter pars inferior cum superiore mensa connectatur, ut unum simul compositum efficiant, sed illam esse formam altaris *fixi* seu *localis*, quam libri Pontificales et Caeremoniarii supponunt dum altaris immobilis consecrationem describunt; altare autem illud *portatile* haberi et esse, quod licet stabilem parieti terraeque affixam structuram exhibeat, eius tamen mensa unum corpus non constituit cum subiecta lapidum strue, et cuius superposita mensa seorsim a reliquo aedificio consecratur, et si mensa ista amovetur a sustentaculo, cui aptatur, consecrationem non amittit.

Dubitat vero Orator, an hoc et non alio sensu verba altare *fixum* seu *locale* et *portatile* intelligenda sint in praedicti resolutione dubii, cum non ita pridem a Reverendissimo et Eminentissimo Praefecto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide data fuerit resolutio, quae difficulter componi potest cum resolutione praelaudata Sacrae Congregationis Indulgentiarum, si verba ista intelligi debeant prout supra ex scriptoribus liturgicis definita sunt. Ad maiorem rei claritatem liceat Oratori hic subiicere apographum litterarum, quae in hac re ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide datae fuerunt, una cum apographo responsi ab Eminentissimo et Reveren-

[1] Cf. N. 5020.

dissimo Praefecto eiusdem Sacrae Congregationis subscripti. Litterae sunt: *Exponit humiliter Eminentiae Vestrae Vicarius Apostolicus Limburgensis in Neerlandia, in suo vicariatu, sicut et in omnibus locis vicinis altaria in ecclesiis plerumque ita construi, ut fixa et immobilia, alicui Sancto dicata, in eodem loco vel in eadem capella remaneant, sed in mensa altaris cavitatem quadratam habeant, in qua lapis consecratus collocatus est, qui quamvis natura sua portatilis, tamen semper eidem altari fixo impositus permanet. Stante hac altari constructione agitatur in clero quaestio, an quando cuidam altari, determinato Sancto dicato indultum altaris privilegiati ad tempus vel in perpetuum conceditur, privilegium concessum censeatur lapidi consecrato, qui, licet altari fixo destinatus et impositus, tamen, cum sit natura sua portatilis, ad aliud altare fixum transferri eique imponi potest; an vero privilegium censeatur concessum altari immobili in loco determinato constructo et alicui Sancto specialiter dedicato, ita ut, si lapis consecratus propter legitimum motivum ab altari fixo amoveatur, eique alius lapis consecratus substituatur, tamen altare fixum privilegiatum remaneat? Ut cleri dubium tollatur et nulla remaneat incertitudo, an altaria sint privilegiata, an non, humillime Orator postulat Sacrae Congregationis de Propaganda Fide responsum super exposita quaestione.* Responsum fuit: *Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit.* J. Ph. Card. Fransonius, Praef. S. Congr. de Propag. Fide.

Humiliter itaque proponit Orator dubium:

1. *An in resolutione, de qua supra, data a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 15 decembris 1841, per verba « altare fixum seu locale » intellexit altare fixum, prouti supra ex scriptoribus de rebus liturgicis definitum est?*

Et quatenus Affirmative,

2 *An vox altare portatile in eadem resolutione habeat eandem significationem, quam ex iisdem scriptoribus superius indicavit Orator?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 martii 1846 ad praefata dubia respondit:

Ad 1. *Sacram Congregationem intellexisse altare fixum quidem, quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cuius superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce coniuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicuius Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.*

Ad 2. *Intellexisse altare, ut dicitur, viaticum, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad maiorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 334].

5039.

S. C. Indulg., *Divionen.*, 22 febr. 1847.

Extant apud Divionensem Antistitem quamplurimae Sanctorum Reliquiae, quae tempore Gallicae perturbationis, anno praesertim 1793 e propriis thecis, seu capsulis pretiosis avulsae in unum collectae fuerunt, inter quas celebris Crux Palatina, quam venerabiles monachi Ordinis S. Benedicti loci Sancti Germani vulgo des-Prés in eorum ecclesia publicae fidelium pietati in ara principe venerandam praebebant; itemque nonnullae aliae quoque tum chartulis inclusae, sigilloque munitae, tum aliae denique nullo roboratae documento, de quarum omnium authenticitate, etsi ex testium depositione idem Episcopus minime dubitandi locum esse putet, ab hac Sacra tamen Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ut in rebus tanti momenti tuto procedi possit, quid de his Reliquiis agendum enixis precibus postulavit.

Propositis itaque dubiis in generalibus Eminentissimorum Patrum Cardinalium Comitiis apud Quirinales Aedes habitis die 22 februarii 1847:

1. *An liceat indiscriminatim omnes et singulas inventas Reliquias fidelium venerationi exponere; eisque distribuere?*

Et quatenus Negative,

2. *An cruci saltem Palatinae ac Reliquiis, quae chartulis fuerunt inclusae, cultus sit permittendus, ipsaeque fidelibus sint distribuendae?*

3. *Quid agendum ab Episcopo circa ceteras Reliquias nullo documento roboratas?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, rebusque maturo examine discussis, respondendum esse decrevit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative quoad crucem Palatinam ceterasque Reliquias, quae ab Episcopo fide munitae sunt.*

Ad 3. *Quoties constet de authenticitate, audito etiam Capitulo suae cathedralis ecclesiae, poterit Episcopus vel in propria cathedrali ecclesia servare, vel aliis ecclesiis suae dioecesis servandas distribuere cum solo titulo: Reliquiae Sanctorum.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 335].

5040.

S. C. Indulg., *Camerinen.*, 22 febr. 1847.

Proposito dubio ab Archiepiscopo Camerinensi:

Utrum Archiepiscopi ratione dignitatis impertiri possint fidelibus indulgentiam octoginta dierum post benedictionem cum Ven. Eucharistiae Sacramento, seu post quascumque alias peractas functiones, cum Pontificale Romanum quadraginta tantum dierum indulgentiam praescribat?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 februarii 1847 respondit:

Servandum esse Pontificale Romanum.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 336].

5041.

S. C. Indulg., *Cenomanen.*, 22 febr. 1847.

Episcopus Cenomanen. exponit, se sacras Reliquias recte honorari volentem pro sua dioecesi statuisse, ut particulae SS. Crucis D. N. I. C. non collocarentur cum Reliquiis Sanctorum in iisdem capsis, quia cultus Sanctorum Reliquiis exhibendus non est idem, ac cultus SSmae Crucis, vel aliorum instrumentorum Passionis D. N. I. C. particulis debitus. Innixus est praeterea decreto Sac. Congregationis Rituum diei 6 maii 1826 et testimonio Gardellini in Indice expresse dicentis *Crucis Reliquia retinenda separatim a Reliquiis Sanctorum.* [1] Postulat igitur, ut declaretur:

An praxis separandi Reliquias SSmae Crucis D. N. I. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et retinenda?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 februarii 1847, auditis Consultorum votis rebusque mature perpensis, respondendum esse decrevit:

Affirmative et ad Eminentissimum Praefectum ad mentem. Et mens fuit, quod scribatur tam Eminentissimo Urbis Vicario quam Reverendissimo Sacristae Capellae Palatii Apostolici, ad quos pertinet custodia Sanctarum Reliquiarum, ut in vigorem revocentur decreta alias edita pro separatione Reliquiarum SSmae Crucis a Reliquiis Sanctorum.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 342].

5042.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 22 febr., 12 iul. 1847.

Archiepiscopus Cameracensis quaerit humiliter solutionem dubiorum sequentium:

1. *Utrum moderatores Sodalitatum B. M. V. de Rosario, et de Monte Carmelo valeant benedicere rosaria et scapularia cum applicatione indulgentiarum assuetarum, eo ipso quod supradictos moderatores instituerit in erigendo praelaudatas Sodalitates cum assuetis indulgentiis etc. Apostolica delegatione sibi concessa, etsi Breve illi impertitum non mentionem faciat de indulta facultate moderatoribus, ad effectum benedicendi huiusmod. rosaria et scapularia, et utrum pariter facultas concessa primo moderatori transeat ad eius successores in hoc munere?*

2. *An per exceptionem regulae generalis communiter admissam reipsa pias*

[1] Cf. N. 5849.

Sodalitates SSmi Sacramenti et Doctrinae Christianae in omnibus omnino ecclesiis parochialibus cum applicatione indulgentiarum instituere, seu erigere liceat, ita ut non requiratur unius leucae distantia inter duas huiusmodi Sodalitates?

3. *Utrum Sodalitates, quae canonice existebant ante concordatum 1801, amiserint de facto sua privilegia et indulgentias, et idem dicendum sit de altaribus privilegiatis et aliis spiritualibus gratiis?*

4. *An indulgentiae quibusdam maioribus festis adnexae, sint translatae, eo ipso quod solemnitas huiusmodi festorum sit canonice apud nos translata ad Dominicam sequentem?*

5. *Utrum Moniales etiam non approbatae a S. Sede, ut in Gallia communiter existunt, possint lucrari indulgentias, quibus gaudent respectivi Ordines religiosi Romae vel alibi existentes et qui sunt approbati?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 februarii 1847 respondendum duxit, ut infra:

Ad 1. *Affimative iuxta Votum, i. e.: Consulendum SSmo pro sanatione quoad praeteritum, et pro facultate eidem Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ut per se, vel per sacerdotes a se deputandos benedicat rosaria et scapularia, illaque respective imponat fidelibus ad lucrandas indulgentias unicuique ex Confraternitatibus praedictis ab Apostolica Sede concessas.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative quoad Sodalitates olim legitime existentes et deinde sub eisdem titulo, legibus, habitu, ubi gestare liceat, noviter ac canonice erectas; quoad vero altaria privilegiata, aliasque gratias spirituales recurrat in casibus peculiaribus.*

Ad 4. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad 5. *Affirmative iuxta Rescriptum S. Poenitentiariae d. d. 10 iulii 1843, ut infra:* « Sac. Poenitentiaria, perpensis expositis respondit: Affirmative, nempe oratrices (hoc est Carmelitae Excalceatae) uti et ceteras sorores monasteriorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium secundum institutum, seu regulam respectivam concessae fuerunt, idque ex Indulto s. m. Pii VII a SSmo D. N. PP. Gregorio XVI iterum confirmato ».

Facta autem per infrascriptum Cardinalem eiusdem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 iulii 1847, super primo et quarto dubio, Sanctitas Sua quoad primum benigne annuit pro sanatione quoad praeteritum, et quoad futurum concessit facultatem Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, eius vita naturali durante, prout in dicto dubio responsum est; quoad vero quartum dubium EE. PP. responsioni, eadem Sanctitas Sua clementer annuit, dummodo solemnitas legitime translata sit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 343].

5043.

S. C. Indulg., *Valentinen.*, 12 iul. 1847.

Episcopus Valentinensis implorat solutionem sequentium dubiorum:

1. *An translata solemnitate Epiphaniae etc. in regno Galliarum, translatae sint pariter indulgentiae diei proprio adnexae, ita ut fideles eas lucrari possint Dominica sequenti, ad quam solemnitas translata est?*

2. *An qui emit cruces, numismata etc. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? An amittantur tantum, quando quis sibi eas res proprias fecerit, et iis usus fuerit cum intentione lucrandi indulgentias?*

3. *Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro extirpatione haeresum etc. an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus?*

4. *An visitantes ecclesias Ordinis S. Francisci die 2 augusti, lucrentur indulgentiam plenariam toties quoties in eas ingrediuntur, et parumper ibi orant? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem ecclesia?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 februarii 1847 respondit, ut infra:

Ad 1. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad 2. *Negative* ad primam partem; ad secundam: *non indigere responsione.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Facta autem per infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 iulii 1847, Sanctitas Sua quoad primum dubium benigne annuit, dummodo solemnitas legitime translata sit; quoad reliqua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 344].

5044.

S. C. Indulg., *Constantien.*, 31 ian. 1848.

Presbyter quidam Canonicus honorarius ecclesiae Constantiensis provinciae Rothomagen. in Gallia, Superior minoris seminarii Mamvillae in eadem dioecesi, a Sacra Congregatione quaerit:

An quaedam speciales preces quotidianae sint necessario recitandae ad obtinendas indulgentias, quae a Summis Pontificibus fuerunt concessae sodalibus Congregationum B. M. V. rite institutarum in Collegiis et aliis locis etc. Romanae Congregationi aggregatarum. Ratio dubii in eo statuitur, quod huiusmodi preces non videantur requirere decreta de indulgentiis, quae sunt Congregationibus Apostolica auctoritate concessae?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 31 ianuarii 1848 respondit:

Ubi nullae sunt praescriptae preces quotidianae ad effectum lucrandi indulgentias, non tenentur Christifideles ad aliquas determinatas recitandas.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 347].

5045.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 5 aug. 1851.

Cum scopus praeclarae Societatis Fidei Propagationis ille sit, ut christifideles utriusque sexus huic coetui adscripti et piis precibus et eleemosynis in id conveniant, ut et Patrem misericordiarum pro dilatatione fidei catholicae exorent, et mediis et sumptibus concurrant iis sustinendis oneribus, quae pro eiusdem fidei dilatatione necessaria omnino sunt, hinc ipsi christifideles, qui eidem adscribuntur, hoc sibi praecipue assumunt, recitandi nempe quotidie orationem Dominicam et salutationem angelicam cum versiculo *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis*, et rite praescriptum obolum hebdomadalem erogandi. Quamvis autem huiusmodi eleemosynae elargitio admodum tenuis facile a christifidelibus queat sustineri; nonnulli tamen hominum in hac lacrymarum valle ea rerum conditione saepe vexantur, qua exiguam quidem eleemosynam hebdomadalem prae sua inopia conferre prohibentur. Quare SSmus D. N. Pius PP. IX dum gratias et indulgentias hucusque pio operi *Propagationis Fidei* a suis Praedecessoribus concessas, servato tamen quoad durationis tempus earumdem concessionum tenore, confirmat, memoria recolens se in terris vices gerere divini Reparatoris humani generis, qui hoc in mundo et exemplo paupertatis cultorem se exhibuit, et verbis paupertatem cum virtute coniunctam in honore voluit haberi, huiusmodi vere pauperibus christifidelibus Ecclesiae thesauros aperuit, ac propterea clementer indulsit, ut, si qui christifideles ita pauperes sint, ut hebdomadalem obolum omnino nequeant elargiri (quod uniuscuiusque conscientiae remittendum esse mandavit), et rite adscribi possint inter sodales, vel iam adscripti, sed qui in posterum id praestare non possent, tamquam sodales omnino habeantur, ita ut omnibus indulgentiis et gratiis *Fidei Propagationis* sodalibus concessis fruantur, dummodo tamen quidpiam pecuniae, etiam in minima quantitate, iuxta uniuscuiusque vires et conscientiam, saltem quolibet mense, societatis Propagationis Fidei collectoribus, usquedum in hoc verae paupertatis statu maneant, elargiantur, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Ceterum dum Sanctitas Sua hoc speciali decreto consuluit, ne huiusmodi vere pauperes christifideles gratiis ac sacrarum indulgentiarum thesauro priventur, expresse etiam mandavit ut omnes terrarum orbis christifideles magis magisque in Domino excitentur, praecipue autem ii quos bonorum omnium largitor Deus fortunis ac reditibus locupletavit, singuli autem pro eorum viribus, ut piae huic (*Propagationis Fidei*) societati nomen dare quamprimum solliciti, precibus ac eleemosynis ad finem praeclarum catholicae fidei propagationis concurrant, ac indulgentiis

et gratiis a pia matre Ecclesia copiose concessis perfruantur. Quapropter animarum pastores, et praecipue locorum Ordinarii, fidei ac religionis dilatandae zelo succensi, verbis et scriptis subditos sibi fideles ad praeclarum opus sustentandum inflamment, et simul omnes, preces supplicationesque apud Deum Patrem omnipotentem offerre quotidie non cessent, ut, cum messis illa multa sit, mittere dignetur operarios in vineam suam, et opportunis subveniat auxiliis ad onera ingentia ubique terrarum perferenda pro maiori catholicae Ecclesiae dilatatione, ut, omnibus tandem hominibus in unitatem fidei occurrentibus, fiat unum ovile et unus pastor.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1064].

5046.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 15 mart. 1852.

Cum ad indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces iniungantur, postulante Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Iacobo Aloisio Brignole pii instituti surdorum ac mutorum in Urbe Protectore, cum etiam plures moderatores horum institutorum idipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quomodo surdo-muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro indulgentiis acquirendis iniunctas?* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes die 16 februarii huius anni habitis, ipsi EE. PP. eiusdem Consultoris voto adhaerentes responderunt: Supplicandum SS̃mo pro generali decreto ab hac Sacra Congregatione evulgando, atque Apostolica auctoritate firmando, cuius vi statuendum: 1. *Quodsi inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devoti visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent, et pios affectus.* 2. *Quodsi inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem coniuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus.* 3. *Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint.*

Facta itaque de praefatis omnibus SS̃mo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum S. Congregationi Indulgentiarum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam huiusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale decretum publicari mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 355].

5047.

S. C. Indulg., *Maceraten.*, 15 mart. 1852.

Prior et Guardiani venerabilis Confraternitatis SS. Trinitatis erectae in ecclesia B. M. V. dedicata sub titulo Misericordiae in civitate Maceratensi, qui obtinuerunt indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam pro vivis et defunctis, quaerunt, *an talis indulgentia possit acquiri quotidie a quocumque fideli, qui confessus et sacra Communione refectus visitaverit praedictam ecclesiam, an vero semel tantum intra decursum anni.* Quod etc.

Sac. Congregatio, audito consultoris voto, die 16 febr. 1852 respondit: *Dilata, et scribat alter.*

Verum facta relatione SS̃mo D. N. in Audientia diei 15 martii 1852 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Votum Consultoris approbavit, nempe « indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam vel ad tempus concessam visitantibus aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse mandavit, ut indulgentia semel in anno tantum ab unoquoque fideli acquiri possit: excepto solummodo casu, quo in decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis favore alicuius ecclesiae, seu publici oratorii, clare et explicite expressum sit, indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse ».

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 356].

5048.

S. C. Indulg., *Briocen.*, 15 mart. 1852.

Beatissime Pater! Vicarius Generalis Episcopi Briocensis et ipsius nomine ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus exponit, quod in oratorio publico Monialium vulgo Filles de la Croix urbis Guingchap in dioecesi Briocensi existit a pluribus annis Sodalitas tertii Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, in qua receptae sunt ad professionem et vota emiserunt plures personae coram sacerdote canonica facultate munito ad talia vota recipienda. Pietate et recta disciplina commendabilis est dicta Sodalitas; sed exsurrexit apud hodiernum rectorem dubium, an fuerit in dictis urbe et oratorio illa Sodalitas primitus canonice erecta. Re autem apud nos mature perpensa non potuit constare de canonica erectione, unde orta sunt nobis sequentia dubia:

1. *An personae bona fide receptae et professae in dicta Sodalitate valide professae sint ad effectum certo lucrandi positis aliunde ponendis indulgentias praefato tertiario Ordini concessas?*

2. *An personis alibi canonice professis sufficere regulariter possit, quod Ordinarius novum assignet locum et oratorium, ut sic facta loci translatione remaneat facultas indulgentiarum in hoc novo loco lucrandarum?*

3. *An superveniente rationabili causa Ordinarius iure communi habeat facultatem ex una Sodalitate huius tertiarii Ordinis nonnullas personas distra-*

hendi, et sic novam Sodalitatem sub alio rectore constituendi in alio loco a priore Sodalitate saltem tribus milliariis distante?

4. *An persona professa in una Sodalitate salvis indulgentiis possit licite transire ad aliam Sodalitatem eiusdem tertiarii Ordinis stante rationabili causa et approbante rectore vel Ordinario?*

Sac. Congregatio die 16 februarii 1852 respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Consulendum pro nova Confraternitatis erectione.*

Ad 4. *Affirmative.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. in Audientia diei 15 martii relatione, Sanctitas Sua votum EE. PP. benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 358].

5049.

S. C. Indulg., *Briocen.*, 6 maii 1852.

Episcopus Briocensis proponit casus infrascriptos:

1. *Indulgentia concessa pro aliquo festo cessatne, cum illud festum transfertur?*

2. *Sacerdos, qui habet facultatem applicandi tantum privatim indulgentias piis rebus, potestne in fine officii publici applicare indulgentias iisdem rebus depositis super aliquo altari, quod designavit?*

3. *Indulgentia concessa pro festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis estne lucranda die 27 vel 25 mensis maii? (In dioecesi Briocensi illud festum die 27 maii celebratur).*

4. *Si Christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, teneturne ad absolutionem recipiendam, ut lucrari possit indulgentias, pro quibus Confessio sacramentalis praescribitur?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 16 februarii 1852 respondit:

Ad 1. *Supplicandum Sanctissimo pro generali concessione translationis indulgentiarum, cum solemnitas festi, cui adnexae sunt indulgentiae (non tamen quoad officium tantum), legitime transfertur.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Lucretur in casu die 27 Maii.*

Ad 4. *Affirmative.*

Et facta de omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX relatione ab infrascripto Card. Praefecto in Audientia 6 maii 1852 SSmus resolutiones Sacrae Congregationis approbavit, et quoad: 1. mandavit publicari decretum generale iuxta mentem, ut infra;[1] et quoad 4. iussit rescribi:

[1] Cf. N. 5050.

Affirmative quoad Confessionem, Negative quoad absolutionem, servato decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 9 dec. 1763 a s. m. Clemente XIII approbato. [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 359].

5050.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 9 aug. 1852.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit in fidelium utilitatem, atque earum usum christiano populo maxime salutarem esse affirmet sancta Tridentina Synodus (Sess. 25, decr. de Indulg.), congruum omnino videtur, omne studium impendere, ut indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae iam sunt, vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis cum ingens populi christiani concursus ad ea festa celebranda conveniat. Iam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob ecclesiasticas conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant; et generatim cum per huiusmodi translationes ex iustis causis, debitis cum facultatibus factas, licet etiam pro sola externi cultus celebratione, quin et una simul Officium cum Missa transferatur, fidelium devotioni consultius prospiciatur, ad eam magis magisque fovendam maxime interest, ut etiam indulgentiae his festis adnexae transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione, tum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuerit, utrum in translatione festorum etiam translatae intelligantur adnexae indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc Sacram Congregationem sancitum fuerit, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum fuerit; attamen Eminentissimi Patres in generalibus comitiis huius Sacrae Congregationis, attentis actualibus temporum huiusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum et fidelium circumstantiis, necnon et attenta resolutione diei 16 febr. currentis anni,[2] pro concessione generali translationis indulgentiarum occasione translationis festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. Sanctissimus itaque Dominus Noster Pius PP. IX audita de his omnibus relatione per me infrascriptum Secretariae eiusdem Sacrae Congregationis Substitutum in Audientia diei 9 augusti 1852 habita, benigne mandavit, ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel eius octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa

[1] Cf. N. 4993.
[2] Cf. N. 5049.

huiusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit. [1]

Hanc autem Apostolicae benignitatis concessionem Eadem Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc Sacrae Congregationis decretum typis impressum publicari voluit, dummodo ceterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 360].

5051.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 30 sept. 1852.

Cum in collectione precum ac piorum operum vulgo *Raccolta di Orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le Sante Indulgenze* duodecies iam Romae typis evulgata, pro quibus a Summis Pontificibus per generales concessiones indulgentiae sunt fidelibus elargitae, nonnullae ex iis indulgentiis non reperiantur fidelibus defunctis applicabiles, nonnullae vero preces, quibus adnexae sunt indulgentiae, latino tantum vel italico idiomate scriptae sint, et cum pro tertiadecima vice eadem Collectio sit iamiam evulganda, enixis precibus SSmum D. N. Pium PP. IX rogavi ego infrascriptus Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutus in Audientia habita die 30 sept. 1852, ut de Apostolica Sua benignitate clementer indulgere dignaretur, ut deinceps omnes et singulae indulgentiae tam in ipsa tertiadecima editione, quam in aliis Romae in posterum de licentia huius Sacrae Congregationis evulgandis recensendae, fidelibus etiam defunctis applicabiles esse intelligantur, necnon omnes et singulae orationes in ipsa pariter decimatertia, ac in aliis ut supra continendae, quocumque idiomate, dummodo versiones sint fideles, pro indulgentiarum acquisitione recitari possint. Itaque Sanctitas Sua praefatis humillimis precibus clementissime exceptis, maiori Christifidelium spirituali utilitati prospiciens, maximumque animabus defunctorum solatium afferre peroptans, benigne annuit in omnibus iuxta petita. Praeterea Eadem Sanctitas Sua mandavit, ut, si contigerit eamdem Collectionem in aliud verti idioma, huiusmodi versio typis publicari non possit absque approbatione huius Sacrae Congregationis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 361].

[1] Cf. N. 4992, 5042, 5049.

5052.

S. C. Indulg., *Ditionis Belgicae*, 12 mart. 1855.

Cum Sacra Congregatio Indulgentiarum in una Valentinen. sub die 5 februarii 1841 sequenti dubio: *Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam?* resolutionem dedisset: *Negative in eodem mortis articulo*, [1] exinde quaeritur:

1. *Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit, infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo* benedictio papalis *dicitur?*

2. *Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati Sanctissimi Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, Sanctissimae Trinitatis etc.?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, postquam in generalibus comitiis habitis die 5 martii 1855 apud aedes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, respondendum censuit:

Affirmative ad utramque, firma remanente resolutione in una Valentinen. sub die 5 februarii 1841.

Factaque de his omnibus SSmo D. N. relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 12 martii eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne confirmavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 362].

5053.

S. C. Indulg., *Veronen.*, 12 mart. 1855.

Episcopus Veronensis Sacrae Congregationi Indulgentiarum dubia, ut infra, enodanda proposuit, nempe:

1. *Utrum privilegium Clementis XIII, quod qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada, possint lucrari indulgentias plenarias infra hebdomadam occurrentes, cum sola Communione, quamvis in Brevi Apostolico Confessio praescripta sit,* [2] *valeat et extendatur etiam pro lucranda indulgentia vulgo de Portiuncula die 2 augusti?*

2. *Utrum praefatum privilegium suffragetur etiam illis, qui non assolent confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius: attamen confessi sunt intra hebdomadam ante festivitatem, cui est adnexa indulgentia?*

[1] Cf. N. 5017.
[2] Cf N. 4993.

3. *Utrum Confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda indulgentia in forma iubilaei, et extendatur decretum Clementis PP. XIII Veronae, idest, ut, qui saepius assolent confiteri, possint lucrari indulgentiam, etiamsi confessio non sit hebdomadalis?*

EE. PP. in generalibus comitiis apud Vaticanas Aedes die 5 martii ineuntis anni habitis, praecedentibus huius Sacrae Congregationis decretis rite perpensis, votoque Consultoris audito, respondendum esse censuerunt:

Ad 1. *Affirmative.*
Ad 2. *Negative.*
Ad 3. *Negative ad primam partem; non expedire ad secundam.*[1]

Facta demum de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione in Audientia diei 12 eiusdem mensis, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 364].

5054.

S. C. Indulg., *Veronen.*, 12 mart. 1855.

Cancellarius Episcopalis dioecesis Veronensis huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi proposuit dubia ut infra:

1. *Utrum Missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata, vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicare privilegium?*

2. *Utrum in die obitus, tertii, trigesimi, et anniversarii Missa de Requie cantata pro aliquo defuncto sit privilegiata?*

Eadem Sacra Congregatio in generalibus comitiis habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 5 martii anni 1855, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit:

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*
Ad 2. *Negative.*

Et facta de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 eiusdem mensis, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 366].

5055.

S. C. Indulg., *Melden.*, 12 mart. 1855.

Ab hac Sacra Indulgentiarum Congregatione sequentium dubiorum solutionem postulabat maioris seminarii Meldensis moderator:

1. *An ad lucrandam indulgentiam, vel fructus orationis* Sacrosanctae

[1] Cf. decret. diei 9 decembris 1763 (N. 4993) et *Montis Falisci*, 20 augusti 1822 (Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 253).

necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo, recitari valeat?

2. *An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi, ita ut illud physice tangant, vel an super veste retineri possint?*

3. *An indulgentiae a s. m. Pio V adnexae recitationi parvi Officii B. M. V. valeant pro solo Officio Romano, vel an etiam pro variis Officiis B. M. V. ab auctoritate episcopali compositis ad instar Officii Romani?*

4. *Qui recitat Hymnum* Veni Creator etc. *non iuxta correctionem metri, sed iuxta pristinum metrum, lucraturne indulgentias? Doxologiae Hymni* Veni Creator etc. *variatio intra tempus paschale et extra, de essentia estne operis ad lucrandas indulgentias? In Galliis hymni* Veni Creator etc. *doxologia ab auctoritate episcopali proponitur; qui praedictum Hymnum recitant cum ista doxologia valentne suas illius facere indulgentias?*

5. *Antiphona* Regina Coeli etc. *quae dici solet tempore paschali loco precum* Angelus Domini etc. *recitatur in aliquibus locis cum Versiculo et Respons. diversis ab illis, quae dantur in Breviario Romano; quaeritur, an recitatio praedictae Antiphonae cum ista commutatione ius det aequale ad indulgentias?*

Quibus omnibus mature perpensis votoque Consultoris audito, EE. PP. Sacris Indulgentiis praepositi, in generali congregatione apud Vaticanum die 5 martii 1855 habita, fuerunt in voto, rescribendum esse:

Ad 1. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*[1]
Ad 2. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*
Ad 3. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*
Ad 4. *Negative in omnibus.*
Ad 5. *Negative.*

Factaque de omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Secretarium relatione in Audientia diei 12 eiusdem mensis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutiones benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 367].

5056.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 26 iul. 1855.

Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque reliquiis praepositae in una Melden. inter alia exhibitum fuisset dubium enodandum: *An ad lucrandam indulgentiam vel fructum orationis* Sacrosanctae et individuae etc. *necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?* EE. PP. in generalibus comitiis die 5 martii anni 1855 apud Vaticanas Aedes habitis respondendum esse duxerunt: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* Facta itaque SSmo D. N. Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium die 12 eiusdem mensis, Sanctitas Sua votum Eminentissimorum Patrum approbavit.[2] In Audientia vero Sanctissimi die 26 iulii eiusdem

[1] Vide tamen sequens decretum *Urbis et Orbis*, diei 26 iulii 1855. — Cf. N. 5056.
[2] Cf. N. 5055.

anni ab Eminentissimo Cardinali Sac. Congregationis Praefecto habita, Eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda indulgentia a s. m. Leone PP. X adnexa, seu fructu dictae orationis, *etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa.* Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 368].

5057.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 14 apr. 1856.

Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quae iuxta institutionem a s. m. Clemente PP. IX peractam Constitutione, quae incipit: *In ipsis Pontificatus primordiis*, sub die 6 iulii 1669,[1] facultate instructa est *omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis, aut Indulgentiis emergentem... expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint; illos... corrigendi et emendandi... falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi*, pluries indulgentiae typis impressae delatae sunt, quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen hac illac, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur. Unde illud haud parum detrimenti provenit, quod et in errorem inducantur Christifideles, et apud sanctae Matris Ecclesiae hostes indulgentiae ipsae irrisionibus pateant.

Quapropter Sacra Congregatio, in generalibus comitiis in Palatio Apostolico Vaticano die 31 martii proxime elapsi habitis, plures huiusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum dioeceses indulgentiae eiusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut Sacrae Congregationis decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

Quum vero incongruum prorsus sit, omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas apocryphasque indulgentias describtas continent, et qualibet vice prodierint, specialibus decretis eliminare, SSmus D. N. Pius PP. IX, in Audientia diei 14 aprilis 1856 praemissam Eminentissimorum Patrum sententiam auctoritate Sua Apostolica adprobavit, et cupiens insuper ut ad *inaestimabilem* indulgentiarum *thesaurum* quod attinet, omnia *pie, sancte et incorrupte fiant*, mandavit, ut hoc decreto omnes per orbem Ordinarii hortentur, ut pro ea, qua pollent, et qua uti debent, sollicitudine in Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non modo uti eiusmodi indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut decreta a Sac. Congregatione salubriter edita, ac praesertim super earumdem indulgentiarum publicatione et impressione observentur,

[1] Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 348, 349.

in primis vero decretum sub die 19 ianuarii 1756 latum, et a s. m. Benedicto PP. XIV die 28 eiusdem mensis adprobatum, quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus, ac confusiones, re mature perpensa, praesenti decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones, teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretarium eiusdem Sacrae Congregationis deferre.*[1]

Ceterum ad falsas apocryphasque indulgentias a veris et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam recolere locorum Ordinarios iuverit, quae sapienter, de more, et hac in re idem fel. rec. Pontifex Benedictus XIV in opere de Synodo dioecesana edocuit. Et si praeterea aliquibus in rerum adiunctis super indulgentiarum quarumcumque authenticitate ac genuinitate dubii haererent, ad Sacram Congregationem recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutionem assequantur.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 371].

5058.

S. C. Indulg., *Massilien.*, 27 maii 1857.

Parochus ecclesiae S. Hieronymi in dioecesi Massiliensi humiliter postulat a Sanctitate Vestra:

1. *An, qui rite semel adscripti Sodalitati scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum sacrum Sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint indulgentias praedictae Sodalitati a Summis Pontificibus concessas lucrari, vel an sufficiat, ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter?*

Et quatenus Affirmative ad primum:

2. *Quodnam temporis spatium a dimissione habitus sacri requiratur, ut nova receptio a potestatem habente necessaria sit?*

Sac. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita ad praefata dubia die 27 maii 1857 respondit:

Ad 1. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*
Ad 2. *Provisum in primo.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 379].

5059.

S. C. Indulg., *Petrocoren.*, 22 ian. 1858.

In decretis de libris prohibitis, quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III, n. 12: « Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non edantur

[1] Cf. N. 4980.

absque licentia Sac. Congregationis Indulgentiarum ». Cum vero circa huius regulae interpretationem plura dubia exorta sint, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Episcopus Petrocorensis et Salatensis in Gallis ab Ipsa efflagitat humillime:

1. *Utrum praefata regula ita intelligenda sit, ut nulla Summaria, catalogi, folia indulgentiarum ipsa auctoritate Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia Sacrae Congregationis Indulgentiarum, etiam quando ipsi certo constat authenticas esse illas indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet catalogos aut summaria Romae impressa?*

2. *An vero haec impressio et evulgatio solum prohibeatur Ordinario, quando non ipsi certo constat iam a Sacra Congregatione Indulgentiarum evulgatas fuisse has indulgentias?*

Exhibitis ab Episcopo Petrocorensi duobus supraenuntiatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Aedes die 14 decembris 1857 habita est, EE. PP., audito prius Sacrae Congregationis Consultore, ac rebus mature perpensis, fuerunt in voto quoad utrumque dubium: *Articulum 12, § III decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum, et in praxim deducendum, ut, si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae, vel Summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico, vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Congregationis iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); e contra vero, si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa Sacrae Congregationis Indulgentiarum licentia, addita tamen conditione: Facto verbo cum Sanctissimo.*

Factaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX fideli relatione in Audientia diei 22 ianuarii 1858, Sanctissimus votum Eminentissimorum Patrum approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 383].

5060.

S. C. Indulg., *Galliarum*, 22 ian. 1858.

Cum in Sacra Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregatione proposita fuissent dubia:

1. *An fideles lucrentur indulgentias Viae Crucis, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu, sed interposito maiori minorive inter stationes temporis intervallo?*

2. *An pro lubitu vel commodo dividi possit rosarium B. M. V., ita ut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu, sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum indulgentiae speciales Sodalitatis sanctissimi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur?*

Et quatenus Negative,

3. *An supplicandum sit SSmo pro concessione?*

EE. PP. in comitiis generalibus diei 14 decembris 1857 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, audito Consultoris voto, responderunt:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Negative, exceptis confratribus, quod attinet ad indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri rosarii infra hebdomadam.*

Ad 3. *Non expedire.*

Itaque facta per me subscriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX de his omnibus fideli relatione in Audientia diei 22 ianuarii 1858, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis confirmavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 385].

5061.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 8 ian. 1861.

Ad religionis et pietatis incrementum, ad mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus, Religionibus, et Institutis sive etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi, necnon etiam sibi aggregandi ac indulgentias, privilegia aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII fel. rec. Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica*, data sub die 7 decembris 1604,[1] modum praecepit servandum in his peragendis, formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit, indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est, progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque privilegia neque indulgentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6 martii 1608 titulo expensarum permissum fuisset insti-

[1] Cf. N. 192.

tuentibus, vel aggregantibus scutatum unum aureum recipere et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est, neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enuntiatam aut decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII, cuius Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab Eadem Sanctitate Sua approbatis, cuius quidem formulae exemplar iis praesertim, quorum interest, communicandum in Actis Sacrae Congregationis servari praecepit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. non obstante decreto S. C. Indicis et altero decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22 ianuarii 1858.[1]

Atque Sanctitas Sua hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis memoriae dignae.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 388].

5062.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 8 ian. 1861.

Cum plures Confraternitates, Sodalitates, piae Uniones etc. Christifidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum, qui ratione muneris, quod exercet et pro tempore, quo munere fungitur, sit constitutus Confraternitatis, Sodalitatis etc. rector, moderator, seu quocumque titulo appelletur, proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad rectores spectant, et etiam, quatenus in respectiva Sodalitate id rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia, illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi iuxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa huiusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit de his relatio SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 8 ianuarii 1861; et Sanctitas Sua, derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et

[1] Cf. N. 5059.

quovis modo aliter praescriptis, benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum, necnon acta per ipsos tamquam rectores, et adscriptos per eosdem parochos, quatenus rectoris munus, quo funguntur in respectiva Sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, necnon benedictiones coronarum, habituum, scapularium eorumque impositiones etc. ab eisdem factas, prout rectoribus in respectiva Sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero Eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est, ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire iudicaverint, parochos pro tempore in rectores, moderatores etc. Confraternitatum etc. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 389].

5063.

S. C. Indulg., *Tertii Ordinis S. Francisci*, 18 sept. 1861.

Tres status comprehendit Tertius Ordo S. Francisci. Primus dicitur regularis, et est ille, qui profitetur regulam Tertii Ordinis cum votis solemnibus, et gaudet omnibus indulgentiis FF. Minorum, Secundus status dicitur saecularis, et est eorum, qui habitant in propriis domibus; huius privilegia nota sunt. Tertius status est eorum, qui habitant in monasteriis, secessibus, conservatoriis, collegiis etc. unam efformantes familiam sub iurisdictione Ordinariorum, et dirigitur a sacerdotibus saecularibus absque votis substantialibus status religiosi, quamvis recitent Officium Ordinis; hic status ut plurimum tantum mulieres complectitur.

Quaeritur nunc:

Utrum huius tertii status ecclesiae gaudeant indulgentiis, prouti gaudent illae Ordinis FF. Minorum, ita ut Christifideles, qui easdem visitent die 2 augusti, lucrentur indulgentiam de Portiuncula nuncupatam?

Et quatenus Negative,

Supplicatur pro gratia iuxta petita.

Sac. Congregatio die 18 septembris 1861 respondit:

Monasteria, congregationes, seu communitates mulierum etc. quae subiectae non sunt obedientiae vel directioni Ministri Generalis Ordinis FF. Min. S. Francisci non gaudere communicatione privilegiorum et indulgentiarum Ordinis, nisi speciale habeant indultum Sedis Apostolicae, vel nisi agatur de monasteriis Sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum iurisdictionem translata sunt, quae fruuntur cunctis privilegiis et indulgentiis, ac si sub gubernio Fratrum suorum actu existerent, iuxta decretum Sacrae Congregationis diei 22 aprilis 1711.[1]

Quoad gratiam vero, quae generice petitur pro indulgentiis et privilegiis, de quibus agitur, obtinendis: *Non expedire.*[2]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 391].

[1] Cf. N. 4954.
[2] Cf. decret. *Tertii Ordin. S. Francisci* diei 14 aprilis 1856. — Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 375.

5064.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 18 sept. 1862.

Plurimae sunt festivitates quae ad recolenda Redemptionis nostrae mysteria et ad fovendam pietatem in honorem Domini, B. M. V., et SS. Apostolorum celebrantur. In his autem sacris diebus statuendis illud sibi proposuit sancta Mater Ecclesia, ut fideles filii illo igne vehementer accendantur, quem divinus Sponsus, Iesus Christus, e penetralibus Cordis sui misit in terras, adeo ut in festivitatibus celebrandis exemplum et praesidium habeant, quibus inflammentur ad exercendas virtutes, ad merita comparanda, ad gloriam assequendam aeternam. Tam autem late patuit haec Ecclesiae materna charitas, ut non solum plura Domini mysteria per anni curriculum solemniori apparatu in universo Orbe prosequeretur, ut Nativitatem, Epiphaniam, Pascha Resurrectionis etc. atque varias festivitates B. M. V. toto quoque terrarum Orbe maiori celebritate recoleret, ut Conceptionem, Nativitatem, Assumptionem etc.; sed etiam alia mysteria Domini minori apparatu vellet a fidelibus populis ubique frequentari, ut Transfigurationem D. N. I. C., Inventionem et Exaltationem SS. Crucis etc. ac festivitates B. M. V. pariter institueret inferiori ritu celebrandas per universum mundum, quemadmodum solemnitatem SS. Rosarii, festivitatem B. M. V. de Mercede, commemorationem B. M. V. de Monte Carmelo. Quin imo eadem pia Mater Ecclesia in peculiaribus locis vel ob venerandam aliquam imaginem cultu celebrem, vel ob insigne prodigium ibi patratum, vel ob singularem populi devotionem, vel ob alias causas concessit plures celebrari festivitates ad honorandam memoriam mysteriorum Domini, ut in institutione festi SSmi Redemptoris, Instrumentorum ipsius Passionis etc. aut pene innumeras statuendo festivitates in honorem B. M. V. sub titulo de Bono Consilio, Gratiarum, de Succursu, Pietatis, Maternitatis, Puritatis etc. Quod factum est etiam in memoriam Apostolorum, quorum non solum Natalem diem colit Ecclesia solemniori ritu, sed etiam minori apparatu celebrat quaedam peculiaria facta, instituendo festivitatem in Orbe universo celebrandam, ut de Cathedra S. Petri tum Romana tum Antiochena, de Vinculis Apostolorum Principis, de Conversione S. Pauli, de immissione S. Ioannis in ferventis olei dolium evenit, atque ea quoque celebrat, quae singularia quaedam loca respiciunt, ut translationem capitis S. Andreae Apostoli, translationem corporis S. Thomae Apostoli ex India etc.

Iam vero Romani Pontifices ad promovendam populi christiani utilitatem plures indulgentias concessere non tantum pro festivitatibus, quae celebrantur ab universa ecclesia, sed etiam pro iis, quae in uno vel altero loco sunt institutae, nec solum pro primariis, sed etiam pro secundariis.

Cum autem in Brevibus, Rescriptis etc., quibus concessae sunt indulgentiae, non semper facta fuerit declaratio festorum, seu principalium, seu minus celebriorum, sed legatur *pro omnibus festis, vel pro omnibus et singulis festis* sive Domini sive B. M. V., hinc ortum est dubium de quibusnam festis

intelligendae sint concessiones huiusmodi genericis verbis expressae, an de omnibus omnino, an vero de primariis tantum et quae per universum orbem celebrantur, an etiam de minoribus, et iis quoque, quae aliquibus in locis tantum celebrantur, proinde ad Sacram Congregationem delatae sunt preces pro opportuna declaratione; nam difficultati so vendae inservire nequit resolutio ab hac eadem Sacra Congregatione data die 5 martii 1855, quae regulam generalem non praebet. [1]

Cum enim ex parte Clarissarum Massiliensium in Gallia quaesitum fuisset, an gratia plenariae absolutionis et indulgentiae etc. quam ex concessione S. M. Leonis X possunt consequi quater in anno, et in omnibus solemnitatibus seu festis Domini Sabaoth et B. M. V. et Omnium Sanctorum etc. non obstante Bulla s. m. Pauli V, quae incipit *Romanus Pontifex*, [2] de indulgentiis Regularium adhuc subsisteret, et Eminentissimi Patres in comitiis generalibus diei 5 martii 1855 respondissent: *Affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis*, ut clarius videri potest in praefata resolutione Massiliensi, cui omnino attendendum est, hinc alia dubia proposita fuerunt. III. *An per festa Domini Sabaoth intelligendae sint, Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes et etiam festum Trinitatis et Corporis Christi;* et IV. *An per festa B. M. V. intelligenda sint, Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio et Conceptio?* In eadem itaque Congregatione, audito Consultoris voto, Eminentissimi Patres responderunt ad utrumque III nempe et IV: *Affirmative iuxta consuetudinem*, quae responsio a SS. Domino Papa Pio IX etiam approbata fuit die 12 martii 1855, nempe in casu, de quo agitur, recipi posse absolutionem et acquiri indulgentiam in iis festis Domini Sabaoth et festis B. M. V., quae recensentur in dubiis, in quibus fuerit consuetudo recipiendi absolutionem et acquirendi indulgentiam, qua responsione peculiare dubium solverunt tunc propositum, non interpretationem aut declarationem porrexerunt festorum, de quibus in concessionibus fit mentio, cum dicitur: *in omnibus festis, in omnibus et singulis festis.*

Hinc igitur in Congregatione generali diei 11 augusti 1862 quaesita sequentia fuerunt proposita:

1. *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria in omnibus et singulis festis Domini, intelligenda sint festa praecipua, Nativitatis scilicet, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi iuxta praxim S. Congregationis, an vero intelligenda sint festa enuntiata in decisione Massiliensi sub die 5 martii 1855, an omnia et singula festa etiam secundaria, quae in aliquibus tantum locis celebrantur?*

Et quatenus Affirmative pro festi praecipuis,

2. *An, quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus Domini festivitatibus, de quibusnam festis intelligendum sit?*

3. *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria in omnibus et singulis festis B. M. V., intelligenda sint festa praecipua, Conceptionis nempe,*

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., p. 430-432.
[2] Ibidem, p. 443-447.

Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, iuxta praxim S. Congregationis, an vero standum sit Resolutioni diei 5 martii 1855? vel an intelligantur inclusae etiam festivitates pene innumerae, quae per Orbem recoluntur, licet non in omnibus, sed in aliquibus tantum locis celebrentur?

Et quatenus Affirmative pro praecipuis,

4. *An, quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus festis eiusdem B. M. V., de quibusnam festis intelligendum sit?*

5. *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria vel partialis in omnibus et singulis festis Apostolorum, intelligenda sint festa Natalis uniuscuiusque Apostoli, vel etiam festa secundaria?*

Super quibus Consultores sua vota ediderunt, hisque auditis, EE. PP. in Congregatione praedicta generali habita apud Aedes Vaticanas die 11 augusti 1862 responsiones singulis dubiis dederunt, atque omnibus relatis SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita die 18 septembris 1862 ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretariae Substituto, Sanctitas Sua responsiones praefatas Eminentissimorum Patrum confirmavit, nempe:

Quoad 1 et 3: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam et tertiam partem;* declaravitque expresse Sanctitas Sua, ut quoties in concessione inveniantur verba *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis Domini*, aut etiam *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis D. N. I C.*, semper intelligantur tantum festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Christi, ac pariter declaravit, ut quoties in concessione inveniantur verba *in festis* vel *in omnibus festis* vel *in omnibus et singulis* festis B. M. V., semper intelligantur dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis; quoad 2. intelligendum esse de omnibus festis Domini, quae celebrantur ab universa Ecclesia. Quoad 4. pariter intelligendum esse de omnibus festis B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia. Quoad 5. *Affirmative,* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 392].

5065.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 18 sept. 1862.

Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus SS. Eucharistiae Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes solemniter deferatur, proindeque huiusmodi fideles tot plenariis indulgentiis privantur, quas consequerentur, si conditionibus iniunctis adimpletis ad sacram Eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum curatores, aliique permulti ecclesiastici viri humillimas preces porrexerunt SSmo D. N. Pio PP. IX, ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur, factaque per me infrascriptum Secretariae S. Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem Sanctissimo de his omnibus fideli relatione in Audientia habita die 18 septembris 1862, Sanctitas Sua spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christifideles, exceptis tamen illis, qui in communitate morantur, acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario iniungenda fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 393].

5066.

S. C. Indulg., *Ordinis Carmelitarum Discalceat.*, 18 sept. 1862.

Huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi Fr. Maximilianus a S. Ioseph Prior Conventus Ordinis Carmelitarum discalceatorum Ratisbonae in provincia Bavariae exposuerat, quod in ecclesia eiusdem Conventus sub titulo S. Ioseph aderat ante exclaustrationem Confraternitas S. Ioseph canonice erecta, cuius festum prout titulare Confraternitatis celebrabatur Dominica proxima post diem 23 ianuarii cum indulgentia plenaria; atque aliae etiam indulgentiae pro iis, qui Confessione et Communione peracta praedictam ecclesiam visitassent, inveniuntur concessae, scilicet feria quarta primae secundae, tertiae, sextae, septimae, octavae, et nonae hebdomadae ante festum S. Ioseph indulgentia plenaria; feria vero quarta hebdomadae quartae et quintae ante idem festum indulgentia centum dierum. At vero quamquam post restaurationem Conventus et ecclesiae reconciliationem, quae ad praedictam Confraternitatem spectant, omnia ut primitus perseverent, dubium tamen proposuerat:

Utrum scilicet per profanationem ecclesiae, quae tempore exclaustrationis locum habuit, ius ad praedicta penitus amissum fuerit?

Et quatenus Affirmative,

Humillimis rogaverat precibus, ut praefatas omnes gratias una cum Confraternitatis erectione de novo concederet, sanando quoque quidquid in confratrum receptione actum hucusque fuerit.

Sacra itaque Congregatio die 11 augusti 1862 in Aedibus Apostolicis Vaticanis habita, audito prius Consultoris voto, respondendum esse censuit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Quam quidem EE. PP. sententiam SSmo D. N. Pio IX relatam per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum in Audientia diei 18 sept. 1862, Sanctitas Sua benigne confirmavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 396].

5067.

S. C. Indulg., *Bituricen.*, 18 sept. 1862.

Cum ad assequendas indulgentias sive plenarias, sive partiales, quas Apostolica Sedes fidelibus elargitur, requiratur omnino, ut omnes et singulae conditiones impositae, ne una quidem omissa, fideliter adimpleantur, dubia fuerunt proposita huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi a nonnullis Christifidelibus Bituricensis dioecesis:

1. *Utrum scilicet preces praescriptae ad lucrandas indulgentias sive plenarias, sive partiales, sint recitandae flexis genibus?*

2. *Utrum specialiter preces praescriptae pro scapulari immaculatae Conceptionis, scilicet sexies* Pater, Ave *et* Gloria *flexis genibus sint recitandae?*

Hinc Sacra Congregatio in generali conventu apud Vaticanum habito die 11 augusti currentis anni, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit:

Ad 1. *Negative, nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis.*
Ad 2. *Negative.*

De quibus facta SSmo D. N. Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum, in Audientia diei 18 septembris 1862, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis benigne confirmavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 398].

5068.

S. C. Indulg., *Congregationis S. Benedicti in Gallia*, 29 febr. 1864.

In generalibus comitiis Sacrae huius Indulgentiarum Congregationis habitis die 29 februarii 1864 sequentia dubia per Ioannem Baptistam Nicolas, Monachum S. Benedicti Congregationis Gallicae proposita fuere:

1. *Cum ex diversis decretis S. Congregationis Indulgentiarum iam liceat plures plenarias indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur, an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?*

2. *Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam vel publicum oratorium (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae?*

Et quatenus Affirmative,

3. *An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces, seu visitationes repetantur, quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur?*

Hisce itaque ab EE. PP. mature discussis, votisque Consultorum perpensis, respondendum esse statuerunt:

Ad 1. *Affirmative.*
Ad 2. *Affirmative.*
Ad 3. *Negative.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 399].

5069.

S. C. Indulg., *Andegaven.*, 29 febr. 1864.

Cum corpus S. Maxentioli, unius ex discipulis sancti Martini, Episcopi Turonensis, ecclesia parochialis de Condè in Urbe Cunaud, dioecesis Andegavensis, ab immemorabili possideat, eiusque Reliquias maxima semper Christifideles prosecuti sint veneratione, cumque reliquiarium, quod illud custodit, certis authenticis litteris ac sigillo omnino careat, Episcopus Andegavensis, priusquam de eius authenticitate quidquam decerneret, superiori anno ecclesiasticorum legatione, de ipsius Sancti ossibus examen instituit, atque in formali recognitione nulla illi adversata est oppositio; at vero cum ex medici inquisitione ossa praefata eidem corpori pertinere, exceptis duobus aliis, quae alterius corporis sunt, animadverteret, duplicem quaestionem huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae solvendam proponit; nimirum:

1. *Cum desint in casu authenticae litterae, an possessio ab immemorabili et non interrupta dicti Sancti corporis, necnon eidem exhibitus publicus cultus, quae certitudinem moralem de authenticitate reliquiarum gignere videntur, sufficiant, ut dicto S. Maxentioli corpori veneratio tribuatur?*

2. *Quid de duobus ossibus pertinentibus ad aliud corpus, minime ad illud S. Maxentioli agendum? Decetne in eadem urna relinquere, aut illa extrahere oportet?*

Sacra itaque Congregatio, quae apud Vaticanum die 29 februarii an. 1864 habita est, Consultorum votis auditis, sic respondendum esse decrevit:

Ad 1. *Fideles non esse inquietandos.*
Ad 2. *Nihil esse innovandum.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 400].

5070.

S. C. Indulg., *Andegaven.*, 29 febr. 1864.

Director Archiconfraternitatis S. Iosephi Brevi diei 6 septembris 1861 pro toto imperio Gallico Andegavi erectae in ecclesia Novitiatus Societatis Iesu, humiliter exponit Sanctitati Vestrae dubia, quae sequuntur, exorans Sanctitatem Vestram, ut eadem dirimere dignetur, ne diu eorum causa maneat perplexus:

1. *Cum in praedicto Brevi facultas aggregandi alias Confraternitates*

limitetur tantum ad imperium Gallicum, quaeritur, an sit valida inscriptio personarum commorantium extra idem imperium, qui, quamvis interesse nequeant consuetis conventibus piisque Confraternitatis exercitiis, possunt tamen lucrari indulgentais concessas nonnullis determinatis operibus iniunctis, quae ab ipsis implentur?

2. *An in frequentioribus civitatibus Galliae liceat plures Confraternitates erigere (S. Iosephi), cum ad satisfaciendum fidelium devotioni ob locorum distantiam et negotiorum diversitatem una Confraternitas minime sufficiat?*

3. *Cum paulo post concessionem dicti Brevis Bellovaci erecta fuerit altera Archinconfraternitas pariter pro toto Galliae imperio, quaeritur, an Archiconfraternitas Andegavensis aggregare possit Confraternitatem in civitatibus, in quibus iam existit Confraternitas ab Archiconfraternitate Bellovacensi erecta?*

4. *In Gallia cum minime existant Religiosae a S. Sede approbatae, et aliunde plures adsint communitates quasi-Religiosarum, quae scholas dirigunt et Congregationes habent puellarum tam externarum quam alumnarum, valde utile esset Confraternitates erigere in earum ecclesiis, quaeritur, an possint erigi?*

Propositis supraenuntiatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiarum habita die 29 februarii 1864 apud Aedes Vaticanas EE. PP., auditis prius Consultorum votis, responderunt:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Generatim negative; obveniente autem gravi causa recurrat in casibus particularibus.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Non expedire.*

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 403].

5071.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 29 aug. 1864.

Cum in civitate vulgo Turcoing nuncupata Archidioecesis Cameracensis hoc in nonnullarum piarum matrum more positum sit, ut parvulis suis etiam rationis usum nondum adeptis sacrum scapulare consueto ritu imponi faciant, Superior domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae eiusdem civitatis, de huiusmodi impositionis validitate dubitans exquirit:

Utrum sufficiens sit isthaec scapularis impositio, ut parvuli, cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant?

Sac. Congregatio in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas Aedes die 29 augusti 1864, audito Consultoris voto, et re mature perpensa, respondit:

Affirmative.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 410].

5072.

S. C. Indulg., 29 dec. 1864.

Cum pro nonnullis precibus latino vel italico sermone confectis concessae fuerint indulgentiae, addita facultate easdem preces recitandi quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, et aliquando adiectum, *et approbata ab Ordinario loci, vel a respectivis Ordinariis*, singillatim autem pro Orationibus in Collectione Romana, edit. XIII, contentis indulgentias acquiri eas recitando in quodcumque idioma translatas, dummodo versiones sint fideles; in Audientia habita die 29 decembris 1864 ab infrascripto Cardinali Praefecto SSmus D. N. Pius Papa IX benigne declaravit, indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda indulgentia requiratur versionis fidelitas; nihilominus ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio Sacrae Congregationis Indulgentiarum per Eminentissimum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cuius recitationi primitus indulgentia concessa fuit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 415].

5073.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 30 aug. 1866.

Quantum in populo christiano tum familiarum, tum salutis communis intersit, iuventutem sequioris sexus adeo instituere, et praecipue sanctissimae religionis nostrae subsidiis a tenera adhuc aetate munire, ut pietatis operibus intenta succrescens, a recto, quem semel suscepit, tramite, *etiam cum senuerit, non recedat*, satis experientia et ratione compertum est. Inter cetera autem, quae huic fini inservire dignoscuntur, adnumeranda quidem pia illa Sodalitia, quae praesertim sub B. M. V. titulo canonice instituta et erecta, toties a Sede Apostolica non solum commendata, sed spiritualibus indulgentiarum auxiliis ditata inveniuntur, et quae potissimum *Filiarum Mariae* nomine circumferuntur.

Nuper vero cum in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis similis pia Sodalitas fuerit canonice erecta sub titulo, et patrocinio *B. M. V. Immaculatae et S. Agnetis Virginis et Martyris*, et per Litteras Apostolicas datas die 16 ianuarii 1866, amplissimis indulgentiarum muneribus locupletata; et per aliud Breve datum die 16 februarii 1866 in Primariam, seu Archisodalitatem fuerit erecta, ita ut eidem ius competat aggregandi ceteras Sodalitates eiusdem nominis et instituti ubique locorum erectas, vel erigendas, eisdemque communicandi omnes et singulas indulgentias praefatae Archisodalitati concessas, vel concedendas, servata tamen forma Constitutionis Clementis VIII incip. *Quaecumque*;[1] nunc tandem SSmus D. N. Pius PP. IX

[1] Cf. N. 192.

ad humillimas preces Moderatoris eiusdem Archisodalitatis, cum maxime puellarum bono expedire iudicaverit, plures etiam in eodem loco huiusmodi Sodalitates institui et erigi; in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 30 augusti currentis anni 1866, benigne mandavit, ut quoad praedictas Sodalitates nulla distantiae ratio habeatur, sed liceat Episcopis, prout opportunum in Domino iudicaverint, plures in civitate, vel dioecesi huiusmodi Sodalitates instituere et erigere; quae sic institutae et erectae iam dictae Archisodalitati aggregari possint et valeant, et in indulgentiarum communicationem admitti, ita ut in ipsis ecclesiis, ubi respectivae Sodalitates fuerint erectae, praeter functiones secundum statuta obiri solitas, etiam visitationes peragi possint, quoties hae ad indulgentiarum acquisitionem praescriptae inveniantur, servata in reliquis Constitutione Clementis VIII et ceteris de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 416].

5074.

S. C. Indulg., 19 oct. 1866.

Per decretum huius Sacrae Congregationis Indulgentiarum editum die 8 ianuarii 1861 [1] confirmata et pristinae observantiae restituta Constitutione Clementis VIII incip. *Quaecumque*, data sub die 7 decembris 1604 [2] super institutionibus, vel aggregationibus Confraternitatum, inter cetera cautum fuit, ut in formula aggregationum, quae concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII, huius eiusdem Constitutionis saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis. Nunc vero SSm̃us D. N. Pius PP. IX enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum Regularium, tum Rectoribus Archiconfraternitatum, ut huiusmodi litterae aggregationum commodius exaratae respectivis Confraternitatibus expediantur, in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 19 octobris 1866 benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a litteris aggregationum dari possit, ita tamen, ut simul cum praefatis litteris adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis vero et in suo robore permanentibus reliquis omnibus, quae tam in laudata Constitutione Clementis VIII, quam in praefato decreto praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

En formulas:

I. *Formula servanda saltem in substantialibus* [3] *a Superioribus Regula-*

[1] Cf. N. 5061.

[2] Cf. N. 192.

[3] Dicitur *in substantialibus*, quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini, Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia quae solent in huiusmodi Litteris exponi.

ribus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quas a Sede Apostolica obtinuerunt.

N. N. Ordinis N. Generalis [1]

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et indulgentias communicandi, in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes, fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in ecclesia N. loci N., dioecesis N., de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem Litteris patentibus Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus, illique et pro tempore existentibus utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandum. [2] Quibus omnibus indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque confratres potiri et gaudere posse decernimus iuxta ea, quae fel. me. Clemens PP. VIII in Constitutione, quae incipit: *Quaecumque*, data sub die 7 decembris 1604 praescripsit, et variationes a SSm̃o D. N. Pio PP. IX approbatas, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 8 ianuarii 1861, et cuius Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur, [3] scilicet: 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium. 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus eiusdem. 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae

[1] Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet iuxta facultates et privilegia uniuscuiusque Ordinis etc.

[2] Potest etiam inseri, si lubet elenchus. In utroque tamen casu elenchus iam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per *Ordinarium loci* dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur, ut si semel ab Ordinario loci, ubi auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc., moratur, recognitus fuerit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae etc. etiam alibi, cum necessarium sit, ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

[3] Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque mere eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus, eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat. 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum, et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has Litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniri. Datum etc.

II. *Formula servanda in substantialibus*[1] *ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.*

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in ecclesia N. auctoritate N. canonice erectae salutem in Domino sempiternam.

Nos qui iuxta officii nostri debitum fidelium salutem, pietatisque ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostrae Archiconfraternitati alias eiusdem instituti Confraternitates adiungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgentias, facultates et indulta iuxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N., eiusdem Confraternitatis Procurator aggregationem huiusmodi et indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, nos, Protector, Prior et Custodes praedicti totam ipsam Archiconfraternitatem repraesentantes, Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII incipien. *Quaecumque*, die 7 decembris 1604 super huiusmodi aggregationibus et coelestis Ecclesiae thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a SS. D. N. Pio PP. IX per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 8 ianuarii 1861, his nostris litteris solo Dei amore ac pietatis religionisque christianae augendae zelo ducti Confraternitatem praedictam canonice, ut superius, erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac litteris testimonialibus, quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archi-

[1] Dicitur *in substantialibus* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant; addendo etiam, si lubet, quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

confraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore huiusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam nobis concessam adiungimus et aggregamus, atque illi eiusque Confratribus indulgentias et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim, expresse et praecise concessas largimur et communicamus iuxta tenorem descriptionis contentae in elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci, una cum his litteris separatim tradimus.[1]

Quibus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit iuxta ea, quae s. m. Clemens VIII in supra citata Constitutione praescripsit, et variationes a SS. D. N. Pio PP. IX approbatas, cuius quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet,[2] scilicet: 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium. 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem. 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum volgo *francs* triginta, pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione recipere liceat. 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque officialium privationis officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has litteras

[1] Potest etiam inseri, si lubet elenchus; in utroque tamen casu elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

[2] Si lubet inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

nostras exinde fieri et per nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis iussimus et fecimus appensione muniri.[1]

Datum Romae ex loco solito nostrae Congregationis anno... Indictione... die... mense... Pontificatus... praesentibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 417 et p. 465-470].

5075.

S. C. Indulg., *Aurelianen.*, 18 aug. 1868.

Etsi Vicarius Generalis vi officii sibi generaliter commissi expedire possit ea negotia, quae ad ordinariam Episcopi iurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere nequit sine speciali Episcopi mandato: ea nempe, quae vel ex iure scripto, vel ex causae gravitate specialem commissionem requirunt. Inter haec autem adcensendam esse Confraternitatum erectionem tum docent doctores, tum inferri videbatur ex resolutione Sacrae Rituum Congregationis edita die 7 octobris 1617,[2] qua Episcopo Elboren. respondit: *Nemini licere inconsulto Episcopo in sua dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates, et earum statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua dioecesi.* Praeterea Vicarius Generalis non potest pariter vigore officii sui se ingerere in exsequutione litterarum Apostolicarum pro huiuscemodi indultis, si haec fuerint Episcopo directa, nisi potestas subdelegandi eidem facta fuerit, suumque Vicarium Generalem reapse subdelegaverit. Id confirmatum reperitur ab hac Sacra Congregatione in una Gratianopolitana diei 24 maii 1843.[3] Cum enim Episcopus Gratianopolitanus ab Apostolica Sede obtinuisset praeter alias facultates, licentiam erigendi in sua dioecesi plures Sodalitates, quaesitum fuit a Sacra Congregatione, *utrum duo Vicarii Generales eiusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiebant saltem quoad iurisdictionem ordinariam, uti possent facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates erigendi etc.*, Sacra Congregatio respondit: *Indulta seu facultates, de quibus in proposito dubio, etsi non cedant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata; ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat, tamquam ab ipso legitime delegatus, sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetravit, hinc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis expostulasset iis verbis, aut similibus, nempe eos sive per se, sive per suos Vicarios Generales communicandi etc.*

Denique in Constitutione Clementis VIII incip. *Quaecumque* etc.,[4] cum

[1] Hic indicantur nomina eorum qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent quique varii sunt iuxta peculiaria statuta.

[2] Cf. N. 5277.

[3] Cf. N. 5031.

[4] Cf. N. 192.

praecipiatur, aggregationem Confraternitatum faciendam esse praevio loci Ordinarii consensu, et cum eiusdem litteris testimonialibus; et praeterea statuta earumdem Confraternitatum non posse tradi, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, in utrisque casibus venire solum Episcopum inferebatur tum ex verbis Constitutionis, tum ex natura rei; itaut Vicarius Generalis speciali ad id mandato indigeat. Per aggregationem enim Confraternitas quadam nova erectione perficitur, et per statutorum traditionem, privilegiorum, indulgentiarum communicationem ad sublimiorem statum evehitur. Unde hic Ordinarii appellatione solum Episcopum designari visum est, quemadmodum in casu, de quo in Tridentina Synodo, Sess. 23, cap. 8, *de ref.* hisce verbis: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio ordinari petat, nullatenus id ei permittatur, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Ordinarii autem nomine hic intelligi Episcopum, non vero Vicarium Generalem, nisi antea speciale mandatum ei ab Episcopo tributum fuerit, omnes tradunt doctores, ita ut Vicarius Generalis absque eo dimissoriales, seu testimoniales litteras ad effectum suscipiendi Ordines concedere minime possit. Nil mirum igitur, quod Vicarius Generalis Episcopi Aurelianensis quatuor sequent a dubia Sacrae Congregationi enodanda proposuerit, nempe:

1. *Cum Episcopus obtinuerit facultatem a Sede Apostolica erigendi Confraternitates cum respectivis indulgentiis, possitne Vicarius Generalis id praestare absque speciali delegatione Episcopi?*

2. *Potestne Vicarius Generalis auctoritate ordinaria erigere Confraternitates absque delegatione Episcopi, ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

3. *Utrum Vicarius Generalis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?*

4. *Utrum Vicarius Generalis possit approbare statuta Confraternitatum?*

Quibus EE. PP. in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 20 iulii 1868, audito Consultoris voto, et re mature perpensa, rescribendum duxerunt:

Ad 1. *Negative, nisi Episcopo subdelegandi potestas in Apostolico indulto concessa fuerit, suumque Vicarium Generalem subdelegaverit.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative, et supplicandum SSmo pro sanatione quoad praeteritum.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 18 augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit, et sanationem erectionum Confraternitatum, et approbationum statutorum a Vicariis Generalibus usque ad totum currentem diem 18 aug. 1868 factarum, necnon aggregationum, quae cum litteris testimonialibus et consensu Vicariorum Generalium locum hucusque habuerunt, benigne impertita est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Decreta Authetica S. C. Indulg., n. 420].

5076.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 18 aug. 1868.

Nonnunquam accidit, praesertim sacrarum missionum tempore, ut, cum sacerdos ad id legitime deputatus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo aliudve fidelibus imponit, deficiant scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc superior domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae in civitate vulgo Tourcoing nuncupata Archidioecesis Cameracensis humiliter supplicat S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro sequentium dubiorum solutione:

1. *Utrum unum idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis, sive impositionis formula?*

2. *Utrum huiusmodi formula usurpari solita in actu impositionis scapularium essentialis sit, ut quis scapulare rite accepisse censeatur, iusque habeat ad indulgentias illud ferentibus concessas, an vero absque indulgentiarum dispendio possit omitti, praesertim in morbis, aliove urgenti casu?*

3. *Ex indulto s. m. Gregorii XVI sub die 30 aprilis 1838 necessarium amplius non est ad indulgentias acquirendas, ut inscribantur in Confraternitatis libro nomina fidelium qui B. M. V. de Monte Carmelo scapularia recipiunt; quaeritur utrum idem dicendum de aliis scapularibus a S. Sede approbatis?*

Itaque EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 iulii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescripserunt:

Ad 1. *Affirmative, ita tamen ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.*

Ad 2. *Tam ad primam quam ad secundam partem proferenda esse verba, quae sunt substantialia, ad formam decreti huius Sacrae Congregationis diei 24 augusti 1844, quod sic se habet: An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta?* S. C. respondit: *Affirmative, dummodo sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem.* [1]

Ad 3. *Negative.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX a me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto in Audientia habita die 18 augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 421].

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 329.

5077.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 6 oct. 1870.

Inter ceteras conditiones, quae in adimplendis operibus iniunctis pro acquisitione indulgentiarum servari debent, ea est, ut eadem fiant intra tempus in concessionibus praefinitum. Ut vero Christifideles facilius ad eas lucrandas excitarentur, pluries haec Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, approbantibus Summis Pontificibus, quoad praescriptam Confessionem et Communionem vel benigna interpretatione vel indultis hac in re providendum existimavit.

Hinc per decretum diei 19 maii 1759 statuit *Confessionem suffragari, si expleatur etiam in pervigilio festivitatis, pro qua concessa est indulgentia;* [1] et item per decretum diei 12 iunii 1822 declaravit *Communionem peragi posse in vigilia festivitatis.* [2]

Etsi vero haec indulta nullum dubitandi locum relinquerent circa eas indulgentias, quae pro festivitatibus proprie dictis conceduntur, incipientibus nempe a primis Vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei festi, ita ut liberum sit fideli, vel in vigilia vel in ipso die festo confiteri, et sacra synaxi refici, plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt, an idem dicendum foret de aliis indulgentiis spatio unius diei lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa, quemadmodum usuvenire solet pro sextis feriis mensis martii, diebus Dominicis festum S. Aloisii praecedentibus, Oratione quadraginta horarum aliisque casibus similibus quibuscumque.

Itaque SSmus D. N. Pius PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto eiusdem Sacrae Congregationis die 6 octobris 1870 ad removendam omnem dubitandi rationem et ad commodius reddendum Confessionis et Communionis adimplementum, benigne declarari et decerni mandavit, prout hoc decreto declaratur atque decernitur: *tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit indulgentia quaelibet non solum ratione festivitatis occurrentis iuxta allata decreta, verum etiam quacumque alia ex causa, vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis, et ceteris huiusmodi diebus, pro quibus indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa iam fuerit, vel in posterum concedatur, licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis Vesperis sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus iniunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum.* Voluitque Sanctitas Sua nihil innovatum censeri quoad decretum diei 9 decembris 1763 [3]

[1] Cf. N. 4982.
[2] Cf. N. 5003.
[3] Cf. N. 4993.

favore Christifidelium, qui laudabili consuetudine utuntur confitendi semel saltem in hebdomada, cum privilegiis, conditionibus et restrictivis ibidem recensitis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 426].

5078.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 17 dec. 1870.

Iuxta Apostolicae Sedis praxim in plenariae indulgentiae concessionibus apponitur clausula: *Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti etc.* Haec clausula iuxta declarationem alias datam exprimit conditionem, ita ut Confessio inter opera iniuncta recensenda sit, et nemo indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, nisi sacramentalem Confessionem faciat, et cetera iniuncta opera adimpleat.

Iam vero in indultis, quibus partiales indulgentiae conceduntur, nulla mentio fit de sacramentali Confessione, sed adhibetur clausula: *corde saltem contrito*. Hinc apud nonnullos quaestio orta est:

An praescripta contritio requiratur dumtaxat uti mera dispositio, nempe ut, quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cuiusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi: vel potius clausula illa corde saltem contrito *inducat veram conditionem, scilicet tamquam pars operis iniuncti contritio ipsa habenda sit, ita ut ad indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae et caritatis reperiuntur?*

Ut hac in re Christifideles tutam regulam habeant, Sacra Congregatio suprascriptum dubium solvere non dedignetur.

Sac. Congregatio, re sedulo diligenterque perpensa, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet:

Affirmative ad primam partem, et *Negative ad secundam.*

Et facta relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita a me infrascripto Cardinali Praefecto die 17 dec. 1870, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 427].

5079.

S. C. Indulg., 26 ian. 1871.

Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide soleat aliquando concedere Missionariis facultatem benedicendi et imponendi Christifidelibus scapularia, nonnulla oborta sunt dubia, quae dictae Sacrae Congregationi ab Episcopis et Missionariis proposita, et ab eadem ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum transmissa fuerunt, nempe:

1. *Utrum sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis?*

2. *Utrum necessaria sit praevia erectio canonica talium Confraternitatum ex parte Ordinarii loci, ut, qui habent a S. Sede facultatem adscribendi dictis Confraternitatibus, possint Christifideles eisdem adscribere?*

Quibus vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio PP. IX tributarum Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, re sedulo diligenterque perpensa, die 26 ianuarii 1871 respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1. *Affirmative, ita tamen, ut sacerdotes, qui praedictum indultum benedicendi scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur.*

Ad 2. *Detur instructio prout sequitur:*

Ex piis Sodalitiis quaedam sunt ab Apostolica Sede ita approbata, ut Christifideles ubique locorum eisdem ab iis, qui legitimam facultatem habent, possint adscribi, licet in eorumdem Christifidelium respectivis dioecesibus peculiariter erecta non reperiantur, ut ex. gr. sunt Confraternitates Scapularis B. M. V. Montis Carmeli, Rosarii, Septem Dolorum; ac propterea quoad ista Sodalitia nulla requiritur in dioecesi praevia Episcopi erectio.

Quod si agatur de Confraternitate approbata a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, non requiritur praevia erectio Episcopi, sed Sacerdos habens apostolicam facultatem adscribendi, non potest ea uti, nisi in eodem territorio, quo circumscribitur ipsa pia Sodalitas.

Pariter non requiritur praevia erectio Episcopi, si pium Sodalitium legitime erectum reperiatur in dioecesi a Superioribus Regularibus, qui ad hoc speciale privilegium ex Apostolicae Sedis concessione habent, dummodo in erectione conditiones in Constit. Clementis VIII incip. *Quaecumque* [1] servaverint.

Quibus positis apparet, eos, qui, ut supra, a S. Sede facultatem obtinuerint benedicendi scapularia, eaque imponendi, et Christifideles adscribendi, posse dicta facultate uti dumtaxat quoad Confraternitates scapulare habentes et canonice erectas, prout superius explicatum est, et si in indulto apposita sit clausula *de consensu, vel licentia Ordinarii*, illa cum aliis conditionibus a iure praescriptis omnino servanda erit.

Ut autem qui praedictam facultatem habent, satis instructi sint in benedicendis et imponendis scapularibus, communicentur Resolutiones huius Sacrae Congregationis in *Urbis* et *Cameracen.* diei 18 augusti 1868. [2]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 428].

[1] Cf. N. 192.
[2] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 423; cf. N. 5076.

5080.

S. C. Indulg., *Cameracen.*, 25 febr. 1877.

Sacerdos Lefebure, rector parochiae de Templemare, Archidioecesis Cameracensis in Gallia, proposuit Sacrae Congregationi sequentia dubia. Exponitur quod in decretis authenticis Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1861 collectis legitur decretum subsequens sub numero 248. « Urbis et Orbis. SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne concessit, ut confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti, eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant, ita tamen ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera iniuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exsequantur. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cuiuscumque Sodalitii, Confraternitatis seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expedit one. Datum Romae die Audientiae SSmi 2 augusti 1760 ».[1]

Ex verbis huius decreti quaeritur:

1. *Utrum confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis tunc existentis facultate in praefato decreto concessa gaudere possint et valeant, sine recursu ad S. Sedem, vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus dicti decreti: Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam... ad preces cuiuscumque Sodalitii concedi?*

Et quatenus Affirmative ad primam partem dubii primi,

2. *Utrum confratres et consorores Sodalitatis SS. Rosarii ex speciali S. Sedis facultate, post decretum praefatum, ab Ordinario loci erectae cum participatione omnium ac singularum indulgentiarum ac aliarum gratiarum spiritualium, quibus ditata est Archiconfraternitas huiusmodi Romae erecta ante dictum decretum, gaudere possint et valeant facultate in hoc decreto concessa?*

3. *Utrum recitatio Rosarii integri in qualibet hebdomada requiratur ad consequendas indulgentias Archiconfraternitati Romae erectae concessas tam pro dicti Rosarii recitatione, quam pro aliis operibus, ita ut omissio Rosarii integri in hebdomada officiat consecutioni indulgentiarum pro aliis quibuslibet operibus piis concessarum nempe: pro Communione in ecclesia Confraternitatis in prima Dominica cuiuslibet mensis, pro comitatu processionis SS. Rosarii tam in praefata Dominica, quam in septem festis B. M. V. pro visitatione capellae seu altaris B. M. V. in Dominica prima cuiuslibet mensis, in quinque praecipuis festis B. M. V. ac aliis diebus et ceteris similibus piis operibus? Vel recitatio Rosarii integri in hebdomada requiratur tantum ad assequendas indulgentias recitationi Rosarii adnexas (minime vero ad lucrandas indulgentias pro aliis piis operibus concessas)?*

[1] Cf. N. 4987.

4. *Quid intelligendum est per verba subsequentia (caput VII integrum) quae leguntur sub fine num. 2, cap. IX catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX confirmatarum? an per praefata verba implicite confirmentur vel implicite excludantur a confirmatione aliae indulgentiae contentae in cap. VII Summarii indulgentiarum SS. Rosarii ab Innocentio confirmatarum in suo Brevi* Nuper pro parte, *quae non expresse recensentur in catalogo indulgentiarum a Sanctitate Sua Pio IX anno 1862 adprobato?*

5. *Quid intelligendum est per verba sequentia:* Confratres servientes, *quae leguntur in num. 1, cap. X catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX adprobati anni 1862, an per haec verba intelligantur confratres tam militantes quam servituti addicti, imo et famuli?*

6. *Quid intelligitur per verbum Rosarium recitandum ante devotam imaginem pro consecutione indulgentiae plenariae confirmatae sub num. 3, cap. X catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX adprobati anno 1862? an Rosarium integrum vel eius tertia pars?*

7. *Utrum in forma, ut vocant absolutionis, seu modo impertiendae indulgentiae confratribus SS. Rosarii in articulo mortis dicendum est: et per indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII confratribus SS. Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, ut legitur in capite XII Summarii indulgentiarum SS. Rosarii ab Innocentio XI adprobati in suo Brevi* Nuper pro parte *vel dicendum est: et per indulgentiam plenariam a Summis Pontificibus Innocentio VIII et Pio V confratribus SS. Rosarii in articulo mortis concessam ut legitur in libellis manualibus SS. Rosarii?*

8. *Utrum praeter festa mysteriorum SS. Rosarii, quae sequuntur videlicet: Annuntiationem B. M. V., eiusdem Visitationem, Nativitatem Domini, Purificationem B. M. V., in quibus recoluntur quatuor prima mysteria Rosarii, Resurrectionem Domini, eiusdem Ascensionem, Pentecosten et Assumptionem B. M. V., in quibus recoluntur undecimum, duodecimum, tertium decimum et quartum decimum mysterium, etiam ut festa mysteriorum SS. Rosarii habenda sint omnia festa subsequentia, quae reperiuntur in libellis manualibus SS. Rosarii, scilicet: 1. Dominica infra octavam Epiphaniae Domini, in qua recolitur quintum mysterium; feria quarta maioris hebdomadae, in qua recolitur sextum mysterium; feria sexta eiusdem hebdomadae, in qua recolitur septimum mysterium, festum S. Coronae spineae indultum pro dioecesi oratoris ac fixum feria sexta post Cineres, in quo recoliter octavum mysterium; Inventio S. Crucis, in quo recolitur nonum mysterium; Exaltatio S. Crucis, in quo recolitur decimum mysterium; festum Omnium Sanctorum, in quo recolitur quintum decimum mysterium. 2. Quatenus quaedam ex praefatis festis habenda sint ut festa mysteriorum SS. Rosarii quaenam sunt festa ista?*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita partim in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas Aedes die 8 maii 1874, partim in particularibus die 12 februarii 1877, audito prius Consultoris voto, ad praefata dubia respondendum esse censuit ut infra:

Ad 1. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et ad mentem; et mens est, supplicandum SSmo, ut per decretum generale extendatur ad omnes confratres cuiuscumque Confraternitatis, aut Sodalitii indultum*

lucrandi singulas indulgentias, exercendo opera, quae pro viribus peragere poterunt.

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 4. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 5. *Affirmative, et extenditur ad milites actu servientes.*

Ad 6. *Intelligitur tertia pars.*

Ad 7. *Utraque forma est legitima.*

Ad 8. *Ad primam partem Negative; ad secundam dumtaxat festum Omnium Sanctorum pro decimo quinto mysterio, et festum B. M. V. feria sexta post Dominicam Passionis pro decimo mysterio, facto verbo cum SSmo.*

De quibus facta relatione per me infrascriptum Cardinalem Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 25 februarii 1877, Sanctitas Sua petitas gratias benigne concessit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 431].

5081.

S. C. Indulg., *Quiten.*, 12 ian. 1878.

Romani Pontifices in concedendis indulgentiis moderamen semper consueverunt observare, ne *per indiscretas et superfluas indulgentias et claves Ecclesiae contemnantur et poenitentiae satisfactio enervetur* (cap. Cum ex eo 14, de poenit. et remiss.) Eodemque consilio ducti haud unquam omisere, indulgentias, quas moderaminis fines excessisse perspexerunt intra eosdem cohibere. Sacrosancta item Tridentina Synodus (sess. 25, *decret. de indulg.*) veteri et probatae Ecclesiae consuetudini inhaerens, moderationem in indulgentiarum concessione enixe inculcat, *ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Abusus vero, qui in indulgentias irrepserint, *emendatos et correptos cupiens,* Episcopis mandat, ut eos Ecclesiae suae diligenter quisque colligat, et ad *Summum Romanum Pontificem* deferat, *cuius auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur.* Quae auctoritas a Romanis Pontificibus per Sacram Indulgentiarum Congregationem post ipsius institutionem solet exerceri.

Quare varii abusus, quos in nonnullis regionibus adversus adeo salutarem Ecclesiae disciplinam inolevisse compertum est, propositi fuerunt in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 decembris 1877 sub forma sequentium dubiorum:

1. *Potestne Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice iam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adiungere? Potestne crucibus coronis, sacris imaginibus a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias?*

2. *Potestne Episcopus fidelibus dioecesis non suae indulgentias concedere si Ordinarius loci consentit? potestne tolerari huiusmodi praxis, si nihil aliud intenditur, nisi ut per maiorem numerum Praelatorum indulgentias concedentium summa dierum indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur?*

3. *Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cum iam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare?*

4. *Potestne Episcopus in partibus infidelium, quamvis auxiliarius Ordinarii alicuius dioecesis, indulgentiam quadraginta dierum concedere sicut dioecesanus?*

5. *Potestne Episcopus, quin limites sui iuris excedat, ad augendas indulgentias eumdem actum pietatis in partes dividere et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere?*

6. *Potestne Delegatus Apostolicus, virtute facultatum, quas a Summo Pontifice accepit, in concedendis indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopo territorii delegationis suae, ut idem obiectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet?*

7. *Praelati, quibus privilegio Apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, an vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium aut in perpetuum?*

Sac. Congregatio respondendum duxit ut infra:

Ad 1. *Negative, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.*

Ad 2. *Negative ad utrumque.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Consultius, ut se abstineat.*

Ad 7. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Facta autem per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 ianuarii 1878, Sanctitas Sua praedictas responsiones probavit et publicari mandavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 433].

5082.

S. C. Indulg., *Geneven.*, 12 ian. 1878.

Episcopus Hebron. et Vicarius Apostolicus Genevensis infrascripta dubia ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam transmisit:

1. *Utrum, nisi aliud expresse habeatur in indultis, indulgentiae lucrandae incipiant a media nocte, an vero a primis Vesperis.*

2. *Utrum, si quis utens recenti privilegio Confessionem et Communionem pridie eius diei peragat, cui affixa est indulgentia, etiam reliqua opera praescripta pridie fieri, adeoque pridie etiam indulgentia lucrifieri possit?*

3. *Utrum, si eidem pio operi, quod a fidelibus iterari non potest, variis titulis indulgentiae adnexae sunt, possint omnes lucrifieri?*

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano

die 14 decembris 1877, auditis Consultorum votis rebusque mature perpensis, responderunt:

Ad 1. *A media nocte ad mediam noctem.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Affirmative, dummodo opera iniuncta vere iterari nequeant, vel non soleant, sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 ianuarii 1878, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 434].

5083.

S. C. Indulg., *Ianuen.*, 12 ian. 1878.

Quamvis circa translationem indulgentiarum pro casibus translationis festorum, quibus tributa fuit indulgentia lucranda ab illis, qui in decursu diei festi ecclesiam visitaverint, iam a Sacra Congregatione Indulgentiarum responsa et decreta prodierint, quae certam normam praebent, tamen pro variis circumstantiis quaedam dubia adhuc supersunt.

Certum est, quod translato tantum festo per accidens, idest quoad Officium et Missam infra annum non transfertur indulgentia festivitati adnexa, utpote constat ex decreto S. R. C. diei 16 septembris 1741 per responsum *translato festo unice quoad Officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa;* idque recentius confirmatum et praesertim sancitum fuit per decretum Urbis et Orbis sub die 9 augusti 1852.[1]

Pariter certum est, quod cum transfertur festum quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem, transfertur et indulgentia eidem festo concessa, etiamsi non transferatur Officium cum Missa, ut patet ex praedicto decreto diei 9 augusti 1852 et ex responsione S. Congregationis Indulgentiarum 18 septembris 1862.

Sed non constat de decisione quoad transferendam indulgentiam simul cum festo, quando festum, cui adnexa est indulgentia, transferri debet in perpetuum et assignari fixe ad aliam diem: utrum nempe translato festo in perpetuum simul transferatur indulgentia, etsi festum celebretur sine solemnitate et sine externa publica functione? Insuper dubium est circa diem, quo attributa sit indulgentia in diversis provinciis et coenobiis, quando festum ob occurrentiam alterius festi altioris ritus, vel maioris diginitatis sit assignatum vel assignandum ad varias distinctas dies.

Cum autem indulgentiae plenariae festis tributae in Kalendariis Capucinorum adnotari soleant, et consuetudo sit eas adscribendi tantum unicuique diei, quo festum assignatum est, pro provincia, nulla facta exceptione quoad illos Conventus, qui festum habent assignatum, et perpetuo celebrant alia die, P. Clementinus ab Ulmeta, provinciae Ianuensis, Capucinorum alumnus

[1] Cf. N. 5050.

et Kalendarii extensor, ut certior factus in adnotandis indulgentiis in Kalendario ab erroris periculo se eximere valeat, de licentia sui Superioris Provincialis subsequentia dubia Sacrae Congregationi Indulgentiarum humillime exponit et supplicibus precibus eorumdem solutionem petit:

1. *Utrum translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem sive ex speciali decreto S. R. C. sive ex praescripto rubricarum assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transferatur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione?*

Et quatenus Affirmative,

2. *Utrum eadem translatio indulgentiae fiat tam in casu, quo translatio perpetua festi sit pro toto Ordine, quam in casu perpetuae translationis festi pro sola regulari provincia?*

3. *Cum festum assignatum est ad quamdam diem pro provincia et in aliqua dioecesi, vel in aliquo coenobio ob occurrentiam alterius festi praeferendi translatum sit et perpetuo assignatum ad aliam diem, utrum indulgentia festo tributa adscribenda sit pro singulis coenobiis ad diem, quo unumquodque festum celebrat, vel potius sit retinenda tanquam lucrabilis in omnibus coenobiis eadem die assignata pro provincia, dummodo tamen exceptio non sit facienda ratione solemnitatis vel externae publicae celebrationis?*

4. *Quando aliquod festum ex novo indulto Kalendario adiungendum, eo quod impediatur die propria, ad sequentem primam diem liberam transferri et assignari debet, si ei concessa sit indulgentia, utrum haec adscribenda sit diei, quo festum assignatur fixe in provincia, et quoad omnia provinciae coenobia, quamvis non in omnibus festum eadem die locum habeat?*

5. *Utrum indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi ecclesias determinatas Regularium, lucrari possint ab omnibus Christifidelibus etiamsi eiusdem festi celebratio cum indulgentia alia die in dioecesi locum habeat?*

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 decembris 1877, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, responderunt:

Ad 1. et 2. *Affirmative.*

Ad 3., 4. et 5. *Affirmative iuxta modum, nempe indulgentia semel tantum a singulis respective lucrari potest.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 ian. 1878, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 435].

5084.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 13 apr. 1878.

Cum in nonnullis ex piis Sodalitiis (hisce potissimum temporibus institutis) inter sodales adscribendi etiam absentes consuetudo inoleverit, quae reprobata iamdiu fuerat ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis

Sacrisque Reliquiis praeposita, praesertim in *Americana novi Regni Hispanici* die 28 aprilis 1761, relatione de hoc facta SSmo D. N. Leoni Papae XIII per me infrascriptum Secretarium dictae Sacrae Congregationis in Audientia habita die 13 aprilis 1878, SSmus, praevia sanatione omnium adscriptionum hactenus haud rite factarum, mandavit, ut in posterum serventur, atque ad observantiam revocentur resolutiones praefato anno 1761 editae, quas ad istiusmodi effectum una cum praesenti decreto evulgari iussit. [1]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 437].

5085.

S. C. Indulg., *Congregationis Pretiosissimi Sanguinis*, 23 nov. 1878.

Cum in Aurelianen. diei 18 augusti 1868 [2] ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaratum fuerit, Vicarios Generales in erigendis Confraternitatibus, earumdem statutis approbandis, ac litter s testimonialibus pro ipsarum aggregatione concedendis iuxta Clementis VIII Constitutionem, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica,* [3] haud pollere potestate ordinaria, sed speciali indigere delegatione; in dubium fuerunt etiam revocatae Vicarii Capitularis quoad praedicta facultates: unde Superior Generalis Congregationis Pretiosissimi Sanguinis preces huic Sacrae Congregationi porrexit ad hoc, ut sequentia dubia dignetur resolvere:

1. *Potestne Vicarius Capitularis erigere Confraternitates ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

2. *Utrum Vicarius Capitularis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?*

3. *Utrum Vicarius Capitularis possit approbare statuta Confraternitatum?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1, 2, et 3: *Vicarius Capitularis se abstineat.*

Facta de iis omnibus per me infrascriptum dictae Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 438].

[1] Resolutio illa habetur supra, N. 4990.
[2] Cf. N. 5075.
[3] Cf. N. 192.

5086.

S. C. Indulg., *Friburgen.*, 23 nov. 1878.

Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Archidioecesis Friburgensis die 14 Ianuarii 1877 cum petiisset ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quod inibi ob sacerdotum penuriam confessio facta bis in mense, servatis servandis suffragari possit ad indulgentias intra praedictum tempus occurrentes lucrandas, quemadmodum et aliae dioeceses tali concessione ex indulto Apostolico laetantur, gratia fuit concessa, ast eo modo et forma, qua assolet, rescribendo scilicet: *SSmus precibus obsecundans, benigne annuit pro petito indulto, ita ut presbyteri et ceteri fideles Archidioecesis Friburgensis, qui infra unam vel duas hebdomadas uniuscuiusque mensis sacramentalem Confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias plenarias, eo temporis intervallo concessas, absque sacramentali Confessione lucrari possint, dummodo etc.* At vero praelaudatus Episcopus dubitans, num sub voce *hebdomada* septem dies vel octo sint intelligendi, et num verba *infra duas hebdomadas* accipi ita debeant, ut bina Confessio intra mensem sufficiat, vel potius ut in omni quatuordecim dierum decursu Confessio sit peragenda, supplex Sacram Congregationem adiit, postulans, ut dubia isthaec diluere dignetur:

1. *Utrum Confessio praescripta per* singulas hebdomadas *peragi debeat infra septem vel potius infra octo dies?*

2. *An verba* infra duas hebdomadas *stricte interpretanda sint, ita ut Confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina Confessio in mense?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio; Negative ad secundam partem.*

Ad 2. *Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio; Negative ad secundam partem.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 439].

5087.

S. C. Indulg., 21 dec. 1878.

Cum sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, a fidelibus veneranda sint; multa enim beneficia per ea a Deo hominibus prae-

stantur; [1] ut eorum venerationi consulatur, utque omnis turpis quaestus eliminetur, non semel leges ecclesiasticae, sed et civiles latae fuerunt. Siquidem cap. 3 Cod. *de sacrosanctis ecclesiis* statutum fuit: *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur.*

Iam vero abhinc nonnullis annis, suffragantibus rerum ac temporum adiunctis, abusus irrepsit, ut homines catholicae fidei osores et turpis lucri avidi sacras Reliquias undequaque exquisitas et arreptas et authenticitate pollentes, Romae potissimum, magno fidelium et maxime advenarum scandalo, vendere non erubescant.

Id cum SSmo D. N. Leoni PP. XIII innotuerit, Eadem Sanctitas Sua volens huic malo occurrere, et simul sacrarum Reliquiarum, quantum fieri potest, recuperationi studere, sacrorum canonum statutis inhaerens districte praecepit, ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimendi, sacras Reliquias et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in Urbe, quam extra, emere aut mercari praesumant. Insuper mandavit, ut quicumque sacras Reliquias, quae venales prostent, invenerit, Locorum Ordinarios commoneat, quorum intererit, opportune providere.

Hoc propterea decretum Idem SSmus D. N. fieri et publicari mandavit. [Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 443].

5088.

S. C. Indulg., *Tertii Ordinis S. Francisci*, 22 mart. 1879.

Tres Ministri Generales Ordinum S. Francisci, Conventualium nempe, Minorum Observantium et Capucinorum, sub quorum uniuscuiusque directione Fratres et Sorores adsunt, ad uniformitatem quoad tertiarios universos sub qualibet directione constitutos inducendam, consilium inierunt unicum conficiendi Manuale, quod omnibus foret commune. Illud a Fr. Nicolao a S. Ioanne exaratum quatuor constat partibus, quarum prima notiones generales totius tertii Ordinis exponit, aliae vero et regulas tradunt, caeremonias recensent et indulgentias. Pars vero quae indulgentias recensebat, huic S. Indulgentiarum Congregationi exhibita fuit pro facultate obtinenda illam evulgandi. Imo supplex quoque libellus porrectus fuit pro novis gratiis et privilegiis favore Tertiariorum impetrandis.

Ex parte quoque praesidis generalis Societatis S. Francisci Salesii expositum fuit, Societatem hanc per Rescriptum Summi Pontificis sub die 1 maii 1873 participem factam fuisse privilegiorum, quibus gaudent chorigeri S. Francisci, ac proinde quaerebatur, utrum inter haec privilegia reperiretur illud quoque absolutionis generalis, et quatenus *Negative*, enixe flagitabatur, ut facultas elargiendi absolutionem generalem quater saltem in anno concederetur.

Interim dum Sacra Indulgentiarum Congregatio haec omnia ad examen revocabat, in primis animadvertebat, diversas formulas impertiendi tum

[1] Concil. Trident., sess. 25, *de venerat. et reliq. Sanctorum.*

generalem absolutionem per annum, tum in articulo mortis et benedictionem papalem, quae sive in exhibito Manuali pro Tertiariis, sive in Summariis indulgentiarum et privilegiorum iisdem concessorum legebantur, haud levem facessere difficultatem. Quae quidem difficultas pro formulis generalis absolutionis eo magis aucta est, quod a nonnullis locus factus est controversiae potissimum de virtute et efficacia absolutionis generalis. His vero accesserunt aliae quaestiones a confessario Monialium Ordinis S. Francisci dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis propositae, quae pariter ad generalem absolutionem referebantur.

Quare haec Sacra Indulgentiarum Congregatio haud cunctandum esse censuit, ut desuper his suum depromeret iudicium; auditoque consultoris voto, manifestius patuit, ex literali et obvio sensu formularum interpretationem erui veritati non consonam, et doctrinam quoque dogmaticam indulgentiarum haud leviter laedentem. Ad quas proinde quaestiones dirimendas utpote dogma respicientes quum haec Sacra Indulgentiarum Congregatio ex sui institutione incompetens foret, res tota ad Supremam Universalis Inquisitionis Congregationem delata est, quae de his omnibus maturo examine peracto, detectos errores reprobavit, veramque doctrinam proponens, iuxta eam corrigenda mandavit, quae minus recta fuerant scripta et evulgata.

Verum Suprema Universalis Inquisitionis Congregatio in tuto positis quae ad dogma pertinebant, reliqua, quae propius rectam indulgentiarum administrationem attingebant, huic Sacrae Congregationi definienda reliquit.

Quare sequentia dubia resolvenda proposita sunt:

1. *An et pro quibus praescribenda sit sub poena nullitatis formula unica pro absolutionibus generalibus impertiendis?*
   Et quatenus Affirmative,
2. *Quaenam formula sit iniungenda?*
3. *An pro impertienda absolutione in articulo mortis Tertiariis saecularibus Franciscalibus debeat formula Benedictina* [1] *adhiberi, vel sit eadem sub poena nullitatis praescribenda?*
   Et quatenus Negative,
4. *An sit sub eadem poena iniungenda formula a Fr. a Cipressa tradita?*
   Et quatenus Negative,
5. *An formula, quae nunc adhiberi solet, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*
6. *An pro impertienda Tertiariis Franciscalibus saecularibus benedictione Papali obligatio adsit formula Benedictina utendi, vel sit eadem praescribenda?*
   Et quatenus Negative,
7. *An formula, qua nunc iisdem Tertiariis Franciscalibus benedictio Papalis impertiri consuescit, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*
8. *An pro iisdem sit et quatenus Benedictinae observantia iniungenda quoad regulas ab eadem quoad benedictionem Papalem praestitutas?*
9. *An pro indulgentia adnexa absolutioni generali sit servanda etiam quoad*

[1] Cf. N. 380.

Tertiarios Franciscales saeculares responsio data 12 martii 1855, [1] *vel, attentis praesentibus adiunctis, addenda indulgentia pro vivis, quoad festa etiam, pro quibus fertur concessa a Leone X?*

10. *An absolutioni generali adnexa sit indulgentia pro defunctis?*

Et quatenus Negative,

11. *An sit concedenda Tertiariis Franciscalibus saecularibus?*

12. *An absolutiones generales dari debeant, aut possint intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?*

13. *Utrum Chordigeri S. Francisci Assisinatis ac Sodales S. Francisci Salesii gaudeant privilegio absolutionis generalis et benedictionis Papalis?*

Et quatenus Negative,

1. *Utrum possit atque expediat ipsis concedere privilegium absolutionis generalis, et quoties in anno, vel potius huius privilegii loco iisdem elargiri communicationem indulgentiarum et bonorum, et cum qua formula?*

2. *Utrum expediat Chordigeris et Salesianis concedere privilegium absolutionis plenariae in articulo mortis, et quoties in anno illud benedictionis Papalis?*

14. *An constet de authenticitate gratiae absolutionis generalis Monialibus O. S. F. dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis a Clemente VIII concessae?*

Et in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 18 mensis martii anni 1879 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1. *Consulendum SSmo, ut ad uniformitatem inducendam et ad falsas interpretationes vitandas praescribere dignetur sub poena nullitatis unicam absolutionis generalis formulam pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus; pro Tertiariis vero Saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum eisdem vel cum Regularibus habentibus unicam pariter dignetur praescribere formulam benedictionis cum indulgentia plenaria, loco absolutionis generalis hucusque usitatae.* [2]

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum SSmo.*

Ad 4 et 5. *Provisum in tertio.*

Ad 6. *Ut in tertio.*

Ad 7. *Provisum in sexto.*

Ad 8. *Regulas a Benedicto XIV praescriptas esse adamussim observandas.*

Ad 9. *Quoad Tertiarios saeculares provisum in primo.*

Ad 10. *Consulendum SSmo, ut concedat ad cautelam indulgentiam pro defunctis.*

Ad 11. *Provisum in primo.*

Ad 12. *Servetur pro Regularibus consuetudo.*

Ad 13. *Negative ad utrumque.*

Ad 1. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, facto verbo cum SSmo pro concessione indulgentiae plenariae quater in anno diebus a Summo Pontifice designandis et pro communicatione bonorum operum pariter*

[1] Cf. N. 5052.
[2] Cf. N. 586.

quater in anno, iuxta formulam praescriptam in decreto Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 25 februarii 1739. [1]

Ad 2. *Ad primam partem, gaudeant impetratis; ad secundam, Chordigeris et Salesianis concedendum esse privilegium, si SSmo placuerit, Benedictionis Papalis semel tantum in anno.*

Ad 14. *Non esse interloquendum.*

His vero editis ab EE. PP. resolutionibus, Sacrae huius Congregationis Indulgentiarum Cardinalis Praefectus, quo initum consilium de unico conficiendo Manuali pro universis Tertiariis facilius et tutius assequi posset, proponendum censuit, ut specialis seligeretur Commissio constans ex Secretariis, vel ex personis ab eisdem designandis, trium Sacrarum Congregationum, videlicet Episcoporum et Regularium, S. Rituum, et Indulgentiarum, quae videat, utrum et aliae animadversiones faciendae sint in exhibito Manuali, easque proponat in peculiari Patrum Cardinalium Congregatione a SSmo deputanda. Quod propositum EE. PP. unanimiter probaverunt.

Facta autem de iis omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 martii 1879, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne approbavit et confirmavit; et resolutiones quoad priora octo dubia exsecutioni mandari praecepit per decretum S. Rituum Congregationis. [2]

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 444].

5089.

S. C. Indulg., 19 iun. 1880.

Post editum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita generale decretum diei 13 apr. 1878 de non adscribendis absentibus Sodalitiis seu piis Unionibus hac nostra praesertim aetate institutis, [3] undique plurima exorta sunt dubia de vero sensu illius decreti; imo plures ex parte potissimum Episcoporum porrecti fuerunt libelli supplices, quibus enixe ab hac Sacra Congregatione postulabatur, ut non obstante supramemorato decreto absentes adscribi possent saltem Sodalitiis seu piis Unionibus piisque Operibus, quae vere Confraternitates dici nequeunt, simulque proponebatur modus, quo via in posterum praecluderetur abusibus, qui hucusque inoleverant in absentium inscriptione.

Quare desuper his sequentia dubia solvenda proposita fuerunt:

1. *Utrum decretum diei 13 aprilis 1878 prohibens inscriptionem absentium ad pias Uniones et ad pia Opera, quae a veris Confraternitatibus distinguuntur, extendatur?*

[1] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 127.
[2] S. R. C., *Tertii Ordinis S. Francisci*, 18 mart. 1879. – Decreta Authentica S. C. Indulg., p. 410-414. – Formulas autem a S. R. C. confectas confirmavit Leo XIII (cf. N. 586).
[3] Cf. N. 5084.

2. *Utrum et quomodo post editum memoratum decretum probanda vel permittenda sit inscriptio sociorum absentium, cum agitur de veri nominis Confraternitatibus?*

3. *Quid respondendum quoad petitiones exhibitas a Moderatoribus Confraternitatum, praesertim ab Episcopis, qui postulant, non obstante decreto, adscribi posse praedictis Confraternitatibus absentes per litteras et per interpositam personam, sive propter consuetudinem sive propter novas rationes ab ipsa experientia desumptas?*

4. *Quaenam alia praescribenda in casu?*

Quibus in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 iunii 1880 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1, 2, et 3, *Providebitur in* 4.

Ad 4. *Firmo remanente decreto diei 13 aprilis 1878 dubiis et petitionibus propositis provideatur per appositam instructionem et dispositivam declarationem iuxta mentem panditam, pro opportunis exceptionibus.* [1]

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 19 iunii 1880 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis iudicium in omnibus benigne approbavit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 452].

5090.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 26 nov. 1880.

Quum fidelium piis Sodalitatibus adscriptio per se actus sit religionis et pietatis, adeo ut dies, qua fidelis piae alicui Societati inscribitur, plerumque a Sancta Sede indulgentiis ditata sit, decet omnino, ut ipsa inscriptio serio ac devote certo aliquo modo fiat ac debita forma. Quamquam vero ad hoc per se non requiratur necessario *personalis praesentia*, quum etiam gravissima negotia *inter absentes* per litteras vel interpositam personam perfici possint, tamen ipsa personalis praesentia ex generali regula iure exigitur, ut adscribendorum devotioni potius quam numero consulatur, ac pluribus abusibus via praecludatur. Generalis haec regula ab hac Sacra Congregatione in Americana Novi Regni Hispanici die 28 aprilis 1761 indicata, [2] novissime decreto Urbis et Orbis diei 13 aprilis 1878 instaurata est ac confirmata. [3] Sed ea generatim in suo robore manente plures sane exceptiones locum habere possunt, vel ex peculiari Sodalitatum quarumdam constitutione, quae sua natura exceptionem postulare videtur, vel ex specialibus quarumdam privilegiis, vel ex extrinsecis circumstantiis, vel ex benigna Apostolica dispensatione: adeoque plures dubitationes, multoque plures petitiones pro favorabili exceptione, ad hanc Sacram Indulgentiarum Congregationem delatae sunt. Quibus omnibus mature perpensis, Eminentissimi

[1] Cf. N. 5090.
[2] Cf. N. 4990.
[3] Cf. N. 5084.

Patres Sacris Indulgentiis praepositi in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 iunii 1880 rescripserunt: *Firmo remanente decreto diei 13 aprilis 1878, dubiis et petitionibus propositis providendum esse per appositam instructionem et dispositivam declarationem iuxta mentem panditam ab Eminentissimis Patribus in ipsa Congregatione pro opportunis exceptionibus.* [1]

I. Primo itaque iuxta mentem Eminentissimorum Patrum distinguendum est inter Sodalitates pro universo orbe catholico, ac Sodalitates pro certa tantum dioecesi vel regione canonice erectas, relate ad quas fideles, qui extra limites locali Sodalitati constitutos commorantur, *absentes* dicuntur, imo vero non *simpliciter absentes*, sed etiam *extranei* dici possunt. Huiusmodi locales Sodalitates, quemadmodum ex. gr. Confraternitas B. M. V. Guadalupensis, de qua sermo est in Americana Novi Regni Hispanici, in Confratres admittere nequeunt *absentes* extra limites Sodalitatis: atque hic primus est sensus memoratae resolutionis Sacrae Congregationis diei 28 aprilis 1761, atque hoc primum sensu adscriptiones *absentium* tum decreto Urbis et Orbis diei 13 aprilis 1878, tum praesenti instructione irritae omnino generali lege *sine ulla nova exceptione* declarantur.

II. Sodalitates etiam universales, relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu *absentes* seu extranei, nequeunt in confratres admittere simpliciter *absentes;* scilicet requiritur ex iure adscribendorum personalis praesentia. At nullatenus mens fuit decreti, eam restringere ad locum ubi Sodalitas canonice erecta propriam habet sedem ac centrum; sed sufficit adscribendorum praesentia coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem: non sufficit vero moralis, interpretativa vel repraesentativa praesentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas: atque hic alter est sensus, quo adscriptiones *absentium* iuxta resolutiones in Americana et iuxta memoratum decretum irritae sunt, ac praesenti etiam instructione irritae quidem generali lege, sed *cum infrascriptis exceptionibus* declarantur.

III. Quamvis generatim relate ad communicationem indulgentiarum communes pro quavis Societate latae sint leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque*, [2] tamen relate ad legem de non adscribendis *absentibus* eiusque exceptiones, aequum est distinguere inter Sodalitia, quae strictiori sensu collegia dici possunt, ut esse solent pleraeque proprii nominis Confraternitates ad modum organici corporis constitutae, et Sodalitia, quae laxiori modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam Confraternitates et pleraeque piae Associationes, Congregationes, Aggregationes, Uniones ac Pia Opera, ut vocant. Inter plura discrimina quae ad praesentem scopum non refert nec facile est accuratius inquirere, illud maxime ad rem pertinet advertere, quod strictiori sensu Collegia, seu proprii nominis Confraternitates et Sodalitia, quae ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, soleant etiam iuxta proprias leges pro sodalium

[1] Cf. N. 5089.
[2] Cf. N. 192.

inscriptione certam aliquam habere formam cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitia- tus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cinctuarae, quae ex sui natura personalem praesentiam requirunt. Pro huiusmodi itaque Sodalitatibus cuiuscumque sint nominis, nulla praesenti declaratione datur generalis ac ordinaria exceptio a lege de non adscribendis *absentibus:* tantum conceditur earum Moderatoribus eorumque Delegatis, ut in casibus singularibus dispen- sare possint a statuta forma inter praesentes ac *absentes* etiam per singula- rem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

IV. Pro Sodalitatibus etiam, piis Unionibus, piis Operibus et cuiuscum- que sint nominis, Societatibus, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, decretum quoad *absentes,* quan- tum fieri potest, rite servetur; et potius *praesentium* adscriptio facilior redda- tur ac pro viribus promoveatur, multiplicatis canonice associationum cen- tris auctoque pro opportunitate Zelatorum, Zelatricium, Promotorum, vel quovis nomine nuncupentur eorum numero, qui iuxta approbatas Sodalitii leges non modo inscriptionum utcumque promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem.* Sed quum id nec semper, nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, apostolica benignitate indulgen- dum esse videtur, ut, qui *praesentes* commode nequeunt, non omnino exclu- dantur, sed quamvis *absentes* per litteras, vel interpositas personas, quae eos repraesentent, adscribi discrete valeant, vitando simul abusus, quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur. Itaque quum plurium diversi nominis Sodalitatum ac piorum Operum vis et utilitas maxime sit in fidelium *numero,* qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus Societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra decreti mentem praepediantur, Sacra Congregatio, attentis plurium Sodalitatum et maxime Episcoporum postulationibus, praesenti hac dispo- sitiva declaratione per amplam a littera legis exceptionem apostolica aucto- ritate declarat, etiam *absentes* ad huiusmodi pias Associationes adscribi posse, servata tamen decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quan- tum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed prae- sentes spiritu, scientes et volentes piae Societati adscribi, iniuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

V. Porro exceptiones speciales vel ob probata quarumdam Sodalitatum statuta, quae absentium etiam inscriptionem includere, aut supponere, aut flagitare videntur; vel ob privilegia; vel ob singularem fidelium devotionem sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, Sodalitatum centra; vel denique ob varia Sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adiuncta, partim iam vel declaratae, vel ad tempus concessae, quin necesse sit eas singillatim recensere, generali hac decreti benigna interpretatione et dispositiva declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.

Hanc vero Sacrae Congregationis instructionem et declarationem SSmus D. N. Leo PP. XIII in Audientia ab infrascripto Cardinali eiusdem Congre- gationis Praefecto die 26 mensis novembris 1880 habita benigne approbavit et promulgari mandavit, ac sanatis prius, si quae factae fuerint, irritis *absen- tium* adscriptionibus, decretum diei 13 aprilis 1878 in posterum iuxta prae- sentem benignam interpretationem et dispositivam declarationem observari praecepit.

[Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 453].

5091.

S. C. Indulg., *Oranen.,* 19 dec. 1885.

Oranensis Capituli Praepositus et Dioecesis Vicarius Generalis S. huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exponebat: piam Sororum Societatem a SSma Trinitate nuncupatam, et uti *Congrega- tionem votorum simplicium* decreto S. Congregationis Episcoporum et Regu- larium dato die 22 septembris 1869 approbatam, plurimas habere in Oranensi Dioecesi domos: eamdem Societatem, quae sub regimine est Moderatricis Generalis, Valentiae in Gallia residentis, die 15 octobris 1847 aggregatam fuisse Ordini Fratrum Discalceatorum SSmae Trinitatis: huius aggregationis vi Sororibus dandam esse novies in anno aut Absolutionem Generalem, aut benedictionem cum Indulgentia plenaria; sed disceptationem haberi de formula, quae in iisdem impertiendis adhiberi debeat post editas Apostolicas Litteras in forma Brevis die 7 iulii 1882 quae incipiunt: *Quo universi.* [1]

Hinc a S. Congregatione quaerebat:

Quae formula adhibenda sit in casu?

In Congregatione plenaria habita in Aedibus Vaticanis die 18 decem- bris 1885, Emi et Rmi Patres Cardinales responderunt:

Adhibendam esse formulam secundam, cuius videlicet initium: Intret oratio mea in conspectu tuo etc.

SSmus D. N. Leo PP. XIII in audientia habita die sequenti a subscripto Secretario, Emorum Patrum responsionem approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XVIII, p. 413].

5092.

S. C. Indulg., *Plurium regionum S. C. de Prop. Fide subiectarum,* 19 dec. 1885.

Vir Emus sacri Consilii christiano nomini propagando Praefectus Sac. huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae referebat, pluri- bus in regionibus Sac. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, morem invaluisse, ab inopia Sacerdotum repetendum, ut hi quum non possint

[1] Cf. N. 586.

infirmis adsistere usque ad ipsum articulum mortis, Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria *in articulo mortis* eisdem impertiantur,[1] post collata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest non tamen imminens. Quoniam vero haec agendi ratio anxietates et dubitationes in animos Missionariorum induxit, Eñus Praefectus postulabat authenticam hac de re declarationem S. huius Congregationis, quae pro maiori Missionariorum quiete quamlibet incertitudinem removeret.

Quare sequens dubium Patribus Cardinalibus dirimendum fuit propositum:

Utrum Benedictio Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post collata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens?

Eñi ac Rñi Patres in generali Congregatione habita die 18 decembris 1885 in Aedibus Vaticanis responderunt:

Affirmative: quam responsionem *ex rei natura* pro omnibus aegrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis valere dixerunt.

Facta vero de his relatione in audientia habita die insequenti a subscripto Secretario, SSñus D. N. Leo PP. XIII Patrum Cardinalium responsionem approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XVIII, p. 414].

5093.

S. C: Indulg., *Lausanen. et Geneven.*, 16 ian. 1886.

Illñus ac Revñus D. Gaspar Mermillod Episcopus Lausanensis et Genevensis, quum adhuc Episcopus erat Hebronensis et Genevae Apostolicus Administrator, S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, pro obtinendis nonnullis generalibus Indultis ad Indulgentias lucrandas, sequentia *Postulata* exhibebat:

I. *Ut conditio visitandi Ecclesiam pro lucrandis Indulgentiis generice saepe praescripta, adimpleri possit a personis utriusque sexus in communitate et sub regula viventibus, visitando Oratorium domesticum.*

II. *Ut infirmi aut senio confecti in communitate et sub regula viventes, qui Ecclesias aut Oratoria visitare aliave pro Indulgentiis praescripta exequi non possunt, Indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera Confessarii arbitrio praescribenda.*

III. *Ut in casu, quo morale aliquod impedimentum adsit, prudenti Confessarii arbitrio diiudicandum, visitandi aliquam Ecclesiam* (ex. gr. *Regularium aut Parochialem*), *quae de iure visitanda foret ad aliquam Indulgentiam lucrandam, haec visitatio designatae Ecclesiae arbitrio Confessarii commutari possit in aliud pium opus* (ex. gr. *in visitationem alterius Ecclesiae*).

IV. *Ut 1° aliqua Indulgentia concedatur Christifidelibus pie ac devote recipientibus benedictionem a Sacerdotibus praesertim neomystis; et 2° ut aliqua pariter Indulgentia concedatur pie ac devote assistentibus primae Missae Neosacerdotum.*

[1] Cf. N. 380.

Post Eñorum et Revñorum Patrum Cardinalium responsiones in Congregatione diei 18 decembris 1885 in Aedibus Vaticanis datas, SSñus D. N. Leo Papa XIII in Audientia ab infrascripto Secretario habita die 16 ianuarii 1886 ad Postulata supra exposita benigne annuit modo sequenti:

Ad I. *Non expedire.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Ad primam partem Negative: ad secundam partem concedere dignatus est, servatis de iure servandis, Indulgentiam Plenariam Sacerdoti primum Sacrum facienti eiusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui primo eidem Sacro interfuerint; ceteris vero Christifidelibus adstantibus Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.*

Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta S. Sedis, vol. XVIII, p. 462, 463].

5094.

S. C: Indulg., *Urbis et Orbis*, 16 ian. 1886.

Sanctissimum Iesu Nomen semper et ubique terrarum praecipua veneratione et singulari prorsus honore Christifideles prosequuti sunt: *non enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Actor. IV, 12). Ad hanc venerationis et honoris significationem, plurima religionis obsequia plurimasque laudes pietas christiana excogitavit, quibus Nomen augustissimum digne et sancte celebraretur.

Hisce profecto accensendae sunt plures Litaniae in honorem SSñi Nominis Iesu compositae, quae, licet non omnes probabiles, late tamen per orbem diffusae sunt. In quorum praeconiorum genere ne varietas haberetur haud undequaque laudabilis, sa. mem. Summus Pontifex Pius IX *Litanias Sanctissimi Nominis Iesu*, quae unice in posterum retinerentur ab omnibus Christifidelibus, per Sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, die 8 iunii 1862, approbavit, fecitque eidem Sacro Consilio facultatem declarandi, Christifidelibus, qui eas devote recitaverint, Indulgentiam tercentorum dierum in forma Ecclesiae consueta concessum iri, quando Sacrorum Antistites pro sua quisque dioecesi hanc gratiam speciatim petiissent.

Quum autem nuperrime a pluribus Episcopis SSño D. N. Leoni divina providentia Papae XIII preces exhibitae fuerint, ut suarum dioecesium Christifidelibus praefatas *Litanias* recitantibus ipsam hanc Indulgentiam elargiri dignaretur, Sanctitas Sua desiderans, ut christiani populi pietas erga laudabile Iesu Nomen magis magisque foveatur et augeatur devotio, hisce potissimum temporibus, quibus Nomen illud augustissimum tam audacter tamque frequenter impiorum iniuriis impetitur, in Audientia habita die 16 ianuarii 1886 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis

Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, ad omnes utriusque sexus Christifideles, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint *Litanias Sanctissimi Nominis Iesu*, prouti praesenti Decreto subnectuntur et non aliter, praefatam Indulgentiam *tercentum dierum*, animabus quoque Purgatorii applicabilem et semel tantum in die lucrandam, benigne extendit. Quam gratiam Sanctitas Sua *in perpetuum* suffragari voluit et absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

LITANIE

SANCTISSIMI NOMINIS IESU

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Iesu, Fili Dei vivi, miserere nobis.
Iesu, splendor Patris, miserere nobis.
Iesu, candor lucis aeternae, miserere nobis.
Iesu, rex gloriae, miserere nobis.
Iesu, sol iustitiae, miserere nobis.
Iesu, Fili Mariae Virginis, miserere nobis.
Iesu amabilis, miserere nobis.
Iesu admirabilis, miserere nobis.
Iesu, Deus fortis, miserere nobis.
Iesu, pater futuri saeculi, miserere nobis.
Iesu, magni consilii Angele, miserere nobis.
Iesu potentissime, miserere nobis.
Iesu patientissime, miserere nobis.
Iesu obedientissime, miserere nobis.
Iesu mitis et humilis corde, miserere nobis
Iesu, amator castitatis, miserere nobis.
Iesu, amator noster, miserere nobis.
Iesu, Deus pacis, miserere nobis.
Iesu, auctor vitae, miserere nobis.
Iesu, exemplar virtutum, miserere nobis.
Iesu, zelator animarum, miserere nobis.
Iesu, Deus noster, miserere nobis.
Iesu, refugium nostrum, miserere nobis.
Iesu, pater pauperum, miserere nobis.
Iesu, thesaure fidelium, miserere nobis.
Iesu, bone pastor, miserere nobis.

Iesu, lux vera, miserere nobis.
Iesu, sapientia aeterna, miserere nobis.
Iesu, bonitas infinita, miserere nobis.
Iesu, via et vita nostra, miserere nobis.
Iesu, gaudium Angelorum, miserere nobis.
Iesu, rex Patriarcharum, miserere nobis.
Iesu, magister Apostolorum, miserere nobis.
Iesu, doctor Evangelistarum, miserere nobis.
Iesu, fortitudo Martyrum, miserere nobis.
Iesu, lumen Confessorum, miserere nobis.
Iesu, puritas Virginum, miserere nobis.
Iesu, corona Sanctorum omnium, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Iesu.
Propitius esto, exaudi nos, Iesu.
Ab omni malo, libera nos, Iesu.
Ab omni peccato, libera nos, Iesu.
Ab ira tua, libera nos, Iesu.
Ab insidiis diaboli, libera nos, Iesu.
A spiritu fornicationis, libera nos, Iesu
A morte perpetua, libera nos, Iesu.
A neglectu inspirationum tuarum, libera nos, Iesu.
Per mysterium sanctae incarnationis tuae, libera nos, Iesu.
Per nativitatem tuam, libera nos, Iesu.
Per infantiam tuam, libera nos, Iesu.
Per divinissimam vitam tuam, libera nos, Iesu.
Per labores tuos, libera nos, Iesu.
Per agoniam et passionem tuam, libera nos, Iesu.
Per crucem et derelictionem tuam, libera nos, Iesu.
Per languores tuos, libera nos, Iesu.
Per mortem et sepulturam tuam, libera nos, Iesu.
Per resurrectionem tuam, libera nos, Iesu.
Per ascensionem tuam, libera nos, Iesu.
Per gaudia tua, libera nos, Iesu.
Per gloriam tuam, libera nos, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Iesu.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos, habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis et regnas etc.

[Acta S. Sedis, vol. XVIII, p. 509-511].

5095.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 25 febr. 1886.

Ad dubia, quae proposuit R. D. D. Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Friburgensis, quod attinet ad sacramentalem Confessionem, quae necessaria est ad acquirendas Indulgentias Plenarias intra hebdomadam, aut binas continuas hebdomadas occurrentes, nimirum: I. Utrum Confessio praescripta *per singulas hebdomadas* peragi debeat infra septem, vel potius infra octo dies? II. An verba *infra duas hebdomadas* stricte interpretanda sint, ita ut Confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina Confessio in mense? Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit die 23 novembris 1878: Ad I. Affirmative ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio: Negative ad secundam partem. – Ad 2. Affirmative ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio: Negative ad secundam partem. [1]

Ad maiorem huius rei declarationem quaeritur modo:

I. Utrum Christifidelis, qui singulis hebdomadis et stato die ex. gr. Sabbato, Confessionem peragere solet, satisfaciat oneri praescriptae Confessionis?

II. Utrum oneri praescriptae Confessionis satisfaciat Christ fidelis, qui iis in locis pro quibus viget indultum, alternis hebdomadis et stato die, ex. gr. sabbato, confessionem peragere solet?

S. C. Indulg., Sacrisque Reliquiis praeposita die 25 febr. 1886 ad suprarelata dubia respondit: — Ad I. et II. Affirmative.

[Acta S. Sedis, vol. XVIII, p. 412, 413].

5096.

S. C. Indulg., 29 mart. 1886.

Cum S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita in una Leodien. sub die 9 augusti 1843 sequentibus dubiis: 1. An cesset Indulgentia Confraternitatis SS. Rosarii, vel aliae Indulgentiae, si nova aedificetur Ecclesia fere in loco, ubi vetus existebat? 2. An cesset Indulgentia si nova Ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris Ecclesiae? 3. An cesset Indulgentia si nova aedificetur Ecclesia in alio loco, et non in coemeterio veteris

[1] Cf. N. 5086.

Ecclesiae? resolutionem dedisset ad 1. Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur: ad 2. Affirmative: ad 3. ut in secundo: [1] dubitatur inde de vero et praeciso sensu responsionis ad 1. praesertim circa verba *fere in loco*. Unde quaeritur:

An verba *fere in loco* ita accipienda sint, ut intelligantur de parva distantia a loco, puta quantum est iactum lapidis vel spatium 20 sive 30 passuum: aut contra, an accipienda sint lato sensu, ut adverbium *fere* dicatur pro muris civitatis, vel confinio oppidi, paroeciae etc.?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisq. Reliquiis praeposita die 29 martii 1886 respondit:

Affirmative ad primam partem. *Negative* ad secundam.

[Acta S. Sedis, vol. XIX, p. 93, 94].

5097.

S. C. Indulg., 10 iun. 1886.

Sacerdos Carolus Scavezzoni, coadiutor l. v. d. Avenza in Dioecesi Massensi s. Pedem pronus exosculans, Sanctitati Vestrae demisse supplicat, ut cum ipsius, tum et poenitentium suorum quieti consulendi gratia, quaestionibus quas subiicit, responsum dare benigne dignetur.

III. Benedictiones cum plenaria Indulgentia (absolutiones generales nuncupatae), quae novies infra annum dari solent (ut ex. gr. die festo S. Ioseph); itemque duae Benedictiones Papales, possuntne a quolibet *Confessario* impertiri; an vero ab eo tantum, cui haec facultas facta sit?

IV. Si benedictiones huiusmodi ab eo tantum impertiri possint, cui potestas data sit, a quonam dictus *Confessarius* huiusmodi facultatem accipere debet?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 10 iunii 1886 ad supra relata dubia respondit:

Ad III. Benedictiones nomine Summi Pontificis, et Benedictiones cum Indulgentia Plenaria publice impertiendae dari debent ab ecclesiastico Viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest (Caeremoniale Tertii Ordinis S. Francisci a S. Rituum Congregatione approbatum die 18 iunii 1883, art. 8 et 9). Benedictiones vero cum Indulgentia Plenaria privatim et immediate post sacramentalem Absolutionem dari possunt ab uniuscuiusque Tertiarii Confessario.

Ad IV. Provisum in responsione ad III.

[Acta S. Sedis, vol. XIX, p. 44, 45].

[1] Cf. N. 5032.

5098.

S. C. Indulg., *Ordinis Fratrum Minorum Excalceat. et Recollect.*, 27 apr. 1887.

Iam inde ab anno 1838 sub die 30 aprilis s. m. Gregorius XVI ex speciali Indulto exemit ab onere inscribendi in albo Confraternitatis nomina Christifidelium, qui Scapulare B. Mariae Virginis de Monte Carmelo recipiunt. Iam vero Procurator generalis Fratrum Minorum excalceatorum et recollectorum preces humiliter porrexit Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII, ut ad Confraternitates aliorum Scapularium idem omnino Indultum benigne extendere dignaretur. Ad id postulandum haec potissimum eum permovebant rationum momenta, defectus nimirum vicinarum Confraternitatum ad quas forent nomina Confratrum et Consororum inscriptarum transmittenda, nec non maxima difficultas colligendi nomina plurimorum adscribi petentium sacris Scapularibus tempore Missionum.

Alias egit de hac quaestione haec S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, mentemque suam pandidit in una Cameracensi sub die 18 augusti 1868, in qua expresse denegavit praefatum gregorianum Indultum aliis Scapularium Confraternitatibus esse applicandum.[1]

Modo vero occasione exhibiti supplicis libelli suprамemorati P. Procuratoris, huic S. Congregationi opportunum visum est praesentem quaestionem de inscribendis nominibus, qui sacra Scapularia recipiunt, denuo perpendere, eamque, audito alterius ex Consultoribus voto, dirimere sequenti proposito dubio:

« Utrum Indultum a s. m. Gregorio Papa XVI concessum die 30 aprilis 1838 Confraternitati B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, quo sacerdotes debita facultate praediti recipiendi christifideles in praedictam Confraternitatem eximuntur ab onere inscribendi nomina fidelium in libro Confraternitatis, expediat extendere etiam ad alias Confraternitates, in quibus christifideles scapularia recipiunt? »

Et Emi ac Rmi Patres responderunt in generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis die 26 martii 1887: « *Negative:* imo supplicandum SSmo pro revocatione gregoriani Indulti concessi sub die 30 aprilis 1838; et ad mentem ».

Die vero 27 aprilis 1887 Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita ab infrascripto Secretario sententiam Patrum Cardinalium ratam habuit, et gregorianum Indultum revocavit.

[Acta S. Sedis, vol. XIX, p. 556, 557].

[1] Cf. N. 5076.

5099.

S. C. Indulg., *Monasterien.*, 27 apr. 1887.

Postquam Romani Pontifices benigne indulserunt ut sacerdotes tum saeculares tum regulares facultate potirentur simul benedicendi imponendique quinque Scapularia nempe SSmae Trinitatis, B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis et septem Dolorum eiusdem B. Mariae Virginis, nec non rubrum Passionis D. N. I C., nonnullae exortae sunt quaestiones et difficultates circa modum supradictae facultatis exercendae. His accesserunt dubia nonnulla quae respiciunt communicationem ecclesiis Confraternitatum SSmae Trinitatis, B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, ac septem Dolorum omnium Indulgentiarum, quae ecclesiis Ordinum eiusdem nominis sunt adnexae, nec non commutationem visitationis ecclesiae eorumdem Ordinum, sive Confraternitatum, ubi ea desit, in visitationem ecclesiae parochialis. Alia demum sunt proposita dubia, quae agunt de reciproca communicatione Indulgentiarum et Privilegiorum Confraternitatum SSmae Trinitatis, et B. Mariae Virginis de Monte Carmelo sive a Fratribus Calceatis, sive Excalceatis utriusque Ordinis erectarum; ac in specie de Indulgentiis visitantibus ecclesias Ordinis Carmelitici, aliquibus anni diebus concessis, et de generali Absolutione in mortis articulo impertienda confratribus et consororibus s. scapularis Carmelitarum.

Quae omnia Fr. Pius Seerburg Ordinis Capuccinorum concionator in Conventu Monasteriensi Provinciae Rhenano-Vestphalicae suorum confratrum nomine, qui sacris Missionibus operam impendunt, sequentibus dubiis huic S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum propositis complexus est:

I. An ad validitatem benedictionis sufficiat signum Crucis manu efformatum super scapulare absque ulla verborum pronuntiatione, et aquae benedictae aspersione?

II. An receptio in confratrem valeat, si fiat simplici intentione concepta animo, ac verbis nullis adhibitis?

III. An declaratio S. Congregationis de servandis substantialibus in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo debeat etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera scapularia?

IV. An pro induendo fideles quinque scapularibus, totidem etiam benedictiones, impositiones ac receptiones requirantur, vel unica tantum, et quae sufficiat?

V. An suscipientes et gestantes scapulare caeruleum B. M. V. Immaculatae, aut rubrum Passionis D. N. I. C. Confraternitates constituant?

Emi et Rmi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 26 martii 1887 rescripserunt:

Ad I. Negative, sed benedictio danda est iuxta formulam praescriptam, ad normam Decreti 18 augusti 1868.[1]

[1] Cf. N. 5076.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam, nisi ex speciali Indulto S. Sedis, et ea formula, quae in eodem conceditur, et ad mentem. Mens est, ut qui sacerdotes utuntur Indulto Apostolico induendi christifideles quinque scapularibus non benedicant scapularia, nisi ea sint distincta, id est vere quinque scapularia, sive totidem, sive duobus tantum funiculis unita, et ita ut cuiuslibet scapularis pars una ab humeris, alia vero a pectore pendeat, non vero unum tantum scapulare in quo assuantur diversi coloris panniculi, prout ab hac S. Congregatione iam cautum est.

Ad V. Negative.

Facta vero de iis omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto Secretario die 27 aprilis 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XIX, p. 557-560].

5100.

S. C. Indulg., 6 maii 1887.

1. Utrum christifideles cuicumque Sodalitio adscripti loco recitandi preces, sive determinatas sive non, quae Sodalibus praescribuntur, pro acquirendis indulgentiis eisdem precibus adnexis, recitare valeant Officium parvum B. M. Virginis.

2. Utrum ad lucrandas praefatas Indulgentias idem sit recitare parvum Officium B. M. Virginis in lingua latina vel vernacula.

R. Ad 1. Affirmative, si nullae adsint preces determinatae sodalibus praescriptae pro acquirendis indulgentiis; Negative, si adsint preces iam determinatae.

Ad 2. Negative quoad Officium parvum B. Mariae Virginis, sed illud est recitandum in lingua latina;[1] quoad alias vero preces detur Decr. editum die 29 dec. 1864.[2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1673].

5101.

S. C. Indulg., *Mechlinien. et Vincennapolitana*, 16 iul. 1887.

Pium et praeclarum Opus Propagationis Fidei, mirabili divinae Providentiae dispositione pluribus abhinc annis in Gallia primum exortum, et dein late per totum catholicum Orbem diffusum, omnes norunt quantum ad catholicam fidem in remotissimis etiam regionibus propagandam contulerit. Hinc huiusmodi pium Opus, vix ac obortum est, Romani Pontifices singulari cura prosequuti sunt, et Christifidelibus ut suis elargitionibus

[1] V. decr. S. C. Indulg., 28 augusti 1903, *Urbis et Orbis*. – Cf. N. 5136.
[2] Cf. N. 5072.

quotidianisque precibus tam saluberrimum Opus confoverent, Indulgentiarum thesauros reserarunt, et sacerdotibus praesertim, qui vel stipem propriam elargiti essent, vel data opera alienam collegissent ad illud sustendandum s. m. Pius IX rescripto diei 31 decembris 1871, et SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII, rescripto diei 25 maii 1881, speciales facultates et privilegia tribuerunt.

Iam vero tum circa quasdam conditiones requisitas ut adscripti pio Operi Propagationis Fidei gaudere valeant Indulgentiis, tum circa supradictorum rescriptorum rectam intelligentiam plura exorta sunt dubia, quorum nonnulla proposita fuerunt huic S. Congregationi a quodam Sacerdote Archidioecesis Mechliniensis, specialiter deputato ab Archiepiscopo ad colligendas eleemosynas in praefati pii Operis subsidium; alia vero ab Abbate S. Meinardi Ordinis S. Benedicti in dioecesi Vincennapolitana in statibus foederatis Americae septentrionalis, quae primum exhibita S. Congregationi Christiano nomini propagando praepositae, deinde ad hanc Indulgentiarum et SS. Reliquiarum transmissa fuerunt.

Dubia vero sunt quae sequuntur:

I. In dioecesi ubi pium Opus Propagationis Fidei existit quidem, annuente Ordinario, sed non rite constitutum habetur, puta quia non constat ex Consilio dioecesano, Chiliarchiis, Centuriis et Decuriis, quaeritur: 1. utrum adscriptus possit frui tum Indulgentiis Plenariis ac Partialibus pio illi Operi concessis, tum (si sit sacerdos) facultatibus et privilegiis presbyteris nonnullis impertitis, sive a Summo Pontifice Pii IX, Rescripto 31 decembris 1871, sive a Leone XIII Rescripto 25 maii 1881? – 2. Quaenam dicti pii Operis constitutio (organisation) ad haec sufficiat?

II. Qualis huic pio Operi adscriptio requiratur, ut quis possit frui tum Indulgentiis, tum facultatibus ac privilegiis concessis?

III. Quinam novos sodales adscribendi facultatem habeant?

IV. Num adscriptus, qui non solet quotidie recitare preces praescriptas scilicet unum *Pater* et *Ave* cum invocatione, *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis*, aut qui suum obolum hebdomadalem solvere negligit: – 1. frui possit Indulgentiis; – 2. an gaudere saltem facultatibus ac privilegiis nonnullis presbyteris impertitis?

V. Per rescriptum 31 decembris 1871, quod prorogatum fuit ad aliud septennium tum 16 iunii 1878, tum 7 iunii 1885, quaedam facultates ac privilegia a Summo Pontifice Pio IX nonnullis presbyteris concessa sunt, sed cum expressa clausula *de consensu Ordinariorum;* quaeritur autem: – 1. Utrum sine hoc consensu invalide quis illis facultatibus ac privilegiis uteretur? Et quatenus affirmative – 2. Utrum singuli sacerdotes qui illis facultatibus ac privilegiis uti volunt singillatim recurrere debeant ad Ordinarium, ut ipsius consensum obtineant? – 3. An vero Ordinarius omnibus et singulis sacerdotibus suae Dioecesis, qui nempe conditiones requisitas adimpleverint, suum consensum in globo dare valeat? – 4. Quin imo, an sustineri possit quod, approbante Ordinario existentiam pii Operis a Propagatione Fidei in sua dioecesi, eo ipso sat conditioni eius consensum obtinendi consultum sit?

VI. Quum indultum a Summo Pontifice obtentum ad septennium ante expirationem huius septennii prorogatur ad aliud septennium, quaeritur utrum prorogatio currere incipiat ab ipso die, quo ea obtinetur, an vero a die quo expirabit prius indultum?

VII. Per iam memoratum Rescriptum 31 dec. 1871 sacerdotibus qui in anno solverint summam 260 francorum, aut 2600 fr., sive haec ab ipsis collecta fuerit, sive fuerit concredita ipsorum manibus (*centralisée dans leurs mains*) sive proveniat ab ipsorum liberalitate, concessae sunt variae facultates ac privilegia, pro annis tamen in quibus (durante septennio) reapse illam summam solverint. Quaeritur a quo temporis puncto sacerdos collector facultatibus ac privilegiis uti incipere possit?

VIII. Utrum – 1. Comitatus regionales piorum Operum Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae possint se separare a comitatibus centralibus Parisiensi et Lugdunensi et societatem independentem efformare, quae collectas distribuat in propria sua regione, vel etiam in regionibus infidelium omnino iuxta scopum praedictorum Operum, attamen independenter a Societatibus centralibus; et utrum – 2. ex ipso facto separationis amittant privilegia spiritualia, his Operibus benigne concessa a S. Sede?

Eñi et Rñi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 iunii 1887 rescripserunt:

Ad 1^m^ partem dubii I: *Affirmative.*

Ad 2^m^ partem: Optandum et curandum, ut Operis constitutio fiat iuxta normam a S. Sede approbatam; sin minus sufficit, ut saltem Ordinarius cum uno vel altero consiliario pio Operi praesideat.

Ad II. Servetur consuetudo: pro lucrandis vero Indulgentiis fruendisque privilegiis sufficit, ut opera praescripta adimpleantur.

Ad III. Potest novos sodales adscribere quicumque legitimam colligendi eleemosynam habet facultatem.

Ad 1^m^ partem dubii IV: *Negative.*

Ad 2^m^ partem: *Affirmative*, quatenus illa privilegia ratione piae collectionis eleemosynarum, aut operae praestitae in comitatibus concessa sunt.

Ad 1^m^, 2^m^, 3^m^ partem dubii V: *Affirmative.*

Ad 4^m^ partem: *Negative.*

Ad VI. A die datae prorogationis, prouti in resolutione S. Congregationis 20 maii 1711.

Ad VII. Sacerdos collector ius ad privilegia habet a die, qua vel totam unius anni summam, vel partem summae iuxta Operis statuta solverit.

Ad 1^m^ partem dubii VIII: *Non spectare.*

Ad 2^m^ partem: *Amittere Indulgentias et Privilegia.*

Facta vero de iis omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 iulii 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium approbavit.

[Acta S. Sedis, Vol. XX, p. 60-63].

5102.

S. C. Indulg., *Plurium dioecesium*, 16 iul. 1887.

E pluribus Dioecesibus ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiarum et ss. Reliquiarum sequentia dubia dirimenda transmissa sunt:

III. An 1. res Indulgentiis ditatae tradi debeant fidelibus omnino gratis; ita ut 2. si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur, vel accipiatur, Indulgentiae ex hoc amittantur?

IV. Die 12 ianuarii 1878 resolutum fuit a S. Congregatione Indulgentiarum et ss. Reliquiarum quod, nisi aliud expresse habeatur in Indultis, Indulgentiae lucrandae incipiant non *a primis vesperis* sed *a media nocte ad mediam noctem.* [1] Iam vero quaeritur an hoc ita stricte intelligendum veniat, ut non incipiant nisi *a media ad mediam noctem* etiam illae Indulgentiae lucrandae in festis, si in earum concessionibus non addatur clausula *a primis vesperis?*

V. Generali Decreto S. Congregationis Indulgentiarum et ss. Reliquiarum die 9 augusti 1852 sancitum est, ut fiat translatio Indulgentiarum, si fiat solemnitatis et externae celebrationis translatio. [2] Iam quaeritur – 1. Utrum illud Decretum valeat non solum ubi agitur de Indulgentiis concessis omnibus et singulis Christifidelibus, sed et ubi agitur etiam de Indulgentiis impertitis Confraternitatibus, Sodalitatibus, piis Unionibus etc. – 2. Utrum valeat si agitur de festi translatione perpetua, sive tantum de festi translatione accidentali, quae hoc vel illo anno fit propter occurrentiam alterius festi maioris ritus vel dignitatis – 3. Utrum valeat sive translatio fiat in tota Ecclesia, sive tantum in tota Dioecesi, sive etiam solummodo in una vel altera particulari ecclesia Dioecesis? – 4. Quid proprie intelligatur nomine solemnitatis et externae celebrationis festi?

VI. Utrum qui habet facultatem benedicendi Cruces, Rosaria etc. eisque applicandi Indulgentias, etiam pro seipso Cruces et Rosaria benedicere queat, hisque utendo sibi quoque Indulgentias lucrari possit?

VII. An is qui habet facultatem adscribendi socios in aliquam Confraternitatem, vel piam Associationem, seipsum illi adscribere valeat, ita ut possit Indulgentias, quae eidem adnexae sunt lucrari?

Et Eñi ac Rñi Patres rescripserunt in generalibus Comitiis habitis apud Vaticanum die 25 iunii 1887:

Ad III. *Affirmative ad utramque partem.*

Ad IV. *Standum terminis concessionis.*

Ad V. *Non indigere responsione.*

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative*, quatenus haec facultas habeatur *indiscriminatim*, minime vero *taxative*, uti in una Cameracensi, 7 martii 1840. [3]

[1] Cf. N. 5082.
[2] Cf. N. 5050.
[3] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 280.

Facta vero de iis omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 iulii 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 63, 64].

5103.

S. C. Indulg., *Societatis Iesu,* 16 iul. 1887.

Tres quaestiones huic S. Congregationi Indulgentiarum et ss. Reliquiarum dirimendas proposuit Procurator generalis Societatis Iesu, quae plura dubia complectuntur. Prima quaestio proposita est de facultate Episcoporum quoad designationem Rectorum Confraternitatum, seu Sodalitatum, quarum statuta generatim ferunt ut singulis annis, sicut ceterorum officialium, ita et Moderatorum fiat electio. Quamvis vero haec S. Congregatio, edito generali decreto sub die 8 ianuarii 1861, declaraverit impertitam esse facultatem Ordinariis, ut libere designare possent, si ita in Domino expedire iudicaverint, parochos *pro tempore* in Rectores, Moderatores Confraternitatum, seu Sodalitatum, [1] dubitatum tamen est a nonnullis, an facultas nominandi parochos *pro tempore,* ita sit intelligenda, ut defuncto actuali parocho, vel etiam amoto, qui Moderator erat alicuius Confraternitatis, vel Sodalitatis in sua parochiali Ecclesia erectae, novus parochus iterum indigeat Episcopi nominatione, ut Rector Confraternitatis seu Sodalitatis eligatur.

Altera quaestio respicit generale decretum editum a f. r. Clemente XIII sub die 2 augusti 1760, [2] quo benigne concesserat, ut confratres et consorores uniuscuiusque Confraternitatis, seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis canonice erectae aliqua corporis infirmitate laborantes, aut carceribus detenti, eisdem omnibus et singulis Indulgentiis, quibus ceteri gaudent confratres et consorores, gaudere valerent, dummodo loco visitationis Ecclesiae, fere semper praescriptae, alia pia opera iniuncta peregerint, quae pro viribus peragere possent, simulque indulgebatur hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cuiuscumque Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi. Iam vero quum a S. Congr. Indulgentiarum quaesitum fuerit anno 1877: [3] « Utrum confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis tunc existentis facultate in Decreto (Clementino) concessa gaudere possint et valeant, sine recursu ad S. Sedem, vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus praefati decreti — voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam... ad preces cuiuscumque Sodalitii concedi? — », et S. Congregatio respondisset: *Negative* ad primam partem: *Affirmative* ad secundam, et ad mentem: mens est supplicandum SSmo, ut per Decretum generale extendatur ad omnes confratres cuiuscumque Confraternitatis, aut Sodalitii Indultum lucrandi singulas Indulgentias, exercendo opera quae pro viribus peragere poterunt; pariter dubitatum est

[1] Cf. N. 5062.
[2] Cf. N. 4987.
[3] Cf. N. 5080.

an illud *Generale Decretum,* quod ab hac S. Congregatione evulgandum postulabatur, et tamen evulgatum non existit, necessario adhuc requiratur, quum aliunde in decreto diei 25 februarii 1877 expresse dicatur Summum Pontificem expetitam gratiam concessisse, absque ulla mentione generalis decreti evulgandi.

Postrema demum quaestio mota est de necessitate inscribendi nomina confratrum in libro Confraternitatis, seu Sodalitii, praesertim si agatur de Sodalitiis, seu Confraternitatibus, in quibus etsi ritus adhibeatur in receptione confratrum et consororum, earumdem tamen statuta inscriptionem minime requirunt, saltem explicite, uti conditionem essentialem pro lucrandis Indulgentiis.

Quare dubia solvenda haec sunt:

I. An stante Decreto diei 8 ianuarii 1861, quo Episcopis speciales concessae sunt facultates nominandi parochos pro tempore in Rectores sodalitatum, defuncto actuali parocho vel amoto, qui alicui Sodalitati praeerat, novus parochus nova iterum indigeat Episcopi nominatione ad hoc ut Rector Sodalitatis eligatur?

II. Quum in Decreto diei 25 februarii 1877 in responsione ad 1m sermo sit de generali Decreto vulgando in favorem omnium confratrum cuiuscumque Confraternitatis, quumque Decretum huiusmodi vulgatum non fuerit, quaeritur – 1. an haec concessio nunc reapse valeat pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis, aut Congregationibus sine speciali recursu cuiusque Confraternitatis seu Sodalitii ad S. Sedem, qui antea requirebatur? Et quatenus affirmative – 2. utrum valeat tantum pro confratribus infirmis, vel carceribus detentis, de quibus solis primaeva concessio Clementis Papae XIII loquebatur? – an 3. etiam extensa sit ad confratres gravi alia ex causa legitime impeditos? Et quatenus negative ad tertiam partem – 4. humiliter ea extensio nunc petitur.

III. Utrum – 1. concessio supradicta valeat tantum pro iis confratribus, qui impediti sunt quominus praescriptam ecclesiae visitationem peragere possint – 2. an vero etiam pro illis qui prohibentur quominus aliquam aliam conditionem ad lucrandas Indulgentias praescriptam impleant.

IV. Utrum in iis Sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut Congregationes B. Mariae Virginis) confratres hoc solemni modo a legitimo Sodalitatis Praeside recepti lucrari possint Indulgentias, licet in libro Sodalitatis non inscribantur?

V. Utrum generatim inscriptio sit omnino necessaria ad lucrandas Indulgentias, etiamsi statuta Confraternitatis, Congregationis vel piae Unionis non explicite requirant inscriptionem tamquam conditionem essentialem?

Et Emi ac Rmi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum coadunatis die 25 iunii 1887 rescripserunt:

Ad I. *Negative.*

Ad 1m partem dubii II: *Affirmative,* et supplicandum Sanctissimo pro promulgatione Decreti iuxta resolutionem S. Congregationis diei 25 februarii 1877.

Ad 2m partem: *Affirmative.*
Ad 3m partem: *Negative.*
Ad 4m partem: supplicandum Sanctissimo pro benigna extensione ad alia legitima impedimenta iudicio discreti confessarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem confessario opere iniuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus.
Ad 1m partem dubii III: *Affirmative.*
Ad 2m partem: *Negative.*
Ad IV. *Negative* si agatur de Confraternitatibus proprie dictis.
Ad V. Provisum in praecedenti.
De quibus omnibus facta per infrascriptum S. Congregationis Secretarium relatione die 16 iulii 1887, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum confirmavit, simulque mandavit expediri Decretum de quo in prima parte dubii secundi, et benigne concessit petitam extensionem, iuxta modum expressum in responsione ad quartam partem eiusdem dubii secundi.
[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 108-111].

5104.

S. C. Indulg., *Veronen.*, 16 iul. 1887.

Divina charitate ac animarum zelo succensus S. Franciscus Assisiensis praeter primum et secundum Ordinem Minorum Claustralium, tertium quoque Ordinem instituit pro personis in saeculo degentibus, ut et ipsae pro sui status conditione ad tramitem consiliorum evangelicorum vitam componerent.

Innumera vero virtutum ac pietatis monumenta, quae per tot saecula Christifideles in Tertium Ordinem adsciti reliquerunt, nec non recentius aucta erga seraphicum Patrem devotio causa fuere, cur etiam religiosorum Institutorum sodales eidem Tertio Ordini adscribi expetiverint; et iam inde ab anno 1869 sub die 3 maii Ministro generali totius Ordinis Minorum tributa est facultas recipiendi in Tertium Ordinem franciscalem alumnos supradictorum Institutorum, eisdem quoque concesso ex Brevi 7 aprilis 1876 speciali privilegio visitandi Ecclesiam vel Sacellum proprii Instituti, quoties ad lucrandas Indulgentias visitanda foret Ecclesia primi vel secundi Ordinis Seraphici.

Quamvis autem SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII edita Constitutione Apostolica « Misericors Dei Filius » die 30 maii 1883 [1] eiusdem Tertii Ordinis legem novaverit, attamen quum nihil omnino mutatum, immo integrum permanere voluerit quod attinet ad praefati Tertii Ordinis, qui saecularis dicitur, naturam, dubium oriebatur, an alumni religiosorum Institutorum, quibus singulari Dei munere datum est nuncupatis votis ad perfectiorem vitam contendere, amplecti quoque valerent Institutum Tertii Ordinis saecularis S. Francisci.

[1] Cf. N. 588.

Quare Emus et Rmus Episcopus Veronensis, instantibus nonnullis e sua Dioecesi confessariis, ad omnem in hac re haesitationem e medio tollendam, S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia dirimenda proposuit:

I. Utrum omnes utriusque sexus qui sunt membra alicuius religiosi Instituti, vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, possint adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis?

Et quatenus *Affirmative,*

II. Quibus conditionibus id illis liceat?

Emi et Rmi Patres responderunt in generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis die 25 iunii 1887:

Ad I. *Negative,* facto verbo cum Sanctissimo.
Ad II. Provisum in primo.

Facta vero de iis omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 iulii 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, Patrum Cardinalium responsiones ratas habuit et confirmavit.
[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 111, 112].

5105.

S. C. Indulg., decr. 16 iul. 1887.

Piae quaedam Sodalitates sicuti a Regularibus Ordinibus suam repetunt existentiam, ita eorumdem erectio iure quodam proprio eisdem Ordinibus competit. Inter has sunt recensendae Sodalitates SSmae Trinitatis, Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo, nec non a Septem Doloribus, quae a respectivis Ordinibus Regularibus sunt institutae ac proinde ab ipsis iure ordinario eriguntur. Verum experientia compertum est sodalitates supradictas, insciis omnino supremis Moderatoribus eorum Ordinum ad quos memoratae Sodalitates pertinent, auctoritate tantummodo Episcoporum saepenumero erectas reperiri, eo quod plerumque cum illis vigore Literarum Apostolicarum facultas tribuatur erigendi in genere sodalitates cuiuscumque tituli et invocationis cum respectivis Indulgentiis praelaudatas quoque Sodalitates ipsi erigunt sola vi generalis communicationis Indulgentiarum, quae sunt propriae Archisodalitatum in Urbe existentium, quin ulla fiat in Apostolicis Literis expressa derogatio privilegiorum praefatis Ordinibus quoad erectionem suarum sodalitatum concessorum.

Quum vero Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad praepediendos abusus et confusiones removendas declarasset per Decretum diei 19 augusti 1747 approbatum et confirmatum sub die 26 eiusdem mensis a s. m. Benedicto Papa XIV sodalitates a SSmo Rosario erectas, inscio Magistro generali Ordinis Praedicatorum haud subsistere, ideoque carere omnino Indulgentiis eiusdem sodalitatis propriis, Priores generales Ordinum SSmae Trinitatis, Carmelitarum et Servorum Beatae Virginis quum animadverterint quoad erectionem suarum sodalitatum ex Apostolicae Sedis benignitate sibi commissam eosdem abusus similesque confusiones

irrepsisse, quae locum iam habebant in erectionibus sodalitiorum SSmi Rosarii, humiles porrexerunt preces SSmo Domino Nostro, quatenus superius memoratam declarationem non semel editam pro sodalitatibus SSmi Rosarii benigne pariter extendere dignaretur ad sodalitates SSmae Trinitatis, Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo et a Septem Doloribus; ita nempe, ut si contingat non obtenta prius ab eorumdem Ordinum supremis Moderatoribus venia praedictas sodalitates constitui, sub quovis praetextu cuiuscumque facultatis specialis, in qua nulla fiat expressa derogatio privilegii hac super re, dictis Ordinibus concessi, sodalitatum erectio nullius sit roboris adeoque Indulgentiis minime perfruatur.

Quas preces SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab infrascripto Secretario in audientia habita sub die 16 iulii huius devolventis anni relatis, idem SSmus peramanter excepit, ac praevia sanatione omnium supradictarum sodalitatum insciis Prioribus Generalibus memoratorum Ordinum huc usque erectarum, quas validas esse declaravit, in posterum voluit ac mandavit, ut ad omne dubium removendum nec non abusus praecavendos, non aliter praedictae Confraternitates, seu sodalitates erigantur, nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus literis facultativis pro earumdem erectione, ita tamen ut iidem Priores generales pro huiusmodi Confraternitatum seu sodalitatum erectionibus consuetas literas sacerdotibus suorum Ordinum, vel ubi eorum Conventus non existunt, aliis ecclesiasticis viris sive regularibus, sive saecularibus etiam Episcopis bene visis expediant, ipsaeque literae non nisi de consensu Ordinariorum, servatisque reliquis omnibus in huiusmodi erectionibus, ex Apostolicis Constitutionibus servandis ac servari solitis, exequutioni mandentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 253-255].

5106.

S. C. Indulg., 20 aug. 1887.

Inter pia opera quae ad lucrandas Indulgentias praescribi solent, potissimum recensenda est visitatio alicuius Ecclesiae vel etiam publici Sacelli. Iam vero Clemens fel. rec. Papa XIII valde cupiens spirituali bono prospicere confratrum et consororum Confraternitatum vel Sodalitatum sive Congregationum ubique locorum existentium et auctoritate Ordinariorum erectarum, benigne indulserat sub die 2 augusti 1760, [1] ut earumdem confratres et consorores aliqua corporis infirmitate laborantes vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis Indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possent, ita tamen ut, omissa visitatione Ecclesiae, alia pia iniuncta opera, quae pro viribus peragere possent, fideliter ac devote exequerentur; quam gratiam idem Summus Pontifex mandaverat ad preces cuiusque Confraternitatis seu Sodalitatis vel Congregationis concedi.

[1] Cf. N. 4987.

Quum vero anno 1874 sub die 8 maii Emi Patres Indulgentiis sacrisque Reliquiis tuendis praepositi, in generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis proposito dubio, an adhuc requireretur recursus ad Apostolicam Sedem uniuscuiusque Confraternitatis seu Sodalitatis vel Congregationis, ut earumdem confratres et consorores Clementino Indulto perfrui valerent, in affirmativam iverint sententiam, simulque censuerint supplicandum SSmo, ut per Decretum generale praefatum Indultum concederetur confratribus et consororibus omnium Confraternitatum, Sodalitatum seu Congregationum absque earumdem speciali recursu, Pius Papa IX sub die 25 februarii anni 1877 petitam gratiam benigne elargitus est, [1] nulla tamen facta speciali mentione de generali eiusdem Decreto evulgando, prout ab hac sacra Congregatione postulatum fuerat. Ex quo nonnulli arbitrati sunt haudquaquam necessarium fore, ut singulae Confraternitates, Sodalitates vel Congregationes hoc Indultum sibi peterent; alii vero huic sententiae minime acquiescentes denuo dubium proposuerunt: *An illa concessio (Indulti Clementini) nunc reapse valeat pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis aut Congregationibus sine speciali recursu ad Sanctam Sedem, qui antea requirebatur?* Cui quidem dubio Emi Patres in generali Congregatione penes Aedes Vaticanas habita sub die 25 iunii huius decurrentis anni, [2] ad removendam omnem dubitandi rationem, rescripserunt: *Affirmative, et supplicandum Sanctissimo pro promulgatione Decreti iuxta resolutionem S. Congregationis diei 25 februarii 1877.*

Quare de his omnibus facta relatione SSmo Dño Nostro Leoni XIII in audientia habita ab infrascripto Secretario eiusdem S. Congregationis die 16 iulii 1887, idem SSmus benigne declarari et decerni mandavit, prout praesenti Decreto declaratur et decernitur, memoratum Indultum Clementinum extendi ad omnes Confraternitates, Sodalitates et Congregationes, quin in posterum quaelibet Confraternitas, Sodalitas seu Congregatio opus habeat speciali recursu ad Sanctam Sedem, ut praefato Indulto perfrui valeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 207, 208].

5107.

S. C. Indulg., 17 sept. 1887.

Antonius M. Anderledy Praepositus Generalis Soc. Iesu ad pedes S. V. provolutus demisse exponit, olim Congregationes Beatae Mariae Virg. et Bonae Mortis, ut in Ecclesiis Societatis ortum habuerunt ita, etsi ab aliis erigerentur, Indulgentias a Sede Apostolica illis concessas consequi non potuisse, nisi a Praeposito Generali Soc. Iesu, cui ad id ampla facultas a pluribus Romanis Pontificibus concessa et saepius confirmata est, Primariis Congregationibus eiusdem tituli in Collegio Romano, sive in Ecclesia SSmi Nominis Iesu canonice erectis aggregarentur. Ex qua quidem benigna

[1] Cf. N. 5080.
[2] Cf. N. 5103.

S. Sedis dispositione, inter alias, haec imprimis utilitas promanabat, quod omnes illae Congregationes, etsi per totum Orbem erant diffusae, iisdem tamen regerentur legibus et usibus, et communi quodam vinculo colligatae, sancta inter se aemulatione ad bona quaeque opera stimulos sibi iniicerent, atque plurimos ad Dei gloriam et animarum salutem proferrent ubique fructus insignes.

Verum ab aliquo tempore dictae Congregationes B. Mariae Virg. et Bonae Mortis ab aliis quoque non tantum (ut iam pridem in usu fuerat) eriguntur, verum etiam Indulgentiis ab hac S. Sede ipsis concessis ditantur, ita ut nullatenus ad Primarias illas Congregationes Romanas aggregentur, sed singulae earum per Orbem diffusae, nullo vinculo inter se, nec cum ullo communi centro coniunctae remaneant.

Quare praedictus Orator enixe et humiliter rogat, ut S. V., si ita expedire ad maiorem earum Congregationum profectum videatur, benigne statuat, Congregationes B. M. Virginis et Bonae Mortis, etsi ab aliis sint erectae, nihilominus Indulgentias eis a Romanis Pontificibus concessas non posse consequi in posterum, nisi, ut iampridem usus ferebat, a Societatis Iesu Praeposito Generali, obtento utique Ordinarii loci consensu, ad Primarias Congregationes Romanas fuerint aggregatae.

Et Deus etc.

SSm̃us Dñus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 17 septembris ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 364, 365].

5108.

S. C. Indulg., 19 nov. 1887.

Inter plurimas quae vigent piae Sodalitates in honorem B. Mariae Virginis institutae, ea quoque adnumeranda est quae titulo gaudet eiusdem B. Mariae Virginis a Salute nuncupatae, et S. Iosephi eiusdem Sponsi, nec non S. Camilli de Lellis Confessoris. Haec suam repetit originem a Clericis Regularibus Infirmis ministrantibus, qui eam primitus erexerunt in Ecclesia principe sui Ordinis S. Mariae Magdalenae poenitenti in hac alma Urbe dicata, quam deinde in reliquis etiam propriis Ecclesiis propagarunt. Progressu temporis supradicta Sodalitas titulum quoque Archisodalitatis assequuta est cum facultate alias sibi similes Sodalitates aggregandi eisque communicandi Indulgentias, quibus a Romanis Pontificibus ditata est. Quamvis autem praefatum ius aggregandi nonnisi uni supremo Moderatori Archisodalitatis tributum sit, qui ipsemet est Praepositus generalis Ordinis Clericorum Infirmis Ministrantium, attamen cum praedictarum Sodalitatum erectio ipsis etiam competat Episcopis, saepenumero contigit, ut ob facultatem illis collatam ex speciali Apostolico Indulto erigendi Sodalitates cum Indulgentiis,

quibus in Urbe perfruuntur respectivae Archiconfraternitates, supramemoratam quoque Sodalitatem erigant absque ulla exhibita petitione aggregationis supremo Sodalitatis Moderatori.

Id vero uti experientia comprobat in eiusdem Sodalitatis bonum minime vergit. In his siquidem Sodalitatibus tali modo erectis, quae nullo inter se vinculo coniunguntur cum Sodalitate primaria, quae ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum uniformitas, quae maxime confert ad incrementum honoris et devotionis erga Bm̃am Virginem, nec non maioris spiritualis boni ipsorum Sodalium. Haec secum reputans Ioachim Ferrini hodiernus Vicarius generalis CC. RR. Infirmis Ministrantium, supplices admovet preces Sanctitati Vestrae, quatenus benigne decernere dignetur, ut in posterum Sodalitates sub titulo B. M. Virginis a Salute ac S. Ioseph Eius Sponsi et S. Camilli de Lellis Confessoris canonice erectas per Revm̃orum Ordinariorum Decretum extra Ecclesias Ministrantium Infirmis, frui nullimode posse Indulgentiis, gratiis et privilegiis a Romanis Pontificibus Archisodalitati Romae existenti in praefata Ecclesia concessis, nisi fuerint eidem Archisodalitati, praevio Revm̃orum pariter Ordinariorum consensu, aggregatae per patentes literas ab eodem Praefecto generali eorumdem CC. RR. Ministrantium Infirmis expediendas.

Et Deus etc.

Ex Audientia SSm̃i diei 17 novembris 1887.

SSm̃us D. N. Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ex Secretaria S. Congr. Indulg. et SS. Reliq. die 19 nov. 1887.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 367, 368].

5109.

S. C. Indulg., 22 febr. 1888.

Nicolaus Mauron, Congr. SSm̃i Redemptoris Superior Generalis et Rector Maior, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime exponit quae sequuntur:

Per Decretum 23 maii 1871 Em̃i Cardinalis in Urbe Vicarii, canonice instituta est in Ecclesia Congregationis nostrae ad S. Alphonsum M. de Ligorio Pia Unio sub titulo et invocatione B. V. Mariae *de Perpetuo Succursu* et *S. Alphonsi.* Haec eadem Pia Unio, per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 31 martii 1876 a Sanctitatis Vestrae Praedecessore Pio IX fel. rec. ad Archisodalitatis honorem evecta est cum omnibus et singulis iuribus et facultatibus solitis et consuetis; atque ad eam regendam, ceu Moderator generalis, constitutus est Superior Generalis et Rector Maior pro tempore Congregationis SSm̃i Redemptoris.

Non raro autem accidit ut eiusdem nominis et tituli Sodalitates erigan-

tur a R̃mis locorum Ordinariis, vi facultatis illis collatae ex speciali Apostolico Indulto erigendi Sodalitates, cum Indulgentiis, quibus in Urbe perfruuntur respectivae Archiconfraternitates absque ulla exhibita petitione aggregationis Sodalitatis Moderatori generali.

Id vero, uti experientia comprobat, in eiusdem Sodalitatis bonum minime vergit. In his siquidem sodalitatibus tali modo erectis, quae nullo inter se vinculo coniunguntur cum Sodalitate primaria seu Archisodalitate, quae ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum conformitas, quae maxime confert ad incrementum devotionis erga B. Virginem Mariam, necnon maioris boni ipsorum Sodalium.

Quamobrem Orator Sanctitati Vestrae humillime supplicat quatenus benigne decernere dignetur, ut in posterum Sodalitates sub titulo et invocatione B. V. Mariae *de Perpetuo Succursu* et *S. Alphonsi* M. de Ligorio, a R̃mis Ordinariis canonice erectae, nullimode frui possint Indulgentiis, et privilegiis quibus gaudet ipsa Archisodalitas eiusdem nominis in Urbe erecta, nisi fuerint eidem Archisodalitati (praevio R̃morum Ordinariorum consensu et Litteris testimonialibus) aggregatae per Litteras patentes a Superiore Generali et Rectore Maiori Congregationis Sanctissimi Redemptoris expediendas.

Pro qua gratia.

Ex Audientia Sanctissimi diei 22 februarii 1888.

Sanctissimus D̃nus Noster Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 479, 480].

5110.

S. C. Indulg., 13 sept. 1888.

Quum inter pia opera, quae ad lucrandas Indulgentias praescribuntur, fere semper iniungatur aliqua oratio ad mentem seu intentionem Summi Pontificis effundenda, hinc sequentium dubiorum solutio ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum humiliter expostulatur.

I. Cum ad lucrandas Indulgentias sive plenarias sive partiales praescribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, sufficitne, ut nonnulli docent, orare mentaliter? Et quatenus negative:

II. An sit reiicienda opinio docens recitationem devotissimam etiam unius *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione, vel potius admittenda opinio illorum qui requirunt recitationem quinque *Pater* et *Ave*, aut orationes aequivalentes.

R. Ad I. Laudabile quidem est mentaliter orare; orationi tamen mentali aliqua semper adiungatur oratio vocalis.

Ad II. Detur Decretum in una Briocensi, sub die 29 maii 1841 ad dubium III.[1]

[Acta S. Sedis, vol. XXI, p. 192].

5111.

S. C. Indulg., *Mechlinien.*, 14 iul. 1891.

A saeculis, imo a S. Francisci tempore, usus invaluit ut Episcopi, Sacerdotes, Nobiles, et plebei a Sacerdotibus Franciscanis vel aliis facultatem habentibus, privatim et seiunctim admittantur ad habitum et professionem Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, quin ad aliquam Congregationem Tertii Ordinis pertineant. Auctores hac de re tractantes censent quidem praeferendum esse, ut Tertiarii, qui possunt, alicui Congregationi adscribantur eique statutis diebus interveniant, propter commoda spiritualia quae inde consequuntur; simul tamen admittunt vestitiones et professiones, privatim factas, esse validas, et hanc sententiam Superiores maiores Ordinis S. Francisci etiamnum tuentur. Post Constitutionem *Misericors Dei Filius*,[2] nonnulli Sacerdotes Archidioecesis Mechliniensis hac de re dubitare coeperunt et subest periculum, ut ex hac incertitudine zelus amplectendi Tertium Ordinem paulatim tepescat, praesertim apud Sacerdotes qui Tertio Ordini adscripti Congregationibus interesse raro possunt. Quapropter sequens dubium huic S. Congregationi Indulgentiarum proponitur:

Utrum valida sit vestitio et professio eius, qui a Sacerdote, habente facultatem, seiunctim ad Tertium Ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi adscribatur?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, relato dubio, rite perpenso, respondit: *Affirmative.*

[Acta S. Sedis, vol. XXIV, p. 447, 448].

5112.

S. C. Indulg., *Albien.*, 17 iul. 1891.

Congregatio Primaria quae *Bonae Mortis* nuncupatur sub invocatione D. N. Iesu Christi in Cruce morientis ac Beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis perdolentis finem habet, ut fideles ad mortem quam felicissime obeundam rite disponantur per iugem passionis Christi memoriam eiusque publice privatimque recolendae studium, et in primis per vitam recte christianeque institutam.

Huius vero Primariae Congregationis statuta generalia definiunt quaedam pia exercitia in communi peracta, ita ut sodales conveniant in Ecclesiam Congregationis, vel singulis sextis feriis aut diebus Dominicis, vel saltem

[1] Cf. N. 5019.
[2] Cf. N. 588.

semel aut bis in mense, et in his piis coetibus conciones habeantur et preces una simul a Sodalibus fundantur.

Quum autem Congregationum *Bonae Mortis* quae per diversas Orbis partes eriguntur statuta peculiaria originalibus statutis, supra recensitis, sint conformanda, quantum tempora et locorum adiuncta suadebunt, ideo quaeritur:

I. Utrum Primariae aggregari possit Congregatio *Bonae Mortis* quae sub invocatione tantum Sancti Iosephi erigeretur, omisso omnino titulo D. N. Iesu Christi in Cruce morientis et B. V. M. perdolentis, et cuius statuta nullam habent mentionem de piis conventibus atque exercitationibus supradictis pro certis diebus, et tantummodo praescribunt, ut fundantur preces pro unoquoque socio cum in agoniam devenerit, ut mortuos sodales ad sepulturam comitentur et eleemosynae colligantur ad Missas pro sociis defunctis celebrandas: talis enim Congregatio non videretur esse eiusdem nominis et instituti?

II. An Episcopi qui gaudent indulto eis concedente erigendi in sua Dioecesi Confraternitates cum Indulgentiis quibus gaudent Archiconfraternitates eiusdem nominis et instituti in alma Urbe existentes, erigere valeant pias Sodalitates, uti supra expositum est, cum Indulgentiis concessis Primariae Congregationi *Bonae Mortis*?

Et quatenus negative,

III. Num petenda sit sanatio praedictarum piarum Unionum *Bonae Mortis* in Dioecesi Albiensi erectarum, assumptis tamen titulo Unionis primariae et statutis eidem conformibus prouti suadebunt adiuncta locorum in quibus iam erectae sunt; an potius denuo erigendae?

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito unius ex Consultoribus voto, praefatis dubiis respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam; servato tamen Decreto nuper edito ab hac S. Congregatione sub die 17 septembris 1887.[1]

[Acta S. Sedis, vol. XXIV, p. 125, 126].

5113.

S. C. Indulg., *Tornacen.*, 17 iul. 1891.

Franciscus Labis Canonicus Ecclesiae Cathedralis Tornacensis humillime proponit Sacrae Indulgentiarum et SS. Reliquiarum Congregationi solvenda dubia sequentia:

I. An revera, praeter benedictionem et impositionem habitus rite peractam, requiratur inscriptio in Albo Confraternitatum pro tribus Scapularibus SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis Perdolentis et a Monte Carmelo, ut Fideles

[1] Cf. N. 5107.

sic recepti Indulgentias praefatis Scapularibus adnexas lucrari valeant? – An potius talis inscriptio ut congrua tantum habenda sit, ita ut absque Indulgentiarum iactura omitti possit?

Et quatenus affirmative ad primam partem:

II. An non opportuna foret inscriptionis dispensatio pro locis vel dioecesibus in quibus nulla habentur Monasteria SS. Trinitatis vel Servorum Beatae Mariae Virginis, vel Carmelitarum?

III. An non opportuna etiam foret sanatio et convalidatio receptionum huc usque peractarum, omissa licet inscriptione, ne fideles Indulgentiis et gratiis spiritualibus defraudati remaneant et scandalum percipiant?

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito unius ex Consultoribus voto, praefatis dubiis rescripsit:

Ad I. Dentur Decreta in una Societatis Iesu de Confraternitatibus ad Dubium IV sub die 16 iulii 1887;[1] et in una Cameracensi sub die 18 augusti 1868 ad Dubium III;[2] in una a S. Congregatione de Propaganda Fide proposita sub die 26 ianuarii 1871 ad Dubium I;[3] et tandem in una Ordinis Fratrum Minorum Excalceatorum et Recollectorum sub die 27 aprilis 1887.[4]

Ad II. Negative et potius omnis cura impendatur ut Confraternitates erigantur SS. Trinitatis, B. M. Virginis de Monte Carmelo, et Septem Dolorum in una vel altera Ecclesia praesertim parochiali ad quam nomina inscriptorum Sodalium deferri poterunt.

Ad III. Affirmative, et petitionem sanationum faciendam esse ab Ordinario loci.

[Acta S. Sedis, vol. XXIV, p. 126-128].

5114.

S. C. Indulg., 18 iun. 1892.

Hermes Martinelli Congregationis SSm̃i Redemptoris Procurator Generalis ad pedes S. V. provolutus demisse exponit olim in Ecclesia S. M. vulgo in Monterone nuncupata, in hac alma Urbe existente, erectam fuisse Archisodalitatem sub titulo B. M. Virg. in Coelum Assumptae, ad iuvandas animas purgatorii igne detentas, eiusdemque Sodalitatis ceu moderatorem constitutum fuisse Procuratorem generalem pro tempore existentem Congregationis SSm̃i Redemptoris.

Non raro autem accidit ut eiusdem nominis et tituli Sodalitates erigantur a Rm̃is locorum Ordinariis, vi facultatis illis collatae, ex speciali indulto, erigendi sodalitates cum Indulgentiis, quibus in Urbe fruuntur respectivae Archisodalitates; absque ulla exhibita petitione aggregationis Archisodalitatis supremo Moderatori.

[1] Cf. N. 5103.
[2] Cf. N. 5076.
[3] Cf. N. 5079.
[4] Cf. N. 5098.

Id vero, uti experientia comprobata, in eiusdem Sodalitatis bonum minime vergit. In his siquidem Sodalitatibus, quae nullo inter se vinculo coniunguntur cum Sodalitate primaria quae ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum conformitas, quae maxime confert ad incrementum pietatis erga animas Christifidelium igne Purgatorii detentas, nec non maioris boni ipsorum sodalium.

Quare praedictus Orator humiliter et enixe exorat S. V. ut benigne decernat Sodalitates sub titulo B. M. V. in coelum assumptae ad iuvandas animas purgatorii igne excruciatas, etsi ab Ordinariis locorum canonice sint erectae, nihilominus Indulgentias et privilegia Archisodalitati a Romanis Pontificibus concessa, non posse consequi in posterum, nisi a Congregationis SSm̃i Redemptoris Procuratore generali, prius obtentis Ordinarii loci consensu eiusque litteris testimonialibus, praedictae Archisodalitati fuerint aggregatae.

Et Deus etc.

SSm̃us D. N. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 18 iunii 1892 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Acta S. Sedis, vol. XXIV, p. 742, 743].

5115.

S. C. Indulg., *Dublinen.*, 22 sept. 1892.

Gulielmus Archiepiscopus Dublinensis et Hiberniae Primas, sequentis dubii declarationem enixe petit:

Nuperrime exarsit inter nostrates controversia de re, quae cum Sacerdotum, qui moribundi auxilium ferunt maxime intersit, haud levem excitat animorum perturbationem. Agitur de Benedictione in articulo mortis cum Indulgentia Plenaria, concessa a S. M. Benedicto XIV in Const. d. d. 5 aprilis 1747, quae incipit *Pia Mater,* [1] et quaeritur utrum in locis Missionum ad lucrandam huiusmodi indulgentiam requiratur tamquam conditio essentialis ut infirmus, quamdiu suae mentis est compos, invocet nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde.

Quidam autumant huiusmodi invocationem oralem sive mentalem pro diverso moribundi statu esse conditionem essentialem ad assequendam praefatam Indulgentiam; et huic aiunt suffragari sententiae responsionem datam a S. C. Indulgentiarum die 20 sept. 1775 (Prinziv., n. 357, ad 7).

Qui vero negant laudatam invocationem esse in locis Missionum conditionem sine qua non ad consequendam praefatam indulgentiam, notant facultatem eam largiendi concessam fuisse sacrorum Antistitibus in locis

[1] Cf. N. 380.

Missionum existentibus, seu quocumque tempore exituris a S. M. Clemente XIV die 5 aprilis 1772. Secretarius S. C. de Prop. Fide tunc temporis existens refert tenorem huiusmodi concessionis, et ipsa concessionis verba prostant in pagella facultatis pro Episcopis in locis Missionum constitutis a S. C. de Prop. Fide in praesentiarum data.

Iamvero hisce Pontificis verbis ante oculos positis, fautores sententiae negantis advertunt: 1. Pontificem nihil exigere nisi ut « servetur formula praescripta a s. m. Benedicto XIV in Constitutione d. d. 5 aprilis 1747, quae incipit *Pia Mater*. At vero in huiusmodi formula nullibi invenitur praescripta invocatio Nominis Iesu; docent 2. responsionem S. C. Indulg. ius quidem edere pro illis orbis partibus, ubi Episcopi accipiunt facultatem impertiendi hanc Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Brevia, in quibus praescribitur invocatio nominis Iesu: existimant vero fautores praedicti laudatam responsionem nihil efficere pro locis Missionum, ubi facultas impertiendi memoratam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria executa, non vi Brevium in quibus praescribitur invocatio Nominis Iesu, quae Brevia Episcopis in locis Missionum constitutis minime dantur, sed vi concessionis Clementis XIV: quae de tali invocatione omnino silet.

Ita quidem hinc atque illinc acriter disceptatur, et sacerdotes, qui curam gerunt animarum ancipites haerent cum de ratione agendi hactenus servata, tum de certa agendi norma in posterum servanda.

Hisce expositis vel paulo fusius quo status quaestionis plenissime innotescat dubium, cuius declaratio a S. Sedis oraculo enixe efflagitatur, ita concipi potest:

Ut Christifideles in locis Missionum degentes et in ultimo vitae discrimine constituti, valeant accipere Benedictionem in articulo mortis et consequi Indulgentiam Plenariam, vi eiusdem lucrandam ex concessione Benedicti XIV, in Constitutione *Pia Mater* d. d. 5 aprilis 1747, requiriturne tamquam conditio sine qua non ad lucrandam praedictam Indulgentiam, ut aegrotus in locis Missionum constitutus quamdiu suae mentis est compos, invocet Nomen Iesu, ore si potuerit, sin minus corde.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re mature perpensa, praefato dubio respondendum censuit.

Affirmative; idest invocatio, saltem mentalis, SSm̃i Nominis Iesu est *conditio sine qua non* pro universis Christifidelibus, qui in mortis articulo constituti, plenariam Indulgentiam assequi volunt, vi huius Benedictionis, iuxta id quod decrevit haec S. C. in una Vindana sub die 23 septembris 1775. [1]

[Acta S. Sedis, vol. XXV, p. 315-317].

[1] Cf. N. 4996.

5116.

S. C. Indulg., *Engolismen.*, 3 dec. 1892.

Sacrae Indulgentiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita.

I. In erigendis seu instituendis Confraternitatibus atque Indulgentiis iisdem communicandis, item in Confraternitatibus aggregandis Clemens Pp. VIII Constitutione *Quaecumque* [1] plura praescripsit sub poena nullitatis, quorum observantiam saltem in substantialibus Pius Pp. IX Decr. 8 ianuarii 1861 denuo constituit. [2] Inter quae reperitur: Quod Confraternitatis aggregatio seu institutio *fiat de consensu... Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem.* Et formu ae a Pio Pp. IX traditae diserte aiunt; *Confraternitatem... de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum pietatem ac religionem litteris, petentibus Nobis, nuper exhibitis commendavit...* per praesentes erigimus, itemque Confraternitatem... *attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu et litteris testimonialibus*, quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur nostrae Archiconfraternitati adiungimus et aggregamus.

Hinc quaeritur:

a) An dicta conditio sufficienter impleatur quum Ordinarius loci litteras testimoniales in antecessum non dat, sed tantum in diplomate erectionis vel aggregationis sibi transmisso his verbis subscribit, vel etiam aequivalentibus *Vidimus et consensimus* seu *Vidimus et executioni dari permisimus?*

b) An saltem sufficiat Ordinarium suam subscriptionem apponere quum in diplomate erectionis ipsi transmisso a Superiore Ordinis non leguntur verba: *erigimus*, vel: *facultatem concedimus erigendi*, et dicta subscriptio actualem erectionem praecedit?

II. Cum saepe longe distet Archiconfraternitatis Moderator seu Superior Ordinis Religiosi, factum est ut plerumque formula ab eis subscripta et sigillo munita in Cancellaria Episcopatuum vel in aliqua Ordinis domo in antecessum deponatur, quibus suo tempore depositarius utitur ad erectionem vel aggregationem, nomen Rectoris datamque in formula apponens.

Quaeritur igitur:

An erectio vel aggregatio hoc modo peracta uti valida sit retinenda?

III. Decreto Urbis et Orbis diei 8 ianuarii 1861 facta est Ordinariis potestas Parochos pro tempore in Rectores, Moderatores etc. Confraternitatis nominandi: [3] hinc quaeritur:

An ex eodem Decreto potuerint Ordinarii nominare non solum Parochos sed etiam E eemosynarios, Capellanos Comunitatum vel piorum Locorum quoad Confraternitates in Ecclesiis ipsis concreditis independenter a Parocho, uti communiter fit in Galiis, vel etiam Vicarios tum ob nimias Parochi occupationes tum aliis de causis?

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 5061.
[3] Cf. N. 5062.

IV. In multis Confraternitatibus, Congregationibus seu Associationibus, v. g. in iis quae a Prima Primaria dependent, usu receptum est, ut in Congregationes, Confraternitates piasque associationes admitti cupientes desiderium suum Consilio et Directori Congregationis prius aperiant, qui si, deliberatione adhibita, annuant petitioni, dies statuitur quo postulantes solemni ritu et forma recipiantur. Eo die omnes conveniunt in Sodalitatis Ecclesiam, concio habetur, postulantes formulam consecrationis B. M. V. alta voce emittunt: dein Rector manu extensa haec vel similia profert: *Ego auctoritate mihi concessa recipio vos in Congregationem participesque facio Indulgentiarum et privilegiorum* etc.

Iamvero ad maiorem istiusmodi receptionis solemnitatem saepe saepius a Rectore invitatur sacerdos extraneus qui concionem habet, Caeremoniae praeest, numismata, rosaria, scapularia aliaque signa, quae sunt Sodalibus tradenda, benedicit imo et profert verba superius relata. Plerique ex Congregationum Rectoribus id fieri posse pro certo habent, sive quia dictam caeremoniam ut essentialem non habent, sed solam inscriptionem in albo sufficere putant; sive quia persuasum habent facultatem sodales recipiendi posse subdelegari: hinc quaeritur.

a) An istiusmodi ritus sit habendus ut essentialis?

Et quetenus negative,

b) An Moderator Associationis munus admissionem eo modo peragendi alteri sacerdoti committere possit?

c) An id possit eo saltem in casu quo associationis Statuta, approbante Ordinario, hanc ei facultatem expresse assererent.

Porro S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita relatis dubiis, audito unius ex Consultoribus voto, respondendum censuit:

Ad I. Ad 1. partem: *Negative.* — Ad 2. partem: *Non sufficere.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. Ad 1. partem: Quoad actum receptionis in sodalitatem et benedictionis Scapularium, Rosariorum, etc. *Affirmative:* quoad ceteras caeremonias: *Negative.*

Ad 2. partem: *Affirmative* si habeat potestatem subdelegandi; secus *negative.*

Ad 3. partem: *Affirmative.*

[Acta S. Sedis, vol. XXV, p. 427-429].

5117.

S. C. Indulg., 12 dec. 1892.

1. Sufficitne inscriptio nominum in privato regesto sacerdotis legitimam facultatem habentis christifideles adscribendi Sodalitatibus, ut qui scapulare SSmae Trinitatis, vel Septem Dolorum B. M. V. etc. receperunt, respectivarum Confraternitatum privilegia acquirant, Indulgentiasque lucrari possint, antequam ipsorum nomina in album alicuius Confraternitatis canonice erectae effective referantur?

Et quatenus negative:

2. Quo die huiusmodi christifideles scapulari iam induti, quorum nomina in privato regesto sacerdotis, ut supra, inscripta, sed in album Confraternitatis nondum relata sunt, plenariam Indulgentiam ea die concessam, qua quis scapulare induitur, lucrari possunt?

R. Ad 1. Providebitur in 2.

Ad 2. Die receptionis et susceptionis sacrorum scapularium, et inscriptionis in privato regesto sacerdotis auctoritate pollentis benedicendi et imponendi scapularia, firma tamen in eo manente obligatione transmittendi nomina ad respectivam viciniorem sodalitatem, cui christifideles fuerunt adscripti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1822].

5118.

S. C. Indulg., *Lauden.*, 31 ian. 1893.

Episcopus Laudensis sequentia dubia solvenda proposuit huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quae respiciunt legem distantiae in erigendis et aggregandis Confraternitatibus servandam.

I. An adhuc vigeat constitutio Clementis VIII, [1] qua statuitur, ut Archiconfraternitates et Congregationes primariae in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam tantum Confraternitatem et Congregationem sibi adiungere et aggregare possint?

II. Utrum aliqua sit lex prohibens ne plures, licet in diversis locis, eiusdem nominis Confraternitates canonice erigantur et Archiconfraternitati aggregentur, nisi certa inter eas intercedat loci distantia.

III. Utrum legis ordinatio de una tantum in singulis civitatibus etc. Confraternitate Archiconfraternitati aggreganda, deque certa inter ipsas Confraternitates loci distantia servanda similiter valeat pro Confraternitate aliqua SSm̃i Sacramenti, quae Archiconfraternitati in Urbe apud S. Mariam supra Minervam erectae aggregari velit. Pro negativa sententia haec adduci potest ratio: compluribus in locis huiusmodi Confraternitates SSm̃i Sacramenti in singulis ac vicinissimis paroeciis institutas esse, privilegiisque ac indulgentiis Archiconfraternitatis gaudere absque ulla aggregatione, sed virtute solius decreti canonicae erectionis.

IV. Utrum denique concessio pontificia, statuens Sodalitia Filiarum Mariae ubique locorum erigi ac Sodalitati primariae in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis existenti aggregari posse, sit extendenda ad alias quoque Confraternitates et Congregationes, ea praesertim de causa quod hisce nostris temporibus maxime optandum sit, ut ubique locorum Confraternitatum ac Congregationum multiplicetur erectio, quam etiam Apostolica Sedes iterum commendavit.

[1] Cf. N. 192.

Et Em̃i Patres in Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 10 ian. 1893 propositis dubiis responderunt:

Ad I. Affirmative, nisi speciali S. Sedis indulto aliae fuerint canonice erectae.

Ad II. Ex praxi existente in erigendis Confraternitatibus et iis aggregandis distantiam unius leucae esse servandam.

Ad III. Dentur decreta diei 23 aprilis 1676, et 22 aprilis 1752. [1]

Ad IV. Negative, et consulendum SSm̃o ut dignetur extendere praefatam concessionem pro Confraternitatibus erigendis in locis distinctis, id est in distinctis dioecesibus vel communitatibus.

In audientia vero habita die 31 ianuarii 1893 a me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, facta de iis omnibus relatione, Sanctitas Sua responsiones Em̃orum Patrum confirmavit, simulque petitam gratiam, de qua in dubio IV, benigne concessit.

[Acta S. Sedis, vol. XXV, p. 509-511].

5119.

S. C. Indulg., *Tertii Ordinis S. Francisci*, 31 ian. 1893.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita:

I. An Tertius Ordo Saecularis S. Francisci teneatur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione « Quaecumque » d. d. 7 decembris 1604 statuta, [2] qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?

II. Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensu Ordinarii loci?

III. Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis?

IV. An religiosi, qui sua iam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante decretum in una Veronensi editum sub die 16 iulii 1887 [3] et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eumdem Tertium Ordinem pertinere eiusque gratiis et privilegiis gaudere?

V. An saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius perfruantur eiusdem gratiis et privilegiis?

VI. An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SSm̃ae Trinitatis etc.?

[1] Cf. N. 4948, 4977.
[2] Cf. N. 192.
[3] Cf. N. 5104.

VII. Possunt ne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin Indulgentias et Privilegia amittant?

VIII. An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae ex. gr. ad illum S. Dominici etc. et vicissim?

IX. An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et i a porro?

X. An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt?

XI. An expediat concedere Indulgentiam *Portiunculae* nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 augusti lucrandam, quoties quamcumque visitent ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci?

XII. An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci ut lucrari valeant Indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque Ecclesiae Franciscales primi, secundi aut tertii Ordinis regularis, neque Oratoria publica tertii Ordinis saecularis aut alia Ecclesia in qua canonice erecta sit Congregatio tertii Ordinis saecularis existant?

XIII. An tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque sacerdote, eo quod vel nequeant accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum in quo a sacerdotibus debita facultate munitis praefatae benedictiones impertiuntur?

XIV. An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere cum adnexa plenaria Indulgentia?

XV. Ex Constitutione *Misericors Dei Filius* [1] Tertiarii Franciscales gaudent Indulgentiis Stationum Urbis. Iam vero ex opere cui titulus *Raccolta di Orazioni e pie opere ecc.* ad acquirendas Indulgentias stationales praeter conditiones consuetas sincerae contritionis, confessionis et communionis *a seconda della Indulgenza da lucrarsi* sufficit visitatio solius ecclesiae ubi est, vel supponitur esse Statio. Quaeritur utrum hoc etiam valeat pro indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita ut a Tertiariis sit peragenda Confessio et Communio suscipienda eo tantum in casu, quo concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis?

[1] Cf. N. 588.

XVI. Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem *Misericors Dei Filius* et Rescriptum diei 15 decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?

XVII. Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?

XVIII. Utrum Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis Indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae?

Et Emi ac Rmi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis rescripserunt die 10 ianuarii 1893:

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative.
Ad III. In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant negative, in reliquis affirmative.
Ad IV. Negative.
Ad V. Negative ante professionem.
Ad VI. Affirmative.
Ad VII. Affirmative ex rationabili causa.
Ad VIII. Generatim negative.
Ad IX. Negative.
Ad X. Negative.
Ad XI. Negative.
Ad XII. Supplicandum SSmo pro gratia.
Ad XIII. Negative.
Ad XIV. Supplicandum SSmo pro gratia.
Ad XV. Affirmative.
Ad XVI. Negative, nisi constet de speciali Indulto.
Ad XVII. Negative, imo falsa.
Ad XVIII. Affirmative.

Factaque de iis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione in Audientia habita die 31 ianuarii 1893 a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, et petitas gratias in perpetuum benigne concessit.

[Acta S. Sedis, vol. XXV, p. 506-509].

5120.

S. C. Indulg., *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 21 iun. 1893.

Fr. Eugenius a Senogallia Ord. Minorum Capuccinorum sequentia dubia huic S. Indulgentiarum Congregationi diluenda humiliter proponit:

I. An vim habeat retroactivam Decretum ab hac S. C. editum sub

die 31 ianuarii huius decurrentis anni 1893,[1] quoad dubium 9 in quo quaerebatur: « An fideles qui inter tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati cooptari etiam valeant inter tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici vel SS̃mae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SS̃mae Trinitatis, Ordinis Carmelitici et ita porro? » cui responsum est « Negative »?

II. An vi praefati Decreti Christifideles qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, gaudeant nunc libertate eligendi unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus iam sese mancipaverant?

Et S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, iuxta cuiusvis Christifidelis devotionem.

[Acta S. Sedis, vol. XXV, p. 748].

5121.

S. C. Indulg., 21 iun. 1893.

1. An absque ulla speciali licentia Sanctae Sedis, sed tantum vigore facultatum, quibus utitur supremus moderator Ordinis Praedicatorum in erectione Confraternitatum pro ecclesiis latini ritus, possit etiam et valeat Confraternitates, quae sunt propriae Ordinis, in ecclesiis alterius ritus, puta ritus graeci, armeni, etc., erigere.

Et quatenus affirmative:

2. Quanam formula sacerdotes alterius ritus quam latini, uti debeant pro benedictione rosariorum aliisque caeremoniis, quae locum habere possunt in actu receptionis sodalium.

R. Ad 1. Affirmative, praevio tamen consensu Episcopi respectivi ritus orientalis.

Ad 2. Orator recurrat ad Sacram Congregationem, christiano nomini propagando praepositam.

In Aud. habita a praedicto Procuratore Generali die 6 augusti 1895 « SS̃mus quantum ad alterum dubium statuere dignatus est, sacerdotes alterius ritus uti debere pro benedictione rosariorum, rosarum, candelarum etc. et in caeremoniis, quae occurri possunt, in actu erectionis Confraternitatis ss. Rosarii et receptionis sodalium, ipsa formula consueta, qua utuntur sacerdotes latini ritus pro consimilibus caeremoniis, in propriam tamen uniuscuiusque ritus translata. Servatis de iure servandis. Contrariis etc. Et iussit Sanctitas Sua exemplum authenticum servari in Archivio S. C. de Prop. Fide ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1837].

[1] Cf. N. 5119.

5122.

S. C. Indulg., *Cuneen.*, 1 sept. 1893.

Sacerdos Ioannes M. Silvestro dioecesis Cuneensis huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi exponit se, tertio iam Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis adscriptum, cooptari etiam voluisse inter sodales tertiarios Servorum B. Mariae V., immo petiit, eamque obtinuit, facultatem admittendi Christifideles in eumdem tertium Ordinem Servorum B. M. V., antequam ab hac S. Congregatione ederetur Decretum d. sub die 31 ianuarii huius decurrentis anni.[1] Verum quum sub die 21 iunii nuper elapsi,[2] haec eadem S. Congregatio decretum suprememoratum vim habere retroactivam edixerit, simulque certum sit ideo Oratori collatam fuisse facultatem cooptandi fideles in tertium Ordinem Servorum B. M. V., eo quod huius tertii Ordinis sodalis evaserat, hinc sequentium dubiorum solutionem ab hac S. Congregatione humiliter expostulat:

I. An legitime admiserit Christifideles in praefatam tertium Ordinem Servorum, eorumque professiones valide exceperit ante promulgationem Decreti d. d. 21 iunii 1893?

Et quatenus negative:

II. An actus supradicti sint renovandi per sacerdotem legitima fretum potestate, vel potius sanandi.

S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ante promulgationem Decreti: *Negative* post promulgationem, nisi Orator expresse renunciaverit se velle pertinere ad tertium Ordinem Franciscalem, et elegerit, prouti ipsi datur, permanere inter sodales tertiarios Servorum B. M. V.

Ad II. Provisum in I.

[Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 374, 375].

5123.

S. C. Indulg., *S. Iacobi de Chile*, 5 dec. 1893.

Hildephonsus Saavedra Canonicus Poenitent. Ecclesiae Metropolitanae S. Iacobi de Chile huic S. C. Indulgentiarum humiliter sequentia dubia diluenda proponit:

Quum in una Veronensi sub die 12 martii 1855[3] propositum fuerit dubium sequens: Utrum privilegium Clementis XIII quod qui solent confiteri semel saltem in hebdomada, possint lucrari Indulgentias Plenarias infra hebdomadam occurrentes cum sola Communione, quamvis in Brevi Apo-

[1] Cf. N. 5119.
[2] Cf. N. 5120.
[3] Cf. N. 5053.

stolico Confessio praescripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda Indulgentia vulgo *Portiuncula* die 2 augusti, et S. C. responsum dederit « Affirmative »; quaeritur:

I. Num haec responsio sit retinenda uti regula generalis etiam pro aliis Indulgentiis *toties quoties* in eadem die lucrandis?

Item, quum in praefata Veronensi fuerit propositum aliud dubium, nimirum « Utrum confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda Indulgentia in forma Iubilaei » et S. C. responderit: *Negative*, quaeritur:

II. Num sub nomine Indulgentiae in forma vel ad instar *Iubilaei* quoad effectum confessionis sint intelligendae illae tantum Indulgentiae, prout docent Iuris Canonici Doctores, quae universo Orbi Catholico a RR. PP. concedi solent ob aliquem specialem eventum, puta Creationis ipsius Romani Pontificis; aut uti tales sint retinendae etiam illae, quae *toties quoties* in eadem die acquiri possunt, ut illa adnexa diei 2 augusti de Portiuncula nuncupata, et alia nuper concessa in festo B. M. V. de Monte Carmelo?

III. An, attenta inopia Confessariorum, Christifideles qui in hac Archidioecesi degunt, et non habitualiter qualibet, sed una vel altera hebdomada ad Confessionem accedere solent, poteruntne lucrari Indulgentias, quae per illam hebdomadam in qua confitentur decurrunt, iis exceptis quae proprie Iubilaei appellantur, vel ad instar Iubilaei conceduntur?

Et S. C. die 5 decembris 1893 relatis dubiis respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Attenta hodierna praxi *Affirmative* quoad 1am partem, *Negative* quoad 2am.

Ad III. *Negative,* absque Indulto, et ad mentem; et mens est: Oratori communicetur id quod alias decrevit haec S. C. sub die 12 iunii 1822 in una Urbis et Orbis, [1] et sub die 28 septembris 1838 ad 1um in una Aturensi, [2] et sub die 15 decembris 1841 ad I. et II. in una Mechliniensi. [3]

[Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 377, 378].

5124.

S. C. Indulg., *Basileen.*, 13 febr. 1894.

In Dioecesi Basileensi in distinctis Ecclesiis duae existunt Confraternitates, una quidem sub titulo SS̃mi Cordis Iesu simpliciter; altera vero sub titulo Adorationis Perpetuae SS̃mi Cordis Iesu. Iam vero ob existentiam harum Confraternitatum quae idem saltem obiectum principale respiciunt, nonnulla dubia exorta sunt, quorum solutionem Episcopus Basileensis humiliter expostulat ab hac S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. Quaeritur igitur:

I. Utrum fideles utrique Confraternitati, quae idem obiectum cultui

[1] Cf. N. 5003.
[2] Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 264.
[3] Cf. N. 5020.

exhibet, simul adscribi valeant; et quatenus negative, ii Christifideles qui praedictis Confraternitatibus iam adscripti reperiuntur, cuinam adscripti sint retinendi?

II. Cum rector praedictae Confraternitatis sub titulo SS̃mi Cordis Iesu expresse non fuerit constitutus in erectione ipsius Confraternitatis, utrum parochus qui erectionem postulaverat, et facile uti Rector habitus est, valide adscribere potuerit fideles eidem Confraternitati; et quatenus negative, petitur sanatio adscriptionum hucusque indebite peractarum.

III. An Vicarii eiusdem parochi ex eius mandato valide cooptare potuerint Christifideles in Confraternitatem, et quatenus negative, item petitur sanatio adscriptionum.

Porro S. Congregatio dubiis desuper propositis, exquisito prius unius ex Consultoribus voto, respondit:

Ad I. *Affirmative* ad 1. partem, ad 2. partem provisum in 1.

Ad II. *Negative* quoad 1. partem; quoad 2. exhibeatur supplex libellus pro sanatione.

Ad III. *Negative* quoad 1. partem; nisi Parocho fuerit facta in concessione facultas subdelegandi suos Vicarios aut alios sibi benevisos presbyteros, iuxta id quod alias decrevit haec S. C. in una Auxiensi sub die 22 augusti 1842; [1] quoad 2. item exhibeatur supplex libellus, quatenus in Parocho defecerit facultas subdelegandi.

[Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 507, 508].

5125.

S. C. Indulg., *Ordinis S. Benedicti*, 15 ian. 1895.

D. Godehardus M. Heigl Ord. S. Benedicti, Abbas Affligeniensis et Visitator Provinciae Belgicae S. Indulg. Congregationi humiliter exponit:

In Congregatione Cassinen. Primitivae Observantiae erectum esse Institutum Oblatorum Saecularium cum quibusdam Statutis a S. C. EE. et RR. approbatis die 17 ian. 1871, et Indulgentiis auctum per Decretum huius S. C. die 4 iunii 1888.

Nunc vero quum varia exorta sint dubia circa naturam horum Oblatorum, humilis Orator postulat ut sibi declarentur quae sequuntur:

I. Suntne Oblati saeculares S. Benedicti considerandi sicut Tertiarii aliorum Ordinum?

II. Potestne Oblatis Saecularibus S. Benedicti impertiri benedictio cum Indulgentia Plenaria iuxta formulam pro Tertiariis saecularibus approbatam a Summo Pontifice Leone XIII die 7 iulii 1882? [2]

III. Possuntne Oblati saeculares S. Benedicti fieri Tertiarii alterius Ordinis, et viceversa?

IV. Debentne Oblati saeculares S. Benedicti, qui simul sunt Tertiarii

[1] Cf. N. 5026.
[2] Cf. N. 586.

ex. gr. S. Francisci, S. Dominici etc. eligere Ordinem ad quem pertinere velint?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, perpensis dubiis supra propositis, auditoque unius ex Consultoribus voto, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative*, absque speciali privilegio.

Ad III. *Negative*, iuxta Decretum huius S. Congregationis d. die 31 ianuarii 1893. [1]

Ad IV. *Affirmative*, ut in una Ord. Minorum Capulat. diei 21 iunii 1893. [2]

[Acta S. Sedis, vol. XXVII, p. 440, 441].

5126.

S. C. Indulg., *Iacien.*, 20 ian. 1896.

Sunt plures Reliquiae in pretiosis argenteis thecis inclusae, fere in omnibus ecclesiis dioecesis, etsi pauperrimis, quarum authenticae non habentur, nec notitia habetur eas olim extitisse, nec tempus cognoscitur a quo illae Reliquiae possidentur. Numerus earum, praesertim in ecclesia paroch. vulgo Siresa, quae per aliquod tempus residentia fuit Episcoporum Oscensium tempore invasionis mahometanorum, est considerabilis, et quamvis thecae antiquitatem redoleant, in archivis tamen parochiarum, vel in historiis nullum extat certum documentum earumdem authenticitatem comprobans. — Magna tamen pietate a populis coluntur, ita ut nequeat sine scandalo hic cultus prohiberi. Cum igitur antiquissimae sint, ita ut ipsa antiquitas possit constituere argumentum sufficiens ad certitudinem moralem gignendam, et apud omnes in maxima semper fuerint et sint veneratione, opinatur Episcopus orator huiusmodi cultum permitti posse: ad omnem tamen anxietatem tollendam, implorat quoad hoc iudicium S. V.

R. Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1911].

5127.

S. C. Indulg., *Ordinis Praedicatorum*, 20 maii 1896.

Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum sequentia dubia huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, humiliter dirimenda proposuit:

[1] Cf. N. 5119.
[2] Cf. N. 5120.

I. An conditio Clementinae Constitutionis «Quaecumque» [1] de consensu Ordinarii loci et de litteris testimonialibus, servanda in erectionibus et aggregationibus Confraternitatum, accipienda sit ita, ut duo requirantur actus distincti, consensus nempe et litterae testimoniales: vel potius sufficiat consensus implicite expressus in litteris testimonialibus?

II. An Summarium Indulgentiarum quod una cum diplomate datur in erectione Confraternitatum, iam recognitum et approbatum a S. Congr. Indulgent., nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci?

III. An distincta Communitas, quam Decretum S. C. Indulg. in una Laudensi diei 31 ianuarii 1893 [2] pro erectione Confraternitatum eiusdem nominis et instituti requirit, constituatur etiam a quolibet eiusdem municipii oppido, situ et nomine ab aliis disiuncto, adeo ut in uno eodemque municipio plures eiusdem nominis et instituti confraternitates erigi possint?

IV. An in magnis Civitatibus, quae unam tantum constituunt Communitatem, plures nihilominus erigi possint eiusdem nominis et instituti Confraternitates?

V. An erectio Confraternitatum SS. Rosarii facta per litteras Mag. Gen. Ord. Praed. facultativas, executioni mandatas a Sacerdote, sive regulari, sive saeculari ab eodem Mag. Gen. deputato, valida sit, si Ordinarius consensum quidem suum ante executionem exprimat, nullas vero litteras testimoniales concedat?

VI. An ipsae litterae facultativae validae sint si subscriptione et sigillo eiusdem Mag. Gen. munitae aut certum Sacerdotem ad executionem non deputent, aut locum Confraternitatis erigendae non exprimant?

Deinde sequentia postulata exhibuit:

I. *a*) Quoad praeteritum: Ut omnes SSm̃i Rosarii Confraternitates, quae sive in propriis Ordinis, sive in aliis Orbis Ecclesiis erectae inveniuntur irregularitate, vel vitio nullitatis affectae, ob quemcumque loci distantiae, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius cuiusque generis defectum, in radice sanentur, et, quatenus opus sit, immediate Apostolica Auctoritate de novo erigantur, firmis remanentibus privilegiis a RR. PP. Ordini Praedic. elargitis.

b) Quoad futurum: Ad maius incrementum sodalium SSm̃i Rosarii postulat facultatem pro Mag. Gen. Ord. Praedic. eiusque Vicario, ut penes Provinciales et Episcopos etiam in Europa, non tamen in Italia, possit eo modo, quo, de consensu a S. S. habito, agere solent aliorum Ordinum Superiores, et ipse agit extra Europam, diplomata in deposito habere, servatis tamen iisdem ordinationibus et conditionibus ab ipsis RR. PP. datis.

II. Ut in magnis Civitatibus, ubi habitantium numerus centum excedit millia, tres vel quatuor etiam Confraternitates Sanctissimi Rosarii de speciali S. S. mandato, erigi possint et valeant.

III. Ut duo postrema postulata extendantur etiam ad alias duas Confraternitates SSm̃i Nominis Dei, nec non Militiae Angelicae S. Thomae Aquinatis.

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 5118.

Et Emi ac Rmi PP. Cardinales in generalibus Comitiis, ad Vaticanas Aedes habitis die 5 martii 1896, rescripserunt:

Ad Dubium I. Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem Confraternitatum significet et Instituti pietatem ac religionem commendet.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative, dummodo in unoquoque oppido habeatur etiam propria Paroecia.

Ad IV. Negative: sed supplicandum SSmo, ut derogando in hac parte Constitut. s. m. Clementis VIII quae incipit « Quaecumque », Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in huiusmodi erectionibus convenienti, eorum iudicio, distantia.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad postulata vero:

Quoad I. *a*) Affirmative.

b) Non expedire.

Quoad II. Iam satis provisum in responsione ad dubium IV.

Quoad III. Iam provisum in responsione ad duo postulata priora.

Factaque de omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Pp. XIII relatione in audientia habita die 20 maii 1896 ab infrascripto Cardinali S. C. Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. ratas habuit et confirmavit, simulque derogando Constitutioni Clementis VIII, facultatem in IV dubio postulatam benigne Ordinariis concedere dignata est.

[Acta S. Sedis, vol. XXVIII, p. 751, 752).

5128.

S. C. Indulg., *Mediolanen.*, 10 iul. 1896.

Quamvis haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita decreverit sub die 16 iulii 1887,[1] res indulgentiis ditatas tradi debere fidelibus omnino gratis, ita ut, si aliquid quocumque titulo requiratur vel accipiatur, indulgentiae rebus adnexae amittantur; nihilominus ab hac S. Congregatione humiliter petitur sequentium dubiorum solutio:

I. An amittant Indulgentias Cruces, Coronae etc. si quis eas emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis, in ipso actu, quo res illae iam benedictae sibi tradentur?

Et quatenus negative:

II. An amittant Indulgentias Cruces, Coronae etc. si quis praevidens eas iam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus

[1] Cf. N. 5102.

fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis qui eas, restituto pretio expenso, petituri sint?

Sacra vero Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, sub die 10 iulii 1896 relatis dubiis respondere mandavit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

[Acta S. Sedis, vol. XXIX, p. 320].

5129.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 25 aug. 1897.

Cum hisce temporibus pene innumerae exortae sint in Ecclesia piae Uniones seu Societates, quae etsi quandoque Confraternitatum nomine decorentur, nihilominus inter veras et proprie dictas Confraternitates minime sint recensendae; merito dubitatum est, an leges, quae a Constitutione Clementis VIII, quae incipit: *Quaecumque*,[1] pro Confraternitatibus et Congregationibus iussae sunt, novis istis piis Unionibus seu Societatibus forent applicandae. Quaestio insuper mota est pro nonnullis Confraternitatibus ad Regulares Ordines pertinentibus, quoad consensum Ordinariorum, cum illae in Ecclesiis eorumdem Regularium Ordinum eriguntur. Quare huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia dirimenda sunt exhibita:

I. *An Piae Uniones seu Societates, quae sub Confraternitatum et Congregationum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus Constitutionis Clementis VIII, quae incipit* « Quaecumque »?

II. *An ad erectionem Confraternitatum, puta Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel a Virgine Perdolente, aliarumve huiusmodi, quae a Religiosis Ordinibus in suis respectivis Ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus?*

Et Emi Patres in Vaticanis Aedibus, in generali Congregatione coadunati sub die 5 augusti 1897 ad proposita dubia responderunt:

Ad I. Affirmative, *quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem et quoad publicationem Indulgentiarum.*

Ad II. *Si agatur de Confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum* sacco *constitutis*, Affirmative: *si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in Dioecesi.*

De quibus omnibus facta SSmo Dño Nostro Leoni Pp. XIII relatione, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25 augusti 1897, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 276, 277].

[1] Cf. N. 192.

5130.

S. C. Indulg., *Montis Politiani*, 26 maii 1898.

Episcopus Montis Politiani huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia enodanda proposuit:

I. An Indulgentiae quas Episcopus concedit valeant intra limites suae dioeceseos tantum, an vero etiam extra?

II. An acquiri possint intra limites dioeceseos etiam a fidelibus, qui non sunt subditi Episcopi concedentis Indulgentias?

III. An subditi Episcopi concedentis Indulgentias has lucrari valeant dum extra dioecesim commorantur?

Et Emi Patres in Vaticano Palatio coadunati relatis dubiis die 5 maii 1898 responderunt:

Ad I. Affirmative ad 1. partem; negative ad 2., nisi agatur de subditis Episcopi concedentis, et de Indulgentiis personalibus.

Ad II. Affirmative, dummodo Indulgentiae non sint concessae alicui peculiari coetui personarum.

Ad III. Provisum in primo.

De quibus facta relatione SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII in Audientia habita die 26 maii 1898 ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutiones benigne approbavit.

[Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 632, 633].

5131.

S. C. Indulg., *Burgi S. Domnini*, 18 iun. 1898.

Huic Sacrae Indulgentiarum et SS. Reliquiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum in adscribendis Christifidelibus Sodalitati B. V. Mariae a Monte Carmelo adhiberi licite et valide possint Scapularia, quae quamvis ex lana confecta, cooperiuntur ex una parte tela serica vel gossypio, ex altera vero Imagine quae totum cooperit Scapulare, ita ut pannus penitus aut quasi penitus non appareat?

II. Quid tenendum quando unum Scapulare refert Imaginem B. M. V. de Monte Carmelo, alterum quod vitta coniungitur Imaginem B. M. V. perdolentis, SSmi Rosarii, vel etiam SSmi Cordis Iesu?

III. Utrum nomina adscriptorum Confraternitati necessario ad viciniorem Confraternitatem mittenda sint, vel potius liberum sit ea transmittere Moderatori cuiuslibet Confraternitatis?

IV. Utrum in adscriptione plurium formula unica in numero plurali, quae ex Decr. S. C. Indulg. die 18 aprilis 1891 adhiberi potest, dicenda sit antequam incipiatur impositio, vel potius dum primo fit impositio?

V. Utrum in casu super exposito, cum generatim adscribendi sint viri

et mulieres conveniens, sit dicere « Accipite viri et mulieres » vel simpliciter « Accipite hunc habitum etc. » prout est in formula breviori approbata in Decreto S. R. C. diei 24 iulii 1888?

Porro S. C., audito unius ex Consultoribus voto, relatis dubiis, respondere mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Nihil officere valori Scapularis Imaginum varietatem, dummodo in Scapulari appareat color, forma et pannus, quae omnia ut vere substantialia sunt retinenda, exceptis tamen Scapularibus SSmae Trinitatis et Passionis D. N. in quibus etiam imagines propriae sunt necessariae.

Ad III. Negative ad 1. partem; affirmative ad 2.

Ad IV. Formulam in casu dicendam esse immediate antequam Scapularia imponere incipiantur, eaque Sacerdote in manibus tenente.

Ad V. Si viri a mulieribus facile segregari possint et duplici actu functio peragi posset, quod certe esset convenientius, tunc, prout de more, uti posset formula longiori, mutatis mutandis; si vero unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, tum ad praecavendam cacophoniam melius fieret si formula brevior adhiberetur, dicendo tantum « accipite hunc habitum etc. ».

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 748, 749].

5132.

S. C. Indulg., *Lincien.*, 13 iul. 1898.

Episcopus Linciensis huic S. Congregationi Indulgentiarum circa Benedictionem cum Indulgentia, quae dicitur etiam Absolutio generalis, Sororibus regularibus tertii Ordinis S. Francisci impertiendam haec dubia proponere audet:

I. Utrum Confessarius ordinarius vel extraordinarius Sororum tertii Ordinis S. Francisci, quae in Congregatione coadunatae vivunt et Episcopi iurisdictioni subiectae sunt, censendus sit delegatus pro impertienda Benedictione cum Indulgentia plenaria?

II. Utrum dies, quibus haec Benedictio istis Sororibus impertiri potest, sint illi, qui in Directorio Ordinis Fratrum Min. pro Absolutione generali indicantur, an illi, quibus Tertiarii saeculares huiusmodi privilegio gaudent?

Sacra vero Congregatio praefatis dubiis ita respondendum mandavit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II *Affirmative* ad 1. partem; *Negative* ad 2.

[Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 126].

5133.

S. C. Indulg., *Augustana*, 10 aug. 1899.

Episcopus Augustanus plura dubia huic S. Congregationi Indulgentiarum dirimenda proposuit, quae, post Constitutionem *Ubi primum* de Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis nuper editam iussu SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII,[1] ipsi oborta sunt. His et alia superaddidit quae ex nonnullis Decretis huius S. C. repetenda videntur, eo quod quaestio movetur an, et quomodo illa Confraternitatibus SSmi Rosarii sint applicanda.

Dubia vero proposita sunt sequentia:

I. In Dioecesi Augustensi iampridem existunt fere in omnibus ecclesiis parochialibus Confraternitates SS. Rosarii, quin tamen habeantur litterae patentes Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, in plerisque locis deperditae. Quamobrem orator petit, utrum ad canonicam Confraternitatis existentiam sufficiat per aliquod documentum, puta, per processum verbalem ipsius erectionis, vel inscriptionem commemorativam in Regesto sodalium Confraternitatis, aliudve huiusmodi in documento authentico asservatum, certam haberi notitiam quod litterae Magistri Generalis pro tali ecclesia iam concessae fuerint, an vero novae requirantur litterae patentes ipsius Magistri Generalis?

II. An per Decretum S. C. Indulgentiarum d. d. 20 maii 1896 in una *Ordinis Praedicatorum* ad II[2] abrogata censeatur lex a S. C. Indulgentiarum die 8 ianuarii 1861 sancita[3] (in formula servanda in substantialibus pro erectione confraternitatum) sub n. V. hisce verbis expressa: « quod gratiae et indulgentiae confraternitati communicatae, praevia cognitione Ordinarii, dumtaxat promulgentur »?[4]

Et quatenus negative:

III. An cognitio Ordinarii exprimi debeat in scriptis ad calcem Summarii Indulgentiarum?

IV. An piae Uniones *Rosarii Viventis*, a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum institutae, subiaceant praescriptionibus Clementinae *Quaecumque*,[5] sicut et Confraternitates SS. Rosarii, ad tramitem decreti S. C. Indulgentiarum d. d. 25 augusti 1897 in una *Urbis et Orbis* ad I?[6]

V. An Episcopus tolerare possit sive Confraternitates proprie dictas, sive pias Uniones sub SS. Rosarii titulo, absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum a parochis, vel aliis sacerdotibus institutas, etiam cum conditione vel praetextu, quod huiusmodi Confraternitates vel

[1] Die 2 oct. 1898. - Leonis XIII Acta, vol. XVIII, p. 161-172.
[2] Cf. N. 5127.
[3] Cf. N. 5061.
[4] Cf. N. 5074.
[5] Cf. N. 192.
[6] Cf. N. 5129.

piae Uniones non gaudent privilegiis et indulgentiis Confraternitatum SS. Rosarii?

VI. An, non obstante Decreto S. C. Indulgentiarum d. d. 25 augusti 1897 in una *Urbis et Orbis* vi specialis privilegii Rectores Confraternitatum SS. Rosarii albo suae Confraternitatis permittere valeant inscribi nomina defunctorum, etiam ad hunc finem dumtaxat, ut defuncti fiant participes meritorum Confraternitatis, et precibus sodalium commendati habeantur?

VII. An Decreta S. C. Indulgentiarum d. d. 12 decembris 1892 in una *Coloniensi*[1] et 15 novembris 1893 in una pariter *Coloniensi* pro sodalitate S. Scapularis, applicari possint Confraternitati SS. Rosarii ita, ut confratres SS. Rosarii recepti et inscripti a sacerdotibus facultatem habentibus, omnes Indulgentias Confraternitatis lucrentur vi ipsius legitimae receptionis, etiamsi eorum nomina cum nominibus aliorum sodalium in albo Confraternitatis non sint adhuc materialiter inscripta?

VIII. An, stante privilegio Confraternitatis SS. Rosarii, quo gratia concessa a S. Sede non censetur revocata, nisi fiat de ea specialis mentio, sacerdotes, utentes formula ab Innocentio XI praescripta pro Indulgentia a Confratribus SS. Rosarii in articulo mortis lucranda, valide agant, an vero debeant uti formula data in Constitutione Benedicti XIV *Pia Mater*?[2]

IX. An formula pro Indulgentia acquirenda a confratribus in articulo mortis recitari valeat dumtaxat a Rectoribus Confraternitatum et sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero, quoad confratres SS. Rosarii, a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

X. An Confraternitates SS. Rosarii erectae a Legatis Apostolicis, Nuntiis, ceterisque Praesulibus vi specialis facultatis apostolicae, indigeant nova erectione per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum?

Et Emi ac Rmi Patres in Congregatione Generali, habita ad Vaticanum, rescripserunt die 3 augusti 1899:

Ad I. Affirmative ad 1. partem; Negative ad 2.

Ad II. Negative.

Ad III. Non est necesse.

Ad IV. Negative.

Ad V. Reformato dubio uti sequitur:

An per Apostolicas Literas *Ubi primum* datas a SS. D. N. Leone Pp. XIII die 2 octobris 1898, Episcopis aliisque gaudentibus facultate in genere erigendi confraternitates, revocata fuerit facultas erigendi Confraternitates vel Pias Uniones sub titulo SS. Rosarii absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum?

Respondendum: *Supplicandum SSmo, ut dignetur mentem suam pandere.*

Ad VI. Negative, facto verbo cum SSmo.

Ad VII. Affirmative.

[1] Cf. N. 5117.
[2] Cf. N. 380.

Ad VIII. Reformato dubio uti infra:

An pro impertienda plenaria Indulgentia in articulo mortis confratribus SSmi Rosarii, adhibenda sit formula ab Innocentio XI approbata, an vero formula a Benedicto XIV praescripta in Constitutione *Pia Mater*?

Respondendum : *Negative* ad 1. partem, *Affirmative* ad 2.

Ad IX. Reformato dubio hoc modo:

An benedictio in articulo mortis cum adnexa plenaria Indulgentia confratribus SSmi Rosarii impertienda sit a sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

Rescribendum: *Negative* ad 1. partem; *Affirmative* ad 2.

Ad X. Non propositum.

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII, in audientia habita die 10 augusti 1899, SSmus omnes resolutiones Emorum Patrum benigne approbavit, mentemque suam quoad V dubium pandere dignatus est expresse edicens: « Revocavimus, et ut revocatas haberi volumus facultates quibuscumque concessas erigendi Confraternitates piasque Uniones sub titulo SSmi Rosarii sine litteris patentibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum; ita ut si quae in posterum erigantur sive Confraternitates sive piae Uniones sub titulo SSmi Rosarii absque praefatis litteris, nullis gaudeant beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem a SS. Rosario auxerunt; quin imo nec gaudeant aliis Indulgentiis, quae communiter conceduntur omnibus sub quovis titulo confraternitatibus, canonice erectis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

[Acta S. Sedis, vol. XXXII, p. 185-188].

5134.

S. C. Indulg., 14 iun. 1901.

Utrum poenitens precem, aut pium exercitium indulgentiis ditatum explens, possit simul et poenitentiae satisfacere, et indulgentias lucrari.

R. Affirmative, facto verbo cum SSmo. — SSmus confirmavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol II, n. 2116].

5135.

S. C. Indulg., *Chamberien.*, 18 iul. 1902.

Quamvis haec S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ut suppleretur impotentiae, qua surdomuti detinentur recitandi preces ad lucrandas Indulgentias iniunctas, iam providerit per generale decretum die 16 februarii 1852, [1] in quo edixit: *Quod si agatur de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint;*

[1] Cf. N. 5046.

nihilominus Episcopus Chamberiensis animo revolvens surdo-mutos nunc perfectiori methodo esse instructos, ut ipsi facilius et uberiori spirituali fructu Indulgentias assequi valeant, sequens dubium huic Sacrae Congregationi dirimendum exhibuit:

Utrum expediat ut Surdo-Mutis, quin in singulis casibus ad proprium confessarium recurrant, per generale Decretum gratia concedatur acquirendi Indulgentias, iniunctas preces signis, vel mente fundendo, vel tantum easdem legendo sine ulla pronuntiatione?

Emi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 15 iulii huius decurrentis anni responderunt:

Affirmative; et supplicandum SSmo pro gratia, firmo manente Decreto generali diei 16 februarii 1852.

In audientia vero habita ab infrascripto Card. Praefecto die 18 iulii anni praedicti, SSmus sententiam Emorum PP. approbavit et petitam gratiam clementer elargitus est.

[Acta S. Sedis, vol. XXXV, p. 570, 571].

5136.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 28 aug. 1903.

Quamvis S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita in una *Sebenicen.* sub die 13 septembris 1888, [1] expresse edixerit, non expedire ut extenderentur ad recitationem parvi Officii B. Mariae Virginis, in quodcumque vulgare idioma translati, Indulgentiae a RR. PP. adnexae recitationi eiusdem Officii, uti illud prostat in fine Breviarii Romani; nihilominus instantius ab hac eadem S. Congregatione expostulatum est, ut praefatam Indulgentiarum extensionem concedere dignaretur, hisce potissimum de causis, quod hac nostra aetate latini sermonis quamplurimi sint omnino ignari, ususque in pluribus catholici Orbis regionibus iam inoleverit, hoc Officium recitandi lingua vernacula expressum, et admodum difficile foret fideles ab hoc usu retrahere.

Quare haec S. C. sequens postulatum denuo examinandum duxit:

« An, non obstante Decreto in una *Sebenicen.* diei 13 septembris 1888, expediat Indulgentias a RR. PP. concessas Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. Mariae Virginis, uti extat in fine Breviarii Romani, extendere ad illos, qui idem Officium recitaverint in aliam linguam translatum, praevia recognitione et approbatione Ordinarii loci, ubi vulgaris est lingua? »

Et Emi Patres ad Vaticanum coadunati die 18 augusti 1903 responderunt:

Affirmative pro privata tantum recitatione.

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XXI, p. 191. – Cf. N. 5100.

SSm̃us vero Dñus Noster Pius PP. X in Audientia habita die 28 augusti 1903 ab infrascripto Cardinali, Praefecto sententiam Em̃orum Patrum approbavit, et Indulgentiarum petitam extensionem benigne concessit.

[Acta S. Sedis, vol. XXXVI, p. 185].

5137.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 28 aug. 1903.

Pontificale Iubilaeum fel. rec. Leonis XIII solemnibus ubique laetitiis ab orbe catholico peractum, congruam sane occasionem praebuit, qua plures sacrorum Antistites, praesertim ex regione Neapolitana et Sicula, ad auspicatum eventum novo quodam pietatis religiosique fructus pignore consecrandum, enixas, coniunctis simul litteris, preces admoverunt, ut sua, in indulgentiis elargiendis, facultas aliquantum ab Apostolica Sede adaugeretur. — Has vero postulationes, Pontificis optimi obitu interceptas, sed, ex S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae consulto, ab infrascripto Cardinali, eidem Congregationi Praefecto, in audientia die 28 augusti, hoc vertente anno, ad Vaticanum habita, rursum et suppliciter exhibitas, cum primum agnovit Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, nihil se in votis magis habere est testatus, quam ut gloriosam Antecessoris memoriam digno, hac etiam in re, honoris documento prosequeretur, et propriam insuper, erga universos ecclesiasticos ordines, paternam charitatem oppido ostenderet. Quapropter Sanctitas Sua, percepta omnium relatione, non modo memoratis votis annuere, verum etiam clementer decernere dignata est, ut, in posterum Em̃i Patres Cardinales, in suis titulis aeque ac Dioecesibus, *bis centum*, Archiepiscopi *centum*, atque denique Episcopi *quinquaginta* dierum indulgentiam elargiri valeant, dum tamen serventur cuncta huc usque ab eisdem servata, in huiusmodi indulgentiarum elargitionibus. Hanc autem concessionem futuris quoque temporibus perpetuo valituram extare voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta S. Sedis, vol. XXXVI, p. 518, 519].

5138.

S. C. Indulg., *Congregationis SS. Redemptoris*, 11 nov. 1903.

Petrus Oomen, Procurator Generalis Congregationis SSm̃i Redemptoris, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum proposuit:

Utrum in impertienda absolutione generali iis Tertiariis, qui in Communitate degunt votaque simplicia nuncupant, adhibenda sit prima formula: *Ne reminiscaris*, an potius alter: *Intret oratio?*

Et S. Congregatio, audito unius ex Consultoribus voto, respondendum mandavit:

« Attento Decreto diei 28 augusti 1903 [1] pro Tertiariis in Communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus, adhibenda est prima formula: *Ne reminiscaris* ». [2]

[Acta S. Sedis, vol. XXXVI, p. 498].

5139.

S. C. Indulg., *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 1 febr. 1905.

Fr. Iucundus a Montonio, Ordinis Minorum Capuccinorum Procurator Generalis, Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia solvenda proposuit:

I. Quaenam sit formula adhibenda ad impertiendam Absolutionem generalem Regularibus modo privato, id est immediate post sacramentalem Confessionem?

II. Utrum Superior Regularis, aut eius delegatus, cum Absolutionem generalem propriae Communitati impertit, et ipsemet eamdem recipiat, an alius sacerdos ei impertire debeat?

[1] « Ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam saepe dubia delata sunt circa relationem Tertiariorum, tanto hodie numero in communitate viventium et simplicia vota nuncupantium, ad respectivos suos Ordines regulares quoad Indulgentias et spirituales gratias. Quae dubia succreverunt ex quo Leo XIII fel. rec. speciales Indulgentias pro iis solis Tertiariis tum Franciscalibus, tum Ordinis Servorum B. M. V. qui in saeculo vivunt, concessit, sublatis omnibus aliis Indulgentiis eousque istis Tertiis Ordinibus tributis. Verum est Sacram Congregationem EE. et RR. in suis Normis pro approbatione horum Institutorum (Sect. I, § 11, N. 16), statuisse: « Instituta Tertiariorum non approbentur, nisi a Superioribus Generalibus eorum Ordinum, a quibus et nomen et habitum mutuantur, in proprium respectivum Tertium Ordinem aggregentur, et ad Indulgentiarum et gratiarum spiritualium participationem, *quantum concedere fas et*, admittantur »; haec tamen postrema verba, ut patet, praesentem quaestionem in ambiguo adhuc reliquerunt.

Quare, ne tot ex utroque sexu Tertiarii horum Institutorum qui exemplo et opere de re catholica optime sunt meriti, certis Indulgentiis diutius careant, quaesitum est:

« *An generali dispositione omnibus Institutis Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium ab Apostolica Sede sint concedendae Indulgentiae primo et secundo Ordini respectivo propriae?*

Et Em̃i Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati die 18 augusti 1903, responderunt:

« *Affirmative* ».

De quibus facta relatione Ssm̃o Domino Nostro Pio Pp. X in Audientia habita die 28 eiusdem mensis et anni ab infrascripto Cardinali Praefecto Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsum approbavit et confirmavit, decrevitque; *primo*, ut Instituta Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus a quibus nomen et habitum mutuantur legitime sint aggregata, participent omnes Indulgentias a RR. PP. primis et secundis Ordinibus directe tantum concessas; *secundo*, ut eorundem Ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur; *tertio*, ut aliae Indulgentiae huiusmodi Tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sint propriae (*Acta S. Sedis*, vol. XXXVI, p. 377, 378).

[2] Cf. N. 586.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondendum censuit:

Ad I. Ad S. Rituum Congregationem. [1]

Ad II. Affirmative ad 1. partem; Negative ad 2.

[Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 243].

5140.

S. C. Indulg., 7 iul. 1905.

Fr. Bonaventura Marrani, Ordinis FF. Minorum Procurator Generalis, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulat:

Ex Decreto huius S. C. in una *Leodien.* d. d. 9 augusti 1843 [2] indulgentiae non cessant, si, destructa veteri ecclesia, nova aedificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo. Quaeritur:

Utrum praefata resolutio applicetur etiam Stationibus S. Viae Crucis legitime erectis, ita ut in casu ecclesiae ex toto reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo praeexistens privilegium S. Viae Crucis non cesset, si S. Via Crucis, quae in veteri ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in ecclesiam reaedificatam, prout dictum est, transferatur?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.*

[Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 41, 42].

5141.

S. C. Indulg., *Patavina,* 13 sept. 1905.

1. An qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi Indulgentias, quas *Stationales* appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus.

2. Quando conceditur plenaria Indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus ecclesiis alicuius Ordinis vel dioeceseos, haec Indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur ecclesiae eiusdem Ordinis vel dioeceseos.

3. Cum diversi Ordines, ex. gr. Benedictini, Franciscales etc. pro uno vel altero festo gaudeant plenaria Indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias ecclesias, huiusmodi Indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas ecclesias eorumdem Ordinum, praesertim si haec Indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

4. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur visitatio ecclesiae

[1] Cf. responsionem S. R. C. relatam in *Actis S. Sedis,* vol. 38, p. 236.
[2] Cf. N. 5032.

parochialis, haec debetne esse ecclesia parochialis propria illius qui vult Indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

5. An sub nomine ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii, vel etiam quasi-domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris?

R. Ad 1. Negative, iuxta decretum « Delatae saepius » diei 7 martii 1678. [1]

Ad 2. Affirmative, id est acquiri potest Indulgentia una vice tantum pro singulis ecclesiis eiusdem Ordinis seu dioecesis.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

Ad 4. Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.

Ad 5. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam et tertiam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2220].

5142.

S. C. Indulg., 10 ian. 1906.

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit, ut Sanctitas Vestra privilegium a be. me. Leone PP. XIII per Breve Apostolicum d. 28 martii 1903 Ordinis S. Benedicti monachis concessum, ut scilicet in perpetuum « quinquies in anno, diebus semel tantum a Primate eiusdem Ordinis designandis, Absolutionem generalem seu Benedictionem cum adnexa Plenaria Indulgentia recipere valeant », benigne extendere dignetur ad universas Ordinis S. Benedicti Monialium familias.

SS. D. N. Pius PP. X in audientia habita 10 ianuarii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis conditionibus, quae in memoratis Apostolicis litteris praescriptae sunt. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Analecta Ecclesiastica (1896), p. 31].

5143.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis,* 14 febr. 1906.

SSmo D. N. Pio PP. X vel maxime cordi est ut efficacius in dies propagetur uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae rectaque cum mente, ad sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis qui memoratam con-

[1] Cf. N. 4951.

suetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit.

Clemens porro PP. XIII f. r., per decretum huius sacri Ordinis, sub die 9 decembris 1763 « omnibus christifidelibus qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, indulsit ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii aliasque ad instar iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio tempore in earum concessione praescripto peragatur ».[1]

Nunc vero Beatissimus Pater Pius X omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae et cum recta piaque mente quotidie Sancta de altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis PP. XIII indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessario extaret. Hanc insuper gratiam Eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2228].

5144.

S. C. Indulg., *Urbis et Orbis*, 11 mart. 1908.

Quo christifideles Indulgentiarum thesauro facilius fruerentur, haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, decreto diei 9 decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad poenitentiae Sacramentum, iam indultum concessit, vi cuius omnes indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria.[2] Huiusmodi vero indultum pro aliquibus regionibus, attenta confessariorum inopia, etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper alio decreto sub die 6 octobris 1870 provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere posset die, qui illum immediate praecedit, pro quo aliqua indulgentia sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.[3]

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis indulgentiis lucrandis, quae aliquibus festivitatibus

[1] Cf. N. 4993.
[2] Cf. N. 4993.
[3] Cf. N. 5077.

extraordinariis sunt adnexae, vel de iis, quas toties quoties eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset, nisi confessio praescripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Quapropter SSmo Domino Nostro Pio PP. X preces sunt exhibitae, ut desuper his de Apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat.[1]

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 11 martii 1908, summopere exoptans maiori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut praeter communionem pridie diei, cui est adnexa indulgentia, permissam, in adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus praescriptum, servetur. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Acta S. Sedis, vol. XLI, p, 359, 360].

[1] Huius generis particulares concessiones ab eadem S. C. iam alias factae sunt, ex. gr. rescripto diei 28 aug. 1907 (*Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 718) indultum fuit ut pro lucranda indulgentia plenaria in fine concionum Quadragesimae, Adventus, Missionum et exercitiorum spiritualium concedi solita, sufficiat confessio infra ultimos quinque dies peracta.

10. – S. C. INDICIS.

5145.

S. C. Indic., 13 iun. 1757.

Quod si (huiusmodi) Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 592, nota 1].

5146.

S. C. Indic., 26 mart. 1825.

Quia prorsus impossibile est libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, (Episcopi) propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie ac pervertantur illecebra.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 785].

5147.

S. C. Indic., 27 mart. 1855.

1. La Bibbia francese di M. de Genoude pubblicata ultimamente in Francia sotto l'ispezione di M. Arciv. di Parigi, senza note però, s'intende dalla S. Sede approvata, oppure resta proibita secondo le regole generali dell'Indice?

2. Che cosa debbasi pensare del Salterio di Davidde; degli Evangeli ed Epistole dell'anno; della traduzione di tutta la Messa, compreso il Canone: tradotti in lingua francese da autori cattolici? Si permette la lettura, oppure restano proibiti secondo le regole generali dell'Indice?

3. La Bibbia pubblicata nei testi originali greco de' settanta, ebraico, ed anche la vulgata in latino degli eretici e scismatici, senza note, commenti, scolii e prolegomeni, è permessa o resta proibita come libro di essi trattanti *de religione ex professo?*

4. La Bibbia de' settanta ed altri libri liturgici pubblici o privati, di cui si servono i greci separati, ed in cui non si contengono gli errori della loro setta, ma il testo biblico sincero, preghiere scevre di errore, ed in uso presso costoro, sono permessi o pure *in praesumptionem periculi* proibiti?

R. Ad 1. Provisum per observationem Clementis Papae XIII ad Regulam IV Indicis, subiectumque decretum S. Indicis Congregationis an. 1757. [1]

Ad 2. Affirmative quoad primam partem, dummodo editiones fuerint ab Ordinariis recognitae, et ab Apostolica Sede approbatae. Negative quoad secundam partem.

Ad 3. et 4. ut in 2., et ad mentem. Mens est ut Episcopus recurrat ad Apostolicam Sedem pro facultatibus, iis qui idonei censeantur impertiendis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1111].

5148.

S. C. Indic., litt. encycl. 24 aug. 1864.

Inter multiplices calamitates quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies, universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores incautae praesertim iuventutis penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis iura et ordo susque deque vertitur, et omnimode perturbatur. Neque, ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt, libellis, et per publicas atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuiusque et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc

[1] Regula IV. Indicis ita se habet: « Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum, a catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis argumentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

« Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

« Bibliopolae vero, qui, praedictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque poenis pro delicti qualitate, eiusdem Episcopi arbitrio, subiaceant.

« Regulares vero, nonnisi facultate a praelatis suis habita, ea legere, aut emere possint ».

« *Observatio Clementis PP. VIII.* – Animadvertendum est circa suprascriptam quartam Regulam Indicis fel. rec. Pii Papae IV nullam, per hanc impressionem et editionem, de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato et usu sanctae romanae et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacrae Scripturae, tam novi quam veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas ». – Cf. N. 5145.

Ceterum Indicis Regulae referuntur in Appendice ad Benedicti XIV, const. *Sollicita ac provida*, 9 iul. 1753. — Cf. N. 426.

perniciem a populis sibi commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt, zelo adlaborantes ut Romanae Sedis habito iudicio et proscriptione, a vetita lectione talium librorum fideles deterreant. Neque iis difficilem se praebuit et praebet S. Congregatio, quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto christiano orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis causa ferat iudicium: ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio, et inefficax remedium, cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et, ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per sa. me. Leonem XII mandatum editum est sub die 26 martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adiunctum, vi cuius Ordinariis locorum praecipitur ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

Cum autem huius Apostolici mandati provida constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSmo Domino Nostro Pio Papae IX placuit eius memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gravissima mala removebuntur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore, Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, eis Sanctitas Sua concessit, sicut nomine et auctoritate Eius praesentibus conceditur, ut in hac re etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant. Ad Apostolicum autem iudicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiratur.

Mandatum s. m. Leonis XII additum Decreto Sacrae Congreg. (Indicis) die Sabbati 26 martii 1826.

« Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis, atque in observationibus, Instructione, Additione, et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII, et Benedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos abolendosque Indici Librorum Prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus impossibile est, libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie, ac pervertantur illecebra ».

Monitum S. C. (Indicis) editum feria III die 4 martii 1828.

« Sacra Congregatio in mentem revocat omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, et Inquisitoribus locorum id quod praescribitur in Regula, inter editas iussu S. Concilii Tridentini N. II, his verbis: *Haereticorum libri, qui de religione ex professo tractant, omnino damnantur;* et ea quae mandavit sa. me. Clemens VIII in instructione de prohibendis libris, sequentibus verbis § VI: *In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti et damnati* ».

Monitum S. C. (Indicis) editum feria V die 7 ianuarii 1836.

« Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum Libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores, sanctiora divini Eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas, *nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* (ex decr. S. C. Ind. 15 iunii 1757 in addit. ad Reg. Ind.): iis praeterea omnino insistendum, quae per Regulam quartam Indicis, et deinceps ex mandato sa. me. Clementis VIII, in eam causam praestituta fuerunt ».

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1261].

5149.

S. C. Indic., 27 apr. 1880. [1]

Per litteras a Conventu SS. Ioannis et Pauli, datas die 25 martii 1879 et a Paternitate Tua Revma subsignatas, proposita fuerunt S. Congregationi Indicis, ut enodarentur, duo sequentia dubia:

I. An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem articuli secundi const. *Apostolicae Sedis*, [2] Summo Pontifici speciali modo reservatam?

II. An legentes sive libros proprie dictos cuiusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX, ut supra, renovatam et confirmatam?

Sacra Indicis Congregatio *secundo dubio* respondit: *Negative;* ceu Paternitati Tuae alias iam significatum fuit. Et quoniam *primum dubium* reputatum est competere Supremae Universali Inquisitioni, exhibitum eidem fuit, ut idem enucleare dignaretur. Sacra vero Suprema Inquisitio die 21 cur-

[1] Ad R. P. Ministrum Patrum Passionistarum.
[2] Cf. N. 552.

rentis aprilis proposito dubio respondit: *Negative.* Cum me de hoc certiorem redderet S. O. Assessor, onus mihi imposuit patefaciendi R. Vestrae resolutionem eiusmodi.

Die 27 aprilis 1880. – Fr. Hieronymus Pius Saccheri, S. Congr. Indicis *Secretarius.*

[Acta S. Sedis, vol. XX, p. 368].

5150.

S. C. Indic., 6 dec. 1895.

Proposito dubio: utrum qui habent generalem facultatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos, legere licite possint etiam libros ab Ordinario proscriptos, sine speciali eiusdem Ordinarii licentia? Emi Patres responderi mandarunt: *Negative.*

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 384].

5151.

S. C. Indic., 7 aug. 1897.

Utrum in decreto n. 17 decretorum generalium de prohibitione et censura librorum nuper a SSmo D. N. Leone Papa XIII editorum,[1] verba haec *non publicentur absque competentis auctoritatis licentia*, ita sint intelligenda, ut in posterum *indulgentiarum libri, libelli, folia etc. omnes* ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi; an vero subiiciendi sint censurae aut S. Congregationis Indulgentiarum, aut Ordinarii loci secundum normas ante novam Constitutionem *Officiorum ac munerum* stabilitas.

R. Ad primam partem, Negative. — Ad secundam, Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1978].

5152.

S. C. Indic., 23 maii 1898.

Circa Constitut. *Officiorum ac munerum*[2] sequentia dubia proposita fuerunt:

1. Utrum haec verba articuli 5: *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam*, intelligenda tantum sint de doctis viris iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos sacrae theologiae tirones.

2. An opera (quae permulata sunt) erroribus infecta, a *Syllabo*[3] damnatis, verbis articuli 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Ap. Sede proscriptos continentia.

[1] Cf. N. 632.
[2] Cf. N. 632.
[3] Cf. N. 543.

3. Utrum excerpta a periodicis capita, seorsim edita (vulgo *tirages à part*), censeri debeant novae *editiones*, atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44 requiritur.

4. Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur.

R. Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative, si hos errores tueantur seu propugnent.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2000].

5153.

S. C. Indic., 21 iun. 1898.

Cum huic S. Indicis Congregationi dirimenda proposita fuerint sequentia dubia:

1. Utrum sub nomine eorum, *qui studiis theologicis* vel *biblicis dant operam*, veniant etiam alumni, qui theologiae et linguae hebraicae ac graecae in scholis Seminariorum vacant? Et quatenus affirmative:

2. Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos, legant ac vertant, dummodo *non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus* talium librorum *catholicae fidei dogmata?*

Eadem S. Congregatio sub die 18 iunii 1898, iisdem dubiis mature perpensis, respondendum censuit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative;* nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 iunii 1898.

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 749].

5154.

S. C. Indic., 3 sept. 1898.

An Ordinarii, qui, peracto examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegent eundem publicandi, teneantur auctori rationes denegatae licentiae indicare?

Eadem Sacra Congregatio sub die 1 septembris 1898 responderi mandavit: *Affirmative, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Indicis Congr. die 3 septembris 1898.

[Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 256].

5155.

S. C. Indic., 9 maii 1912.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 maii 1912, ad dubium:

« Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et praelo dignum iudicatum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat » — respondendum censuit: « Affirmative, apponendo iudicium " Nihil obstare " censoris alterius dioecesis, ab istius Ordinario sibi transmissum ».

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua responsionem Eminentissimorum Patrum confirmavit et promulgari praecepit.

Datum Romae, die 9 maii 1912.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 370].

11. – S. RITUUM CONGREGATIO.

5156.

S. R. C., *Comen.*, 6 aug. 1588.

Visa commissione, visis et iuribus et informationibus hinc inde exhibitis, et auditis ambarum partium Advocatis, censuit S. Congregatio: « Clerum dictae Civitatis in quibuslibet processionibus, litaniis, exequiis, Divinis Officiis, et similibus conventibus, et actibus ita ordinari debere, ut ultimo ac digniori loco Canonici et totus Clerus Ecclesiae Cathedralis incedat; secundo loco, et immediate ante ipsum Clerum Ecclesiae Cathedralis incedant Canonici et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Fidelis cum aliis personis ecclesiasticis dictae Ecclesiae; tertio vero et anteriore loco totus reliquus Clerus saecularis. Et ante singulos praedictos Ordines, singulae eorum Cruces deferantur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 4].

5157.

S. R. C., *Oscen.*, 16 mart. 1591.

Congregatio Illustrissimorum Dominorum Cardinalium super Sacris Ritibus, consideratis et diligenter examinatis infrascriptis Dubiis, ab Episcopo et Capitulo Ecclesiae Oscen. in supplici libello propositis, ad ea sic respondendum censuit:

DUBIA.

1. Primum est, quod in Ecclesia Oscen. Epistola decantatur in pulpito iuxta Chorum, ubi Episcopus residet, non autem in Presbyterio.
2. Item Evangelium decantatur ibidem.
3. In Missa solemni dantur a Sacerdote tres benedictiones.
4. In Processionibus tam intra, quam extra Ecclesiam, et in absolutionibus mortuorum, etiam loco parato Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus, ut aequaliter incedant, portant pannum sericum in forma Gremialis.
5. Subdiaconus autem, qui Celebranti assistit, non tenet Crucem, sed Cruciferarius deputatus specialiter indutus Superpelliceo sine Piuviali.
6. Diaconus et Subdiaconus sedent ad *Kyrie eleison*, *Gloria* et *Credo* in Missis Conventualibus et Anniversariis, etiam dum dicitur Graduale et Epistola.
7. Hora sexta dicitur ante Missam, et si diceretur postea, celebratio esset intempestiva, quia propter frigiditatem terrae populus tardius venit ad Ecclesiam.

8. Dicitur *Credo* in Missa solemni statim finito Evangelio ante Concionem.

9. In diebus Adventus, Quadragesimae et aliis ieiuniorum, Diaconus et Subdiaconus non utuntur Planetis plicatis, sed Dalmaticis.

Et insuper nonnulla alia, licet perpauca, his similia, quae omnia a consuetudine Provinciae et Ecclesiae Oscen. derivantur.

10. Dubitatur, an Canonici praefati possint se tueri huiusmodi generali consuetudine in praemissis, ita ut non possint, neque debeant cogi recedere ab illis, praetextu, quod in aliquo, non tamen in Sacramentalibus, sunt diversa a caeremoniis?

11. In eadem Ecclesia sunt statuta et consuetudines antiquissimae, praescribentes modum servandum in celebratione et caeremoniis Pontificalibus, quem Episcopus non vult servare, spretis statutis et consuetudinibus dictae Ecclesiae.

12. Episcopo pontificalia exercenti assistunt tantum duo, qui dignitatem obtinent Pluvialibus induti, non Dalmaticis.

13. Confessio cantatur a Diacono dumtaxat quando Episcopus celebrat, non autem quando alias est praesens.

14. Subdiaconus, qui semper est Canonicus, non portat caligas et sandalia ad Episcopum pontificaliter celebraturum.

15. Cum sedet Episcopus, assistentes habent subsellia ad latus Episcopi; Diaconus et Subdiaconus in scabellis post Episcopum: sic, et nonnulla alia faciunt diversa a Caeremoniali Episcoporum.

16. Dubitatur, an Caeremoniale Episcoporum, quod nondum prodiit expurgatum, nec pro eo servando est edita aliqua Constitutio, obliget in dicta Ecclesia; an vero sit standum statutis et consuetudinibus dictae Ecclesiae et Provinciae impressis, et aliis, ita ut non possint Canonici Oscen. cogi ab Episcopo recedere a dictis statutis et consuetudinibus, quin imo debeant praedicta Statuta et consuetudines omnino servare?

17. Item supplicantur declarari, quod, sicut Cathedralis debet in caeremoniis se conformare cum Metropoli, ita inferiores Ecclesiae cum Cathedrali Oscen. debent se conformare in celebratione Officiorum et caeremoniis.

18. Ut omnis tollatur occasio dubitandi circa delationem Crucis, exponitur DD. VV. Illmis, quod in dicta Ecclesia, praeter processiones, quae ordinarie omnibus Dominicis intra annum et aliis festivis diebus fiunt intra Ecclesiam Cathedralem, cum multoties intra annum Canonici cum Episcopo, et sine eo, tum etiam Presbyter, Diaconus et Subdiaconus processionaliter accedunt ad alias Ecclesias intra et extra Civitatem existentes, et multum a dicta Cathedrali distantes; ideo supplicatur declarari, an, dato quod Canonici non possint se tueri generali consuetudine, Subdiaconus teneatur in tali casu, quando processiones fiunt extra Ecclesiam, portare Crucem?

19. Cum Constitutione fel. rec. Pii V non sint appositae censurae super observatione caeremoniarum, supplicatur declarari non posse Episcopum in his publicare edicta vel iussiones sub censuris, ob periculum irregularitatum.

RESPONSIONES.

1. Ad primum: « Consuetudo cantandi Epistolam in Choro in pulpito, si adhuc in Ecclesia Oscen. servatur, tollenda non est, retinenda cum sit antiqua ».

2. Ad secundum: « Idem respondendum, ut scilicet servetur consuetudo cantandi Evangelium in ambone, sive in pulpito, cum id fel. rec. Pius V permiserit in sua Bulla specialiter pro Regnis Hispaniarum edita die 17 decembris 1570 ».

3. Ad tertium: « In Missa solemni cum datur benedictio in fine, semel tantum produci debet signum Crucis super populum a Sacerdote celebrante, ut in Missalibus emendatioribus habetur ».

4. 5. Ad 4 et 5: « In processionibus et Absolutionibus non debent Subdiaconus, Diaconus et Sacerdos aequaliter incedere, sed Subdiaconus debet praeire deferens Crucem medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa. Praeterea permitti potest, ut Subdiaconus, Diaconus et Sacerdos parati dum incedunt, deferre possint pannum sericum ante se, tamquam gremiale, stante ea consuetudine ».

6. « Diaconus et Subdiaconus sedere possunt una cum Celebrante, dum cantatur a Choro *Kyrie eleison, Gloria* et *Credo* et si dabitur tempus, licebit eis etiam sedere dum cantatur Epistola a Subdiacono, et Graduale a Cantoribus ».

7. « Missa Conventualis dici debet post Tertiam in Festis duplicibus et in diebus Dominicis iuxta Rubricam Missalis, non post Sextam; quod si propter terrae frigiditatem populus tardius venit ad Ecclesiam, praestat differre tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem intervertere ».

8. « *Credo* in Missa solemni dici debet post Concionem, non ante, iuxta Rubricas Missalis, et consuetudinem Romanae Ecclesiae ».

9. « In Missis de tempore Adventus et Quadragesimae Diaconus et Subdiaconus uti debent planetis plicatis, non Dalmatica et Tunicella, iuxta Rubricas Missalis ».

10. « Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam Pii V in principio ipsius Missalis impressam,[1] et dicendae sunt potius corruptelae, quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant per Episcopum ad observantiam Rubricarum et Regularum Missalis ».

11. « Non decet Ecclesiam Oscen. aliud habere Caeremoniale ab impresso, quo nunc utitur Ecclesia Romana, nec ipsis Canonicis licet se tueri contra dictum Caeremoniale quibusdam privatis consuetudinibus ac statutis, cum praesertim dictae consuetudines et statuta sint irrationabilia, nec a Sede Apostolica confirmata ».

12. « Episcopo pontificaliter et solemniter celebranti Archidiaconum a dexteris, et alium Diaconum a sinistris, diaconaliter paratos, assistere oportet, praeter alium assistentem Pluviali indutum, qui, ut habetur in

[1] Cf. N. 135.

Caeremoniali Episcoporum, debet esse Prior Canonicorum, dignior Capituli ».

13. « Confessio cantanda est per Diaconum, sive Episcopus celebret, sive non celebret, iuxta Rubricas Caeremonialis Episcoporum, quoties habebitur Concio sacra post Evangelium ».

14. « Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus, caligas et sandalia velo tecta ambabus manibus usque ad faciem elevatis portare debet ad Episcopum celebraturum, ut in Caeremoniali Episcoporum praescribitur ».

15. « In sedendo tam assistentes, quam Diaconus et Subdiaconus pro loci situ et commoditate ita se gerant, ut se inferiores ministros Episcopi, non pares et aequales ostendant ».

16. « In dubio standum est libro Caeremonialis, qui authenticus est, et allegari potest et debet ad decisionem Causarum: consuetudines autem, quae allegantur contra ipsum, bonae non sunt, sed abusus quidam Episcoporum indulgentia introducti, et ideo omnino tollendi ».

17. « Ecclesiae inferiores sequi non debent caeremonias Cathedralis Ecclesiae in iis, quae sunt contra Rubricas et regulas Missalis et Caeremonialis Episcoporum ».

18. « In Processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Sabbato Sancto, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Ecclesia Cathedrali processionaliter procedit a Sacrario, sive ab alio loco deputato ad Altare, Subdiaconus etiam Canonicus deferre debet Crucem, quae tamen sit longitudinis competentis et ad portandum facilis; in aliis autem Processionibus a supradictis, alius, nempe Cruciferarius consuetus, ipsam deferat Superpelliceo vel Tunicella indutus, nullo autem modo Pluviali ».

19. « Potest Episcopus etiam per censuras aliasque poenas ecclesiasticas compellere Canonicos et Capitulum ad observantiam Rubricarum Missalis et Caeremonialis Episcoporum, nisi specialiter fuerit eis in aliquibus indultum per supradictam Bullam Pii V pro Regnis Hispaniarum editam ».

« Postremo ad id, quod supplicatur nomine Episcopi de hymno *Ave maris stella*, dicitur, quod quotiescumque decantabitur praedictus hymnus, debent non solum Canonici et reliqui de Capitulo, sed omnes et quotquot aderunt, genuflectere, genuque flexi persistere, donec quatuor primi versus decantati fuerint ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 9].

5158.

S. R. C., *Tarentina*, 17 sept. 1591.

Oborta controversia inter Vicarium Archiepiscopi Tarentini, et Archidiaconum Capituli eiusdem Ecclesiae super eorumdem praecedentia et aliis iuribus; audito voto Archiepiscopi,

Congregatio censuit: « Vicarium Tarentinum praecedere debere omnes Canonicos, Dignitates et Archidiaconum. Munus vero distribuendi Missas ad Archidiaconum, et eo absente vel alias legitime impedito, ad proxime succedentes Dignitates, et postea ordine successivo ad digniores Canonicos, qui praesentes fuerint, spectare; ita ut Tabellae distributionis ex Vicario et Archidiacono ille subscribat, qui usque ad praesentem diem subscribere consuevit. Si vero circa distributionem huiusmodi quaestio oriatur, Vicarius, prout iuris fuerit, provideat. In reliquis servanda esse Decreta alias facta ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 10].

5159.

S. R. C., *Meliten.*, 24 nov. 1591.

Quinque Dignitates Capituli Meliten. praetendunt, ipsis celebrantibus solemniter, ex aliqua consuetudine Canonicos ministrare debere; contra vero Canonici asserentes sese in presbyterali Ordine constitutos non decere in inferiori deservire; eoque magis quia in eodem Capitulo adsunt Hebdomadarii, quorum alii Presbyteri, alii Diaconi, vel Subdiaconi, quibus propterea id oneris incumbere videtur. Auditis proinde partibus, Sacra Congregatio decrevit, ut sequitur: *Canonici Dignitatibus et Canonicis inserviant; Mansionarii vero Mansionariis.*

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 11].

5160.

S. R. C., *Hispalen.*, 23 mart. 1592.

Nomine Illmi ac Rmi Domini Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen., S. Congregationi supplicatum fuit, ut propositis inferius Dubiis, suam declarationem exponendo, respondere dignaretur:

DUBIA.

1. An quando ipse Cardinalis Archiepiscopus solemniter celebrat vel alia Pontificalia munera exercet, compellere possit Dignitates et Canonicos, universumque Capitulum Ecclesiae suae Metropolitanae, ut sibi assistant et inserviant? et posito quod eos cogere possit, prout sibi de iure licere existimat: quonam ritu, et a quibus inserviendum et assistendum sit?

2. Praeterea si quando contingeret, ut Missa per eumdem Archiepiscopum solemniter celebranda, vel aliae functiones Pontificales essent exercendae extra Metropolitanam Ecclesiam, in aliqua tamen eiusdem Civitatis vel Suburbiorum, an similiter possit compellere Capitulares, ut sibi inserviant et assistant, et si praedicta Ecclesia esset Collegiata, in eaque aliae Dignitates et Canonici adessent?

3. An Dignitates, Canonici et Capitulum teneantur Archiepiscopum euntem ad Ecclesiam diebus festis cappa indutum comitari, et ex quo loco? Item, an etiam in reditu debeant eum deducere, et usque ad quem locum? Et an, si privatim ad Ecclesiam venerit, sit ei obviam prodeundum, rediensque sit deducendus, et quomodo?

4. An decens sit, Archiepiscopum cum cappa incedentem, unam aut duas Dignitates ad latus suum admittere?

5. An Archiepiscopo Ecclesiam intranti, prima et ceteris praestantior Dignitas debeat offerre aspersorium?

6. An primam et praestantiorem Dignitatem in Ordine Sacerdotali obtinens, teneatur pluviali indutus assistere et servire de libro Archiepiscopo solemniter celebranti, sive alias Pontificales functiones exercenti? Quinam praeterea diaconali habitu induti debeant assistere, elevare fimbrias, imponere et deponere Mitram, et qui debeant cantare Evangelium et Epistolam?

Supplicatur pro declaratione contentorum in supradictis capitibus, etiamsi antea per longum tempus in omnibus, vel aliquibus eorum secus observatum esset, quam in Concilio Tridentino statutum et in Caeremoniali Romano dispositum est.

RESPONSIONES.

Ad 1. Congregatio respondet: « Posse Archiepiscopum ex Decreto Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 12, eos compellere, ut sibi assistant et inserviant. Modus autem assistendi et inserviendi is esse debet, quem regulae Caeremonialis libri praescribunt ».

Ad 2. respondet: « Licere etiam ipsi Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias eiusdem Civitatis et Suburbiorum Ecclesias accedit ad aliquod pontificale munus exercendum; verum cum honoris et servitii sui causa voluerit ab Ecclesia Metropolitana Dignitates et Canonicos, aliosque Capitulares extrahere, qui sibi solemniter celebranti vel Pontificalia exercenti assistant et inserviant, curet (ut par est), ne ipsa Ecclesia Metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque cultu et officio defraudetur. Accedens vero ad Ecclesias, in quibus aliae adsint Dignitates et Canonici, curet quoque pro sua prudentia, ut omnes confusiones et perturbationum occasiones removeantur; et sciat Dignitates et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae debere omnino praecedere Dignitates et Canonicos Ecclesiae Collegiatae ».

Ad 3. respondet: « Dignitates, Canonicos et Capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur cappa, ut eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitentur: in reditu etiam debere saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Ei vero privatim venienti nonnullos ex Dignitatibus et Canonicis ad ostium Ecclesiae occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitari debere ».

Ad 4. respondet: « Archiepiscopo cum pontificali cappa incedente neminem arrogare sibi debere, ut se non vocatum ad eius latus adiungat; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat, quam ut ullas Dignitates vel Canonicos, qui sua membra et subditi sunt, ad latus suum habeat ».

Ad 5. respondet: « Debere primam Dignitatem aspersorium Archiepiscopo offerre, eâque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam Dignitatem aut personam, quae dignior ex Capitulo aderit. At in alia

Collegiata Ecclesia aspersorium esse porrigendum a Praeposito eiusdem Ecclesiae, vel (quocumque nomine nominetur) ab eo, qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiae quam personae porrigenti, ea ratione honor tribuatur ».

Ad 6. respondet: « Obtinentem primam Dignitatem in Ordine presbyterali Pluviali indutum fungi debere assistentis munere, qui de libro serviat, naviculam Archiepiscopo in throno existenti porrigat, eumdemque ibi thurificet; eo vero legitime impedito, digniorem de Capitulo in Ordine presbyterali praesentem, et legitime non impeditum debere in eius locum succedere. Munus autem assistendi ad Archiepiscopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi Mitram, aliave in Caeremoniali descripta agendi, pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem Diaconum Canonicum, ambos Dalmaticis indutos; quod si Canonicus Diaconus nullus aderit, ultimum Presbyterum Canonicum in diaconali tamen habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Archiepiscopi, et Archidiaconus a dexteris, licet ipse Archidiaconus Ordine tantum diaconali fuerit initiatus. Epistolam vero et Evangelium cantare debere duos Canonicos ex Ordine diaconali et subdiaconali, modo tamen in ea Ecclesia sint distincti inter Canonicos huiusmodi Ordines, alioquin duos ex Ordine presbyterali, illudque munus per turnum singulos, cuiuscumque Ordinis sint, peragere debere. Diaconum autem Evangelii Archiepiscopo ad Altare existenti naviculam ministrare, et eum ibi thurificare debere ».

Supradicta omnia visum est, auditis prius dicti Illm̃i Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen. et eiusdem Ecclesiae Capituli Procuratoribus, ita observanda esse, quousque SSm̃i D. N. iussu et auctoritate novum Episcoporum Caeremoniale edatur, quod nunc in Congregatione Cardinalium examinatur, quamvis antea in iis non fuerint plene observata Concilii Tridentini Decreta et Caeremonialis Romani regulae, quibus inhaerens Congregatio, seque ad probatos S. R. E. ritus et consuetudinem accommodans, censuit ea in hunc modum esse pro nunc executioni demandanda, dum nihil relevans in contrarium adducitur. Ita est: Antonius Marius Caballus Secretarius.

Congregatio Sacrorum Rituum visis, consideratis et mature discussis omnibus, quae nomine Capituli Ecclesiae Hispalen. per eius Procuratorem proposita sunt circa responsiones ab ipsa Congregatione factas ad nonnulla capita alias nomine Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen. proposita, quas Illm̃us et Rm̃us D. Cardinalis Gesualdus suis literis supradictae Congregationis nomine ad eumdem D. Cardinalem de Castro sub die 30 mensis octobris proxime praeteriti 1589 scriptis insertas transmisit: visis quoque iterum et denuo consideratis supradictis responsionibus, necnon utriusque partis Procuratoribus, tam voce quam scripto plene et sufficienter auditis, censuit « standum esse in Decretis iuxta responsiones, ut supra factas, infrascripta tamen declarando pro ipsarum maioris intelligentia », instante eodem Capitulo sive eius Procuratore.

Primo declarat « Archiepiscopum ad Ecclesiam cum cappa pontificali accessurum, ut solemniter celebret vel ut assistat Divinis Officiis, concioni

aut processioni, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, curare debere, ut Capitulo congruo tempore intimetur hora eius accessus ad Ecclesiam, ad hoc ut ipsum Capitulum commode se ad eius occursum accingere possit. Archiepiscopus vero convenientem et opportunam horam eliget, verbi gratia, si Missam solemnem in aliquo die festo sit celebraturus, tunc post Primam in Choro finitam, antequam Tertia inchoetur, ad Ecclesiam accedere poterit. Quo casu Dignitates, Canonici ceterique Capitulares statim post Primam completam, facto modico intervallo, prodire obviam debent Archiepiscopo ad ipsius cubiculum, eumque ad Ecclesiam venientem deducere, quemadmodum ipsa Congregatio faciendum esse respondit. Cumque Archiepiscopus ad Ecclesiam venerit, Tertia suo tempore inchoanda erit iuxta praescriptum Caeremonialis Romani, idque omnino faciendum est, non obstante quacumque consuetudine ipsius Capituli nomine allegata. Cum enim Pastor teneatur ad suam Ecclesiam accedere, et ex eius praesentia divinus cultus augmentum, Ecclesiaque ipsa splendorem et decorem non modicum accipiat, non est ei praebenda causa vel non accedendi, ex quo debita cum decentia id facere nequeat, vel indecenter accedendi ».

Insuper declarat, « quod quando Archiepiscopus, finita Missa vel aliqua Hora Canonica, est ab Ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis Horis decantandis, quousque Capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia Praelato, et debitum Deo obsequium impendatur, cui Sacrificium cum inobedientia non placet ».

Declarat praeterea, « quod si interdum contingat Archiepiscopum, vel processione vel aliqua Hora Canonica nondum finita, abire compelli ob aliquam sui necessitatem, tunc opus non erit ut omnes Capitulares cum eo discedant, sed satis erit, si quatuor de Capitulo eum domum reducant, ita ut processioni vel Divinis Officiis impedimenti aut perturbationis occasio non praebeatur; quamvis haec, quae perraro eveniunt, minime consideranda sint, cum leges ad ea quae frequentius accidunt, accommodentur. Ad evitandas autem perturbationes et confusiones in iis diebus, in quibus Archiepiscopus Divinis Officiis est interfuturus, campana aliquanto citius solito pulsetur, ut tempore et rebus agendis simul consideratis, cuncta rectius fiant et horis congruis expleantur ».

2. Declarat, « quod Archiepiscopo accedente ad Chorum cum cappa pontificali, Capitulares eum associantes eumdem habitum gestare debeant, quem in ipso Choro deferre solent. In hac autem associatione Capitulares inter Crucem Archiepiscopalem et Archiepiscopum ordine procedere debere ».

3. Declarat, « omnes Dignitates, omnesque Capitulares qui ad Chorum vadunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem sint legitimo impedimento detenti, dispositioni iuris communis relinquitur ».

4. Declarat, « tunc dici Archiepiscopum privatim ad Ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit ».

5. Declarat, « nullam Dignitatem, Canonicum, aliamve personam propria auctoritate vel vigore cuiusvis consuetudinis ad latus Archiepiscopi vel

cappa pontificali vel sacris vestibus induti incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit ».

6. « Cum prima Dignitas Archiepiscopo Ecclesiam intranti aspersorium porrigere teneatur, *Congregatio declarat*, quod ipsa prima Dignitate legitimo aliquo impedimento detenta, huic muneri supplere debet prima ex iis omnibus, qui in Ecclesia sunt praesentes: legitimi autem impedimenti causa non censetur, quod aliquis in Choro sit occupatus, nisi sacris vestibus ad Missam maiorem celebrandam sit indutus ».

7. Declarat, « debere omnino aliquem Cappellanum vel Portionarium Ecclesiae ad id deputatum, Archiepiscopo librum manibus sustinere. Primam vero Dignitatem cum pluviali assistentem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere ad librum, quem Cappellanus aut Portionarius manibus sustinet dum in sede eminenti ipse Archiepiscopus intonat Hymnum *Gloria in excelsis*, cantat Orationem, *Credo*, et *Dominus vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Archiepiscopus legit Epistolam, Graduale et Evangelium, prima Dignitas nihil aliud agens, stabit in loco suo erectus. Digito autem indicare debet legenda in libro, quando Archiepiscopus est ad Altare: neque dedignari debet prima Dignitas, quod his muneribus fungatur, cum maxime honorifica sint, et eadem omnia faciat prior Episcoporum Cardinalium dum assistit Summo Pontifici celebranti ».

Declarat quoque, « primae Dignitatis Assistentis propriam sedem esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depictum vel aliqua pulchra forma fabrefactum, dummodo sit nudum, nullo scilicet panno vel alia re coopertum, in plano solii ad partem dexteram Archiepiscopi praeparatum, atque eo loco et ordine situm, ut ipsa prima Dignitas assistens et ad Altare et ad faciem Archiepiscopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 14].

5161.

S. R. C., *Aversana*, 17 nov. 1592.

Super recitatione cuiusdam particularis Officii, in qua ex vetustissima consuetudine nonnullae caeremoniae extra praescriptum Caeremonialis Romani exerceri solent, consuluit Episcopus Aversanus hanc Sac. Congregationem infrascripta dubia proponendo, videlicet:

Primum. An ex quatuor Dignitatibus Capituli, nempe Decano, Cantore, Archidiacono et Succentore, Decanus et Cantor debeant necne assistere Episcopo in sede pontificaliter celebranti?

2. An Archidiaconus inservire debeat tamquam Cappellanus assistens ad librum Episcopo solemniter celebranti, nec tamen det osculum pacis Choro et Canonicis?

3. An Succentori incumbat cantare Evangelium; nec tamen thurificet Canonicos in Choro; unus ex Canonicis dicat Epistolam: quatuor ex quar-

tostallis convenienter parati inserviant in solio tenentes baculum, mitram, librum et lumen?

4. Assistentibus hinc inde Decano et Cantore, Archidiacono vero et Succentore librum, lumen et incensum ministrante, quis eorum sit primo loco thurificandus, et cui primum pax danda?

5. An quartostalli, qui tenentur in Missis praesertim Conventualibus cantare Evangelium, et in Diaconatus Ordine ministrare, debeant in dictis Missis per se ipsos incensare et pacem dare, quam dari faciunt per Subdiaconum, incensum vero per unum ex Clericis Seminarii?

RESPONSIONES.

Ad 1. « Vesperas, vel Missas Episcopo solemniter celebranti, Archidiaconus a dexteris, et alter Canonicus Diaconus ex antiquioribus a sinistris, diaconali habitu induti, assistere debent. Quod si in ea Ecclesia Diaconus nullus adsit, tum loco Diaconi Canonicus alius ultimus ex Ordine presbyterali, diaconaliter tamen indutus, assistentis Diaconi munus suppleat. Prima Dignitas, seu dignior Capituli ex ordine presbyterali, pluviali indutus assistentis munus obibit, qui cantanti Episcopo librum a parte dextera capite suo sustinere, eique apud Altare existenti, digito, quae dicenda sunt, indicare, aliaque peragere debet, quae in Caeremoniali praescribuntur. Episcopo vero non celebranti, sed Divinis assistenti, iidem qui supra, Archidiaconus et alter Canonicus Diaconus seu Presbyter assistere debent ».

Ad 2. « Assistens Presbyter pluviali indutus pacem acceptam ab ipso Episcopo pontificaliter celebrante, Canonicis et aliis iuxta Rubricas Caeremonialis deferre debet ».

Ad 3. « Succentor, seu quivis alius cuiuscumque sit dignitatis et praeeminentiae, Evangelium in Missa pontificali cantans, thurificare debet Canonicos aliosque de capitulo iuxta Rubricas Caeremonialis, tit. de Missa pontificali. Quartostallorum vero munus erit inservire Episcopo de mitra, de baculo, de libro et de candela ».

Ad 4. « Primo loco, post thurificatum Episcopum thurificari debet prima Dignitas assistens cum pluviali, secundo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi, tertio Dignitates et Canonici in Choro sedentes, quarto ceteri iuxta Rubricas eiusdem Caeremonialis loco supra citato ».

Ad 5. « Quartostalli Evangelium et Epistolam cantantes in Missis Conventualibus et aliis quibuscumque, servare omnino tenentur Rubricas Missalis Romani reformati, tam quoad thurificationem, quam etiam quoad pacis distributionem spectat, ut nimirum quartostallus Evangelium cantans thurificet Dignitates et Canonicos, et alios qui thurificandi sunt; Subdiaconus vero pacem a Diacono acceptam, servato Rubricae Missalis ordine, existentibus in Choro aliisque deferat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 20].

5162.

S. R. C., *Taurinen.*, 16 febr. 1593.

Dubia pro Sedis Apostolicae Nuntio apud Serenissimum Sabaudiae Ducem, et Archiepiscopo Taurinen., SS̄mi D. N. iussu, sacrae Illm̄orum DD. Congregationi super sacris ritibus examinanda, et executioni tradita.

1. An Archiepiscopus Taurinen. debeat uti Cruce, Nuntio Sedis Apostolicae cum facultatibus Legati de latere in eadem Civitate commorante?

2. An eidem Archiepiscopo liceat uti Rochetto discooperto?

3. An liceat Nuntio facultates Legati de latere habenti, libere et absque Archiepiscopi licentia in Cathedrali aliisque Ecclesiis baptizare, confirmare, Ordines conferre, aliaque Sacramenta ministrare, quae proprie ad ipsum Archiepiscopum loci Ordinarium spectant?

4. An Archiepiscopus pontificaliter celebrans, sive Divinis Officiis cum cappa assistens, debeat ob praesentiam Nuntii sedere alibi, quam in suo throno?

5. An Archiepiscopus celebrans, sive, ut supra, Divinis assistens, debeat, antequam populo suo sit de more benedicturus, petere licentiam a Nuntio ibidem praesente?

C. S. R. habita 9 martii 1593 ad suprascripta dubia sic respondendum censuit:

Ad 1. « Archiepiscopus incedens vel equitans per Civitatem et Dioecesim suam, Crucem ante se praeferri facere debet, etiamsi Nuntius in iisdem locis commoretur. Quod si contingat Archiepiscopum simul cum Nuntio iter habere, vel eumdem Archiepiscopum ad invisendum Nuntium accedere, tunc quidem ob reverentiam Sedis Apostolicae, quam in ipso Nuntio agnoscere et venerari debet, Archiepiscopus abstinebit a delatione Crucis ».

Ratio est « quia si ambo simul incederent, certe Archiepiscopus a sinistris esset Nuntii, neque propterea conveniret ante ipsum praeferri Crucem, qui minorem se Nuntio in ambulando profitetur, et absurdum praeterea esset Archiepiscopum tunc uti Cruce cum maiorem se visitat, qui Crucis usum non habet ».

Ad 2. « Potest et debet Archiepiscopus uti Rochetto discooperto quandocumque voluerit, exceptis tamen duobus supradictis casibus ».

Ad 3. « Non licebit Nuntio in Cathedrali, sive in aliis Ecclesiis Archiepiscopali ditioni subiectis, ministrare quaecumque Sacramenta ad Archiepiscopum loci Ordinarium spectantia, nisi id vel specialiter et expresse in facultatibus sibi a Sede Apostolica fuerit permissum, vel obtinuerit prius ab Archiepiscopo facultatem. In ducali autem Cappella, veluti ab Archiepiscopali iurisdictione exempta, eadem Sacramenta absque ulla licentia ministrare poterit ».

Ad 4. « Praeter thronum nunc sub baldachino positum, Archiepiscopus curet aliam sibi sedem cum ciborio in Choro construendam inter Dignitates, quae sit magis pressa, et humilis, quam thronus; et quotiescumque

Nuntius Apostolicus Duci in Ecclesia Metropolitana assistet, ob reverentiam Sedi Apostolicae debitam idem Ordinarius a throno consueto discedat, et in sede praedicta Chori sedeat, sive celebret, sive Divinis Officiis assistat. Throno vero praedicto, praeter hunc casum, semper utatur, ut hactenus consuevit ».

Ad 5. Respondit: « Idem servandum, quod alias Venetiis fieri praeceptum fuit. Ut nimirum Archiepiscopus antequam sit populo benedicturus, opportune per unum ex Canonicis vel per Ministrum caeremoniarum, Nuntium in Episcopali tamen dignitate constitutum, ex sua humanitate invitet ad benedicendum; qui tamen huiusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne acceptando iurisdictionis episcopalis libertatem impedire, vel sui Patris ac Pastoris benedictione populum privare videatur ».

Haec quidem S. C. Decreta audivit, et approbavit SSmus Dnus Noster. Die 16 februarii 1593.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 27].

5163.

S. R. C., *Bavariae*, 23 mart. 1593.

Ad petitionem Rodulphi Baronis Cat. de Boluailler censuit, si SSmo D. N. placuerit, « ex speciali privilegio posse concedi, ut in Ecclesia etiamsi non sit Cathedralis, neque Parochialis, neque Collegiata, neque Conventualis, sed simplex, in locis ubi non adest Parochialis, possit asservari SSmum Eucharistiae Sacramentum, de consensu Ordinarii, et absque Parochi, intra cuius Parochiae fines existit, praeiudicio, dummodo Ecclesia ipsa sit decens, et solita conferri in titulum, et nunc habeat Beneficiatum perpetuum qui eius curam gerat, et Sacramentum possit caute custodiri, et ibi lampas perpetuo accensa habeatur ».

Item: « Quod in aliqua certa Cappella decenter ornata, ad solum Divinum cultum ab Episcopo dedicata, et ab eodem visitanda, servatis aliis servandis, possit celebrari super Altare portatile ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 31].

5164.

S. R. C., *Toletana*, 6 iul. 1593.

Cum in Oppido Orani Toletanae Dioecesis Dominicani et Franciscani, necnon Fratres Mercedis in Processionibus turmatim permixtique incedant, supplicatum fuit, ut S. C. ordinem praescribere dignaretur, quo dictis Religiosis incedendum sit.

Et S. C., re tota iussu SSmi Domini Nostri diligenter perspecta et mature discussa, censuit: « Scribendum atque expresse mandandum esse Vicario praedicti Oppidi Orani, ut posthac curet praefatorum Ordinum ac etiam aliorum, si qui futuris temporibus illuc convenerint, Fratres in omnibus tam publicis quam privatis Processionibus ita procedere, ut Ordines ipsi inter se minime confundantur, sed unus ab alio separatus, et singulorum Ordinum Fratres bini cum omni decentia ac modestia incedant: quod si forte hactenus eiusmodi confusionem controversiae de praecedentia exortae pepererunt, observandam curet fel. rec. Gregorii XIII Constitutionem super Fratrum mendicantium et Confraternitatum laicorum praecedentia, editam die 15 iulii 1583 quae incipit: *Exposcit*, [1] videlicet, ut ii praecedant qui alias in quasi possessione praecedentiae seu iuris praecedendi illic fuerint; si vero non probetur aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, tunc ii praecedant qui antiquiores illo in loco sunt ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 33].

5165.

S. R. C., *Calaguritana*, 7 sept. 1593.

Pro Dignitatibus et Decano. — In Ecclesia Dei ordo praecipue servandus est. Itaque cum maxime indecens sit, maiores inferioribus ministrare; censuit S. C. quod, « celebrantibus Canonicis seu Portionariis, Dignitates praedictae neque Evangelium neque Epistolam cantare debent; quae Dignitates celebranti Episcopo assistere et inservire tenentur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 41].

5166.

S. R. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 15 oct. 1593.

Nostra Sac. Rituum Congregatio perspectis et cognitis SSmi D. N. iussu, quae in libello hoc nomine Presbyterorum S. Mariae de Spetia exponebantur, intelligens consuetudinem ab ipsis allegatam conformem esse sacris Canonibus, qui iubent singulis ex uniuscuiusque ordinationis tempore dandum esse locum, censuit: « Amplitudinem tuam his literis esse commonendam, ut, ea consuetudine restituta, locum cuilibet, iuxta suae ordinationis tempus, debitum assignet; eumque ordinem pro sua prudentia inviolate posthac conservandum curet, nisi dignitatis alicuius praeeminentia aut praerogativa personalis aliud non postularet. Si quid tamen Amplitudini Tuae ad hanc rem occurrerit rescribendum, statim nostram Congregationem faciant certiorem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 46].

[1] Cf. N. 151.

5167.

S. R. C., *Ordinis S. Francisci*, 26 nov. 1593.

Habita fuit Congregatio Sac. Rituum, in qua proposita Causa praecedentiae inter RR. Patres Procuratores Generales Fratrum Minorum de Observantia, et Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, auditis partibus, visisque et examinatis iuribus, per utrasque exhibitis, C. censuit: « Fratres Minores Observantes suum Procuratorem Generalem legitime hactenus habuisse, et ex fidibus quas ipsi exhibuerant, constare dictum eorum Procuratorem Generalem in Cappella Pontificia ante Procuratorem Generalem Minorum Conventualium sedisse. *Quamobrem etiam censuit:* Dictum Procuratorem Generalem Minorum Observantium in hac quasi possessione sedendi manutenendum esse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 42].

5168.

S. R. C., *Hydruntina*, 14 dec. 1593.

Archipresbyter et Archidiaconus Ecclesiae Parochialis S. Petri Galarini Dioecesis Hydruntinae conquestus est, Vicarium Foraneum dictae Terrae praetendere locum et stallum certum in Choro et in Processionibus, seque velle ingerere in caeremoniis et servitio Ecclesiae, aliisque in rebus ad eosdem Archipresbyterum et Archidiaconum spectantibus: quapropter recursum ad hanc S. C. habuerunt, ut providere desuper dignaretur. Et eadem C. censuit: « Supradictum Archipresbyterum Ecclesiae Parochialis Casalis novi praecedere debere Vicarium a Vicario Generali deputatum, Foraneum, eique primam sedem in Choro, praeeminentias ac praerogativas omnes in Ecclesia deberi: ipsi vero Vicario tamquam simplici Sacerdoti locum inter alios iuxta receptionis suae tempus esse assignandum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 43].

5169.

S. R. C., *Tirasonen.*, a. 1594.

Ad Dubium nomine Episcopi Tirasonen. propositum: an scilicet Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis teneatur assistere, et in sede sine *respaldo* seu fulcro sedere in aliis Ecclesiis, ad quas praedictus Episcopus adire contigerit? S. R. C. censuit: « Supradictum Archidiaconum compelli posse per Episcopum Tirasonen., ut pontificaliter celebranti aut alia Pontificalia exercenti, non solum in Cathedrali, sed in praescriptis etiam Ecclesiis, sibi assistat et inserviat; eumque sic assistentem ac ministrantem scabello, sive sella rasa, quam vocant, prout ministrum decet, contentum esse debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 50].

5170.

S. R. C., *Urbis*, 8 febr. 1594.

Quaeritur: an Canonicus, qui in Ecclesia Cathedrali locum tenet Vicarii, et gerit personam Cardinalis Archipresbyteri, debeat in Choro habere digniorem locum, et praeferri etiam iis Canonicis, qui sunt Episcopali dignitate insigniti?

Item: Si contigerit aliquando Vicarii Papae Suffraganeum, qui in illa Ecclesia iurisdictionem non habet, devotionis tantum causa adesse in Choro, non autem actu exercendi aliquod Pontificale munus, an tunc debeat ei praeferri Canonicus, qui tenet locum Vicarii, et refert personam Archipresbyteri Cardinalis, suffragante praesertim vetere illius Ecclesiae consuetudine?

Ad dubia proposita nomine « Canonici locum Vicarii obtinentis in Ecclesia, quae Archipresbyterum habet Cardinalem, *S. R. C. censuit:* Huiusmodi Vicarium, si iurisdictionem habet, praecedere debere omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episcopum, qui Suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa Divinis Officiis in Choro interessentes ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 47].

5171.

S. R. C., *Canarien.*, 10 maii 1594.

Ex parte Episcopi et Capituli Canariensis proposita fuerunt S. R. C. infrascripta dubia:

1. Utrum Dominus Episcopus possit compellere Fratres Mendicantes, quorum Monasteria consistunt intra septa moenium dictae Civitatis ad interessendum omnibus Processionibus solemnibus Corporis Christi, et aliis infra annum fieri solitis?

2. An Fratres praefati teneantur antecedere omnes de Capitulo in ordine Processionis, ita ut inter ipsos Capitulares non debeant immisceri, et in isto casu, cessante Apostolico privilegio, possint se iuvare alicuius temporis praescriptione?

S. R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Episcopum compellere posse supradictos Fratres Ordinis Praedicatorum et Ordinis Minorum de Observantia ad Processiones iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini, 25 Sess. de Regularibus, cap. 13, et declarationem a Sac. eiusdem Concilii Congregatione editam ».[1]

Ad 2. « Ut confusio omnis tollatur, eosdem Fratres suo quemque Ordine separatim a Capitulo Ecclesiae Cathedralis, ceterisque Clericis saecularibus incedere debere, non obstantibus allegatis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 48].

[1] Cf. N. 2194, 2231, 2239.

5172.

S. R. C., *Neapolitana*, 11 iun. 1594.

Visum est S. R. C. « Dominum Archiepiscopum Neapolitanum contentum esse posse, ut Magistri Annuntiationis eiusdem Civitatis, in repositione SSm̃i Sacramenti, quae fit in Octava Corporis Christi post Vesperas, possint deferre praedictum SSm̃um Sacramentum extra Ecclesiam, et procedere iuxta extensionem murorum eiusdem Ecclesiae et domus, ita ut semper ab uno latere dictos muros habeant: dummodo tamen non interveniant alii Religiosi, neque laicorum societates, praeter illos eiusdem Ecclesiae et domus, vel ab ipsa dependentes ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 49].

5173.

S. R. C., *Perusina*, 16 iul. 1594.

Super benedictione solemni Campanarum, quae habentur in Palatio Magistratus istius Civitatis, nonnulla Amplitudo Tua proponit Dubia, quibus per praesentem Epistolam respondeo.

1. Cum Campanae turris Palatii Apostolici Perusini loco profano sint sitae (quamvis in dicto Palatio duae habeantur cappellae), et profanis usibus inserviant, ut pro indicendis bellis, consilio publico, scholis etc., dubitatur, an pro iis aptari possit formula Pontificalis, pro Campanis Ecclesiae adhibenda?

2. Dubitatur, utrum dicta benedictio praesumi debeat, quia praefatae Campanae comparatae fuerunt altera sub Pontifice Urbano VI, altera sub Xysto IV; cum enim tunc temporis civitas Perusina perturbationibus fuerit obnoxia, censeri ne potest, Episcopum extra eam commoratum fuisse?

3. Si Campanae sint benedicendae, decet ne Episcopum super turrim pergere ut eas benedicat, cum sine ingentibus expensis demitti illae nequeant?

S. R. C. ad primum dubium respondit: « Non videntur posse benedici solemni ritu Campanae, quae solum deserviunt profanis usibus; nam, ut ex ipsa benedictione, quae habetur in Pontificali, colligi potest, Campanae benedicuntur in usum tantum ecclesiasticum, ut cetera vasa sacra: et ideo inunguntur variisque caeremoniis consecrantur fere ad eum modum, quo consecrantur Altaria ».

Ad 2. Dubium: « Campanae de quibus agitur non videntur praesumi posse esse benedictae non solum quia factae sunt tempore bellorum et schismatum, sed etiam quia sunt institutae ad profanos usus ».

Ad 3. Dubium: « Non videtur ullo modo decere, ut Episcopus in habitu pontificali ascendat turrim, ut Campanas solemni ritu benedicat: posset tamen Sacerdos aliquis turrim ascendere, et aqua benedicta Campanas aspergere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 52].

5174.

S. R. C., *Conchen.*, 29 nov. 1595.

Decanus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Conchen. exposuerunt, Regulares diversorum Ordinum ius sibi arrogare velle incedendi in Processionibus permixtim inter Beneficiatos et Curatos eiusdem Civitatis.

Et S. R. C. censuit: « Regulares omnes tam Civitatis, quam Dioecesis Conchen., in Processionibus ante Clerum saecularem distincte ac separatim ab eodem Clero, debito inter se ordine servato, sub suis Crucibus incedere debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 55].

5175.

S. R. C., *Miranden.*, 24 ian. 1596.

S. R. C. censuit: « Concedi posse Episcopo Mirandensi Literas Apostolicas in forma Brevis, quibus detur ei facultas compellendi Canonicos et Dignitates per mulctas et poenas etiam per censuras Ecclesiasticas, ut sibi celebranti atque Pontificalia exercenti, ex Decreto Concilii Tridentini [1] assistant et inserviant iuxta Pontificalis et Missalis Romani Rubricas ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 56].

5176.

S. R. C., *Aquileien.*, 30 sept. 1596.

Patriarcha Aquileiensis Ecclesiae S. C. supplicat, ut declaret, quis locus dandus sit Coadiutoribus Episcoporum Suffraganeorum in Synodo Provinciali? Et S. R. C. rescribendum censuit:

« Coadiutores cum futura successione in Synodo Provinciali sedeant iuxta tempus eorum promotionum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 60].

5177.

S. R. C., *Alecina*, 10 ian. 1597.

Episcopus Alecii cum prohibuisset, ne in Ecclesia S. Viti Oppidi Lequilis Alecien. Dioeces. Missa celebraretur, nisi post medietatem Missae solemnis parochialis, a Felice Cascione S. Viti Rectore recursum fuit ad hanc Congregationem, quae decrevit: Licere cuilibet Sacerdoti Missam

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.

celebrare, orta iam die, atque ita observandum scripsit Episcopo, qui denuo S. C. supplicavit, varias adnectens causas, cur praedictam prohibitionem sustinere nititur, rescriptum fuit:

« S. R. C. stat in decisis, eo magis cum causae ex adverso allegatae facile refellantur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 62].

5178.

S. R. C., *Cornetana*, 10 ian. 1597.

Confraternitas Confalonis S. Crucis Civitatis Cornetanae in Congregatione diei 7 augusti praeteriti anni 1596 supplici libello exposuit, se, uti priori loco erectam, ceteras et praecipue eam de Misericordia, in Processionibus aliisque functionibus praecedere solitam. S. C. respondit, produci et audiri partium iura; quibus visis ac consideratis, S. R. C. respondendum censuit:

« Manuteneatur Confraternitas Confalonis in suo iure praecedendi Confraternitatem Misericordiae; tum ob possessionem in qua existit, tum etiam ob antiqua documenta quae exhibuit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 65].

5179.

S. R. C., *Asten.*, 21 iun. 1597.

Praepositus Ecclesiae Cathedralis Asten. per tres sententias conformes obtinuit remitti in suo stallo, quod prius ab Archidiacono fuerat occupatum: et Archidiaconus coactus est in ultima sede Chori se collocare, multique ex Canonicis suum antiquum stallum relinquentes Archidiaconum sequuti, prope illum consedere, quod est contra veterem eius Ecclesiae consuetudinem, iuxta quam antiquiores Canonici prope sedem Praepositi gradatim assidere solent. Supplicat igitur praefatus Orator, ut quisque secundum suam anterioritatem et eiusdem Chori consuetudinem debeat, ut antea, in suo loco sedem habere.

Et S. R. C. rescribendum censuit: « Scribatur ad Episcopum, ut curet consuetudinem solitam servari; qua in re, si quid habuerit quod difficultatem faciat, interim supersedeat, dum Congregationem faciat certiorem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 81].

5180.

S. R. C., *Elboren.*, 2 sept. 1597.

Pro parte Decani et Capituli Elboren. supplicatur declarari infrascripta dubia, videlicet:

1. An in Missa solemni Archiepiscopo sine cappa pontificaliter assistenti Sacerdos pluviali indutus, illius manu prius osculata, aspersorium debeat porrigere: an potius, facta reverentia, illum aspergere?

2. An Archiepiscopo Horis canonicis praesenti, cum Canonici in fine Completorii aqua benedicta asperguntur, idem sit praestandum, et a quo, et quomodo?

3. An Archiepiscopus sine cappa pontificali, vel cum ea in Missa solemni assistens, habere debeat duos Assistentes?

4. An Archiepiscopus accedens ad Ecclesiam sine cappa pontificali, debeat facere confessionem cum Celebrante a sinistris, et duobus Assistentibus a dexteris?

5. An solemniter Celebrans debeat versus Archiepiscopum facere confessionem, an autem versus Altare?

6. An Archiepiscopo, cum fuerit sine cappa pontificali in Missa solemni, ea sint solemni ritu praestanda a Ministris Altaris et a Canonicis, quae Pontificale Romanum ei, si fuerit cum cappa pontificali, exhibenda praescribit?

7. An Canonici ad accipiendos cineres, ramos palmarum et candelas statutis diebus per annum de manu Archiepiscopi, vel alterius qui id officium celebret, sine mucetis laneis et nigris (quibus ut ordinario habitu in Choro super superpelliceo lineo utuntur) debeant accedere?

8. An Dignitates vel Canonici, cum Archiepiscopo sine cappa pontificali existenti quoquo modo assistunt, id sine eisdem mucetis facere debeant, an cum illis?

9. An Archiepiscopo sine cappa pontificali incedente, debeant Canonici et Capitulum ad eiusdem cubiculum accedere?

10. An in aspersione aquae benedictae diebus Dominicis fieri solitae Celebrans, qui sine Ministris vagatur per Chorum habens in manu hyssopum, ut cuique secundum eius gradum aquam porrigat, possit per unum ex Ministris populum aspergi facere?

S. R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Declarent usum illius Ecclesiae ».

Ad 2. « Declarent, ut supra ».

Ad 3. « Si habeat cappam, habebit Assistentes; secus, si sine cappa ».

Ad 4. « Nihil ».

Ad 5. « Fiat versus Altare, et quando dicit: *et tibi Pater*, vertat se ad Praelatum ».

Ad 6. « Nihil si sine cappa ».

Ad 7. « Accedant parati si Archiepiscopus benedicit: secus in habitu, prout assistunt in Missa ».

Ad 8. « Nil si sine cappa ».

Ad 9. « Canonici non tenentur ad Archiepiscopi cubiculum accedere, nec ipsum sine pontificali cappa existentem associare ».

Ad 10. « Missae Sacrum faciens per Chorum tantum a Ministris associatus aspergat. Per Ecclesiam vero et ad populum poterunt Ministri ipsi aspergere in Sacrificio illo ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 86].

5181.

S. R. C., *Fundana*, 2 sept. 1597.

Pro parte Episcopi Fundani fuerunt proposita infrascripta Dubia, videlicet:

1. An Capitulum Collegiatae S. Mariae Civitatis Fundanae debeat dare praecedentiam Capitulo Ecclesiae Cathedralis invitato, vel ad Festum Titularis seu alterius, vel ad funeralia, in eadem Collegiata?

2. An, cum utrumque Capitulum invitatur ad Processionem funeralium, debeat Capitulum Collegiatae accedere ad Cathedralem, ut se cum Capitulo Cathedralis eiusdem coniungat, vel liceat id facere in quadam via?

Quoad primum caput, censuit S. C., « Canonicos Cathedralis Ecclesiae Fundanae praecedere debere Canonicos ceterosque Ecclesiae Collegiatae, tam in funeralibus officiis celebrandis, quam in aliis actibus, etiam intus Collegiatam ».

Quoad secundum: « Canonici et Capitulum Ecclesiae praedictae Collegiatae in funeralium Processionibus congregentur in Ecclesia Cathedrali, et inde cum Canonicis Cathedralis discedant et incedant, consuetudine in contrarium asserta non obstante ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 87].

5182.

S. R. C., *Iuvenacen.*, 2 sept. 1597.

Iosephus de Mena alias recursum habuit ad S. C. contra Episcopum Iuvenacien., qui eum compulerat ad interessendum Choro, postquam Archidiaconatum, quo fungebatur, renunciaverat. Et S. C. censuit rescribendum: « Scribatur ad Episcopum Iuvenacien., quare Oratorem ad narrata adstringit? et interim abstineat ab huiusmodi iussu ». Cum vero Episcopus non visus est illi acquievisse supradicto Decreto; iterum Orator adiit S. C. pro nova in posterum provisione.

Et Sac. C. « Stat in alias decretis sub die 8 februarii praeteriti 1597, et proinde dictum Iosephum de Mena Oratorem non teneri ad narrata; nec quoquo modo adstringi posse tam per praesentem Episcopum, quam eius in futurum Successores ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 88].

5183.

S. R. C., *Abulen.*, 7 apr. 1598.

Decanus Ecclesiae Abulen. exposuit consuevisse olim Canonicos ante versum — *Pretiosa* — in Prima facere processionem pro defunctis, inde convocare Capitulum, et, eo peracto, prosequi Primam; qui mos, cum visus sit repugnare rubricis ecclesiasticis, intermissus est, et post Primam integre absolutam processio facta, et Capitulum celebratum. Sed cum in praeiudicium rerum ecclesiasticarum multi nunc deserant Capitulum, supplicat, ut liceat pristinam consuetudinem reassumere.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Si adsunt negotia necessaria pro Capitulo poterunt convocari Capitulares, etiam poenis appositis, sed non impediatur processio post Primam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 92].

5184.

S. R. C., *Egitanien.*, 10 iun. 1602.

Pro Episcopo Egitanien. Lectum fuit Memoriale, in quo petebat a Sacra Rituum Congregatione resolutionem infrascriptorum Dubiorum. Quibus Dubiis et petitionibus eadem S. R. C. die 10 iunii 1602 respondit, ut infra, videlicet:

Ad 1. An ipse Episcopus possit prohibere Canonicis, ne Capitulum seu Congregationes faciant dum in Ecclesia Horae Canonicae cantantur, et Missa maior celebratur, non obstante quavis praetensa in contrarium consuetudine?

Respondit: « Episcopum posse id prohibere, iuxta aliam similem declarationem factam ab eadem Sacra Congregatione in una Lisbonen. sub die 17 novembris 1600, in qua declaravit, non esse celebrandum Capitulum dum Missa seu Horae Canonicae in Ecclesia celebrantur: idque etiam fuit decretum in Conciliis Basileensi, Coloniensi et Mediolanensi, et aliis: ita ut Canonici contravenientes puniantur in amissione quotidianarum distributionum, nisi adesset urgentissima causa vel maxima necessitas ».

Ad 2. In quo narratur, quod cum in Oppido *Abrantes* duae sint Ecclesiae Parochiales, utriusque Rectores et Parochiani praetendunt, quod Episcopus teneatur incipere Visitationem a sua Ecclesia. An Episcopus possit Visitationem incipere ab ea Ecclesia, quae sibi magis placuerit, non obstante quavis dictarum duarum Ecclesiarum, seu earum Rectorum et Parochianorum praetensione?

Respondit: « Episcopum posse Visitationem incipere ab ea Ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis iuribus, et sine praeiudicio praetensionis alterius Ecclesiae ».

Ad 3. An Episcopus possit cogere Rectores Parochialium Ecclesiarum suae Dioecesis, ut vinum, hostias, paramenta et cetera ad celebrandum necessaria subministrent Presbyteris in eorum Parochiis commorantibus, et in eorum Ecclesiis celebrare volentibus, iuxta antiquam consuetudinem?

Respondit: « Episcopum non posse cogere praedictos Rectores, sed hortari, et Rectores recte facturos si monitionibus et hortamentis Episcopi pareant ».

Ad 4. An Episcopus possit cogere Regulares, ut in commemorationibus ultimis, quae fiunt in Missis privatis et non solemnibus, nec duplici ritu celebratis, videlicet pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, pro Principe et

Prole Regia, et cuncto Populo Christiano etc., iuxta antiquam consuetudinem Regni, ut omnino ipsi Regulares faciant commemorationem Episcopi, seu Antistitis Ordinarii, quia id Regulares non faciunt, sed loco Antistitis suum Ordinem commendant?

Respondit: « Episcopum Regulares ad hoc faciendum cogere non posse ».

Ad 5. An Episcopus in Ecclesiis Parochialibus Oppidi de Castello Blanco suae Dioecesis, duo Tabernacula lignea in aere pendentia fere supra Altaria, ubi Missae celebrantur, fabricata, ibique rumores et strepitus fiunt cum scandalo populi, possit ad formam non scandalosam, et in toto Regno solitam reduci facere?

Respondit: « Episcopum posse id facere vel in generali Visitatione, vel prout melius sibi videbitur ».

Ad 6. An Episcopus possit prohibere, ne Commendator et Praefectus de Castello Blanco, et Praefectus de *Abrantes* sedes apud Altare Cappellae maioris portare faciant, ibidemque sedeant Divinis Officiis interessentes, adstantibus suis familiaribus cum scandalo populi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium pro dictis Commendatore et Praefectis faciente?

Respondit eadem S. C.: « Episcopum posse id facere ad tollenda scandala, vel in Visitatione generali, vel prout melius sibi videbitur, maxime si sedes praedictae locentur in Presbyterio, prout praesupponitur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 96].

5185.

S. R. C., *Placentina*, 10 iun. 1602.

Pro Monachis S. Sixti Congregat. Cassinen. Placentiae commorantibus narratum fuit, quod ipsi Monachi numquam in eadem Civitate, nec alibi soliti sint accedere ad alias Processiones, praeterquam ad Processionem SSmi Sacramenti. Nunc vero Episcopus vult eos cogere, ut accedant etiam ad Processiones, quae fieri solent pro Rogationibus maioribus et minoribus singulis annis, ad quas nunquam antea accesserunt: et propterea petierunt, non adstringi ultra eorum solitum et consuetum.

Congr. Sacr. R. respondit: « Monachos praedictos non esse ullo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem SS. Sacramenti, iuxta antiquam eorum consuetudinem; quam tam dictis Monachis Placentiae commorantibus, quam aliis eiusdem Congregationis Cassinen. ubique conservandam esse censuit et declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 99].

5186.

S. R. C., *Valven.*, 8 iul. 1602.

Canonici et Capitulum Ecclesiae Valven. petierunt: An Abbates benedicti, qui alias in Synodo Dioecesana habuerunt praecedentiam, attenta declaratione Congregationis Sac. Concilii et novi Caeremonialis Episcopo-

rum, quod Canonici processionaliter et capitulariter procedentes, praecedant ipsis Abbatibus, debeant adhuc eisdem Abbatibus cedere, vel super illos praecedentiam habere?

Sac. C. R. respondit: « Non esse recedendum a Decreto Congregationis Sacri Concilii, et dispositione libri Caeremonialis Episcoporum ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 102].

5187.

S. R. C., *Egitanien.*, 3 aug. 1602.

Pro Episcopo Egitanien. in Congr. S. R. quaedam dubia fuere proposita, de quibus ab eadem S. C. decisio seu resolutio petebatur.

1. An Episcopus pro statuendis legibus synodalibus seu dioecesanis, attenta aeris intemperie et nociva sanitati ipsius Episcopi, possit in alium locum salubriorem et commodiorem, pro dictis legibus determinandis et statuendis ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri? S. R. Congr. respondit: « Posse, dummodo duo Canonici praedicti longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, [2] a sua Ecclesia non abfuerint ».

2. An quoties Episcopus cum cappa ad Ecclesiam, ut divina officia celebret, seu illis assistat, progreditur, Canonici eum a loco suae habitationis, quem non distare maiori spatio ab Ecclesia, quam viginti passibus asseritur, associare teneantur? Sacra Congr. respondit: « Teneri, dummodo distantia sit brevis prout praesupponitur ».

3. Circa locum Vicario generali dandum, dum ab Episcopo pro negotiis urgentibus tractandis ad Capitulum destinatur, cum locus certus pro Vicario in Capitulo hactenus non sit determinatus, licet in Processionibus Capitulum praecedere soleat: Sac. Congr. respondit: « Vicario Generali convenire locum supra omnes Canonicos tam in Congregationibus capitularibus et sessionibus, quam in Processionibus dummodo Canonici sacris vestibus parati non incedant ».

4. An Episcopus in Civitate aut Suburbio extra Ecclesiam Cathedralem Pontificalia exercere volens, possit de Capitulo aliquos secum deducere, qui sibi assistant, remanentibus aliis in Choro, qui satis sint ad divina officia celebranda? Sacr. Cong. inhaerendo decretis alias in simili casu factis, [3] et decretis S. C. Concilii, censuit: « Posse ».

5. An Episcopus possit prohibere, ne pro admittendis noviter provisis in Ecclesia de aliqua Dignitate, Canonicatu vel Beneficio exigatur summa pecuniarum cum chirothecis, prout hactenus consuetum fuit? Sac. Congr. respondit: « Episcopum non posse id prohibere, si pecuniae vertantur in utilitatem et servitium Ecclesiae; si vero vertantur in Canonicorum seu

[1] L. II, c. XXXII, n. 1, c. XXXIII, n. 5.
[2] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.
[3] Cf. N. 5160.

aliorum privatam utilitatem, posse prohibere ». Et ita declaravit, et ad praedicta dubia ut supra respondit.[1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 105].

5188.

S. R. C., *Aesina*, 30 aug. 1602.

Canonici Diaconi Aesinae Civitatis petierunt a Sac. Rituum Congregatione declarari, « ut ipsis Diaconis et non Presbyteris Canonicis competat assistentia, quando Episcopus procedit cum cappa in Processionibus ».

Eadem Sac. Rituum Congreg. respondit: « Nullam Episcopo convenire assistentiam neque Diaconorum, neque Presbyterorum, quando procedit cum cappa, nec est sacris vestibus paratus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 109].

5189.

S. R. C., *Melphien.*, 30 aug. 1602.

Ad dubia proposita pro parte Episcopi Melphien. Sacra Rituum Congregatio respondit, ut infra, videlicet:

Ad 1. De assistentia duorum Canonicorum tantum, et non Presbyteri, toleranda nec ne? Respondit: « Servandam esse regulam libri Caeremonialis ». Ad 2. et 3. de assistentia facienda Episcopo, quando assistit paratus cum pluviali et mitra ad Vesperas seu Missas, et quando assistit cum cappa; idem respondit « nempe servandas esse regulas praescriptas in dicto libro Caeremoniali ». Ad 4. de hastis baldachini deferendis in Ecclesia, respondit: « Decere, ut servetur liber Caeremonialis, si pacifice et sine magno scandalo eius usus introduci poterit ». Et ita ad supradicta dubia respondit.[1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 111].

5190.

S. R. C., *Tarentina*, 28 sept. 1602.

Cantor Ecclesiae Tarentinae, qui est secunda Dignitas in eadem Ecclesia, exposuit, quod absente Archiepiscopo et Sede vacante, Archidiaconus qui est prima Dignitas, solet in die Purificationis benedicere et distribuere Candelas; et Feria IV Cinerum benedicere et distribuere Cineres; et qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis deferre processionaliter SS. Sacramentum, et similiter in die festivitatis eiusdem: quae omnia, absente Archidiacono, solet facere ipse Cantor: et nihilominus nonnulli ex dictae Ecclesiae

[1] E. dub. 6.
[2] E. dub. 5 et 6.

Canonicis praetendunt, quando sunt hebdomadarii, excluso ipso Cantore, dictas functiones facere in grave ipsius praeiudicium: quare petiit a Sacra Rituum Congregatione, ut in possessione praedicta exercendi munia et functiones supradictas in absentia Archidiaconi manuteneatur: nec liceat ipsi Archidiacono praedicta munia alteri Canonico, invito ipso Cantore, demandare. Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit: « Servandam esse consuetudinem in favorem Cantoris, quatenus adsit. Verum autem adsit necne, probet apud Ordinarium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 112].

5191.

S. R. C., *Egitanien.*, 23 nov. 1602.

Episcopus Civitatis Egitanien. in Sac. Rituum Congregatione quaedam dubia proponi fecit, de quibus resolutionem petiit pro bono et quiete suae Ecclesiae, et ut Canonicos possit in eorum officio continere.

1. An, praesupposita consuetudine, quod Canonici possint ab Ecclesia longiori tempore, quam a Concilio praescribitur,[1] abesse, Episcopus talem usum aut consuetudinem, ad praescriptum praedicti Concilii reducere possit? Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit: « Posse ».

2. An tempore vacationis concessae Canonicis, possint omnes simul per tempus sibi concessum ab Ecclesia abesse? An vero alii post alios, ne servitium Ecclesiae tempore vacationis omnino deseratur? Congregatio respondit: « Non omnes simul a servitio vacare debere, sed alios post alios, ordine servato; ita ut Ecclesia servitio non defraudetur ».

3. An Canonici praesentes et non impediti teneantur per se ipsos suis muneribus et officiis satisfacere, vel per substitutos? Congregatio respondit: « Canonicos per se ipsos servire, et sua munia exercere debere, et non per substitutos ».

4. An Episcopus possit cogere Canonicos in Choro, ut extollant vocem, maxime eos, qui in hoc culpabiles sunt, nec volunt cum aliis communicare in cantu? Congregatio respondit: « Decere, ut Canonici voce non impediti alte canant in Choro, coadiuvantes alios, et posse Episcopum illos ad id faciendum hortari ».[2]

5. An Canonicus fabricae administrationi deputatus, propter hanc causam toto anno ab Ecclesiae servitio eximatur, et nihilominus distributiones integre lucretur? Congregatio respondit: « Teneri Canonicum praedictum Ecclesiae inservire, sicut tenentur omnes alii Canonici; et si facere id contemnat, mulctandum esse in amissione distributionum, sicut mulctantur alii non servientes ».

6. An pueri, in privatis Missis, Sacristiae et Choro inservientes cum cottis, debeant saltem Ordines minores habere vel primam Tonsuram, et

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.
[2] E. dub. 5.

pure laici ab huiusmodi ministerio arcendi sint? Congregatio respondit: « Convenire praedictos pueros saltem primam Tonsuram habere, dummodo per aetatem eiusdem Tonsurae sint capaces ».

Et ita in omnibus supradictis dubiis eadem Sacra Rituum Congregatio ut supra respective respondit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 113].

5192.

S. R. C., *Pacen.*, 14 dec. 1602.

Petrus Mexia Ecclesiae Pacen. Canonicus Sac. Rituum Congregationi exposuit, quod, cum Canonici et Capitulum soleant singulis diebus Dominicis, et aliis quibusdam festivitatibus per annum, post horam Tertiae, Processiones quasdam intra Ecclesiam facere; dum ante Altare SS. Sacramenti transeunt, ex inveterata consuetudine, seu potius abusu, non genuflectunt, sed tantum caput inclinant; ipse vero Orator, ob reverentiam tanti Sacramenti usque ad terram genuflectit: ceteri Canonici id aegre ferentes, ipsum, ob hoc, tamquam inveteratas Ecclesiae consuetudines servare nolentem, mulctare praetendunt. Quare petiit: an id licite facere possint?

Sacra praedicta Congregatio respondit: « Non solum non licere Canonicis, qui non genuflectunt ante SSm̃um Sacramentum mulctare eos, qui genuflectunt, quin potius ipsi non genuflectentes ab illis, qui genuflectunt, mulctandi essent, cum omnes fideles ante SSm̃um Sacramentum transeuntes genuflectere teneantur. Et ita per omnes Canonicos Ecclesiae Pacen. in futurum servari, non obstante quacumque eorum praetensa in contrarium consuetudine, quam corruptelam potius et abusum esse declaravit ». Eadem Sacra Rituum Congregatio praecepit et mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 117].

5193.

S. R. C., *Conimbricen.*, 14 dec. 1602.

Cum alias saepe Sacra Rituum Congregatio declaraverit,[1] « non debere Canonicos Capitulum celebrare, dum in Choro cantantur horae canonicae, seu Missa Conventualis celebratur: idem etiam servandum esse decrevit a Canonicis Conimbricen. Ecclesiae », et ita ad instantiam R. P. D. Alphonsi de Castroblanco eiusdem Ecclesiae Episcopi declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 118].

[1] Cf. N. 5183, 5184.

5194.

S. R. C., *Marugien. Nullius*, 14 dec. 1602.

Cantor Terrae Marugii Nullius Dioecesis in Hydrunto, exposuit Archipresbyterum eiusdem Terrae substitutum sibi elegisse, quem in eius absentia Missas solemnes celebrare vult, quas ipse Archipresbyter, si adesset, celebraret, et quae, ipso absente, ad Cantorem et alias Dignitates, seu antiquiores Presbyteros dicti loci pertinerent: necnon praetendere ipsum Archipresbyterum, ut dictus eius substitutus sedeat et honorem incensi et pacis habeat, in loco proprio ipsius Archipresbyteri supra omnes alios, in grave praeiudicium Dignitatum et ceterorum Presbyterorum antiquiorum dictae Terrae.

Sacra Rituum Congregatio « id minime licere respondit, sed Missarum celebrationem in absentia Archipresbyteri, vel etiam in eius praesentia, si ipse celebrare noluerit, ad Dignitates seu antiquiores Presbyteros, non autem ad Archipresbyteri substitutum pertinere, cui tamquam substituto nec locum ullum, nec incensi aut pacis honorem convenire ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 120].

5195.

S. R. C., *Marugien. Nullius*, 25 ian. 1603.

Ad instantiam Cantoris Terrae Marugii Nullius Dioecesis in Hydrunto expositum fuit: Vicarium eiusdem Terrae in spiritualibus praetendere, ad ipsum privative quoad Dignitates, et alios dicti loci Presbyteros spectare celebrationem Missarum solemnium, in quibus etiam cogere praetendit ipsas Dignitates, ut sibi celebranti ministrent, cantando Epistolam et Evangelium.

Sacra Rit. Congr. respondit: « Missarum solemnium celebrationem ad Dignitates, non autem ad Vicarium spectare: nec Vicarium Dignitates cogere posse, ut sibi celebranti ministrent » censuit et declaravit. Et ita in Terra praedicta Marugii servandum esse decrevit et ordinavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 123].

5196.

S. R. C., *Nolana*, 23 maii 1603.

Pro parte Cantoris ac Archidiaconi Ecclesiae Nolanae, in qua, ultra quatuor Dignitates, Praebendae Canonicorum distinctae sunt, nempe Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales. Quaesitum fuit: An Episcopus possit cogere Dignitates ut sibi hinc inde assistant; et casu, quo Episcopus non Dignitates, sed Canonicos Diaconos ad assistendum sibi, ut decet, eligat:

An dicti Canonici assistentes in receptione candelarum, cinerum et palmarum ceteris Canonicis, ac etiam Dignitatibus, ratione dictae assistentiae, praeferendi sint?

Sac. Rit. Congregatio, respondit: « Servandam esse formam libri Caeremonialis, in quo statuitur, ut quando Praebendae sunt distinctae, Canonici assistentes eligantur ex numero Diaconorum. Et quod in receptione candelarum, cinerum et palmarum, quilibet accedat ordine suo, hoc est primo loco Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, et demum Subdiaconi: nec in praemissis habendam esse rationem assistentiae, licet quoad incensum et pacem, ipsi Canonici assistentes, etiam ordine inferiores praeferendi sint ceteris omnibus etiam Dignitatibus. Et ita in Civitate Nolana servandum esse eadem Sacra Congregatio censuit et declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 129].

5197.

S. R. C., *Conimbricen.*, 23 maii 1603.

Ad dubia proposita pro parte Capituli Ecclesiae Conimbricen. S. R. C. respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. An Episcopus sedens in Choro, dum versus Altare genuflectit, ita genuflectere possit, ut totaliter terga Capitulo vertat? « Non indigere responsione, cum clarum sit longe melius esse vertere renes Canonicis et Capitulo, quam Altari ».

Ad 2. An Sedes Episcopi in Choro existens fixa et immobilis, seu amovibilis vel portatilis esse debeat? Respondit: « Sedem Episcopi debere esse fixam et immobilem iuxta dispositionem libri Caeremonialis in titulo de Sedibus Episcopi etc. licet iuxta dispositionem loci possit amoveri, et in alio loco opportuno et decenti locari ».

Ad 3. An dicta Sedes serico ornanda sit tam quando Episcopus pontificaliter celebrat, quam quando Divinis Officiis assistit? Respondit: « Semper convenire, ut Sedes Episcopi sit ornata serico, vel alia materia coloris convenientis tempori, iuxta regulam libri Caeremonialis in dicto titulo de Sedibus Episcopi ». Et ita eadem Sacra Congr. respondit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 131].

5198.

S. R. C., *Tifernaten.*, 5 iul. 1603.

Cum domus Episcopi Tifernaten., licet non contigua Ecclesiae Cathedrali, eidem tamen sit satis vicina, ut notissimum est et Sacrae Rituum Congregationi constat:

Eadem Sacra Rituum Congregatio, ut alias saepe in similibus, ita nunc ad instantiam Episcopi praedicti declaravit: « Teneri Capitulum et Canonicos in habitu canonicali accedere ad domum praedictam, ipsumque Episcopum cappa indutum a camera, seu loco deputato in eadem domo, ad Ecclesiam Cathedralem associare, quotiescumque Episcopus ad eamdem Ecclesiam solemniter celebraturus, vel ut Divinis Officiis assistat, accesserit: et finita Missa seu Officio, ipsum in eodem habitu ad eumdem locum reducere. Quotiescumque vero Episcopus in Ecclesia Cathedrali pro sua devotione Missam planam celebrare voluerit, debere duos Canonicos eiusdem Ecclesiae, iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem hactenus servatam, eidem assistere et ministrare ». [1]

« Quod si post Missam planam velit Episcopus etiam Missae solemni vel conventuali seu Divinis Officiis assistere, non esse opus ut ab universo Capitulo et Canonicis associetur a dicto Altari ubi celebravit, ad Sedem Episcopalem, sed satis esse si a duobus Canonicis praedictis, qui eidem in Missa ministrarunt, comitetur ».

« Cum vero Episcopus ad aliam Ecclesiam suae Civitatis accedere voluerit, non posse semper Canonicos cogere, ut eidem assistant; sed ita demum si ob aliquam publicam solemnitatem, vel celebraturus, vel episcopales functiones executurus, vel ad Ordines conferendos accesserit. Quo casu etiam curare debebit, ut in Ecclesia Cathedrali remaneant Canonici et Ministri necessarii pro eius servitio ». Et ita in omnibus supradictis Sacra Rituum Congregatio censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 138].

5199.

S. R. C., *Conimbricen.*, 5 iul. 1603.

Cum alias ad instantiam R. P. D. Alphonsi de Castroblanco, Conimbricen. Episcopi, sub die 8 iulii 1602, Sacra Rituum Congregatio declaraverit: Canonicos teneri ad observationem Cap. XV, lib. 1 Caeremonialis Episcoporum, et debere ipsum Episcopum a domo suae habitationis ad Ecclesiam Cathedralem in habitu canonicali associare, quotiescumque in diebus festivis vel solemnibus cum cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercendum, aut Divinis Officiis interessendum accedere voluerit; et pro parte eorumdem Canonicorum in eadem Sacra Congregatione semel atque iterum institum fuerit pro revocatione seu moderatione supradicti Decreti; sub praetextu, quod non modo domus Episcopi non esset Ecclesiae contigua, sed etiam longius ab ea distaret, quam Episcopus exposuerit, et praeter longitudinem, viam esse arduam et difficilem aquis plenam, et fere ad Processionis usum impracticabilem asseruerint: et cum eadem Sacra Rituum Congregatio veram informationem super praemissis habere procuraverit, et demum habuerit per literas eiusdem Episcopi et fides publicas Notariorum, ex quibus neque viam arduam aut difficilem, seu aquis plenam; neque tam longam esse, ut Canonici asserebant, clare constitit; ideo « a praedicto Decreto

[1] Cf. N. 5160, 5180, 5187.

non esse recedendum iudicavit, et ad illud omnino servandum Canonicos teneri declaravit, eisque in posterum super praemissis perpetuum silentium imposuit et imponi mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 139].

5200.

S. R. C., *Monopolitana*, 6 sept. 1603.

Pro parte Episcopi et Ecclesiae Monopolitanae Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, in eadem Ecclesia quatuor esse Dignitates, nempe Archidiaconum, Archipresbyterum et duos Primicerios ad Chorum regendum destinatos, qui propterea unus hinc, alius inde in principio Chori stare seu sedere consueverunt: ceteros Canonicos, qui Praebendas distinctas non habent, sedere seu stare solere hinc inde immediate post praedictos duos Primicerios, et secundum antianitatem locum digniorem obtinere. Quando autem contingit Episcopum celebrare, vel Missis aut Vesperis solemnibus assistere, dubitatum fuit, an dicti duo Primicerii, qui in Choro destinati sunt, ad assistentiam vocandi sint, vel quis, seu qui ex Dignitatibus vel Canonicis praedictis in Officio assistentiae, tam quando Episcopus celebrat, quam quando non celebrat, eidem ministrare debeant, cum non satis clare casus iste in libro Caeremoniali Episcoporum expressus sit.

Sacra Rituum Congregatio censuit: « Primicerios non esse a loco et officio suo assistendi et regendi Chorum dimovendos; sed in Officio assistentiae apud Episcopum, quando celebrabit solemniter, vocandam esse primam Dignitatem, quae, ut praesupponitur, Archidiaconus est; et is, si in presbyterali Ordine erit constitutus, Officium Presbyteri assistentis exercet, ut cavetur in Caeremoniali praedicto lib. 1, cap. 7. Duo vero praedicti et digniores Canonici, immediate sequentes post Primicerios, Officium duorum Diaconorum assistentium hinc inde apud Episcopum exercent, ut praescribitur in cap. 8 dicti libri Caeremonialis. Quod si Archidiaconus non erit Presbyter, ipse a dextris Episcopi Officium primi Diaconi assistentis exercet, a sinistris vero primus Canonicus immediate sedens post Primicerium; et Archipresbyter in hoc casu Officium Presbyteri assistentis exercet. Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis aut Missis solemnibus praesente, semper ab Archipresbytero, qui, ut supponitur, est secunda Dignitas, Officium Presbyteri assistentis agendum, et a duobus primis Canonicis immediate sequentibus post Primicerios duorum Diaconorum assistentium Officium exercendum esse » eadem Sacra Congregatio Rituum censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 146].

5201.

S. R. C., *Illerden.*, 15 nov. 1603.

Decanus et Capitulum Illerdensis Ecclesiae, qui, ut asseruerunt, ex privilegio et concessione Apostolica Canonicatum suppresserunt, et fructus eiusdem cum Praebenda cuidam Theologo Regulari ad nutum amovibili assignaverunt, ut legeret et praedicaret etc., cui etiam distributiones quotidianas dederunt etc., petierunt ut dictus Theologus Regularis non teneatur in Choro cum ceteris Canonicis assistere.

Sac. Rituum Congr., auditis petitionibus praedictis, censuit: « Praebendam et Canonicatum praedictum conferendum esse in perpetuum, et in titulum Clerico saeculari, qui praedicet, legat et cum ceteris Canonicis munus Praebendae Theologalis adimpleat, iuxta formam Concilii Tridentini,[1] quia nullo modo convenit, ut Regularis cantet Officium in Choro cum Canonicis et Presbyteris saecularibus ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 147].

5202.

S. R. C., *Mediolanen.*, 29 nov. 1603.

Pro parte Praepositi, Capituli et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Sanctorum Cyri et Materni in Oppido Desii Mediolanen. Dioeces. Sac. Rit. Congr. expositum fuit, solitum esse in eorum Ecclesia Canonicos sedere in Choro per ordinem, secundum anterioritatem seu antianitatem admissionis ad Canonicatum, nullo habito respectu ad qualitatem personae, si una sit magis qualificata, quam alia. Novissime autem cum eiusdem Ecclesiae Canonicatum obtinuerit Ioannes Baptista Pirannia Doctor in Theologia, ratione sui Doctoratus, ipsum praetendere primum locum in Choro supra Sacerdotes et Canonicos antiquiores.

Eadem Sac. Rit. Congr: « Vanam et inanem esse praetensionem dicti novi Canonici declaravit, cum longe dignior sit ordo sacer Presbyteratus, quam gradus Doctoratus; et ideo illum in loco suae admissionis ad Canonicatum, et non supra alios sedere et incedere debere » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 148].

5203.

S. R. C., *Pisauren.*, 20 dec. 1603.

Cum ad instantiam Capituli et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Pisauren. in Sacra Rituum Congregatione declaratum fuerit Canonicos et Capitulum una cum Mansionariis, Curato et Cappellanis Ecclesiae Cathedralis debere praecedere in omnibus Processionibus et defunctorum fune-

[1] Sess. V, *de ref.*, c. 1.

ralibus, quibuscumque Curatis dictae Civitatis, iuxta antiquam consuetudinem eiusdem Civitatis, quae Caeremoniali libro conformis est: et Curati sub praetextu cuiusdam Decreti Synodalis, quod numquam fuit usu receptum, ad Sacram Episcoporum Congregationem recursum habuerint, et litteras ab ea obtinuerint pro observatione dicti Decreti Synodalis, et demum ab eadem Sacra Congregatione Episcoporum causa commissa fuerit ad eamdem Sac. R. Congregationem: audita relatione Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Galli, cui haec causa ab ipsa Rituum Congregatione commissa fuerat, et re inter Patres mature discussa et examinata;

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit et declaravit: « Consuetudinem antiquam et diu observatam in procedendo, servandam esse tam in Processionibus quam in funeralibus, non obstante allegato Decreto Synodali, quod usu receptum non fuit: et Curatum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, quando adest Capitulum Ecclesiae Cathedralis, debere praecedere quoscumque alios Presbyteros, non autem dictae Ecclesiae Cathedralis, et non cum Mansionariis, nec inter illos aut post illos. In Ecclesia vero ad quam funus defertur, ad Curatum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere circa corpus defuncti ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 151].

5204.

S. R. C., *Elven.*, 10 ian. 1604.

Pro parte Episcopi Elven. quaedam dubia in S. R. C. proposita et examinata fuerunt.

1. An Canonici, attenta distantia domus Episcopalis ab Ecclesia Cathedrali per spatium centum decem passuum, teneantur ipsum ducere et reducere a domo ad Ecclesiam, et ab Ecclesia ad domum, prout cavetur in libro Caeremoniali Episcoporum, et prout hactenus fecerunt, licet nunc id facere recusent? Sacra Rit. Cong. iuxta resolutiones alias in similibus factas,[1] censuit et declaravit: « Canonicos teneri ad associandum Episcopum, quoties ipse cum cappa ad celebrandum Divina Officia, vel ut illis assistat, ad Ecclesiam accedit. Debere tamen Episcopum curare, ne occasione huius comitatus Ecclesia omnino deseratur, ita ut in ea nulli vel pauci Canonici aut Presbyteri pro servitio Ecclesiae remaneant: quod prudentiae et discretioni ipsius Episcopi eadem S. R. C. moderandum reliquit ».

2. An ipse Episcopus possit prohibere, ne Canonici mozzettam cum cucullo deferant, quem habitum sibi ipsi auctoritate propria, ut asseritur, usurpaverunt? Sac. Rit. Cong. respondit: « audiendos esse Canonicos, de quorum praeiudicio agitur: et ideo monendos esse, ut compareant per se vel per procuratorem in Curia et coram Illm̃o et Rm̃o D. Card. SS. Quatuor iura sua producant, et doceant qua auctoritate praedictum habitum deferant, seu deferre praesumant ».

[1] Cf. N. 5160, 5180, 5187, 5198.

3. An ipse Episcopus possit cogere Canonicos, ut sibi cappas pro usu Chori parent iuxta morem multarum Ecclesiarum? Sacra Rituum Congregatio respondit: « Non posse Episcopum hoc facere, cum nec Canonici nec alii cappam deferre possint, sine expressa et speciali licentia Sedis Apostolicae ».

4. An possit Episcopus parare sibi Sedem in cornu Evangelii cum tribus gradibus, illamque ornare etc.? Sac. Congregatio respondit: « Servandam esse formam libri Caeremonialis Episcoporum in titulo de Sedibus Episcopi, lib. 1, capit. 13 ».

5. An cum ipse Episcopus assistit Divinis cum cappa lata, debeat salutare Canonicos, qui ante ipsum transeunt, detegendo caput, vel satis sit illis manu benedicere? « Satis esse manu benedicere » Sacra Congregatio respondit.

6. An possit prohibere Clericis et Presbyteris, ne accedant ad funeralia, in quibus Confraternitates Laicorum praecedentiam super ipsos Clericos vel Presbyteros, sub praetextu consuetudinis, praetendunt? Sacra Congregatio respondit: « Clerum semper debere praecedere quibuscumque Laicorum Confraternitatibus, et si quid in contrarium servetur, abusum et non consuetudinem esse declaravit ».

7. An Episcopus possit prohibere, ne Canonici vel maior pars eorum simul vacationem trium mensium, quae ex privilegio conceditur, accipiant; ne Ecclesia destituatur omnino a debito servitio per dictum tempus? Sacra Congregatio respondit: « Servandam esse in hoc resolutionem Sacrae Congregationis Concilii ». Et ita, ut supra, ad omnia praedicta dubia eadem Sacra Rituum Congregatio respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 152].

5205.

S. R. C., *Compostellana*, 21 febr. 1604.

Cum in Ecclesia Dei alia ministrorum in divinis inservientium, alia populi Divina audientis loca esse debeant, Sacra Rituum Congregatio, viso et considerato Memoriali nomine Decani et Capituli Ecclesiae Compostellanae porrecto, censuit: « Non licere nec permitti debere laicis, dum divina Officia in ipsa Ecclesia peraguntur, inter Praebendatos ac Ministros, in Choro vel Presbyterio, stare vel sedere, nec licere Magistratibus aut Iudicibus laicis proprias Dignitatum Sedes aut Canonicorum stalla in Choro praedicto aut Presbyterio occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit ». Die 4 februarii 1600.

Suprascriptum Sacrae Rituum Congregationis Decretum tam in Archiepiscopali Compostellana Ecclesia, quam etiam in Processionibus, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire seu assistere Capitulum et Canonicos eiusdem Ecclesiae Compostellanae contigerit, observandum esse eadem Sacra Rituum Congregatio censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 157].

5206.

S. R. C., *Eugubina*, 17 iul. 1604.

Quaesitum fuit pro parte Episcopi Eugubini in S. R. C.

1. An Abbas et Monachi S. Petri de Eugubio Congregationis Montis Oliveti, possint, absque licentia Episcopi, facere Processionem deferendo per Civitatem SSm̃um Sacramentum, praesertim cum Ecclesia Sancti Petri sit curata?

2. An Abbas possit solemniter benedicere populo, celebrando pontificaliter in dicta Ecclesia?

3. An in Processionibus, quae fiunt per Civitatem, possit dictus Abbas deferri facere coram se mitram et pastorale?

Eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. « Posse Abbatem facere Processionem cum suis Monachis, sed absque aliis Religiosis, dummodo non exeat extra limites Parochiae ». Ad 2. « Posse Abbatem, dum pontificaliter celebrat in sua Ecclesia, populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi ». Ad 3. « Negative, quia Abbas extra suam Ecclesiam et Conventum non potest uti mitra et baculo pastorali ». Et ita, ut supra, censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 168].

5207.

S. R. C., *Entomilien.*, 11 dec. 1604.

Pro parte Episcopi Entomilien. quaedam dubia declaranda in S. R. C. proposita fuerunt. Et 1. An toleranda et continuanda sit consuetudo Societatis seu Confraternitatis Disciplinantium eiusdem Civitatis, quae Feria V maioris hebdomadae, hora quarta noctis solet processionaliter accedere devotionis causa, ad visitandum Altare maius Ecclesiae Cathedralis, quo mulieres etiam concurrunt, unde scandala oriri possunt? S. R. Congr. respondit: « Tolerandam esse laudabilem consuetudinem Confraternitatis Disciplinantium: sed ad evitanda scandala, prohibendum esse mulieribus ne nocte in Ecclesiam ingrediantur, vel per Civitatem discurrant ».

2. An Syndici Civitatis eiusdem in Missis solemnibus triplici ductu thuribuli, sicut Episcopus, thurificandi sint, sicut in eadem Civitate introductum esse affirmatur? Eadem S. R. C. respondit: « Unicam tantum et digniorem personam, idest Episcopum, triplici ductu esse thurificandum, Syndicos vero et alios Episcopo inferiores satis esse si duplici ductu thurificentur ».

3. An ipse Episcopus possit moderari consuetudinem, sive abusum, ne unus civis duo vel tria aut plura scamna, pro suo servitio collocet, et aliorum loca occupet? Eadem S. R. C. respondit: « Posse Episcopum moderare arbitrio suo scamna et loca laicorum in Ecclesia, et providere ne unus solus multa loca occupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur ». Et ita eadem S. R. C. censuit et declaravit, et ad supradicta dubia respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 174].

5208.

S. R. C., *Callien.*, 8 ian. 1605.

Pro parte Praepositi Callien. S. R. C. expositum fuit, quod licet Praepositura huiusmodi in Ecclesia Callien. sit antiquissima et prima Dignitas post Episcopalem et ab immemorabili tempore, qui eam obtinuerit, solitus fuerit in absentia Episcopi Missas et alias functiones ecclesiasticas celebrare et exercere; nihilominus Archidiaconus, moderna Dignitas, quae ab annis 70 citra in dicta Ecclesia erecta est, in cuius erectione Archidiaconus ipse renunciavit omnibus privilegiis iuris communis, cum clausula: Remanente in suo robore Dignitate Praepositurae: praetendit ad ipsum de iure in absentia Episcopi, non autem ad Praepositum, Missarum et aliarum praedictarum functionum ecclesiasticarum celebrationem pertinere.

Eadem S. R. C. « Praepositum in sua possessione manutenendum, et nihil innovandum esse » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 176].

5209.

S. R. C., *Beneventana*, 29 ian. 1605.

Consueverunt Rm̃i DD. Archiepiscopi Ecclesiae Beneventanae, ultra Vicarium Generalem habere etiam Auditorem, qui in praesentiarum Canonicus eiusdem Ecclesiae ac etiam Iudex et Examinator Synodalis est. Dubitatur modo: an idem Canonicus, ex eo quia Auditor Archiepiscopi existit, in congregationibus et sessionibus, quae fiunt tam ratione examinis promovendorum ad Ordines et Beneficia, quam aliis ex causis, alios Canonicos, qui Iudices vel Examinatores Synodales similiter existunt, praecedere, vel inter ipsos in loco promotionis suae sedere debeat, maxime Rm̃o D. Archiepiscopo vel eius Vicario Generali praesentibus?

S. R. C. respondit: « Canonicum praedictum Auditorem Archiepiscopi in sessionibus et congregationibus cum aliis Canonicis coram Archiepiscopo vel eius Vicario Generali, debere sedere vel stare non super alios Canonicos, sed in loco suae promotionis ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 178].

5210.

S. R. C., *Visen.*, 11 iun. 1605.

Pro parte et ad instantiam Episcopi Visen. in S. R. C. infrascripta dubia proposita fuerunt, quibus particulariter responderi supplicavit, videlicet:

1. An Praelati Archiepiscopi seu Episcopi possint esse Iudices ad declaranda dubia super sacris Ritibus et Caeremoniis exorta? S. R. C. « Negative » respondit.

2. Dubitatur inter Dignitates et Canonicos: an quando Episcopus divinis Officiis interest, nec Pontificalia exercet, eidem assistere debeant Canonici Presbyteri et Diaconi, vel etiam Dignitates? Eadem S. R. C. respondit: « Servandam esse formam Caeremonialis in Cap. de assistentia duorum Canonicorum, lib. primo, cap. 8 ».

3. An in Regno Lusitano recitari possit Officium de festis particulariter concessis per Breve Apostolicum Regno Hispaniae, ut est festum Expectationis et alia similia, attento quod Regna sunt diversa, quamvis sub unius Regis potestate existant? Eadem S. R. C. « Negative » respondit.

4. An in Ecclesia Visen. recitari possit Officium de Communi pro Sanctis, quorum festivitates ab immemorabili tempore celebrare consueverunt, quamvis non sint canonizati, prout est S. Elisabeth Regina, S. Theotonius et alii similes? Eadem S. R. C. « Affirmative » respondit, « dummodo adsit immemorabilis consuetudo ». Et ita in omnibus, ut supra, censuit, declaravit et respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 179].

5211.

S. R. C., 11 iun. 1605.

Cum quidam Frater Professus Ordinis S. Augustini Eremitarum promotus fuerit ad Episcopatum in Indiis, quaesitum fuit a S. R. C.

1. An talis Episcopus Divina Officia iuxta formam sui Ordinis, an vero iuxta formam traditam et assignatam Dioecesi a Sede Apostolica, recitare teneatur? Eadem S. R. C. respondit: « Episcopum debere Officium recitare et Divina Officia celebrare iuxta ritum suae Dioecesis ».

2. An occurrente una eademque die festum alicuius Sancti suae Dioecesis, et festum alterius Sancti sui Ordinis, de quo celebrandum sit? Eadem C. respondit: « celebrandum esse festum de Sancto Dioecesis ».

3. An Cappellani sive Regulares sint sive Saeculares, qui alternis vicibus cum Episcopo Regulari Officium recitare solent, debeant se conformare Episcopo circa recitationem Officii? Eadem S. R. C. « affirmative » respondit, et ut supra, in omnibus servandum esse censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 181].

5212.

S. R. C., *Novarien.*, 16 iul. 1605.

Duo Presbyteri ambo Cappellani titulares in Ecclesia Parochiali Terrae Traechae Novarien. Dioec. de praecedentia inter ipsos contenderunt: quorum alter, cum non esset Presbyter ordinatus, prius possessionem dictae Cappellaniae accepit, alter vero post, iam Presbyter ordinatus, tamquam Presbyter locum super Cappellanum non ordinatum obtinuit, qui postea ordinatus voluit illum praecedere, cui Episcopus Novarien., ut asseritur, annuit. Sed cum hoc negotium in S. R. C. propositum fuerit,

Eadem S. R. C. respondit: « Illum praecedere debere et locum digniorem obtinere, qui prius Presbyter ordinatus fuit; et non qui prius, cum non esset Presbyter possessionem Cappellaniae accepit ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 183].

5213.

S. R. C., *Goana in Indiis*, 16 iul. 1605.

Cum alias a fel. rec. Clemente PP. VIII Frater Dominicus Torradus Ordinis S. Augustini, qui in Civitate Goana in Indiis Orientalibus commoratur, electus fuerit Episcopus Fulsicalen. in partibus infidelium, ut in administratione Sacramentorum Archiepiscopo Goan. tamquam Suffraganeus coadiuvare posset: et in illis remotissimis regionibus Episcoporum numerus a Sacris Canonibus requisitus in Consecratione Episcopi minime reperiatur, nec ad praesens reperiri possit; pro parte dicti Archiepiscopi Goan. SSmo Domino Nostro supplicatum fuit, ut ipse Archiepiscopus Goan. cum assistentia duarum Dignitatum Ecclesiae Goan. loco Episcoporum possit munus Consecrationis eidem Electo Fulsicalen. impendere. Et cum SSmus Dominus Noster negotium terminandum ad S. R. C. remiserit;

Eadem S. C.: « Attentis narratis et Episcoporum penuria in illis remotissimis partibus, et ad favorem fidelium Civitatis, Dioecesis, et Provinciae Goan., ut commodius ibi Sacramenta tam ab Archiepiscopo quam ab eius Suffraganeo ministrari possint et valeant; censuit pro hac vice tantum et de speciali gratia posse concedi eidem Archiepiscopo Goan. facultatem et licentiam consecrandi in Episcopum praefatum Fratrem Dominicum electum Fulsicalen. cum assistentia duarum Dignitatum Ecclesiae Goan. loco duorum Episcoporum ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 186].

5214.

S. R. C., *Brundusina*, 16 iul. 1605.

Cum alias a S. R. C. declaratum fuerit Missarum solemnium celebrationes, quas Archiepiscopus, si praesens esset, faceret; eo impedito, absente, vel defuncto, non ad Vicarium generalem, sed ad Dignitates et Canonicos in Civitate Brundusina pertinere.[1] Dubitatum fuit: An alternatim id faciendum sit vel successive. Congregatio respondit: « Successive id esse agendum, idest: Si prima Dignitas impedita sit, secunda celebret; si secunda, tertia; si omnes Dignitates sint impeditae vel absentes, tunc ad primum Canonicum vel secundum successive earumdem Missarum celebrationem pertinere » declaravit.

Et insuper quia Vicarius eiusdem Ecclesiae habet etiam in eadem Dignitatem; quaesitum fuit: an possit distributiones quotidianas lucrari assistendo in Choro cum pallio communi tamquam Vicarius, et non cum cotta tamquam Dignitas? S. R. C. respondit: « Dictum Vicarium distributiones quotidianas lucrari non posse, nisi in Choro assistat cum cotta et habitu Dignitati suae convenienti, prout assistunt ceterae Dignitates et Canonici. Locum vero Vicarii, in quo tamquam Vicarius ad Officium et Conciones sedeat, illum esse debere, quem idem Vicarius haberet praesente Archiepiscopo: nec licere sibi Sedem cum tapete et pulvino sericeis parare in loco, in quo sederet Archiepiscopus, si praesens esset. In Processionibus vero, in quibus Vicarius non in habitu Canonicali tamquam Dignitas vel Canonicus, sed in habitu suo ordinario tamquam Vicarius incedit, praecedentiam ei deberi super omnes alias Dignitates et Canonicos, etiamsi aliquis eorum habeat Dignitatem Protonotarii, et in habitu Protonotarii incedat: sed quatenus etiam dentur distributiones Canonicis Processionibus interessentibus, illas Vicarium lucrari non posse, nisi in habitu Canonicali incedat ». Et ita S. R. C. declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 188].

5215.

S. R. C., *Ruthenen.*, 24 sept. 1605.

Cum in Cathedrali Ecclesia Ruthenen. Archidiaconus, qui in dicta Ecclesia non est prima Dignitas, electus Episcopus titularis in partibus infidelium, deputatus fuerit Coadiutor Episcopi Ruthenen. cum futura successione, et cum retentione Archidiaconatus praedicti: dubitatum fuit, an Coadiutoria praedicta durante, etiam in praesentia Episcopi, ipse Coadiutor Archidiaconus debeat ob dignitatem et ordinem Episcopalem tam in Choro quam in Processionibus, et in quibuscumque aliis actibus publicis,

[1] Cf. N. 5190, 5195, 5208.

ac etiam in loco capitulari, absente Episcopo, habere locum supra omnes alias Dignitates et Canonicos digniores et antiquiores.

S. R. C. respondit: « Placere sibi in hoc consuetudinem trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, nempe S. Ioannis Lateranen., S. Petri, et S. Mariae Maioris, in quibus si aliquis Canonicus habuerit Dignitatem seu Ordinem Episcopalem cum retentione Canonicatus, praecedit omnes alios Canonicos, etiam ipso in Canonicatu anteriores et digniores; et ita etiam servandum esse in Ecclesia Ruthenen. in casu proposito » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 189].

5216.

S. R. C., *Tranen.*, 24 sept. 1605.

Licet pluries a S. R. C. declaratum fuerit Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis, nullam super Archipresbyteros, Dignitates, Canonicos, seu Presbyteros deberi praeeminentiam ratione dicti Vicariatus, neque in Choro neque in Processionibus; tamen Vicarium Foraneum Terrae Corati Tranen. Dioecesis praetendere dicta intelligenda esse decreta quando Vicarius assistit in Choro cum cotta, et non quando assistit cum pallio communi; eidem S. R. C. pro parte Capituli et Cleri dictae Terrae Corati expositum fuit, et petitum ut praemissa declarare dignaretur.

Eadem S. R. C. declaravit: « Decretum seu Decreta praedicta de Vicariis Foraneis intelligenda esse indistincte, tam quando Vicarius est cum cotta quam quando est sine cotta, tam in Choro quam in Processionibus, quibus in locis Vicarius Foraneus debet tamquam unus ex Presbyteris seu Canonicis dictae Ecclesiae in loco sibi convenienti, iuxta provisionem seu ordinem suum sedere, stare et incedere cum cotta, prout alii Canonici seu Presbyteri sedent, stant et incedunt, alias non lucrabitur distributiones quotidianas; neque Vicarius ratione Vicariatus praedicti debet thuris honorem et pacis osculum recipere ante Dignitates, Canonicos, seu Presbyteros ipso digniores. Et ita declaravit, et per dictum Vicarium Foraneum Terrae Corati servari mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 191].

5217.

S. R. C., *Lisbonen.*, 12 nov. 1605.

Pro parte Archiepiscopi Lisbonen. petitum fuit: An liceat Sacerdotibus Missas celebrantibus mutare vel addere aliqua ex his quae sunt in Missali ordinario? v. g. Poteruntne Fratres vel Monachi cuiuscumque Ordinis, ubi dicitur summus Pontifex noster Paulus, et Antistes noster Ioannes, tacere Antistitem Ordinarium et nominare Superiores suos tam in Canone Missae, quam in Oratione? et dato quod teneantur semper nominare Ordinarium: Quaeritur quomodo et a quo compellendi sint?

« Nihil omnino mutandum, adimendum, vel addendum per quoscumque Clericos vel Presbyteros Saeculares, vel per Fratres, Monachos, aut cuiusvis Ordinis Regulares ex his quae in Missali ordinario tam in Rubricis, quam in nigro praescribuntur, et multo minus in Canone S. R. C. respondit. Qui secus fecerint, temeritatis notam incurrere et animadversione dignos esse censuit eos Religiosos qui, Antistitis nomine tacito, eius loco in precibus sive in Canone, suae Religionis Superiorem nominant » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 194].

5218.

S. R. C., *Umbriaticen.*, 25 febr. 1606.

Archipresbyter Oppidi Tiropolitani Umbriaticen. Dioecesis S. R. C. exposuit: Solitum esse in dicto Oppido, ut defunctorum corpora, quae extra Ecclesiam Parochialem sepelienda sunt, prius ad dictam Ecclesiam Parochialem et Matricem deferantur, ut ibi Officium super eis fiat, et deinde ad alias Ecclesias, ubi iuxta defunctorum mentem vel haeredum voluntatem sepelienda erunt, portentur. Nihilominus Fratres Minores Observantes dicti Oppidi praetendunt corpora defunctorum ad eorum Ecclesiam seu ad alias Cappellas deferre, quando ibi sepelienda sunt, quin prius deferantur ad Ecclesiam Matricem: quod est contra consuetudinem, et in grave ipsius Archipresbyteri praeiudicium et damnum. Quare super praemissis declarationem petiit.

Eadem S. R. C. declaravit: « Posse corpora defunctorum iuxta eorum dispositiones vel haeredum voluntatem, directe deferri ad Ecclesiam vel Cappellam, ubi sepelienda erunt, quin prius ad Ecclesiam Matricem deferantur; dummodo Archipresbytero seu Curato iura et emolumenta solita sepulturae solvantur ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 202].

5219.

S. R. C., *Minerbina*, 4 mart. 1606.

Pro parte Episcopi Minerbin. Administratoris pontificalium in Ecclesia Valentin. S. R. C. expositum fuit, quod licet ipse antiquior Ordine et promotione sit Episcopo Oriolen., nihilominus in quadam Episcopi Consecratione, ipse Oriolen. Minerbinum praecedere voluit, sub eo praetextu, quod Ecclesiam suam praedictam resignaverit: ideo petiit declarari, quid conveniat?

Eadem S. R. C. respondit: « Ordinem, characterem et titulum semper inhaerere personae Episcopi consecrati, quae nunquam dimittit, nec dimittere potest: et ideo, licet administrationem Episcopatus quis dimittat,

titulum et ordinem semper retinere; et consequenter debere praecedere omnibus aliis Episcopis post ipsum electis et consecratis » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 204].

5220.

S. R. C., *Coropolitan. Nullius*, 4 mart. 1606.

Priorem Monasterii Ordinis Coelestinorum Terrae Coropolitanae nullius Dioecesis, qui in Capitulo generali Congregationis eiusdem Ordinis ad triennium eligitur, ut praesit non solum Monachis dicti Monasterii, sed etiam clericis saecularibus, et tamquam Ordinarius curam habeat in spiritualibus omnium animarum dictae Terrae, sub praetextu assertae antiquae consuetudinis, solere in Processionibus praeter Cruces Monachorum et Cleri, ante se immediate ab uno Clerico Crucem deferri facere, quasi esset Archiepiscopus vel Legatus: idque etiam Vicarium suum, ipso absente, facere consuevisse. Pro parte Cleri saecularis dictae Terrae S. R. C. expositum fuit, et petitum declarari, an conveniat?

Eadem S. R. C. « Non esse consuetudinem, sed abusum omnino tollendum, ut Prior dicti Monasterii et eius Vicarius Crucem ante se deferri faciat, quae Archiepiscoporum et Legatorum specialis praerogativa est: et ideo ordinavit, ut Prior et Vicarius supradicti, a praemissis in futurum omnino abstineant: et si quid in contrarium praetendunt, compareant suasque deducant rationes in eadem S. C. », quae ita censuit, declaravit et exequi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 205].

5221.

S. R. C., *Neritonen.*, 16 apr. 1606.

Pro parte Capituli Neritonensis Ecclesiae S. R. C. expositum fuit: nonnullos eiusdem Ecclesiae Canonicos et Presbyteros contra solitam consuetudinem et absque legitimo impedimento, recusare solitas functiones facere, et per se ipsos Missas et Vesperas celebrare, prout alii eiusdem Ecclesiae Canonici et Presbyteri facere solent et debent, sed huiusmodi functiones per substitutum facere; et propterea petierunt declarari: an dictas functiones per se ipsos, vel per substitutos facere teneantur?

Eadem S. R. C. « Canonicos et Presbyteros Missas et Vesperas celebrare, aliasque solitas functiones facere recusantes, debitis remediis ad eorum munia exequenda per se ipsos, non autem per substitutos, cogendos esse » censuit et declaravit, idque omnino in Ecclesia Neritonen. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 208].

5222.

S. R. C., *Caesaraugustana*, 9 maii 1606.

Cum in Ecclesia Caesaraugustana ob Archiepiscopi senectutem, saepe nonnulli suae Provinciae Episcopi Suffraganei, et saepius Episcopus Uticen. suus Coadiutor, Missas solemnes et alias pontificales functiones celebrare et exercere consueverint, a S. R. C. quaesitum fuit pro parte eiusdem Archiepiscopi Caesaraugustani: An saltem Episcopis Suffraganeis celebrantibus duae ultimae eiusdem Ecclesiae Dignitates, et dicto Episcopo Uticen. celebranti, duo iuniores Canonici, praeter Diaconum et Subdiaconum, assistere debeant.

Eadem S. R. C. respondit: « Assistentiam duarum Dignitatum vel Canonicorum tantummodo Episcopo loci Ordinario, et nulli alteri convenire, ut expresse cavetur in Caeremoniali Episcoporum, lib. 1, cap. 8 in fine; et ideo dd. Episcopos Suffraganeos, et Episcopum Uticensem Coadiutorem in dicta Ecclesia Caesaraugustana solemniter celebrantes, contentos esse debere Ministris solitis, idest Diacono et Subdiacono ac uno Cappellano cum pluviali, qui eis assistat ad librum ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 211].

5223.

S. R. C., *Neritonen.*, 9 maii 1606.

Ex antiqua consuetudine in Civitate Neritonen. solitum fuisse Canonicos et alios eiusdem Civitatis Presbyteros, cum licentia tamen Ordinarii, baptizare nonnullos infantes ad parentum eorum instantiam: pro bono pacis et quietis multarum dictae Civitatis familiarum, S. R. C. expositum fuit, quod, licet per Archipresbyterum hactenus toleratum fuerit, nunc tamen amplius tolerare et permittere idem Archipresbyter recusat. Quare Canonici et Presbyteri eiusdem Civitatis instíterunt, consuetudinem antiquam in praemissis servari.

Et S. R. C. « Consuetudinem praedictam in baptizandis infantibus servandam esse censuit, dummodo id de licentia Ordinarii fiat, et sine praeiudicio iurium et emolumentorum Archipresbytero debitorum ». Et ita declaravit et exequi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 213].

5224.

S. R. C., *Urbevetana*, 17 iun. 1606.

Cum ad instantiam Civitatis Urbevetanae SSmo D. N. supplicatum fuerit, ut in Processione Sanctissimi Sacramenti, et in quibuscumque aliis eiusdem Civitatis Processionibus expectetur hora solita: nec aliae, praeter antiquam consuetudinem, fiant ab Episcopo; et cum SS. D. N. memoriale dictae Civitatis ad S. R. C. remiserit;

Eadem S. R. C.: « Episcopum horam Processionis tum SSmi Sacramenti, quum aliarum quarumque Processionum suo arbitrio indicere posse declaravit, et intimari facere Clero, Magistratui, et aliis quibuscumque interesse habentibus, qui omnes ordini et mandatis Episcopi obedire tenentur ». Et ita censuit atque mandavit servari.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 217].

5225.

S. R. C., *Neritonen.*, 17 iun. 1606.

Cum alias in S. R. C. sub die 4 martii 1606 declaratum fuerit per Vicarium Ecclesiae Neritonen. Presbyteros et Clericos eiusdem Ecclesiae per ordinem vocandos esse; ita ut illos prius vocari faciant, qui prius in ordine recepti fuerint; dubitatum fuit, quomodo intelligenda sint illa verba, *qui prius in ordine recepti fuerunt:* an scilicet intelligantur de Ordinibus maioribus vel de minoribus: et quid si plures eorum uno eodemque die Ordines receperint?

« Decretum supradictum intelligendum esse de Ordinibus maioribus, idest, ut illi praeferantur, qui prius Ordines maiores susceperint, etiam illis qui minores Ordines ante illos susceperunt: et quando plures eodem die ordinati sunt, illum praeferendum esse, qui prius in ordine nominatus et ordinatus est » S. R. C. declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 220].

5226.

S. R. C., *Tropien.*, 17 iun. 1606.

In Ecclesia Tropien. iuxta formam Concilii Tridentini [1] Praebendas fuisse ab Episcopo distinctas in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, S. R. C. expositum fuit; et quia in eadem Ecclesia vigebat et adhuc viget consuetudo, ut ille Canonicus tam in Processionibus quam in Choro ceteris praeferatur, qui prius sui Canonicatus possessionem acceperit, nulla habita consideratione suae Praebendae, an sit Presbyteralis, Diaconalis vel Subdiaconalis: pro parte nonnullorum dictae Ecclesiae Canonicorum, qui Praebendas Presbyterales obtinent, quaesitum fuit: Quis praeferendus sit et digniorem locum tam in Choro quam in Processionibus obtinere debeat?

S. R. C. respondit: « Ordinem Ecclesiasticae Hierarchiae servandum esse, ut primum et digniorem locum obtineant Canonici Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi; licet Diaconi vel Subdiaconi ante Cano-

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.

nicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quam abusum eadem S. R. C. declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 221].

5227.

S. R. C., *Meliten.*, 18 nov. 1606.

Pro parte Capituli Ecclesiae Meliten. S. R. C. expositum fuit, Praepositos Monachos, seu Clericos Abbatiae SSmae Trinitatis Ordinis S. Benedicti, quae in eadem Civitate Meliten. sita, iurisdictionem habet, et curam animarum in quadam parte Civitatis et Dioecesis exercet: quando corpora defunctorum ex iurisdictione Cathedralis Ecclesiae ad dictam Abbatiam, vel ad aliquam Ecclesiam suae iurisdictioni subiectam sepelienda deferuntur, praetendere praecedentiam super Canonicos et Clericos eiusdem Cathedralis, statim atque territorium, seu iurisdictionem ipsius Abbatiae attingunt: et quando ex iurisdictione Abbatiali ad iurisdictionem Ecclesiae Cathedralis corpora deferuntur, dictos Clericos seu Monachos Abbatiae, per totum eorum territorium praecedentiam super Canonicos et Clericos Ecclesiae Cathedralis praetendere. Quod cum maximam pariat confusionem, dicti Canonici et Clerici Ecclesiae Cathedralis declarari petierunt, an deceat, vel conveniat?

Eadem S. R. C. respondit: « Praecedentiam semper per totam viam convenire Canonicis et Clericis Ecclesiae Cathedralis, a domo defuncti usque ad Ecclesiam in qua corpora defunctorum sepelienda erunt, sive ex iurisdictione Abbatiali ad iurisdictionem Cathedralis, sive ex iurisdictione Cathedralis ad Abbatialem deferantur. In Ecclesia vero ubi corpus sepelitur, Officium faciendum erit ab eo Curato qui Ecclesiae praefuerit ». Et ita censuit et servandum esse declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 224].

5228.

S. R. C., *Boianen.*, 16 ian. 1607.

Capitulum Ecclesiae Boianen. petiit declarari: An Episcopus possit ordinare, ut Officium et Festum S. Bernardi Confessoris et Episcopi dictae Civitatis, quod cum particulari et speciali oratione ab omnibus eiusdem Ecclesiae praeteritis Episcopis approbata, ab immemorabili tempore in Ecclesia Cathedrali celebratur, celebretur etiam per totam Dioecesim?

C. S. R. respondit: « Id non licere Episcopo ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 225].

5229.

S. R. C., *Lamacen.*, 17 mart. 1607.

Ad instantiam Episcopi Lamacen. infrascripta dubia in S. R. C. decidenda proposita fuerunt.

1. Quae intelligantur Festa solemnia, quibus Episcopus potest incedere seu procedere ad Ecclesiam cum cappa seu pluviali: et an in omnibus illis Festis Canonici ipsum associare teneantur?

2. An Canonici Ecclesiae Lamacen., qui fuerint Examinatores Synodales, lucrentur distributiones quotidianas tempore, quo de mandato Episcopi in examine aliquorum sint impediti, ac si tunc in Choro divinisque Officiis interessent?

3. An Episcopum Pontificalia exercentem extra Cathedralem in alia Ecclesia Civitatis Lamacen., Canonici dictae Ecclesiae Cathedralis vel aliqui eorum teneantur associare, ac illi Sacramentum Ordinis vel Confirmationis aut simile administranti assistere?

Eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra:

Ad 1. « Servandam esse formam Caeremonialis, ubi lib. 2, cap. 1 et 34, expresse declaratur, quae intelligantur Festa solemnia, in quibus Episcopus, ad libitum, vel celebrare vel divinis Officiis cum pluviali vel cappa assistere debet, et lib. 1, cap. 15, declaratur, quomodo Canonici in dictis solemnitatibus Episcopum associare debeant ».

Ad 2. « Negative, Canonicos examinatores scilicet non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri ad libitum, hora commoda extra tempus quo tenentur assistere in Choro ».

Ad 3. « Affirmative in necessariis, nempe, ut illi tantum Canonici et Ministri Ecclesiae Cathedralis Episcopo assistant, qui necessarii ministerio sunt, et ob quorum absentiam in Ecclesia Cathedrali Chori servitium non deseratur ». Et ita in omnibus supradictis eadem S. C. respondit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 226].

5230.

S. R. C., *Montis Regalis*, 23 apr. 1607.

Ex antiqua Ecclesiae Montis Regalis Taurinen. Provinciae consuetudine Archipresbyterum Presbyteri assistentis Officium exercuisse, quando Episcopus solemniter celebravit vel divinis Officiis paratus interfuit, licet Archidiaconus prima Dignitas in eadem Ecclesia interfuerit, S. R. C. pro parte Francisci Vivaldi moderni Archipresbyteri eiusdem Ecclesiae expositum fuit; et narratum: quod Bartholomaeus de Crassis modernus Archidiaconus praetendit ad ipsum, non autem ad Archipresbyterum huiusmodi Officium assistentiae pertinere, cum primam Dignitatem in dicta Ecclesia

obtineat, ut expresse in Caeremoniali Episcoporum, lib. 1, cap. 7, sed quia liber Caeremonialis immemorabiles et laudabiles consuetudines non tollit, ut pluries eadem S. R. C. declaravit, petiit dictus Archipresbyter dictam immemorabilem consuetudinem ad sui favorem introductam servari.

Eadem S. R. C. respondit: « Consuetudinem praedictam immemorabilem esse servandam, et Archipresbyterum in sua possessione assistendi manutenendum esse, prout servari et manuteneri mandavit ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 233].

5231.

S. R. C., *Mediolanen.*, 28 apr. 1607.

Pro parte Capituli Ecclesiae Collegiatae Oppidi Ballete Mediolanen. Dioecesis S. R. C. expositum fuit, quod licet ex universali omnium Ecclesiarum Collegiatarum consuetudine, et ex Decreto Concilii Provincialis Mediolanen. IV caveatur, quod, absente vel impedita prima Dignitate, Missarum celebrationes aliaeque functiones, quas dicta prima Dignitas facere deberet, non ad hebdomadarium Canonicum, sed ad aliam Dignitatem successive post primam, vel ad Decanum seu digniorem vel antiquiorem Canonicum pertineant, prout etiam in simili casu S. R. C. declaravit;[1] tamen duo dictae Collegiatae Ecclesiae praetendunt ad hebdomadarium Canonicum haec omnia pertinere, neque consuetudini et Concilio praedictis, nec minus sententiae Vicarii Generalis acquiescere voluerunt. Quare ad S. R. C. pro quiete et pace eorum, recursum habuerunt ceteri omnes Canonici dictae Ecclesiae Collegiatae, ut opportuno remedio super praemissis et aliis similibus, quae circa sacrorum rituum et caeremoniarum observationem occurrere forsan in dicta Collegiata possent, in futurum eis providere dignaretur.

Quae quidem S. R. Congr.: « Consuetudinem allegatam, et Concilium Provinciale IV Mediolanense circa praemissa in dicta Collegiata Terrae Ballete ab omnibus Dignitatibus, Canonicis, Presbyteris et Clericis dictae Ecclesiae servandam esse censuit et declaravit. Nec non ordinavit, ut in omnibus actionibus ad ritus et sacras caeremonias pertinentibus, dicta Ecclesia Collegiata Terrae Ballete conformet se cum aliis Ecclesiis Collegiatis eiusdem Provinciae Mediolanen., et caeremonias faciat iuxta eorum laudabiles et antiquas consuetudines ». Et ita censuit et ordinavit, et in dicta Collegiata Terrae Ballete exequi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 229].

[1] Cf. N. 5157, 5160, 5161, 5190, 5194, 5195, 5200, 5208, 5214.

5232.

S. R. C., *Placentina*, 19 maii 1607.

Episcopus Placentinus infrascripta dedit dubia declaranda et decidenda in S. R. C., videlicet:

1. Licet in Cathedrali Placentina Praebendae Canonicales sint distinctae, et aliae sint Presbyterales, aliae Diaconales et aliae Subdiaconales; tamen Canonici non servant inter se hunc ordinem, sed sedent et incedunt respective, prout quisque est prior Canonicus, sive sit Sacerdos sive Diaconus sive Subdiaconus; et in Processionibus, Missis ac Vesperis pontificalibus omnes induuntur pluvialibus, tam Dignitates quam ceteri Canonici. Quare Episcopus Placentinus supplicat Dominationes VV. Illmas, ut dignentur per litteras mandare, ut de cetero, citra praeiudicium obtinentium, cedente vel decedente aliquo ex ipsis Canonicis, illius successor sedeat, et incedat respective secundum praeeminentiam Ordinis suae Canonicali Praebendae adnexi: ita quod, remanentibus Dignitatibus in eisdem locis, in quibus de praesenti reperiuntur, ceteri omnes Canonici Sacerdotes sedeant immediate a parte Praepositi, Diaconi vero et Subdiaconi a parte Archidiaconi; et Dignitates gestent pluvialia, Sacerdotes Planetas, et Diaconi et Subdiaconi Dalmaticas et Tunicellas in Processionibus et aliis actibus, ut supra. Quae dispositio etiam extendatur et habeat locum in Collegiata Ecclesia S. Antonini, quae ibidem insignis existit, et in qua est idem abusus.

S. R. C. respondit: « Maxime decet et convenit ut sedes et loca Canonicorum disponantur, ut petitur, et videtur omnino tollendus abusus ».

2. In eadem Cathedrali sunt quinque Dignitates, videlicet Praepositus, Archidiaconus, Archipresbyter, Decanus et Vice-Decanus, et quando Episcopus cantat Missam pontificalem aut Vesperas, Praepositus tamquam prima Dignitas servit de libro cum pluviali, Archidiaconus vero et Archipresbyter adstant utrinque induti Dalmaticis, et hoc ex antiquissima consuetudine, et illis impeditis, sive altero eorum, deserviunt aliae Dignitates per ordinem. Quaeritur, quando Episcopus celebrat Ordinationes generales et alias functiones pontificales, an magis conveniat, quod hoc munus eodem modo exequatur per easdem Dignitates, an per simplices Canonicos, prout fit de praesenti?

S. R. C. respondit: « Cum in Ecclesia Placentina adhuc Praebendarum ordo distinctus non sit, ita ut Presbyteri anteponantur Diaconis, et Diaconi Subdiaconis, prout deceret et maxime conveniret, servanda est consuetudo Ecclesiae, ut, Episcopo celebrante, prima Dignitas ei assistat et de libro serviat, et duo sequentes Dignitates duorum Diaconorum assistentium munus sustineant: quod quidem munus, quando Praebendae distinctae essent, non ad Dignitates sed ad duos primos Canonicos Diaconos pertineret, ut expresse cavetur in lib. 1 Caeremonialis Episcoporum, cap. 8. Quando autem Episcopus facit Ordinationes generales vel alias functiones episco-

pales, si illas solemniter cum Missa cantata celebret, idem ordo servandus est, et iidem assistentes Episcopo inservire et ministrare debent, qui in Missis solemnibus ministrare solent. Si vero Episcopus dictas functiones sine Missa solemni facere voluerit, quia etiam tunc erit omnibus paramentis pontificalibus indutus, conveniens est ut iidem, vel illis impeditis, saltem duo alii Canonici assistant, praeter Archidiaconum qui vocat Ordinandos, et Presbyterum qui de libro serviat, et alios Presbyteros qui iuxta formam Pontificalis in Ordinationibus requiruntur. Alii vero Canonici ad publicas Ordinationes, quae sine Missa cantata fiunt, in habitu Canonicali assistere poterunt ».

3. In eadem Ecclesia ex vetustissima consuetudine Chorus incensatur hoc modo, videlicet: Primo Dignitates et Canonici ex una parte sedentes in eminentioribus stallis, et secundo loco immediate Mansionarii et Praebendarii, sedentes ab eadem parte in stallis inferioribus ante praefatas Dignitates et Canonicos; et idem fit mox ab alia parte. Qui ritus servatur etiam in danda pace, et sic miscentur et confunduntur Dignitates et Canonici cum Mansionariis et Praebendariis. Quaeritur: an sit inhaerendum huiusmodi consuetudini, an vero incensum et pax prius debeat dari Dignitatibus et Canonicis et Capitulo universo ab utraque parte immediate, et deinde separatim successive Mansionariis et Praebendariis?

S. R. C. respondit: « Licet vetustissima sit consuetudo in Ecclesia Placentina circa thurificationem, tamen est moderanda, ita ut Dignitates et Canonici omnes prius thurificentur et pacis osculum accipiant, quam Mansionarii. Prius enim digniores, et postea minus digni thurificandi sunt. Et ideo recte fit, si prius Dignitates et Canonici ab una parte Chori successive thurificentur, deinde aliae Dignitates et Canonici ab alia parte, et postea Mansionarii ab una parte, et demum Praebendarii ab alia parte Chori sedentes, et ita omnino videtur servandum, non obstante quacumque consuetudine in contrarium ».

4. Dignitates et Canonici sedent in Choro utrinque de more, et Praepositus tamquam prima Dignitas post Pontificalem, tenet primum stallum seu primum locum a cornu Epistolae. Quando vero Vicarius Episcopi convenit ad Divina, occupat primum stallum seu primum locum ex immemorabili consuetudine, et Praepositus in isto casu occupat primum stallum seu locum immediate sequentem. Quaeritur proinde: an Vicarius constituat et faciat locum in Choro inter Dignitates et Canonicos, et similiter dum sedent ad concionem, ita ut Praepositus, qui, absente Vicario, semper tenet primum stallum et locum, Vicario autem praesente, occupat secundum et non primum locum in Choro et ad concionem?

S. R. C. respondit: « Cum Vicarius ex antiqua et immemorabili consuetudine occupaverit semper primum locum in Choro et ad concionem, et sederit supra Praepositum, qui est prima Dignitas, utique quando est praesens, ipsum primum locum Chori tenere dicendum est, et consequenter prius thurificandus est, et pacis osculum ante ipsum Praepositum accipere debet; sed non ex hoc infertur, quod Praepositus non sit prima Dignitas in Choro, licet stallum suum et primum locum, honoris causa, cedat Vicario

Generali, qui inter Canonicos et Dignitates non occupat locum, licet sedeat in stallo in quo, absente Vicario, ipse Praepositus sedere solet ».

5. Quoniam, ut in primo capite dictum fuit, Canonici sedent in Choro et incedunt prout quisque prius Canonicatum obtinuit absque ordinum distinctione: et novum Caeremoniale mandat, quod primus Presbyter porrigat Episcopo in ingressu Ecclesiae aspersorium, et dum assistit Missis et Vesperis per alium cantatis, eidem porrigat naviculam, det incensum et pacem; ex quo crebro evenit ut primus Presbyter, qui est inter ultimos Canonicos, evocetur ad tales functiones obeundas, quod videtur indecens. Supplicatur propterea, ut quousque Canonici redigantur, ut in primo capite petitum fuit, eaedem functiones fiant per quemcumque tenentem primum locum, etiamsi sit Dignitas, prout servabatur ante publicationem Caeremonialis.

S. R. C. respondit: « Donec distinguantur Praebendae in Ecclesia Placentina, convenit, ut a prima Dignitate vel a Canonico, qui primum locum in Choro et Processionibus obtinet, et vicinior Episcopo erit, aspersorium ministretur et navicula, et non a primo Canonico in ordine Presbyterali, qui ratione promotionis longius forsitan ab Episcopo distabit quam alii: et hoc tanto magis, quanto ita huc usque et ante publicationem Caeremonialis servatum fuit. Quando vero Praebendae erunt distinctae, tunc omnino a primo Presbytero, ut dicitur in Caeremoniali, id erit agendum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 235].

5233.

S. R. C., *Iuvenacen.*, 17 nov. 1607.

Pro parte Archidiaconi Ecclesiae Iuvenacen. qui, ut asseritur, prima Dignitas est in eadem Ecclesia, a S. R. C. quaesitum fuit: ad quem spectet, absente vel impedito Episcopo, Missas et Vesperas pontificales celebrare et cantare, et Sanctissimum Sacramentum in Processione per Civitatem portare in die festivitatis Corporis Christi et per eius Octavam, et Missas infra annum ordinare et distribuere?

Eadem S. R. C., ut alias saepe in similibus,[1] respondit: « Ad primam Dignitatem pertinere Vesperas et Missas cantare, ac Sanctissimum Sacramentum in Processione deferre in illis diebus et solemnitatibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, id faceret ».

« Quo vero ad distributionem Missarum infra annum servandum esse ius commune vel consuetudinem Ecclesiae, ut vel prima Dignitas, vel Archipresbyter, vel alius, ad quem de iure vel de consuetudine spectat, illas per annum ordinet et distribuat ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 241].

[1] Cf. N. 5190, 5195, 5208, 5214.

5234.

S. R. C., *Corcyren.*, 19 ian. 1608.

Cum Archiepiscopus Corcyren. in sua Ecclesia, et regulari et saeculari Clero careat, ita ut non possit in confectione Sacrorum Oleorum feria V in Coena Domini habere praecisum numerum Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum iuxta regulam in libro Pontificali praescriptam, et cogatur ab Ecclesia Hydruntina Olea sacra accipere et expectare, quae saepe serius, quam necessitas postulat, Corcyram deferuntur: ne Ecclesia sua hac solemnitate et caeremonia privetur, quae in conficiendis dictis sacris Oleis adhibetur, petiit a SS. D. N. licentiam conficiendi dicta sacra Olea, adhibitis tantum duodecim Presbyteris, et omissis Diaconis et Subdiaconis, quos praecipit liber Pontificalis adhiberi. Et cum idem SSm̃us D. N. negotium hoc examinandum ad S. R. C. remiserit;

Eadem S. R. C. « A regulis praescriptis in libro Pontificali circa confectionem Sacrorum Oleorum non esse recedendum » censuit. Declaravit tamen « Posse Archiepiscopum in sua Ecclesia et Dioecesi Corcyren., uti Oleo antiquo anni praecedentis, donec novum recipiat ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 244].

5235.

S. R. C., *Cameracen.*, 9 febr. 1608.

Cum nonnullae Ecclesiae, illarumque Coemeteria, et alia loca ecclesiastica Cameracen. Dioecesis, temporum belli iniuria et personarum malitia polluta existant, et Guillelmus Archiepiscopus Cameracen. ad illa reconcilianda propter viarum discrimina aliaque impedimenta, sine maximo incommodo accedere nequeat; supplicavit humiliter ut ipsi concedatur, ut Ecclesias, illarumque Coemeteria et alia loca praedicta sanguinis vel seminis effusione, aut alias quovis modo polluta, per aquae benedictae aspersionem ac aliis solemnitatibus et caeremoniis servatis, per Abbates, Praepositos, Decanos et Christianitatis nuncupatos Priores, aut alias personas in Dignitate Ecclesiastica et Presbyteratus ordine constitutas, ad id ab ipso Archiepiscopo deputandas, quoties opus fuerit reconciliari facere libere valeat. Et proposito huiusmodi negotio in S. R. C.,

Eadem S. R. C. censuit: « Ecclesiae consecratae et Coemeterii reconciliationem, proprio Episcopo impedito vel absente, committendam esse alteri Episcopo. Simplicem vero benedictionem Ecclesiae vel Coemeterii non consecrati posse committi alicui Presbytero in Dignitate Ecclesiastica constituto ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 246].

5236.

S. R. C., *Camerinen.*, 15 mart. 1608.

Ad infrascripta dubia proposita in causa praecedentiae seu praeeminentiarum inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et Priorem et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Venantii Civitatis Camerinen., S. R. C. attento instrumento concordiae, quod Prior S. Venantii debeat habere secundum locum in Choro, videlicet immediate post Praepositum, vel eo etiam absente, immediate post primum Canonicum Ecclesiae Cathedralis, et audita relatione D. Cardinalis Peretti, cui haec causa demandata fuerat, et omnibus ex utraque parte productis et allegatis consideratis, respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. dubium: An Archidiaconus intelligatur praesens in Choro, quando est in assistentia apud Episcopum in Vesperis vel in Missa solemni, ita ut Prior S. Venantii debeat sedere in Choro non post, sed supra Praepositum? Resp.: « Archidiaconum haberi pro praesente, dum assistit Episcopo tam in Ecclesia S. Venantii quam in quocumque alio loco, in quo ipse Prior interveniat vel intervenire soleat una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis ».

Ad 2. A quo sit porrigendum aspersorium aquae benedictae Episcopo, dum ad praedictam Ecclesiam S. Venantii una cum Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedralis accedit: an a Priore S. Venantii, vel a prima Dignitate, vel primo Canonico Ecclesiae Cathedralis? Resp. « A Priore S. Venantii porrigendum esse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 247].

5237.

S. R. C., *Alexandrina*, 15 mart. 1608.

Episcopus et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae haec decidenda humiliter proponit S. C. Dominorum Cardinalium super Caeremoniis deputatorum.

1. An Vicarius Episcopalis incensari debeat ante vel post Canonicos Ecclesiae Cathedralis? Hactenus consuetudo fuit in dicta Ecclesia, quod in Missa Acolythus vel alius Clericus thurificet primo Vicarium, deinde Canonicos; verum, quia Caeremoniale disponit quod in Missa Diaconus Evangelii thurificare debeat Chorum, et in Ecclesia Cathedrali Diaconus Evangelii sit unus ex Canonicis, recusant ipsi Canonici incensare prius Vicarium, quam Canonicos; adducentes quod ipsi numquam hoc fecerunt, et quod consuetudo allegata est introducta et observata ab Acolythis vel Clericis simplicibus, quae illis praeiudicare non debet; atque ita vellent primo incensare Canonicos, deinde Vicarium. Vicarius respondit: quod ipse incensandus est secundum consuetudinem, ut disponit Caeremoniale, Lib. 1, c. 23, et consuetudo est quod incensetur ante Canonicos: nec refert si imposterum thuri-

ficatio fiat a Canonicis, quia si consuetudo est quod prius thurificetur, debet hic ordo servari a quocumque, qui fungatur officio thurificandi: respondit etiam, consuetudinem hanc esse introductam illis et eorum antecessoribus praesentibus, qui numquam contradixerunt: et ultimo adducit consuetudinem aliarum Ecclesiarum eiusdem Provinciae, videlicet Mediolanen., Papien., Derthonen. et aliarum, in quibus sic servatur.

S. R. C. respondit: « Servandam esse consuetudinem, ut Vicarius thurificetur ante Canonicos, sive is qui thurificat, sit Acolythus sive Clericus sive etiam Canonicus. Nam cum in Missa unus ex Canonicis cantet Evangelium, et ad illum spectet, iuxta formam libri Caeremonialis, thurificare ceteros omnes Canonicos, debet utique thurificare Vicarium, qui praecedit Canonicos: et licet in praeteritum Vicarius non fuerit a Canonicis thurificatus, sufficit quod fuerit thurificatus ante Canonicos, et ab eodem qui ceteros omnes Canonicos thurificare solebat ».

5. An confessio, quae fit post concionem ante Episcopum a Diacono Evangelii, debeat fieri ex libro, vel memoriter? Excusant enim se Canonici nonnulli seniores, quod non possunt illam memoriter in tono cantare; et si ex libro fieri debeat, an sit illi concedendus minister, qui librum teneat?

S. R. C. respondit: « Convenientius esse ut confessio cantetur memoriter a Diacono: si tamen aliquis ex Diaconis non poterit sine libro confessionem memoriter cantare, poterit ei concedi aliquis minister ex inferioribus, qui librum sustineat, donec cantet ».

12. Quando Episcopus est in Choro in sua Sede, quae est posita ante Altare a cornu Evangelii, an Canonici digniores sedere debeant in Sedibus Chori, quae sunt magis propinquae Sedi episcopali, incipiendo a prima Dignitate, et successive aliae Dignitates, et deinde Canonici magis antiqui suo ordine: vel potius sedere debeant prout nunc faciunt; videlicet pars in una parte, et alia pars in alia parte Chori, et digniores incipiunt, et sedent in capite Chori, videlicet una Dignitas sedet ab una parte, alia ab altera, et successive alii suo ordine: et sic iuniores sunt magis propinqui Sedi episcopali.

S. R. C. Resp. « Convenientius esse ut digniores Canonici sedeant in Sedibus quae sunt propinquiores et viciniores Sedi episcopali ».

13. An in Matutinis quae celebrantur in nocte Nativitatis Domini Episcopus debeat sedere in Sede quae est in medio Chori retro Altare, an potius in Sede ante Altare quae est a latere Evangelii, ubi etiam Missis et Vesperis interesse solet? Advertendum quod in Altari est SSm̃um Sacramentum cum tabernaculo praealto, quod impedit ne Episcopus sedens in Choro bene possit videri a populo, et celebratur in dicto Altari non a parte interiori sed exteriori.

S. R. C. respondit: « Quod potest remitti arbitrio Episcopi, ut sedeat ubi melius sibi videbitur et magis populo satisfacere possit ».

14. Ultimo: Supplicatur S. C. ut detur licentia cantandi in Ecclesiis Litanias, quae sunt impressae de SSm̃o Sacramento.

S. R. C. respondit: « Non consuevit S. R. C. approbare alias Litanias praeter consuetas impressas in Breviario, et eas quae recitantur

de Beata Maria in Ecclesia Lauretana iuxta Decretum fel. rec. Clementis PP. VIII ».[1]

Responsiones ad supradicta dubia proposita ad instantiam Episcopi Alexandrini S. R. C. approbavit, ita ut in Ecclesia Alexandrina servari et executioni demandari possint et debeant. Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 248].

5238.

S. R. C., *Nepesina*, 10 maii 1608.

Cum orta fuerit controversia circa locum in Processione SSm̃i Sacramenti inter Societatem seu Confraternitatem Confalonis ex una, et Societatem seu Confraternitatem SS. Sacramenti Terrae Campagnani Nepesinae Dioecesis ex altera partibus, et causa fuerit in S. R. C. introducta, et ab eadem S. R. C. commissa Illm̃o et Rm̃o D. Cardinali Gallo, coram quo ambae partes iura sua produxerunt, et pluries tam in scriptis quam in voce S. C. et ipsum Illm̃um et Rm̃um D. Cardinalem Ponentem informaverunt, tandem semel atque iterum, audita relatione praedicti Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Gallo,

Eadem S. R. C. censuit et declaravit: « Non esse recedendum a Bulla fel. rec. Gregorii PP. XIII,[2] in qua declaratur quod illa Societas seu Confraternitas quae prius vestes, quas saccos vocant, induerit in aliqua Civitate, Terra seu loco, praecedentiam super alias Confraternitates habeat, et in omnibus Processionibus locum digniorem obtineat et obtinere debeat. Quia tamen in solemnitate SS. Sacramenti sumptus cerae et aliarum necessariarum rerum fiunt in dicta Terra Campagnani per Societatem seu Confraternitatem praedictam SS. Sacramenti; declaravit Congregatio, ut nonnulli ex dictis Confratribus SS. Sacramenti, saccis induti cum fanalibus accensis in manu, possint incedere et incedere debant hinc inde, ante et apud SS. Sacramentum, dummodo vexillum Crucis et alia eorum insignia ac maior pars Confratrum incedat in loco suo, ante Societatem seu Confraternitatem Confalonis, iuxta formam Bullae praedictae Gregorii PP. XIII ». Et ita censuit et declaravit, atque exequi mandavit in dicta Terra Campagnani.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 251].

5239.

S. R. C., *Tuscanellae*, 14 iun. 1608.

Cum in Civitate Tuscanellae Fratres Conventuales S. Francisci recusent ad solitas Processiones ire, ob controversias praecedentiae inter ipsos et Fratres Observantes eiusdem Ordinis, qui pariter Conventum habent

[1] Cf. N. 715.
[2] Cf. N. 151.

apud dictam Civitatem, Communitas eiusdem loci recursum habuit ad SS. D. N. et S. R. C. ut super praemissis providerent.

Quae quidem S. R. C., viso Memoriali eidem remisso a SS. D. N., ad tollendam omnem litis differentiam inter dictos Fratres Conventuales et Observantes, declaravit: « Servandam esse Bullam Gregorii PP. XIII,[1] ut illi praecedant qui prius habuerunt locum seu Conventum in dicta Civitate Tuscanellae: et ordinavit ut ambae dictae Religiones ad Processiones et alias solitas dictae Civitatis functiones accedant et accedere debeant iuxta ordinem praedictum in Bulla praefata praescriptum ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 255].

5240.

S. R. C., *Matheranen.*, 14 iun. 1608.

Cum Archiepiscopus Matheranen. Ecclesiam suam Metropolitanam informem et sine Canonicis invenerit, de consensu et voluntate omnium Presbyterorum, tam dictae Ecclesiae suae Metropolitanae, quam aliarum Ecclesiarum Civitatis Matherae et omnium civium, accedente consensu et auctoritate S. C. Episcoporum, ex Presbyteris senioribus participantibus in dicta sua Ecclesia Cathedrali, triginta Canonicos creaverit, quos proprio nomine Canonicos nuncupavit, et ex illis Capitulum erexerit seu restituerit; statuens ut in futurum ad eos vel ad alios eorum successores, tamquam ad proprium Capitulum dictae Ecclesiae spectet et pertineat creatio et electio Vicariorum Capitularium, et non amplius ad Clerum, sublata penitus omni consuetudine, quae magis abusus vocari poterat, hactenus ante creationem dictorum Canonicorum servata, et alias nonnullas ordinationes circa horam congruam recitandi Officium Divinum, tam in Metropolitana quam in aliis eiusdem Civitatis Ecclesiis, et circa Processiones faciendas, tam ordinarias quam ex aliqua iusta et urgenti causa extra ordinem indicendas, fecerit et ordinaverit; cumque has ordinationes Rector et Capitulum et Clerus Ecclesiae Collegiatae S. Petri Caveosi dictae Civitatis servare aegre tulerint, et in Processionibus generalibus simul cum Presbyteris Ecclesiae Metropolitanae incedere, et sonum campanae pro recitandis Horis Canonicis, suo arbitrio pulsare praetendant; recursum habuerunt ad Sanctissimum D. N., qui negotium in S. R. C. examinandum remisit. In qua cum diu, mature ac diligenter examinatum fuerit coram Illm̃o ac Rm̃o D. Cardinali Montis Regalis, cui ab eadem S. C. remissum fuerat,

Eadem S. R. C., audita relatione dicti Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Montis Regalis, censuit et declaravit: « Creationem et institutionem, seu restitutionem, Canonicorum et Capituli in eadem Ecclesia Cathedrali ab Archiepiscopo factam, fore et esse iuridicam et validam: et propterea ad dictos Canonicos tantum et non ad reliquos de Clero aliarum Ecclesiarum pertinere

[1] Cf. N. 151.

creationem Vicarii Capitularis, et in Processionibus praecedentiam dandam esse ipsis Canonicis et Clero Ecclesiae Cathedralis seu Metropolitanae in digniori loco, supra omnes alios Presbyteros sive Clericos aliarum omnium Ecclesiarum Collegiatarum vel Parochialium eiusdem Civitatis, et licite cogi posse per Archiepiscopum omnes de Clero, ut tam ad Processiones ordinarias, quam etiam ad extraordinarias ex legitima causa indictas, in loco assignato in ordinationibus praedictis accedant: et debere omnes de Clero obedire ordinationibus ab Archiepiscopo factis circa sonum campanulae, et horam celebrandi Officia divina ». Et ita censuit et declaravit, et in Civitate Matherae servari mandavit, quibuscumque non obstantibus.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 259].

5241.

S. R. C., *Fulginaten.*, 14 iun. 1608.

Decanus Ecclesiae Fulginaten. S. R. C. exposuit, in eadem Ecclesia esse nonnullos abusus, quos tamquam laudabiles consuetudines aliqui ex Canonicis servare non desistunt; ideo petiit declarari, an possint tamquam praesentes ad Matutinum admitti Canonici illi, qui tantummodo praesentes in Choro sunt, dum cantatur Oratio pro Matutino: et similiter, an intelligantur praesentes ad reliquas Horas qui adsunt dum Oratio pro dictis Horis cantatur: et an etiam praesentes in Choro intelligantur illi Canonici, qui non ex officio seu alia obligatione, sed ex suo arbitrio, dum celebrantur Officia divina, audiunt Confessiones poenitentium: et demum, an illi etiam praesentes in Choro dici possint, qui per Ecclesiam cum cotta et almutia incedunt, dum Horae cantantur, pro aliqua sua vel aliorum occasione ad Officium Chori minime pertinente, ita ut in praedictis casibus possint Canonici licite lucrari distributiones quotidianas, prout hactenus per abusum consueverunt?

Eadem S. R. C. respondit: « Nullo modo posse Canonicos praedictos lucrari distributiones quotidianas in casibus propositis, nisi quando aliquis Canonicus vel ex officio vel de expresso Episcopi mandato in casu necessitatis, Confessiones poenitentium audiret, dum recitantur in Choro Horae canonicae, et hoc tantum casu excepto; in reliquis propositis, non lucrari licite distributiones censuit, quidquid hactenus in contrarium servatum fuerit, quod potius abusum esse, quam consuetudinem » Sacra Congregatio declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 260].

5242.

S. R. C., *Ariminen.*, 14 iun. 1608.

Cum Episcopus Ariminensis per Synodale Decretum statuerit, ut singulis annis celebretur Festum Dedicationis Ecclesiae Parochialis in Oppido S. Angeli suae Dioecesis, nec liquido constet, quo die dicta Ecclesia Parochia-

lis fuerit consecrata, licet ex coniecturis credatur fuisse consecratam in die Dedicationis S. Michaelis Archangeli; quae dies, cum sit festum Patroni eiusdem Terrae, solemniter celebratur cum octava: Archipresbyter eiusdem Ecclesiae Parochialis S. Michaelis Archangeli petiit declarari a S. R. C. an celebrando festum praedictum Dedicationis S. Michaelis Archangeli cum octava, satisfiat Decreto Episcopi, quo praecipitur ut in Ecclesia Parochiali celebretur Officium Dedicationis Ecclesiae?

Eadem S. R. C.: « Cum de die Dedicationis Ecclesiae liquido non constet, et Ecclesia praedicta Parochialis sit dedicata B. Michaeli Archangelo, et verisimiliter credatur illam fuisse consecratam in die Dedicationis eiusdem B. Michaelis Archangeli, et sit consuetum dictam diem solemnizari cum Officio duplici et octava; respondit: Archipresbyterum satisfacere Decreto praedicto Synodali, celebrando iuxta consuetum Officium cum octava in Festo Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 261].

5243.

S. R. C., *Civitaten.*, 27 sept. 1608.

Pro parte Episcopi Civitaten. a S. R. C. quaesitum fuit: An omnes Dignitates, Canonici, Portionarii et alii Sacerdotes Ecclesiae Cathedralis Feria V in Coena Domini debeant se abstinere a celebratione Missae, et sacram Communionem sumere de manu Episcopi vel alterius Celebrantis, prout ordinatur in Caeremoniali Episcoporum et prout in dicta Ecclesia servabatur; licet postea per consuetudinem, seu potius desuetudinem, consueverint singuli Presbyteri, Dignitates, Canonici et Mansionarii per se ipsos dicta die Missas celebrare.

Et S. R. C. respondit: « Servandam esse regulam praescriptam in Caeremoniali, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est: ut scilicet Feria V in Coena Domini in memoriam quod D. N. I. C. manu sua propria omnes Apostolos communicavit, omnes Presbyteri, tam Dignitates quam Canonici et Mansionarii, Communionem sumant de manu Episcopi vel alterius Celebrantis, prout etiam antiquitus in dicta Ecclesia Civitaten. servabatur ». Et ita censuit ac declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2489].

5244.

S. R. C., *Reatina*, 10 ian. 1609.

Pro parte Episcopi Reatini in S. R. C. expositum fuit, Archidiaconum qui primum locum habet in Choro, et primam in Capitulo vocem, et duplicatas percipit quotidianas distributiones, recusare ipsi Episcopo celebranti assistere et ministrare, secus ac disponat liber Caeremonialis, et propterea petiit ab eadem Congregatione declarari, quomodo cum dicto Archidiacono sit agendum?

Eadem S. R. C. respondit: « Servandam omnino esse dispositionem libri Caeremonialis in cap. 7, lib. 1, de officio Presbyteri assistentis, ut scilicet ipse Archidiaconus tamquam primus Canonicus, seu prima vel etiam unica dignitas, assistat Episcopo celebranti: et quatenus id recuset; cogendum esse ab Episcopo debitis remediis, etiam sub censuris et aliis poenis ecclesiasticis, ut officium suum in praefatis adimpleat ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 266].

5245.

S. R. C., *Iacen.*, 10 ian. 1609.

Pro parte R. P. D. Thomae moderni Episcopi Iacen. supplicatum fuit a S. R. C. declarari, an in Ecclesia sua Iacen. teneantur Decanus, Dignitates et Canonici assistere ei in Pontificalibus celebranti, iuxta declarationes alias a S. R. C. factas [1] et statutas regulas a Caeremoniali ultimo loco in lucem edito: quibus omnibus cavetur, ut Episcopo in Pontificalibus celebranti assistat Decanus seu Praeses, uti senior de Capitulo, cum suo pluviali: nec non una Dignitas et unus Canonicus cum Dalmaticis, nec non duo alii qui assistant uti Diaconus et Subdiaconus ad cantandum Evangelium et Epistolam. Dicti enim Decanus, Dignitates et Canonici excusantur dicentes, quod non sunt nisi decem et septem Canonici, et quod si assisterent illi quinque, remanerent pauci in Choro. Ultra quod, ex consuetudine illius Ecclesiae, dicunt contrarium fuisse usque adhuc observatum. Dicunt etiam, quod illis non obstat dispositio praefati Caeremonialis, maxime cum in illis partibus, ut ipsi allegant, non fuit dictum Caeremoniale receptum. Et quod si in aliquibus partibus Hispaniarum servatur dispositio praefati Caeremonialis non tamen ex obligatione, sed ex urbanitate servatur, et propterea dicunt ad id non teneri: et ne detur occasio amplius dubitandi, supplicatur pro declaratione dicti dubii.

Eadem S. R. C.: « Servandam esse formam libri Caeremonialis declaravit, ut quando Episcopus solemniter celebrat, Decanus seu prima Dignitas et duae aliae Dignitates vel Canonici, praeter Diaconum et Subdiaconum qui cantant Evangelium et Epistolam, ei assistant et ministrent, ut in Caeremoniali Episcoporum cavetur, lib. 1, cap. 7, de officio Presbyteri assistentis, tam in Vesperis quam in Missa, et cap. 8 eodem libro, de assistentia duorum Canonicorum in habitu diaconali Episcopo celebrante ». Et ita declaravit, et in Ecclesia Cathedrali Iacen. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 267].

[1] Cf. N. 5157, 5160, 5161, 5169, 5200, 5230. 5244.

5246.

S. R. C., *Barcinonen.*, 10 ian. 1609.

Pro parte R. P. D. Raphaelis Episcopi Barcinonen. S. R. C. expositum fuit, quod instante Simone Episcopo Maioricen. consecrari et promoveri ad Ordinem Episcopatus in Civitate Barcinonae, ab ipso Raphaele Episcopo dictae Civitatis, a SS. Domino N. in Bulla Commissionis Consecrationis nominato, fuerint per ipsum Raphaelem ad istum actum celebrandum convocati Episcopi convicini, videlicet Ludovicus Episcopus Celsonen. et Franciscus Episcopus Vicen.; quibus simul congregatis pro celebrando dicto actu in Ecclesia Barcinonen., et volente ipso Raphaele procedere ad dictam Consecrationem, praetendit Ludovicus ad ipsum, uti antiquiorem Episcopum, spectare dictam Consecrationem facere et dictae celebrationi praeesse: contrarium asserente ipso Raphaele, qui dicebat ad ipsum spectare in sua Dioecesi similes actus pontificales et alios exercere et celebrare, et nullum alium etiam antiquiorem Episcopum, nisi S. R. E. Cardinales et Sedis Apostolicae Legatos, et proprium Metropolitanum sibi in dicta sua Dioecesi praecedere debere in similibus exercendis: ex quo tunc dilata fuit Consecratio, et postea per alios facta: et quia multoties contingit in dicta Civitate Barcinonae uti principalis illius Provinciae, fieri debere similes Episcoporum Consecrationes, pro similibus actis exercendis ne succedant scandala, et ut sciatur quid servandum sit, supplicat dictus Raphael Episcopus Barcinonen. pro declaratione.

Eadem S. R. C. ad supradictam Episcopi Barcinonen. petitionem respondit: « Episcopum Dioecesanum in sua Ecclesia Cathedrali et Dioecesi in similibus Consecrationibus, et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercendis, praeferendum esse omnibus aliis Archiepiscopis et Episcopis, etiam promotione ipso Dioecesano anterioribus, Metropolitano proprio tantum excepto; licet alias Episcopus Dioecesanus teneatur Episcopos advenas et peregrinos in sua Dioecesi honorare, et ex urbanitate dexteram et locum digniorem eis cedere ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 268].

5247.

S. R. C., *Segobricen.*, 21 mart. 1609.

Ortam fuisse contentionem de praecedentia in Civitate Valentina inter Episcopos Segobricen. et Derthusen. S. R. C. narratum est, quae sic respondit, videlicet:

« Circa praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum, S. R. C. declaravit: ita ut qui prius electus seu promotus, et a Summo Pontifice in Consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cuiuscumque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito, et ut supra confirmato, praecedere. Et hoc non modo inter Episcopos Segobricen. et Derthusen., sed etiam inter omnes totius Orbis Episcopos servandum esse » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 270].

5248.

S. R. C., *Spoletana Terrae de Visso*, 20 iun. 1609.

Plebanus, Curati et alii Presbyteri Terrae Vissi Spoletanae Dioecesis S. R. C. exposuerunt, eos saepissime contendere cum Fratribus et Regularibus eiusdem Terrae, et ideo ad tollendas dissensiones inter eos petierunt declarari infrascripta dubia, videlicet: [1]

1. An Regulares possint Sacramenta deferre ad domos proprias Tertiariorum vel Cincturatorum in articulo mortis, si sint aggregati eorum Religionibus?

2. An Regulares possint accedere ad domos infirmorum, qui non sint Tertiarii nec Cincturati, et eos etiam in articulo mortis aggregare et recipere in eorum Ordine, et defunctos postea sepelire in eorum Ecclesiis?

3. An Regulares sine interventu Curati possint sepelire aggregatos Tertiarios seu Cincturatos defunctos?

Et cum Illm̃us et Rm̃us D. Cardinalis Montis Regalis iuxta commissionem sibi datam, sententiam suam supra praemissis dubiis dixisset;

S. R. C., iuxta praedicti Illm̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Montis Regalis relationem, ad supradicta dubia respondit ut infra:

Ad 1. « Non posse Religiosos ministrare Sacramenta in domibus Tertiariorum seu Cincturatorum aggregatorum, praeterquam Sacramentum Poenitentiae; administrationem vero ceterorum Sacramentorum pertinere ad Curatum ».

Ad 2. « Non posse, in casu, Religiosos in articulo mortis facere Tertiarios seu Cincturatos, eosque aggregare eorum Religioni ».

Ad 3. « Posse in eorum Ecclesiis sepelire, absque Parochi interventu, viros huiusmodi collegialiter viventes aut cum claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, vel caelibem, aut castam vidualem, expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes. Quod si Tertiarii vel Tertiariae his carent qualitatibus, non esse sepeliendos in Ecclesia Regularium, nisi ipsi dum vixerint in ea elegerint sepulturam, et tunc Parochum etiam esse adhibendum ». Et ita declaravit et ad supradicta dubia respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 271].

[1] E. Dub. 1.

5249.

S. R. C., *Ferrarien.*, 27 iul. 1609.

Episcopus Ferrarien. petiit a S. R. C. declarari, an ipse possit cogere Canonicos Regulares Lateranenses S. Salvatoris, Olivetanos et Cassinenses, ut accedant ad publicas Processiones iuxta formam litterarum S. C. Episcoporum sub die 2 maii 1600.[1]

Eadem S. R. Congr. censuit: « Regulares omnes posse compelli iuxta declarationem Congregationis Sacri Concilii, cuius quidem Sacri Concilii declaratio talis est, videlicet: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum saepius declaravit, publicas Processiones, ad quas exempti, ab Episcopis vocati, accedere tenentur ex Decreto cap. 13, sess. 25, eiusdem Concilii, eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico vel publico honore.[2] Quam Congregationis Sacri Concilii declarationem eadem S. R. C. Ferrariae et ubique servandam esse » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 272].

5250.

S. R. C., *Granaten.*, 24 oct. 1609.

Pro parte Archiepiscopi Granaten. a S. R. C. quaesitum fuit: An liceat et permissum sit laicis, cuiuscumque qualitatis existant, dum divina Officia in Ecclesia Metropolitana Granaten. celebrantur, inter Canonicos et alios in eadem Ecclesia Praebendatos ac Ministros, in Choro vel Presbyterio stare vel sedere; seu etiam liceat Magistratibus aut viris illustribus et aliis personis laicis perpetuo Dignitatum Sedes, aut Canonicorum vel Portionariorum stalla in Choro praedicto aut Presbyterio occupare, etiamsi id eis aliquando permissum fuerit; nec non idipsum non solum in Ecclesia Metropolitana Granaten., sed etiam in Processionibus, sermonibus, offertoriis, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire seu assistere Capitulum et Canonicos praedictae Ecclesiae Granaten. contigerit?

Eadem S. R. C., iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum, lib. 1, cap. 13, et inhaerendo Decretis alias in simili causa factis,[3] declaravit: « Non licere nec permitti debere laicis, dum divina Officia in Ecclesia Metropolitana celebrantur, inter Canonicos et alios in Ecclesia Praebendatos ac Ministros, in Choro vel Presbyterio stare vel sedere: neque licere Magistratibus aut iudicibus laicis, proprias Dignitatum Sedes aut Canonicorum stalla in Choro praedicto aut Presbyterio occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Idque tam in Archiepiscopali Granatensi Ecclesia, quam etiam in Processionibus et offertoriis, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire seu assistere Capitulum et Canonicos eiusdem Ecclesiae Granaten. contigerit, servandum esse » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 275].

[1] Cf. N. 1485, 1554.
[2] Cf. N. 2381.
[3] Cf. N. 5184, 5205.

5251.

S. R. C., *Granaten.*, 24 oct. 1609.

Ex antiqua consuetudine Ecclesiae Granaten. Archiepiscopum duos semper apud se habere Canonicos assistentes, sive pontificaliter celebret, sive alias quomodolibet Divinis assistat, eosdemque assistentes etiam hinc inde apud se habere per viam dum ad Ecclesiam procedit, solitum esse, pro parte eiusdem Archiepiscopi Granaten. Sac. Rit. Congr. expositum fuit. Et quia Praesidens et Auditores Cancellariae Regiae Granaten. praetendunt in eorum praesentia huiusmodi consuetudinem non esse servandam, dum ipsi pariter cum Archiepiscopo divinis Officiis in Ecclesia, in quibusdam solemnitatibus assistunt, sed tunc debere Archiepiscopum contentum esse unico Assistente: et propterea Archiepiscopus dubitet ipsum Praesidentem et Auditores minus toleraturos tertium Assistentem Presbyterum, ex dispositione libri Caeremonialis sibi pariter, non minus quam praedictos duos, concessum, dum Archiepiscopus solemniter celebrat aut divinis Officiis assistit, petiit id etiam a S. R. C. declarari.

Quae quidem S. R. C.: « Non duos tantum Canonicos Assistentes hinc inde assistere debere Archiepiscopo celebranti vel divinis Officiis assistenti, iuxta dispositionem praedicti Caeremonialis, lib. 1, cap. 8, et per viam dum ad Ecclesiam procedit, iuxta antiquam dictae Ecclesiae Granatensis consuetudinem, sed tertium etiam Presbyterum assistentem eidem pariter convenire, dum Divinis assistit vel solemniter celebrat, iuxta dispositionem eiusdem Caeremonialis, lib. 1, cap. 7. Et ita in Ecclesia Granaten. servandum esse tam in praesentia Praesidentis Cancellariae et Regii Magistratus, quam in eorum absentia », censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 276].

5252.

S. R. C., *Maceraten.*, 28 nov. 1609.

Praepositus et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Salvatoris in Civitate Maceraten. S. C. Episcoporum exposuerunt, Episcopum Maceraten. non solum praetendere, ut sub Cruce Ecclesiae Cathedralis incedant Vicarii perpetui et alii Presbyteri et Clerici perpetuo adscripti servitio dictae Ecclesiae Cathedralis, prout declaravit S. R. C. sub die 21 martii 1609: qui Vicarii et Clerici ante dictum Decretum solebant incedere sub Cruce Ecclesiae Collegiatae praedictae; sed etiam praetendere ut sub eadem Cruce Ecclesiae

Cathedralis incedant etiam omnes, qui, vel in eadem Ecclesia Cathedrali aliquod Beneficium simplex habent, vel etiam in eadem Ecclesia Cathedrali vocati aliquando inserviunt ad beneplacitum, nec non etiam Clerici qui Missis privatis in Ecclesia Cathedrali inserviunt: qui omnes in consequentiam praecedunt Praeposito et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris. Quod cum videatur dicto Praeposito et Canonicis Ecclesiae Collegiatae magnum afferre praeiudicium; petierunt declarari, ut dicti Clerici, Presbyteri et alii qui non sunt perpetuo adscripti servitio Ecclesiae Cathedralis, debeant incedere in publicis Processionibus non sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, sed sub Cruce Ecclesiae Collegiatae: et cum eadem Sac. Congr. Episcoporum negotium hoc ad S. R. C. remiserit;

Eadem S. R. C. declaravit: « Omnes Canonicos, Presbyteros et Clericos, quovis modo adscriptos servitio Ecclesiae Cathedralis, vel ad tempus vel in perpetuum, facere unum corpus et debere omnes incedere sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, cui inserviunt, vel in ea Beneficia simplicia possident; nec propterea inferri praeiudicium Praeposito et Canonicis Ecclesiae Collegiatae qui faciunt aliud corpus distinctum ab Ecclesia Cathedrali, quae procul dubio debet praecedere Ecclesiae Collegiatae: et dicti Presbyteri, Clerici et alii Ecclesiae Cathedrali adscripti, non praecedunt Ecclesiae Collegiatae tamquam singuli, sed tamquam uniti Corpori Ecclesiae Cathedralis, quod corpus nullo modo dividi debet ». Et ita censuit et declaravit, et in Civitate Maceraten. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 278].

5253.

S. R. C., *Asculana in Apulia*, 6 mart. 1610.

Ad instantiam Thesaurarii et Magistri Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Asculanae in Apulia a S. R. C. quaesitum fuit: an Archidiaconus eiusdem Ecclesiae, ex eo quod Privilegium Protonotariatus obtinuerit, possit et debeat in Choro, Processionibus et aliis actibus publicis, relicto habitu proprio Archidiaconi, hoc est superpelliceo cum caputio violaceo, uti habitu Praelati, hoc est mantelletta et rochetto sine cotta et caputio, et uti etiam dicto habitu Protonotarii, dum Episcopo celebranti iuxta suum munus assistit, et in Processionibus incedere possit cum dicto habitu non in loco sibi debito ut Archidiaconus, sed in ultimo tamquam Praelatus, et prope Episcopum: et an conveniat, dum Missas in dicta Ecclesia celebrat, ut non ex Sacristia, ut faciunt ceteri omnes eiusdem Ecclesiae Dignitates et Canonici, sed ex Altari sumat paramenta pro Missa celebranda more Praelatorum?

Eadem S. R. C.: « Inhaerendo Decretis alias in simili casu factis,[1] declaravit, nullo modo posse Archidiaconum praedictum lucrari distributiones quotidianas et fructus suae Praebendae Archidiaconalis, nisi in habitu proprio et Archidiacono convenienti, in Choro et in Ecclesia assistat Horis Canonicis et divinis Officiis, et cum eodem habitu in Processionibus incedat in loco sibi debito et convenienti tamquam Archidiacono, et non tamquam Protonotario: et dum in Ecclesia Cathedrali celebrat Missas, morem consuetum Ecclesiae servare debere, sicut faciunt alii eiusdem Ecclesiae Dignitates et Canonici. Quod si voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia praedicta, nihil participare poterit de fructibus et distributionibus Archidiaconatus: tamquam extraneus reputabitur, eique locus assignandus erit post Abbates, non supra nec inter Canonicos, ut dicitur in Caeremoniali Episcoporum, lib. 1, cap. 13 circa finem ». Et ita eadem Congregatio declaravit, et in Ecclesia Asculana in Apulia servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 280].

5254.

S. R. C., *Ripae Transonae*, 6 mart. 1610.

Antiani et Magistratus Civitatis Ripae Transonae per suas litteras S. R. C. significaverunt et exposuerunt, quod Canonici Ecclesiae Cathedralis extra dictam Ecclesiam, dum ad concionem audiendam in Ecclesia Sancti Dominici accedunt, praetendunt ipsos Antianis et Magistratui praecedere, sicut praecederent in Ecclesia Cathedrali: quod eis extra Ecclesiam Cathedralem convenire non videtur.

Eadem S. R. C.: « Iuxta formam libri Caeremonialis, et prout alias fuit declaratum,[1] respondit praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedrali quam in quacumque alia Ecclesia, dum ad Officia divina vel ad concionem audiendam sedent in habitu Canonicali ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 281].

5255.

S. R. C., *Chilen. in Indiis*, 15 maii 1610.

Episcopus Chilen. in Indiis Occidentalibus in S. R. C. exponere fecit recusare Religiosos Mendicantes et Monachos in dicta Civitate commorantes accedere ad publicas Processiones Rogationum, et ad alias generales Processiones, quae in dicta Civitate fieri solent per annum: sub eo praetextu, quod, cum ipsi sint Regulares, non possit Episcopus eos compellere iuxta formam iuris et Sacri Concilii Tridentini.

Eadem S. R. C.: « Inhaerendo Decretis alias in simili causa factis,[2] declaravit Episcopum posse compellere omnes Religiosos tam Mendicantes, quam Monachos etiam exemptos, sub poenis et censuris ecclesiasticis, ut accedant ad publicas et generales Processiones. Et publicas et generales

[1] Cf. N. 5214, 5216.

[1] Cf. N. 5156, 5240, 5252.
[2] Cf. N. 5249.

Processiones iuxta declarationem Congregationis Sacri Concilii Tridentini,[1] cap. 13, sess. 25, eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico vel publico honore, ad quas Processiones omnes Religiosi accedere tenentur: et recusantes potest Episcopus sub poenis et censuris ecclesiasticis compellere, ut accedant ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 282].

5256.

S. R. C., *Vercellen.*, 7 aug. 1610.

Cum in Ecclesia Vercellen. prima Dignitas et primus Presbyter sit Archidiaconus, et in eadem Ecclesia Praebendae Canonicales distinctae sint inter octo Presbyteros, octo Diaconos, et totidem Subdiaconos, et Archidiaconus suae Dignitati Canonicatum Presbyteralem adnexum habeat; pro parte eiusdem Archidiaconi in S. R. C. quaesitum fuit, quisnam debeat Episcopo solemniter celebranti assistere paratus cum pluviali, an ipse Archidiaconus, vel potius Archipresbyter, ut ipse Archipresbyter praetendit, virtute cuiusdam Decreti Visitatoris Apostolici, in quo asseritur statutum fuisse, ut Archidiaconus non cum pluviali, sed cum Tunicella paratus, Episcopo celebranti assistat?

Eadem S. C. respondit: « Servandam esse regulam libri Caeremonialis, qui expresse et clare casum propositum determinat cap. 7, lib. 1, his verbis: Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in Divinis assistunt et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent: nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus in Sacerdotio constitutis etc. ».

« Et cum omnes supradictas qualitates, a Caeremoniali requisitas, habeat Archidiaconus Vercellen., ad ipsum tamquam ad primam Dignitatem et primum Presbyterum, officium assistendi Episcopo cum pluviali pertinere, non autem ad Archipresbyterum, quocumque Decreto Visitationis non obstante », censuit et declaravit. Et in Civitate Vercellen. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 284].

5257.

S. R. C., *Andrien.*, 25 sept. 1610.

Cum alias sub die 19 iunii 1604 a S. R. C. ad instantiam Episcopi Andrien. ordinatum fuerit, ut in Ecclesia Andrien. Vicario Generali Episcopi, in absentia ipsius Episcopi, primus locus in Choro assignetur supra omnes Dignitates et Canonicos; et Vicarius praedictus locum seu stallum

[1] Cf. N. 2381.

Archidiaconi primae Dignitatis occupaverit, de quo Archidiaconus conquerebatur; cum, occupato suo stallo a Vicario, primus locus remaneat Archipresbytero, qui secundam obtinet Dignitatem, et cedere debet primum et digniorem locum in Choro ipsi Archidiacono; et cum haec causa a S. R. C. commissa fuerit Illm̃o et Rm̃o D. Cardinali Peretto, qui tandem auditis partibus, merita causae sub infrascripta die 7 augusti retulit: quibus auditis,

Eadem S. R. C.: « A Decretis iam factis in hac causa non esse recedendum censuit, et omnino in absentia Episcopi primum locum Chori assignandum esse Vicario Generali » declaravit. Die 7 augusti 1610.

Et quia postea Archidiaconus exposuit Chorum esse distinctum, ita ut a parte dextera Sedis Episcopalis (quae in absentia Episcopi vacua remanere debet) primus locus sit Archidiaconi, et a parte sinistra primus locus sit Archipresbyteri, et tertiae Dignitati locus assignetur apud Archidiaconum a parte dextera, et quartae Dignitati assignetur locus a parte sinistra apud Archipresbyterum, et sic alternatim; petiit Archidiaconus, ut praesente Vicario in Choro et suum stallum occupante, sibi assignetur locus a parte sinistra Chori, et Archipresbyter tunc veniat in parte dextera apud Vicarium: sicut in simili casu servatur in Ecclesiis Patriarchalibus Sancti Petri et Sanctae Mariae Maioris de Urbe, ut per fides subscriptas a Magistris Caeremoniarum dictarum Ecclesiarum constat, quas dictus Archidiaconus praesentavit in manibus Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Pinelli eiusdem S. R. C. Praepositi.

Quibus visis, Dominatio Sua Illm̃a et Rm̃a ordinavit, « ut omnino servetur Decretum Congregationis, et Vicario Generali, in absentia Episcopi, primus locus Chori assignetur: sed ne Archidiacono praeiudicium inferatur, primus locus immediate post Vicarium a parte sinistra, ipsi Archidiacono assignetur, secundus locus a parte dextera apud Vicarium, Archipresbytero, tertius tertiae Dignitati; et sic successive per ordinem, ita ut unaquaeque Dignitas locum primum, secundum, vel tertium post Vicarium occupet, qui primae, secundae, vel tertiae Dignitati conveniat: praesente vero Episcopo, et in absentia Vicarii, quaelibet Dignitas sedeat in suo proprio stallo ». Et ita dictus Illm̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Pinellus declaravit, et in Ecclesia Andrien. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 287].

5258.

S. R. C., *Telesina*, 19 mart. 1611.

Societates S. Antonii et SSm̃ae Conceptionis in Oppido Cerreti Telesinae Dioecesis S. R. C. exposuerunt, quod cum novissime erecta et instituta fuerit Societas SSm̃ae Trinitatis in Ecclesia S. Leonardi eiusdem Oppidi, Episcopus voluit et ordinavit ut dicta Societas SS. Trinitatis novissime erecta, praecedat omnibus aliis Societatibus antiquioribus in eodem Oppido erectis et institutis, quod cum in praeiudicium ipsarum antiquarum Confraternitatum sit, ad eamdem S. R. C. recursum habuerint:

S. R. C. respondit: « Circa praecedentiam inter Confraternitates, Bullam felicis rec. Gregorii XIII [1] servandam esse censuit et declaravit et ita ordinavit, et in Oppido Cerreti Telesin. Dioecesis servari mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 291].

5259.

S. R. C., *Urbinaten.*, 25 iun. 1611.

Consuevisse in Ecclesia Cathedrali Urbinaten., cui etiam cura animarum adnexa est, singulis diebus Missam in aurora celebrari, in qua festa populo annuntiantur, matrimonia denuntiantur, monitoria publicantur, et alia fiunt ad Parochos spectantia, quae Missa semper celebratur de Festo, seu Feria iuxta Officium illius diei; post Horam vero Nonae Missa Conventualis iuxta Officium currens, etiam singulis diebus cantatur.

Sed quando contingit aliquam Missam votivam in eadem Ecclesia, vel ex dotatione vel pro defunctis cantari, nullam aliam Missam Conventualem Canonici cantant, existimantes sufficere ad quotidianas distributiones licite lucrandas, illam Missam privatam, quae de Festo vel Feria currente in aurora private celebratur. Quibus stantibus quaesitum fuit a S. R. C., an in casu proposito, quando cantatur aliqua Missa votiva vel defunctorum, teneantur Canonici etiam Missam Conventualem cantare, ut quotidianas distributiones licite lucrari possint, vel ad hoc sufficiat illa Missa privata, quae in aurora celebratur?

Eadem S. R. C. respondit: « Teneri Canonicos omnino celebrare et cantare Missam Conventualem de Officio currenti, ad hoc ut licite possint distributiones quotidianas lucrari, nec ad satisfaciendum sufficere Missam celebratam in aurora ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 292].

5260.

S. R. C., *Urbis*, 12 maii 1612.

Cum ad aures S. R. C. pervenerit in nonnullis Ecclesiis Collegiatis, seu etiam Patriarchalibus Urbis, a Canonicis, Magistris Caeremoniarum, Officialibus et Ministris earumdem Ecclesiarum ordinari et fieri Caeremonias et Ritus ecclesiasticos vario et diverso modo ab eo, quem universaliter Ecclesia Romana servare consuevit, et prout in libro Caeremoniali pro Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis praescribitur; et auctoritate propria etiam Ritus praedictos et Caeremonias in scriptis redigere, et proprios, et particulares libros Caeremoniarum pro earumdem Ecclesiarum usu ordinari et confici;

Eadem S. R. C. « Id minime licere sine expressa eiusdem S. C. licentia et

[1] Cf. N. 151.

ordine declaravit: nec privatis personis, nec etiam Patriarchalibus et Collegiatis Ecclesiis id esse permittendum. Quare expresse mandavit, ut tam Canonici quam alii quicumque dictarum Ecclesiarum Ministri, Officiales et Magistri Caeremoniarum a praedictis abstineant, nec audeant vel praesumant caeremonias ordinarias immutare, seu variare, vel novas ordinare diverso ac vario modo ab eo, qui in Rubricis Missalis et Breviarii Romani, et dicto libro Caeremoniarum praescribitur; et ab usu, et consuetudine universali, et communi aliarum similium Ecclesiarum, sine expressa licentia eiusdem S. C., ad quam specialiter et particulariter haec pertinent, sub poenis contra facientibus arbitrio eiusdem S. C. imponendis et exequendis ». Et ita ordinavit, censuit et declaravit, ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 297].

5261.

S. R. C., *Neapolitana*, 7 iul. 1612.

In causa praecedentiae inter Abbatem Patientiae Caesariae nuncupatum cum suo Clero Saeculari, et Abbatem S. Petri ad Aram cum suis Canonicis Regularibus, in publicis Processionibus in Civitate Neapolitana faciendis, quae proposita in S. R. C. commisa fuerat primo Illm̃o et Rm̃o D. Cardinali Lenio, et deinde propter eius absentiam, Illm̃o et Rm̃o Dño Cardinali Millino; visis litteris et informatione Illm̃i et Rm̃i Dñi Cardinalis de Aquaviva Neapolitanae Civitatis Archiepiscopi, et audita relatione praedicti Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Millini;

Eadem S. R. C. censuit: « Non esse Clerum Regularem miscendum cum Clero Saeculari, et ideo dicto Abbati de Patientia cum suo Clero, convenire in publicis Processionibus locum sibi alias assignatum a Vicario Generali dictae Civitatis Neapolitanae, ut scilicet incedat cum Clero Saeculari immediate post Clerum Regularem, cum quo Clero Regulari dictus Abbas S. Petri ad Aram cum suis Canonicis Regularibus incedere debet: iuxta stilum, consuetudinem et ordinem omnium Ecclesiarum dictae Civitatis Neapolitanae ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 298].

5262.

S. R. C., *Elboren.*, 7 iul. 1612.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. in S. C. R. quaesitum est: utrum Canonici suae Ecclesiae Elboren. teneantur suo Praelato Ordinationes in temporibus, vel extra tempora virtute alicuius privilegii, extra dictam Ecclesiam, in Civitate tamen Elboren., vel eius suburbiis celebranti, assistere et ministrare, remanentibus aliquibus in Ecclesia pro servitio Chori, sicut tenentur eidem assistere et ministrare Pontificalia intra dictam Ecclesiam exercenti.

Eadem S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus casibus factis,[1] respondit: « Canonicos teneri ministrare, assistere et inservire Archiepiscopo, Ordinariones tam intra quam extra Ecclesiam Cathedralem celebranti; dummodo in Cathedrali tot Canonici et ministri remaneant, qui satis sint ad divina Officia celebranda ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 300].

5263.

S. R. C., *Caietana*, 10 nov. 1612.

Cum in Ecclesia et Hospitali SS. Annuntiatae a iurisdictione Ordinarii exempta in Civitate Caietana, ex antiqua et immemorabili consuetudine Altare ligneum cum ara lapidea locatum sit, et Episcopus in sua Dioecesana Synodo decreverit, Altaria omnia debere esse lapidea, et non lignea; pro parte eiusdem Ecclesiae et Hospitalis ad S. R. C. recursum fuit: in qua, proposito huiusmodi negotio et audita relatione Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat,

Eadem S. R. C. censuit: « Episcopum Caietanum permittere debere Altare ligneum cum ara lapidea, iuxta reformationem Missalis, cap. 20 ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 303].

5264.

S. R. C., *Hydruntina*, 10 nov. 1612.

« Abbati Alexandro Colluccio Canonico Ecclesiae Hydruntinae, sub eo praetextu quod sit Archiepiscopi Locumtenens, nullo modo convenire nec licere in Choro sedere in Sede particulari cum pulvino, in habitu communi et ordinario; nec thuris et pacis honorem eidem competere ante Dignitates et ceteros Canonicos ipso digniores et antiquiores, sed ipsum debere sedere in Choro cum cotta et habitu Canonicali, in loco suae receptionis inter alios Canonicos »; S. R. C., audita relatione facta in hac causa ab Illm̃o et Rm̃o D. Card. Peretto, censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 304].

5265.

S. R. C., *Tarraconen.*, 2 mart. 1613.

Narratum est, solitum esse in primo ingressu Archiepiscopi in Tarraconensi Civitate, ut Consules eiusdem Civitatis pedites, quasi in subiectionis et obsequii signum equum seu mulam in qua sedet Archiepiscopus, cordu-

[1] Cf. N. 5160, 5175, 5229, 5245.

lis ad fraenum alligatis, manu deducant: et ut ipse Archiepiscopus cum sua Cruce, more Archiepiscopali, in Civitatem ingrediatur. Quod obsequium, licet tribus Archiepiscopis proxime praeteritis praestitum sit, moderno nunc praestare dicti Consules recusant, sub eo praetextu, quod olim bo. mem. Rm̃us Dominus Cardinalis Cervantes eiusdem Civitatis Archiepiscopus, qui non tamquam Archiepiscopus, sed potius tamquam Cardinalis, sine Cruce in dictam Civitatem ingressum fecit: ex quo solo actu, licet consuetudo sit in contrarium, Consules praedicti praetendunt, ut modernus Archiepiscopus nunc eodem modo in Civitatem praedictam sine Cruce ingrediatur, prout ingressus fuit dictus Cardinalis Cervantes; vel si Crucem deferre voluerit, praetendunt, ut is qui Crucem portat, pedes, sicut ipsi Consules, incedere debeat; et quatenus equitare voluerit, tam longe a persona Archiepiscopi distet, ut non dignoscatur Crucem illam esse Archiepiscopi signum et iurisdictionem: quod an conveniat, et in quo loco Crux Archiepiscopalis deferenda sit in dicto primo ingressu, modernus Tarraconen. Archiepiscopus a S. R. C. declarari petiit.

S. R. C. respondit: « Consuetudinem solitam servandam esse, cum sit conformis regulae libri Caeremonialis in cap. de primo ingressu Episcopi vel Archiepiscopi ad suam Dioecesim vel Provinciam: Crucem vero esse deferendam ab aliquo Episcopi Cappellano equitante, immediate ante personam Archiepiscopi, inter quem et Archiepiscopum nullus omnino esse debet, nisi soli Dignitates et Canonici Ecclesiae Metropolitanae, quatenus Archiepiscopo obviam veniant, illumque in primo ingressu capitulariter comitari voluerint: iuxta formam dicti libri Caeremonialis, quam omnino in casu proposito esse servandam » eadem S. R. C. censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 308].

5266.

S. R. C., *Ferrarien.*, 7 sept. 1613.

Parochus seu Vicarius S. Romani in Civitate Ferrarien. petiit a S. R. C. declarari, an ad funera et exequias, quae fiunt et celebrantur in sua Parochia, possit ad libitum vocare quos Clericos vel Presbyteros voluerit; an vero teneatur, ut aliqui praetendunt, vocare viciniores?

Eadem S. R. C. respondit: « Posse Parochum ad libitum vocare quos voluerit, dummodo illi sponte velint accedere, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 313].

5267.

S. R. C., *Tullen.*, 6 dec. 1613.

In Dioecesi Tullen. multae sunt personae et Collegia Ecclesiastica a iurisdictione Ordinarii exempta, quae Episcopum ad Sacra et Missam Pontificalem in suis Ecclesiis admittere, aut primam illi Sedem deferre recusant,

nec Pontificalia ibi exercere permittunt. Quaeritur: an ad hoc cogi possint per Episcopum, et contradictores censuris innodari?

Proposito Memoriali in S. R. C. ad instantiam Episcopi Tullen., eadem S. R. C. « Iuxta dispositionem Concilii Tridentini, sess. 25, *de ref.*, cap. 6, respondit: Episcopum in omnibus suae Dioecesis Ecclesiis, quantumvis exemptis et privilegiatis, esse honorandum, ita ut ei is honor tribuatur qui suae Dignitati par sit, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, et in aliis actibus publicis primam Sedem et primum locum, quem ipse elegerit, dandum et concedendum esse; nec posse prohiberi, quominus in dictis Ecclesiis etiam exemptis Pontificalia exerceat, immo posse Episcopum contradictores poenis et censuris ecclesiasticis compellere, censuit et declaravit. Si quis autem de huiusmodi Decreto et S. R. C. declaratione se gravatum senserit, compareat in eadem S. C., ubi benigne audietur, sed interim parere Decreto non desistat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 314].

5268.

S. R. C., *Cusentina*, 1 mart. 1614.

Cum in Oppido sive Terra Montis Alti Cusentinae Dioecesis orta fuerit differentia praecedentiae inter Fratres Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, qui ab annis hinc circiter 90, Monasterium in dicta Terra Montis Alti sub titulo SS. Annuntiationis fundaverunt et habuerunt, et Fratres Ordinis Carmelitarum, qui a novem annis Monasterium in eadem Terra habuerunt; et licet semper in praeteritum praecedentiam dictis Fratribus Minimis, tamquam in loco antiquioribus, dederint et concesserint; novissime tamen tentaverunt praecedere dictis Fratribus Minimis sub praetextu, quod Carmelitarum Religio sit antiquior Religione Minimorum, et quia in aliis locis Fratres Carmelitani praecedant dictis Fratribus Minimis: Proposito huiusmodi negotio in S. R. C., et audita relatione facta per Illm̃um et Rm̃um D. Card. Lancellottum, cui haec causa cum aliis similibus commissa fuerat;

Eadem S. R. C. ut alias,[1] ita nunc iuxta mentem SS. D. N. Papae declaravit: « In hoc casu servandam esse Bullam fel. rec. Gregorii PP. XIII,[2] in qua cavetur, quod illa Religio aliis praecedat quae prius in Civitate seu loco ubi residet, fundavit et habuit Monasterium; et ita, iuxta dictae Bullae tenorem, servandum esse in dicta Terra Montis Alti inter Fratres Minimos Sancti Francisci de Paula, et Fratres Carmelitanos » censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 318].

[1] Cf. N. 5164, 5239.
[2] Cf. N. 151.

5269.

S. R. C., *Lisbonen.*, 12 apr. 1614.

Cum in Dioecesi Lisbonen. quidam Suffraganeus Archiepiscopi, de eius ordine ac mandato, Ecclesiam quamdam in ipsa Lisbonen. Dioecesi sitam consecrare inceperit, cum omnibus caeremoniis descriptis in Pontificali Romano (De Ecclesiae Dedicatione seu Consecratione), et circa medium Consecrationis improviso accidenti correptus Episcopus defecerit, et Consecrationem Ecclesiae perficere non potuerit; pro parte ipsius Archiepiscopi Lisbonen. a D. Simone Costa de Amaral eius Procuratore a S. R. C. quaesitum fuit: An ab alio Episcopo Ecclesiae praedictae incepta Consecratio continuanda sit, vel potius de novo inchoanda?

Quae quidem S. R. C., commissa prius huiusmodi articuli examinatione Illm̃o et Rm̃o Dño Card. Bellarmino, qui in alia Congregatione sententiam suam declaravit posse utroque modo sine scrupulo fieri, nempe vel de novo inchoare a principio Consecrationem, vel iam inceptam continuare et perficere: sed melius sibi videri, ut de novo ab alio Episcopo inchoaretur. Et iterum postea proposito huiusmodi negotio in Congregatione:

Eadem Sac. R. C., auditis sententiis et votis singulorum Illm̃orum et Rm̃orum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium; considerando, quod Consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis sacro Chrismate duodecim Crucibus per Ecclesiam, et in proferendis illis verbis: *Sanctificetur, et consecretur hoc Templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc.;* quae Cruces cum adhuc ab Episcopo, qui in Consecratione defecit, non fuerint inunctae, ut in facto praesupponitur, censuit et iudicavit: « Consecrationem dictae Ecclesiae de novo et a principio ab Episcopo inchoandam et continuandam esse usque in finem ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 319].

5270.

S. R. C., *Caputaquen.*, 30 sept. 1614.

In Causa Caputaquen. circa declarationem dubii dati a Cantore Ecclesiae Collegiatae de Laurino, in quo petebat: an Dignitas in Cathedrali possit alias Dignitates eiusdem Dioecesis, tam intra eamdem Cathedralem quam etiam extra, et in ipsa propria Collegiata praecedere,

S. R. C., audita Relatione Illm̃i et Rm̃i D. Cardinalis Pii, cui haec causa commissa fuerat, iuxta ipsius Illm̃i Ponentis votum, respondit: « Dignitatem Ecclesiae Cathedralis praecedere debere omnibus aliis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum in omnibus locis, praeterquam in ipsis propriis Ecclesiis Collegiatis ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 325].

5271.

S. R. C., *Mexicana*, 5 oct. 1614.

Cum Archiepiscopus, Decanus et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Mexicanae, quae caput est Status Ecclesiastici novae Hispaniae in Indiis, a SS. D. N. petierint, ut ad tollendas differentias praecedentiae inter Clerum Saecularem et Clerum Regularem in toto illo Indiarum et novae Hispaniae Regno, servetur id quod ordinatum fuit servandum esse in Hispaniae Regno Castellae et Legionis: nempe, ut in publicis Processionibus Fratres seu Monachi et Ordines Regularium, iuxta universalem Ecclesiae consuetudinem et libri Caeremonialis dispositionem, antecedant, et Presbyteri seu Clerus Saecularis subsequantur et ultimum ac digniorem locum obtineant; nec mixti cum Regularibus incedant, et semper praecedentia in omnibus locis, etiam in propriis ipsorum Regularium Ecclesiis, detur Clero Saeculari, sicut per Breve Apostolicum fel. rec. Clementis PP. VIII ordinatum fuit sub die 20 februarii 1601, et prout etiam Sac. Rit. Cong. declaravit sub die 30 augusti 1602, et sub die 6 septembris 1603:[1] quae declaratio etiam per aliud Breve Apostolicum eiusdem fel. rec. Clementis PP. VIII approbata et confirmata fuit sub die 5 novembris 1603; et cum SS. D. N. negotium hoc primum ad Congregationem Regularium, et deinde ad S. R. C. remiserit, audita relatione de praemissis facta, ab Illmo et Rmo D. Cardinali Pio, cui haec causa commissa fuerat;

Eadem S. R. C. censuit et declaravit: « Circa praecedentiam inter Clerum Saecularem et Regularem, idem servandum esse in Civitate Mexicana et toto Regno novae Hispaniae in Indiis, quod generaliter in universali Ecclesia iuxta dispositionem libri Caeremonialis servatur, et quod specialiter etiam ordinatum fuit servandum esse in Regno Castellae et Legionis ». Die 30 septembris 1614.

Et facta relatione de praemissis SS. D. N. in Consistorio secreto, habito in Palatio Apostolico in Monte Quirinali hac die infrascripta, Sanctitas Sua sententiam Congregationis approbavit, et mandavit expediri Breve Apostolicum Archiepiscopo Mexicano directum, super praemissis. Et ita declaravit die 5 octobris 1614.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 324].

5272.

S. R. C., *Toletana*, 4 iul. 1615.

In Causa Toletana Processionum inter Universitatem Oppidi Matriti et Fratres Ioannis de Deo, alias *Fate bene fratelli* nuncupatos, quae in S. R. C. proposita, ab eadem S. R. C. Illmo et Rmo D. Card. Lancellotto commissa fuit; visis et auditis tam in voce quam in scriptis, iuribus et rationibus in

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 145.

iure et in facto, ab utraque parte deductis et allegatis; et tandem audita relatione eiusdem Illmi et Rmi D. Card. Lancellotti;

Eadem S. R. C.: « Inhaerendo Decretis alias in similibus causis factis,[1] et iuxta declarationem C. S. Concilii,[2] censuit et declaravit dictos Fratres Ioannis de Deo, alias *Fate bene fratelli* nuncupatos, posse compelli ab Episcopo seu Ordinario loci, et sub poenis et censuris ecclesiasticis, ut accedant ad publicas et generales Processiones, ad quas omnes Religiosi etiam exempti accedere solent, quae pro bono publico, vel publico honore ab Episcopo seu Ordinario loci indicuntur ». Et ita declaravit, et in Oppido Matriti servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 331].

5273.

S. R. C., *Parmen.*, 30 ian. 1616.

In causa Parmen. inter Archipresbyterum ex una, et Capitulum et Canonicos eiusdem Ecclesiae ex altera partibus, circa declarationem: cuinam spectet in primo ingressu Episcopi accipere pluviale, et Crucem osculandam Episcopo porrigere, versiculos et Orationes super ipsum cantare, et alias functiones facere, quae iuxta regulam libri Caeremonialis pertinent ad primam Dignitatem seu digniorem de Capitulo;

S. R. C., citato et intimato Procuratore dictorum Capituli et Canonicorum, et audira relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Crescentii, cui haec causa commissa fuerat, per modum provisionis et sine praeiudicio iurium ambarum partium, et ad tollendas differentias et dissensiones, quae in hoc primo futuro ingressu Episcopi ad suam Parmen. Ecclesiam proficiscentis, forsan oriri possent, censuit: « Dictas et alias quascumque functiones, quae iuxta dictam regulam libri Caeremonialis ad praedictam primam Dignitatem seu digniorem de Capitulo spectant, ab ipso Archipresbytero, sine tamen praeiudicio, ut supra, faciendas esse ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 338].

5274.

S. R. C., *Elboren.*, 14 ian. 1617.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. a S. R. C. quaesitum fuit: 1. An, inconsulto Archiepiscopo et illo invito, in sua Dioecesi aliquis possit indicere et ordinare publicas Processiones, et ad illas per publicum edictum populum advocare, vel potius spectet ad Episcopum, privative quoad alios etc.?

2. An Archiepiscopus possit prohibere Processiones publicas ex devo-

[1] Cf. N. 5171, 5249, 5255.
[2] Cf. N. 2194, 2231, 2239, 2323, 2381, 2382.

tione populi et Confraternitatum introductas, si fuerit repertum ex causis supervenientibus et ipsi Archiepiscopo benevisis, esse prohibendas? Eadem S. R. C. ad 1. respondit: « Ad Archiepiscopum privative quoad alios, in sua Dioecesi pertinere indicere publicas Processiones et ad illas per publicum edictum populum convocare ».

Ad 2. « Posse Archiepiscopum ex causa prohibere ne fiant aliquae Processiones ex devotione populi et Confraternitatum introductae, si fuerit repertum expedire, ut prohibeantur ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 346].

5275.

S. R. C., *Minorum Regularis Observantiae*, 3 iun. 1617.

Pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Observantiae S. R. C. expositum fuit, quod cum in plurimis locis et Civitatibus Christiani Orbis inveniantur duo, et aliquando plura Monasteria eiusdem Ordinis Minorum Regularis Observantiae, in publicis ac privatis Processionibus circa modum praecedendi, dubitatur in quo loco incedere debeant Fratres Monasterii novissime fundati in eodem loco seu Civitate: an in ultimo loco, ut aliqui opinantur iuxta tempus fundationis sui Monasterii, disiuncti et separati a Fratribus eiusdem Ordinis antiquioribus, qui ab antiquo Monasterium habuerunt in eodem loco seu Civitate; vel potius uniti et coniuncti cum Fratribus eiusdem Ordinis incedere, et procedere in publicis ac privatis Processionibus debeant; et super praemissis, audita relatione Illm̃i et Rm̃i D. Card. de Monte, cui haec causa commissa fuerat;

Eadem S. R. C. respondit et declaravit iuxta Constitutionem felicis rec. Gregorii XIII, quae incipit *Exposcit pastoralis*:[1] « Praecedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit: et non tantum illi Monasterio, ita ut per fundationem primi Monasterii in illo loco acquiratur anterioritas super quolibet Monasterio posterius fundato eiusdem Ordinis; idem quoque servandum, quando praecedentia competit ex quasi possessione et iure praecedendi in terminis dictae Constitutionis; et quando concurrunt ad Processiones, tam publicas quam privatas, omnes eiusdem Ordinis Fratres, unitim et non divisim debere procedere: ita ut post Crucem Fratres strictioris Observantiae immediate incedant Discalceati seu Recollecti vel Reformati uniti, et post illos Fratres de Observantia dicti, si iuxta regularia Ordinis statuta, vel ex quasi possessione et iure praecedendi, praecedentiam habent; alioquin in praecedentia servetur, etiam inter eiusdem Ordinis Fratres, anterioritas fundationis Monasterii cuiusque: neque Monasteria alterius Ordinis debere, neque posse impedire frui dicto iure praecedentiae, neque ordinem incedendi pervertere ». Et ita in causa praedicta eadem S. R. C. declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 352].

[1] Cf. N. 151.

5276.

S. R. C., *Compostellana*, 15 iul. 1617.

Cum in Ecclesia Compostellana Episcopus Busciae in partibus Infidelium obtinuerit et habeat Canonicatum, et dubitatum fuerit, in quo loco sedere debeat, et quo habitu uti debeat in Ecclesia; proposito huiusmodi dubio in S. R. C.,

Eadem S. R. C. respondit: « Ratione Episcopatus, Episcopum posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, idest rochetto supra subtanam, et mantelletto violacei coloris: et debere praecedere omnibus aliis Canonicis eiusdem Ecclesiae, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romae simili casu eveniente, in tribus Ecclesiis Patriarchalibus S. Ioannis, et S. Petri, et S. Mariae Maioris ». Et ita censuit et declaravit, et in Ecclesia Compostellana servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 355].

5277.

S. R. C., *Elboren.*, 7 oct. 1617.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. in S. R. C. quaesitum fuit: utrum aliquis, invito Episcopo et inconsulto, in sua Dioecesi possit erigere et creare de novo Confraternitates in quacumque Ecclesia, et statuta confirmare; an potius talis erectio et creatio et confirmatio statutorum pertineat ad Episcopum privative?

Eadem S. R. C. respondit: « Nemini licere, inconsulto Episcopo, in sua Dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates, et eorum statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua Dioecesi ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 357].

5278.

S. R. C., *Bononien.*, 9 dec. 1617.

Cum Fratres Ordinis Servorum B. M. Oppidi Budrii Bononien. Dioecesis, qui Ecclesiam ibidem parochialem sub titulo SS. Sacramenti obtinent, S. R. C. supplicem libellum praesentaverint, in quo praeiudicium sibi inferri asserunt a Confratribus Societatis SS. Rosarii in eodem loco existentis, in Ecclesia S. Dominici Fratrum Praedicatorum, qui numquam in praeteritum per se extulerunt Crucem, et semper in habitu laicali incesserunt; nunc vero praetendunt absolute posse extollere Crucem, et cum eodem habitu laicali accedere ad funeralia mortuorum, etiamsi non sint vocati; et ad Processiones SS. Sacramenti et alias, quae fiunt in eadem Parochia, acce-

dere, digniorem locum sibi arrogando, Processiones dirigendo etc. prout in dicto Memoriali: quod cum ab eadem S. R. C. commissum fuerit Illm̃o et Rem̃o Dñ̃o Cardinali Peretto,

Eadem S. R. C., hac die infrascripta, eiusdem Illm̃i et Rm̃i D. Card. Peretti audita relatione, declaravit: « Dictos Confratres Societatis SSm̃i Rosarii non posse deferre Crucem sine habitu, nec praecedentiam eis competere super alias Societates quae ante eos habent habitum, nec etiam posse accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter et expresse vocentur ». Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 359].

5279.

S. R. C., *Barbastren.*, 19 ian. 1619.

« Nullo modo licere sub praetextu cuiusvis consuetudinis, imo verius abusus, Lignum SS. Crucis et Sanctorum Reliquias ad impetrandum a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere » censuit S. R. C.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 369].

5280.

S. R. C., *Monopolitana*, 23 mart. 1619.

« Non suffragari Fratribus Mendicantibus supradictis, quod in praestando consensu, ut supra asseritur, ius praecedendi Monachis Coelestinis sibi reservaverint; sed attendendum ius commune, quod Monachis semper et ubique supra Mendicantes tribuit praecedentiam », Illm̃o Cardinali Bellarmino referente, censuit S. R. C.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 374].

5281.

S. R. C., *Tuscanellae*, 19 aug. 1619.

Viso et mature perpenso supplici libello, S. R. C. ad dissensionum inter Cathedralem Tuscanellae et Collegiatam eiusdem loci materiam in posterum submovendam, Illm̃o Dñ̃o Cardinali Crescentio referente, in functionibus, de quibus supra, non obstante quavis consuetudine, praeferendam esse Cathedralem Collegiatae, atque ad supradicta, ut sequitur, respondendum censuit, nempe:

Ad 1. « Delationem SS. Sacramenti in die eius festo pertinere ad Dignitates seu Canonicos Cathedralis, atque ab eadem Cathedrali Processionem debere inchoari, et ibidem finire ».

Ad 2. « Sacras Baptismatis aquas confici debere in Cathedrali ».

Ad 3. « Oleum sanctum debere conservari in Cathedrali, ab eiusque Dignitatibus dispensari ».

Ad 4. « Debere Collegiatam conservare SSm̃um Sacramentum pro servitio suae Parochiae, neque teneri Cathedralem illud subministrare ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 375].

5282.

S. R. C., *Tropien.*, 10 dec. 1619.

Cum a S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum iam fuerit declaratum, non potuisse Episcopum distinguere Canonicatus Ecclesiae Tropien. in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, ex eo quia eiusdem Ecclesiae consuetudo habet ut Canonici omnes sint Presbyteri; S. R. C., referente Illm̃o Cardinali Muto, censuit: « Praecedentiam competere Canonicis prius receptis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 376].

5283.

S. R. C., *Civitatis Castellanae*, 12 dec. 1620.

S. R. C., Illm̃o D. Cardinali Millino referente, censuit: « Non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quominus, iuxta dispositionem iuris communis, possint in eis sepelire corpuscula parvulorum, quando in eorum Ecclesiis adest sepulcrum maiorum, vel concurrente consuetudine ab eorum patribus est electa sepultura in praedictis Ecclesiis: curare autem debere eosdem Regulares ut habeant Coemeterium separatum pro sepulturis parvulorum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 383].

5284.

S. R. C., *S. Iosephi*, 8 maii 1621.

S. R. C.: « Si SS. D. N. placuerit, censuit diem festum S. Iosephi Sponsi BB. Virginis Genitricis Dei Mariae deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia et praecepto comprehendi; cunctosque fideles, ubique terrarum, ab omni opere servili eo die abstinere et cessare debere. Et facta per Nos de praedictis relatione SS. D. N., SSm̃us S. R. C. votum ac sententiam comprobavit, atque omnino servari mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 387].

5285.

S. R. C., *Messanen.*, 7 aug. 1621.

Proposito in S. R. C. supplici libello, eadem S. C. censuit: « Servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates laicorum, quos sequantur iidem Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus Saecularis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 389].

5286.

S. R. C., *Elboren.*, 14 febr., 28 mart. 1626.

Quaesivit Archiepiscopus Elboren: An in edicendis et decernendis publicis Processionibus, et illarum directione et deductione, teneatur expectare consilium et consensum Capituli; et quatenus teneatur, an id observandum sit in Processionibus tantum quae de novo in perpetuum decernuntur, an vero etiam in iis quae pro una dumtaxat vice fiunt ob publicam causam, ad instantiam Regis vel populi? Et cum pro parte Capituli adduceretur Declaratio Illmorum DD. Cardinalium interpretationi Concilii praepositorum tenoris infrascripti, videlicet: « Ad Episcopum pertinet cum consilio Capituli decernere et edicere quo et qua dirigendae deducendaeque sint Processiones »; S. R. C. mandavit exquiri a Secretario dictae Congregationis de veritate dictae Resolutionis. Die 14 februarii 1626.

Causa autem iterum proposita in Congregatione habita die 28 martii 1626, sequenti Decreto fuit terminata.

ELBOREN. – Archiepiscopus Elboren. supplicavit circa decernendas, edicendas et etiam dirigendas publicas Processiones, declarari infrascripta dubia orta inter ipsum et Capitulum Elboren.

1. An Archiepiscopus teneatur expectare consilium sive etiam consensum Capituli in edicendis et decernendis publicis Processionibus, earumque deductione vel directione?

2. An dato, quod teneatur dictum consilium et consensum Capituli expectare, id observari debeat non solum in Processionibus quae in perpetuum decernuntur, sed etiam in illis, quae pro una vice tantum fiunt ob publicam causam ad Regis vel populi instantiam?

Et cum Capitulum pro se allegaret declarationem S. Concilii, qua dicitur ad Episcopum pertinere de consilio Capituli decernere et edicere, quo et qua dirigendae sunt vel deducendae Processiones; ex adverso vero Archiepiscopus pro se adducat non solum *Caeremoniale*, sed etiam *declarationem ad eius instantiam de anno 1617, ab hac S. C. factam sub die 14 ianuarii*,[1] qua S. C. respondit.: « Ad Episcopum, privative quoad alios, in sua Dioecesi pertinere indicere publicas Processiones, et ad illas per edictum publicum

[1] Cf. N. 5274.

populum convocare » S. R. C. mandavit mihi Secretario, ut *a D. Fagnano a Secretis S. C. Concilii* exquirerem de veritate *praedictae resolutionis, seu Declarationis*, quae solet interdum falso et perperam circumferri: et ostenso mihi originali, cognovi praefatam Declarationem esse veram, nisi quod in his quae circumferuntur dicitur ad Episcopum pertinere *cum consensu* Capituli, in originali vero dicitur de *consilio*.[1] Unde, his auditis,

S. R. C. respondit et decrevit: « Episcopi esse edicere, decernere, dirigere atque deducere Processiones de consilio tantum Capituli, non autem consensu, iuxta praedictam Declarationem. Idque in omnibus Processionibus servandum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 394].

5287.

S. R. C., *Mazarien.*, 4 apr. 1626.

Presbyteri Trepani petierunt duo: 1. quod Presbyteri antiquiores semper et ubique praeferantur aliis etiam Doctoribus, non habita ratione Doctoratus; 2. quod Laici in Processionibus non se immisceant cum Clericis.

Et S. R. C. respondit: Ad 1. « Quod ubi interveniunt uti Ecclesiastici, antiquiores praeferri debeant, ut supra ».

Ad 2. « Laicos non esse intermiscendos cum Clericis in Processionibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 397].

5288.

S. R. C., *Asculana*, 2 maii 1626.

Extat, ut narratum fuit, in Ecclesia Cathedrali Asculana consuetudo immemorabilis, pacifica et indubitata, ut Archidiaconus, et, eo absente, senior Canonicus praesens in Choro, soleat committere alicui ex Canonicis seu Mansionariis ad libitum Lectiones in Matutino legendas: quo stante, quaesitum fuit, an Canonicus, quem Episcopus Pro-Vicarium deputaverat, talem legendi provinciam sibi iniunctam renuere possit.

Et S. R. C. respondit: « Quod si interveniat in Choro uti Canonicus, debeat obedire ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 401].

5289.

S. R. C., *Burgen.*, 16 maii 1626.

Episcopus Burgen. tria sibi declarari petiit S. R. C.

1. Stante, quod Decanus et Capitulum Ecclesiae suae Cathedralis ab annis 15 circiter, dimisso antiquo et proprio eiusdem Ecclesiae Officio,

[1] Cf. N. 2409, 2411, 2414.

assumpserit Officium Romanum, retentis tamen caeremoniis ibi usitatis, quae tamen postea fuerunt, ut plurimum, immutatae et permixtae, diversis diversa observantibus; quaerit: an Capitulum acceptando Officium Romanum, teneatur vel non teneatur observare etiam caeremonias Romanas, et an ad eas observandas compelli debeat per Episcopum? Ad quod S. R. C. respondit: « Exprimi qualitates caeremoniarum retentarum ».

2. Petiit: an ob quasdam Missas Votivas fundatas in dicta Ecclesia Burgen. ad Altare maius certis diebus hebdomadae secundae post Pascha, possit licite omitti Missa Conventualis? Ad quod S. R. C. respondit: « Non posse omitti ».

3. An die celebrationis Capituli dictae Ecclesiae, si tempore Quadragesimae, quatuor Temporum, vel Vigiliae incidat festum duplex, vel semiduplex, vel dies octavae; an ratione dicti Capituli possit omitti Missa de Feria, vel de Vigilia? Et S. R. C. pariter respondit: « Non posse omitti ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 404].

5290.

S. R. C., *Nucerina Paganorum*, 12 sept. 1626.

Episcopus Nuceriae Paganorum prohibuerat Ecclesiis SS. Sacramenti Nuceriae superioris, et B. M. de Carmine inferioris Nucerinae Dioecesis retinere SS. Sacramentum, ex quo non erant Parochiales: et habito recursu, S. C. approbavit Decretum Episcopi, qui tamen modo scripsit in favorem dictarum Ecclesiarum, narrans se ideo prohibuisse, ut Oeconomi dictae Ecclesiae recurrerent pro licentia ad S. C., prout recurrerunt.

Et S. R. C. respondit: « Nihil, quia ubique prohibitum est ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 420].

5291.

S. R. C., *Nicien.*, 12 dec. 1626.

Episcopus Nicien. respondit S. C., se postposuisse Minores de Observantia Reformatos Capuccinis, non ex eo quod iudicaverit dictos Reformatos esse novos Religiosos, sed quia dicti Reformati nuperrime venerint ad habitandum in Civitate Nicien., sequendo Constitutionem Gregorii XIII.[1] Haec tamen loquitur de erigentibus novam domum vel monasterium, quod non est in casu isto, in quo dicti Reformati iverunt ad habitandum in Monasterio antiquo S. Francisci, in quo soliti sunt habitare et manere Observantes dictae Regulae. Unde cum monasterium sit antiquum et eiusdem Regulae,

S. R. C. censuit: « Dictos Reformatos non esse sua praecedentia privandos, prout dicto Episcopo de ordine S. C. scriptum est ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 429].

[1] Cf. N. 151.

5292.

S. R. C., *Ianuen.*, 16 ian. 1627.

Massarii et Procuratores Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Vinearum Genuae, conquesti sunt de abusu omittendi Missam Conventualem occasione Missae votivae, vel de mortuis, etc. Et S. R. C. respondit: « Missam Conventualem omittendam non esse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 430].

5293.

S. R. C., *Papien.*, 16 ian. 1627.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Maioris in Burgo Papiae supplicaverunt responderi quatuor dubiis ibi subortis, et

1. An possit omitti Missa Conventualis ob anniversarium aliquod, vel diem obitus? Et ad hoc S. R. C. respondit: « Negative ».[1]

2. An consuetudo possit introduci in contrarium, nempe non canendi dictam Missam? Et S. R. C. respondit: « Negative ».[2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 431].

5294.

S. R. C., *Bellunen.*, 20 febr. 1627.

Lecta fuit Epistola Episcopi Bellunen. ad S. C. scripta supra sepultura Episcopi Sollini, in qua quaerit: An debeat concedere licentiam construendi dictam sepulturam in medio Chori, ut petitum fuit?

Et S. R. C. respondit: « Posse concedi, dummodo sepulchrum non emineat supra Chori planitiem, neque immineat Altari constructo vel construendo in Confessione ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 433].

5295.

S. R. C., *Sutrina*, 17 iul. 1627.

In Processionibus SS. Sacramenti, quae fiunt in Civitate Sutrina, unus vel duo ex confratribus Societatis, quae utpote laicorum anteit Clerum tam Saecularem quam Regularem, incedunt post Clerum immediate ante SS. Sacramentum cum campanulis; ideo Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathe-

[1] E. Dub. 2.
[2] E. Dub. 4.

dralis quaesierunt a S. R. C. an id permitti debeat, prout hactenus est toleratum?

Et S. R. C. respondit: « Non permittendum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 438].

5296.

S. R. C., *Aquileiae*, 7 aug. 1627.

Capitulum Ecclesiae Aquileiae supplicavit circa Suffraganeum definiri dubia quatuor.

1. Quis locus debeatur Suffraganeo Aquileiae tam in Ecclesia Aquileiae, quam alibi in Dioecesi, ubi interveniant Patriarcha et Canonici Aquileiae? Et S. R. C. respondit: « Deberi primum stallum in Choro ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 442].

5297.

S. R. C., *Lisbonen.*, 7 aug. 1627.

Thesaurarius et Magister Caeremoniarum Capellae Regiae Lisbonensis supplicaverunt declarari: An Archiepiscopus ante Pallii receptionem possit in sua Ecclesia exercere Pontificalia? Et S. R. C. respondit: « Expectandum Pallium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 443].

5298.

S. R. C., *Tullen.*, 7 aug. 1627.

Nomine Episcopi Sithien. Suffraganei et Administratoris in spiritualibus Ecclesiae Tullen. petitum fuit a S. C. declarari:

1. Quem locum in Ecclesia Tullen. debeat obtinere?
2. An in eius praesentia Decanus Ecclesiae absolutionem generalem facere, et benedictionem Sacerdoti praedicare volenti, dare possit?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Deberi primum stallum in Choro ».

Ad 2. « Non ad Decanum, sed ad ipsum Suffraganeum Administratorem praesentem pertinere absolutionem generalem facere et benedictionem Concionatori impertiri ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 444].

5299.

S. R. C., *Theatina Terrae Buccanici*, 11 dec. 1627.

Guardianus et Fratres Minores Conventuales Ordinis S. Francisci Terrae Buccanici Theatinae Dioecesis, conquesti sunt de Parocho dictae Terrae circa plura:

1. Quod praetendat facere Officia super cadaveribus in Ecclesiis ipsorum Regularium, et petierunt prohiberi. Et S. R. C. « Prohibuit ».

2. Quod idem Parochus praetendat ab ipsis Regularibus quartam funeralium ratione decimarum, quae ab immemorabili nunquam solutae fuerunt. Et S. R. C. respondit: « Dictam quartam non deberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 448].

5300.

S. R. C., *Sutrina*, 29 ian. 1628.

In causa inter Angelum Pancratium et Mercurium Rosam, Canonicos Sacerdotes Ecclesiae Collegiatae S. Ioannis Terrae Capranicae Sutrinae Dioecesis, et alios Canonicos non Sacerdotes eiusdem Collegiatae super praecedentia ipsorum, referente Illm̃o Pio,

S. R. C. mandavit: « Servari in dicta Collegiata S. Ioannis Decretum pro Ecclesia Tropien. factum die 17 iunii 1606,[1] dummodo in dicta Collegiata S. Ioannis sint distinctae Praebendae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 451].

5301.

S. R. C., *Spoletana Pedisluci*, 26 febr. 1628.

Orta differentia inter Vincentium Honoratum et Eleutherium Zuccarum loci Pedisluci Spoletanae Dioecesis, ambos ad Capellam S. Aegidii dicti loci eodem tempore praesentatos; fuit quaesitum, cuinam ipsorum debeatur praecedentia in Choro, Processionibus et aliis actibus publicis, an prius nominato, an vero prius Ordine Sacerdotali insignito?

Et S. R. C. respondit: « Praecedentiam deberi prius ordinato Sacerdoti, prout et alias respondit ».[2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 454].

5302.

S. R. C., *Urbis*, 8 apr. 1628.

Occasione liberculi impressi cum inscriptione: *Stato dell'Anime del Purgatorio*, compositi per P. Martinum de Roa Societatis Iesu, in Urbe apud Franciscum Cavallum, fuit a S. R. C. petitum: an tuta conscientia et licite possent recitari Missae S. Gregorii ascendentes ad num. 48, modo et forma in dicto libello descripta, etiam in diebus festivis. Et S. R. C. ad removendum hunc abusum et alios qui irrepserunt, mandavit: « Extendi Decretum

[1] Cf. N. 5226.
[2] Cf. N. 5166, 5225, 5287.

circa abusus, imprimi, affigi et asservari in omnibus Sacristiis Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, et aliarum quarumcumque ».

S. R. C. ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, re mature discussa, censuit et decrevit:

1. « Non potuisse nec posse locorum Ordinarios, tam Saeculares quam Regulares, addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. R. C., vel Sedis Apostolicae licentia conceduntur ».

2. « Insuper vetuit et prohibuit celebrari per totam Civitatem vel Dioecesim, etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate, Missam vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia: sed tantum in ipsius sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur Insignis reliquia, et non alibi ».

3. « Insignes autem Reliquias declaravit esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata ».

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano PP. VIII, ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 460].

5303.

S. R. C., *Dertusen.*, 12 iun. 1628.

Prior et Canonici Cathedralis Dertusen. conquesti sunt de Beneficiatis et Rectoribus eiusdem Cathedralis, quod cum celebrantur divina Officia et recitantur Horae Canonicae, congregentur in ipsa Cathedrali pro tractandis negotiis ipsorum, et propterea supplicaverunt prohiberi.

Et S. R. C. respondit: « Prohibendos, nec licere tempore divinorum Officiorum facere Congregationes nec Capitulum, prout etiam alias idem declaravit in una Egitanien. 10 iunii,[1] et in Conimbricen. 14 decembris 1602,[2] in quibus contra facientes puniendos esse in amissione quotidianarum distributionum » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 462].

5304.

S. R. C., *Poloniae*, 12 iun. 1628.

Secretarius Regis Poloniae supplicavit pro approbatione Litaniarum in honorem S. Stanislai, quae solent recitari in Cappella dicti sancti; et S. R. C. respondit: « Nihil », prout idem alias in una Alexandrina 15 martii 1608,

[1] Cf. N. 5184.
[2] Cf. N. 5193.

ad 14, in qua fuit dictum, « S. R. C. non solere approbare alias Litanias praeter impressas in Breviario Romano, et eas quae recitantur in Domo Lauretana ».[1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 463].

5305.

S. R. C., *Messanen.*, 12 iul. 1628.

Illmo Millino referente petitionem, imo potius querelam Senatus et Archiepiscopi Messanen., super renitentia Prioris Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Ordinis Hierosolymitani, prohibentis Archiepiscopum, ne accedat ad dictam Ecclesiam, tamquam exemptam a iurisdictione Ordinarii, ad faciendas Processiones et alia Pontificalia exercenda, et ne in ea baldachinum erigat.

S. R. C., citato Procuratore Prioris dictae Ecclesiae Hierosolymitanae, respondit: « Pro Archiepiscopo, et mandavit ut Prior dictae Ecclesiae obediat huic Decreto, qui, si aliquid adducere postea pro suo iure intendat, compareat in S. C., ubi benigne audietur, prout idem responsum fuit in una Tullen., 6 decembris 1613 ».[2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 466].

5306.

S. R. C., *Iserniae*, 7 aug. 1628.

Archipresbyter Cathedralis Iserniae petiit definiri: an possit Episcopus arbitrio suo eligere alium in Chori Rectorem, in praeiudicium ipsius Archipresbyteri.

Et S. R. C. respondit: « Neque Episcopum, neque eius Vicarium posse eligere alium in Rectorem Chori, sub praetextu quod Chorus non recte gubernetur, absque expressa licentia Sedis Apostolicae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 471].

5307.

S. R. C., *Oriolen.*, 7 aug. 1628.

Petiit Episcopus Oriolen. an usus, septem abhinc annis introductus a suis Canonicis, habendi scilicet praeter Diaconum et Subdiaconum, quando solemniter celebrant in diebus festivis et Dominicis per annum, Presbyterum assistentem cum candela accensa ad instar Episcoporum, continuari liceat?

Et S. R. C. respondit: « Non licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 475].

[1] Cf. N. 5237.
[2] Cf. N. 5267.

5308.

S. R. C., *Oriolen.*, 30 sept. 1628.

Archidiaconus Oriolen. exposuit adesse in Civitate usum comitandi mulieres in Processiones privatas Regularium, puta Rosarii, de Carmine, Cinguli S. Francisci, Corrigiae S. Augustini, et similibus, per claustra Monasteriorum Regularium contra dispositionem Gregorii XIII;[1] petens declarari: an hoc liceat, et sit permittendum? Et S. R. C. respondit: « Non licere, nec esse permittendum, nisi de expressa licentia Sedis Apostolicae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 506].

5309.

S. R. C., *Ianuen.*, 20 nov. 1628.

Massarii Sanctae Mariae Vinearum nuncupatae, Ianuen. Dioecesis, petierunt declarari: an stante obligatione et onere faciendi diversa Anniversaria statis diebus, in quibus occurrunt Festa duplicia, nec non etiam tempus quadragesimale, quatuor tempora, Vigiliae et similia, possit omitti Missa Conventualis, vel potius utraque Missa cantanda de Festo currenti videlicet, et de Anniversario?

Et S. R. C. respondit: « Missam Conventualem nullo pacto esse omittendam, sed utramque Missam esse cantandam: alteram de die, alteram de Requiem, etiamsi occurrat Festum duplex, dummodo non sit de praecepto: ad hoc ut testatorum voluntates adimpleantur, et licite eleemosyna lucrari possit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 480].

5310.

S. R. C., *Andrien.*, 20 nov. 1628.

Archipresbyter Ecclesiae Andrien. conquestus est de Magistro Caeremoniarum illius Ecclesiae, ingerere se volente circa directionem Chori, contra dispositionem Sacrorum Canonum, consuetudinem immemorabilem et Constitutiones synodales, petens provideri.

Et S. R. C. respondit: « Directionem Chori spectare ad primam Dignitatem, neque alium in ea posse se ingerere, etiamsi Chorus non recte gubernetur, sine speciali licentia Sedis Apostolicae, prout novissime respondit in una Iserniae, 7 augusti 1628 ».[2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 481].

[1] Cf. N. 147.
[2] Cf. N. 5306.

5311.

S. R. C., 20 nov. 1628.

Petitum fuit declarari: an prohibitio facta per hanc S. C. circa delationem annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam Canonicos Cathedralis.

Et S. R. C. respondit: « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 483].

5312.

S. R. C., *Savonen.*, 20 dec. 1628.

Episcopus Savonensis supplicavit definiri:[1]

1. An in Processione, in qua defertur aliqua Imago seu Reliquia, ipse cum cappa et bireto incedere debeat ante vel post Reliquiam seu Imaginem?

Et S. R. C. respondit: « Episcopum post Imaginem seu Reliquiam incedere debere, nisi adsit consuetudo in contrarium ».

2. Quis locus competat et debeatur Vicario Generali in dictis Processionibus, absente vel praesente Episcopo?

Et S. R. C. respondit: « Vicarium Generalem in Processionibus ultimo loco incedere debere inter Canonicos seu Dignitates, dummodo non adsit consuetudo in contrarium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 489].

5313.

S. R. C., *Baren.*, 20 dec. 1628.

Vicarius Generalis Civitatis Baren. asserens in Terra Patrignani adesse quoddam os Capitis Sancti Stephani Protomartyris, quod deferri soleat processionaliter die 3 augusti et 26 decembris, petiit declarari: an haberi possit pro Reliquia insigni?

Et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 490].

5314.

S. R. C., *Arben.*, 20 dec. 1628.

Canonici Civitatis Arben. petierunt declarari: an ipsi teneantur excipere proprium Episcopum degentem extra Ecclesiam ultra 30 passus, quotiescumque accedit cum cappa ad Ecclesiam? Et S. R. C. respondit: « Teneri ».

[1] E. Dub. 1.

Item: an aspersorium eidem Episcopo Ecclesiam ingredienti porrigendum sit a prima Dignitate, et, ea absente, a digniori subsequente? Et S. R. C. respondit: « Aspersorium semper a digniori porrigendum esse proprio Episcopo ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 491].

5315.

S. R. C., *Oriolen.*, 11 iun. 1629.

Episcopus Oriolen. ad instantiam Fisci suae Cathedralis petiit declarari: an Decretum factum ab hac S. C. 30 septembris 1628 [1] prohibens mulieribus ingredi septa Monasteriorum Regularium in Processionibus Rosarii, et similium, debeat servari, non obstante Bulla Pii V permittente mulieribus in similibus Processionibus ingredi septa Monasteriorum.

Et S. R. C. respondit: « Servandum esse Decretum factum 30 septembris 1628, ex quo adest Bulla Gregorii XIII revocatoria, et est posterior ». [2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 506].

5316.

S. R. C., *Turritana*, 11 iun. 1629.

Episcopus Turritanus petiit: an possit celebrari in Altare, sub quo sint sepulta cadavera defunctorum?

Et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 508].

5317.

S. R. C., *Alexandrina*, 18 aug. 1629.

Cum vigore Decreti Synodi Provincialis III Mediolanen., in Synodo Dioecesana Alexandrina per Episcopum celebrata statutum fuisset, ut certis anni diebus celebraretur festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et aliarum Ecclesiarum parochialium Civitatis et Dioecesis, quarum certus Consecrationis dies ignorabatur, idemque etiam servaretur respectu illarum Ecclesiarum, quas certum erat non fuisse consecratas, dubitatum fuit per Clerum Alexandrinum in S. R. C.,

1. An possit celebrari Dedicatio illarum Ecclesiarum, quas certum est non fuisse consecratas?

2. An potuerint Episcopi extra actum Consecrationis statuere diem Dedicationis?

Eadem S. R. C., referente Illmo D. Cardinali Pio, censuit:

[1] Cf. N. 5308.
[2] Cf. N. 147.

Ad 1. « Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est non fuisse consecratam, imo neque si est dubium ».

Ad 2. « Potuisse Episcopum constituere diem celebrationis Festi Consecrationis Ecclesiarum, quando certa dies ignorabatur, dummodo constaret fuisse consecratas; sed Festum Consecrationis Ecclesiarum, praeterquam Cathedralis, celebrari debere in ea tantum Ecclesia, cuius dies festus Consecrationis peragitur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 511].

5318.

S. R. C., 18 aug. 1629.

Quaesitum fuit: an Abbates, aliique similes habentes facultatem benedicendi paramenta ecclesiastica pro usu propriarum Ecclesiarum, possint vigore talis facultatis benedicere paramenta exterarum Ecclesiarum, stante eorum allegata consuetudine?

Et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 513].

5319.

S. R. C., *Sulmonen.*, 18 aug. 1629.

Fratres Conventuales S. Francisci loci Populei Sulmonen. Dioecesis, conquesti sunt de Archipresbytero loci prohibente ipsos vocatos ad funus associare cadaver cum eorum propria Cruce, psalmosque de more decantari solitos, canere: item, quod dictus Archipresbyter velit Officium facere super cadaveribus quae sepeliuntur in Ecclesia propria ipsorum Regularium; supplicantes provideri.

Et S. R. C. quoad associationem cadaverum, quando vocantur ad funus cum decantatione Psalmorum, respondit: « Non posse Regulares impediri, dummodo incedant sine Cruce, quia in funeribus unica tantum Crux est deferenda, et illa debet esse illius Ecclesiae ad quam funus defertur »; quo vero ad Officium super cadaveribus, respondit: « Officium fieri debere per Regulares, in quorum Ecclesiis cadavera tumulari debent ». Et ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 515].

5320.

S. R. C., *Sulmonen. et Vallacen.*, 18 aug. 1629.

Confratres Pietatis loci Populei Sulmonen. Dioecesis, aggregati Confraternitati de Morte Urbis, conquesti sunt de Archipresbytero loci, quod contra institutum Confraternitatis impediat, quominus associent mortuorum cadavera ad sepeliendum.

Et S. R. C. respondit: « Confratres praedictos non posse impediri ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 516].

5321.

S. R. C., *Terdonen.*, 18 aug. 1629.

Canonici Cathedralis Terdonen. supplicarunt pro licentia cantandi Missam mortuorum in Altari privilegiato qualibet Feria VI, non obstante quod eo die incidat festum duplex, dummodo non sit festum de praecepto.

Et S. R. C. concessit « Dummodo non omittatur Missa Conventualis de die ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 519].

5322.

S. R. C., *Thelesina*, 18 aug. 1629.

Cum ultra associationem cadaverum et recitationem Officii praetenderet Capitulum Ecclesiae SS. Trinitatis Cathedralis Thelesinae, cuius servitium ad Ecclesiam Sancti Leonardi translatum est, levare cadavera eorum qui sepulturam elegerint in dicta Ecclesia SSm̃ae Trinitatis, vel ibi Cappellas aedificaverint, inconsulto Curato Ecclesiae Collegiatae Sancti Martini, in cuius Parochia decesserunt;

Nec non etiam praetenderet emolumenta et obventiones funerales, iuxta resolutiones alias factas.

S. R. C., auditis partibus, ac referente Illm̃o Muto, censuit: « Quoad cadavera decedentium in Parochia Sancti Martini, non posse levari per Capitulum seu Canonicos Cathedralis Ecclesiae Thelesinae, nisi requisito Parocho dictae Ecclesiae S. Martini ».

Quoad vero emolumenta et obventiones funerales, remisit ad S. C. Concilii.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 520].

5323.

S. R. C., *Capuana*, 22 dec. 1629.

Cum post emanatum Decretum S. R. C. sub die 31 martii proxime praeteriti [1] quod Curatus Casalis Castri Pullae (*Casapulla*) Dioecesis Capuanae, non possit prohibere Alicornio Natali ius sepulturae pro se et successoribus in Ecclesia per ipsum Alicornium aedificata, reservata quarta funerali proprio Parocho, dubitatum fuerit: an, eveniente casu, liceat sepelire mortuos in dicta Ecclesia sine praesentia dicti Curati, si vocatus venire nolit, et an idem fieri possit absque illius licentia, si petitam dare recuset?

S. R. C., referente Illm̃o et Rm̃o D. Card. Pio, censuit: « Si Curatus requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget, posse in dicta Ecclesia tradi sepulturae suprascriptorum defunctorum corpora, sine ipsius interventu et licentia ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 523].

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 500.

5324.

S. R. C., *Nucerina*, 16 febr. 1630.

Tria petiit Episcopus Nucerinus declarari ab hac S. R. C.

1. An Prior et Canonici Cathedralis Nucerinae teneantur canere Missam Conventualem in diebus expressis in Rubrica XV, ordine in eadem Rubrica praescripto?

2. An iidem Prior et Canonici in Feriis, Vigiliis, quatuor temporibus, et aliis diebus privilegiatis enumeratis in Rubrica ordine III Missalis Romani, occurrente die Festo duplici, semiduplici, vel octava, teneantur cantare duas Missas, unam scilicet de Festo, alteram de Feria, ordine in eadem Rubrica praescripto?

Et S. R. C., referente Rm̃o D. Caietano, respondit:

Ad 1. « Teneri Canonicos Cathedralis Missam Conventualem cantare iuxta praescriptum in Rubrica XV Missalis Romani ».

Ad 2. « Teneri pariter Canonicos in Feriis privilegiatis, occurrente Festo duplici, semiduplici, vel octava, canere duas Missas, unam scilicet de Festo occurrente, et alteram de Feria, ordine praescripto in Rubrica III Missalis Romani ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 525].

5325.

S. R. C., decr. 23 mart. 1630.

S. R. C., annuente SSm̃o, quoad Patronos Locorum in posterum eligendos hunc ordinem servari mandavit.

1. Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

2. Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a populo mediante consilio generali illius Civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum; et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius Civitatis. Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat, a populo singularum Civitatum Provinciae, non autem a repraesentantibus Regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi et Cleri dictarum Civitatum.

3. Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari.

Et ne praemissorum ignorantia ullo umquam tempore possit allegari, eadem S. R. C. praedictum Decretum imprimi mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 526].

5326.

S. R. C., *Sagonen.*, 20 apr. 1630.

Praetendens Commissarius Calvi, ubi residet Episcopus, parari sibi debere in Ecclesia Sedem cum tribus gradibus in Presbyterio, ad instar et e regione Sedis episcopalis, nec non thurificari tribus ictibus, probut thurificatur Episcopus; idem Episcopus pro bono pacis, et sacrarum Caeremoniarum congruentia, supplicavit per hanc S. C. declarari: an praedicta conveniant, et quomodo servari debeant?
Et S. R. C. respondit: « Sedem pro Commissario parari debere extra Presbyterium iuxta dispositionem Caeremonialis, lib. 1, cap. 13, in fine. In reliquis mandavit servari solitum ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 531].

5327.

S. R. C., *Gallipolitana*, 8 iun. 1630.

Confratres Rosarii Civitatis Gallipolitanae impediti ab Ordinario ne accedant, vocati, ad associanda corpora defunctorum quotiescumque non vocatur Capitulum suae Cathedralis, cum hoc sit contra opus pium, supplicarunt declarari: non posse impediri.
Et S. R. C. respondit: « Non posse impediri ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 533].

5328.

S. R. C., *Sutrina*, 8 iun. 1630.

Capitulum et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Aegidii Terrae Tulphae Sutrinae Dioecesis petierunt declarari plura:
1. An a Cappellanis deputatis ad Cappellam Rosarii in dicta Collegiata existentem, possit celebrari Missa de Rosario ad instar Fratrum S. Dominici? Et S. R. C. respondit: « Non posse ».
2. An Communitas possit indicere Festa de praecepto, quae nec de consuetudine in dicta Terra servantur, nec ab Ecclesia Romana praescribuntur, exigendo mulctam contra inobedientes? Et S. R. C. respondit pariter: « Non posse ».
3. An Festa de praecepto a Sede Apostolica declarata afficiant etiam Orbem?

Et S. R. C. respondit: « Festa de praecepto declarata ab Ecclesia Romana esse servanda in toto terrarum Orbe ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 535].

5329.

S. R. C., *Boianen.*, 22 iun. 1630.

Hector Troianus loci Supini Boianen. Dioecesis uti Protonotarius supplicavit declarari ipsum non teneri Decreto Episcopi, prohibente sub poena suspensionis in Missarum celebratione delationem annuli.
Et S. R. C. respondit: « Lectum ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 536].

5330.

S. R. C., *Scardonen.*, 7 sept. 1630.

Episcopus Scardonen. narrans sibi ex Urbe transmissas nonnullas Reliquias Sanctorum sine nominibus, supplicavit pro licentia imponendi illis nomina bene visa.
Et S. R. C. respondit: « Si Reliquiae sunt authenticae, posse concedi, facto verbo cum SSm̃o ». Die 14 augusti 1630.
SSm̃us dixit: « Episcopum illis posse uti, si sint authenticae, in Consecratione Altarium absque alia denominatione ». Die 7 septembris 1630.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 542].

5331.

S. R. C., *Oriolen.*, 28 sept. 1630.

Episcopus Oriolen. supplicavit declarari: an Canonicus Poenitentiarius et Hebdomadarii habentes curam animarum, in Dominicis diebus et Festivis actu impediti in exercitio curae, possint compelli ad interessendum in Choro, et deferenda pluvialia, prout deferuntur a Canonicis sine cura: et dato, quod non teneantur, an habeantur pro praesentibus ad effectum lucrandi distributiones suarum Praebendarum?
Et S. R. C. respondit: « Poenitentiarium et omnes alios habentes curam animarum, et actu exercentes, non teneri nec posse cogi ad deferenda pluvialia, et uti praesentes lucrari distributiones suarum Praebendarum. Hoc ipsum refert Barbosa de Potestate et Officio Episcopi, Allegat. 53, num. 129 ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 543].

5332.

S. R. C., *Vigilien.*, 28 sept. 1630.

Petiit Episcopus Vigilien. declarari: an absente Episcopo spectet ad Vicarium Generalem an vero ad Archidiaconum Cathedralis, edicere Processiones publicas consuetas.

Et S. R. C. respondit: « Processiones publicas edicere ac dirigere, absente Episcopo, spectare ad Vicarium Generalem cum consilio Capituli, prout pertineret ad Episcopum, si praesens esset ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 545]

5333.

S. R. C., *Faventina*, 13 ian. 1631.

Cum Capitulum et Canonici Cathedralis Faventinae assererent ab immemorabili solitos esse unam tantum Missam canere, sive ea sit votiva, sive de feria, sive defunctorum, et cum ea recipere distributiones debitas pro Missa Conventuali; modo autem dubitent: an licite distributiones praedictas percipere possint, omissa Conventuali; supplicarunt declarari, licere ipsis cum unica tantum Missa, iuxta solitum decantata, lucrari distributiones.

Et S. R. C. respondit: « Missam Conventualem omnino cantandam esse ad hoc, ut licite distributiones percipi possint, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 552].

5334.

S. R. C., *Urbis et Orbis*, 13 ian. 1631.

Decreta S. R. C. ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt:

« Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam Saeculares quam Regulares addere Calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia: nisi ea quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. R. C. seu Sedis Apostolicae licentia, conceduntur: neque propria auctoritate quovis praetextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum: neque extendere concessa Officia de loco ad locum ».

« Insuper vetuit et prohibuit celebrari per totam Civitatem vel Dioecesim, etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate, Missam vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsa Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asservatur Corpus aut insignis Reliquia, et non alibi ».

« Insignes autem Reliquias declaravit esse Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata ».

« De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis, de quibus in Calendario Romano seu Rubricis Breviarii nihil habetur: uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed consulatur omnino, ut par est, S. R. C. ».

« Missas etiam quae circumferuntur a S. C. non approbatas S. Gregorii pro vivis et pro defunctis, quindecim Auxiliatorum, et de Patre Aeterno, et quascumque alias: exceptis iis quae sunt permissae quibusdam Regularibus tantum, *veluti Rosarii, Sanctae Mariae de Carmelo, et alias;* sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, reiectis, et damnatis haberi voluit ».

« Decretum nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, omnino servetur ». [1]

« Quae omnia decrevit, statuit, et mandavit sub poenis contentis in Bullis Pii V initio Breviarii [2] et Missalis [3] positis, quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi Divinum Officium. Quo vero ad utentes supradictis Missis, sub aliis poenis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto S. Concilii Tridentini edito ».

« Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo allegari, neque oblivio ullo umquam tempore possit irrepere, eadem S. R. C. voluit et ordinavit Decretum huiusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum tam Saecularium quam Regularium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum et aliarum quarumcumque, in eisque perpetuo asservari ».

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano PP. VIII, ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub poenis servari praecepit, nec non in novis Breviariis, de ordine Sanctitatis Suae imprimendis, apponi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 555].

5335.

S. R. C., *Regien.*, 8 mart. 1631.

Capitulum et Canonici Cathedralis Regien., nomine etiam totius civitatis, supplicarunt pro licentia apponendi in Litaniis occasione Processionum tam publicarum quam privatarum, et praecipue his temporibus calamitatis, Sanctos Titulares et Patronos Civitatis.

Et S. R. C. respondit: « In Litaniis non posse apponi alios Sanctos, praeter descriptos in ipsis Litaniis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 562].

[1] Cf. N. 5325.
[2] Const. *Quod a Nobis*, 9 iul. 1568. — Bull. Rom., tom. 4, III, p. 22-24.
[3] Cf. N. 135.

5336.

S. R. C., litt. encycl. 12 mart. 1631.

Cum quotidie magis notum fiat quanta sinceritate mentis, et maturitate cognitionis incipere, et prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere, non sine aliqua populis relicta opinione sanctitatis, et quam accurate fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes et in examen vocari conveniat, Sacra Rituum Congregatio (facto prius verbo cum Sanctissimo) ne aliquis subrepat abusus, iussit Amplitudinem Tuam hac peculiari epistola fieri certiorem de iis, quae adiuncto decreto continentur, nempe ut curet, ne imposterum ulla ex parte adversus illud a quopiam in tua dioecesi aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inviolabiliter observetur, et quando apud Amplitudinem Tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in sanctitatem vitae, et miracula alicuius, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem errori praebet, non prius generaliter super vitae sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo, praecedat famae comprobatio, prout prudentiae tuae magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi Sacra Congregatio summopere exoptat; sed si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud et grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo Tua delegare Vicarium tuum generalem, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cuiuscumque dignitatis cum aliis ad minus duobus doctis viris, altero scilicet magistro in theologia, altero vero graduato vel licentiato in iure canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cuiuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo Tua, ut testes omnes quaecumque habent, explanate, et per extensum deponant, nec se referant ad attestationes redditas neque ab eis recitentur quae alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint per Amplitudinem Tuam, vel per alios a Te ex causis supra narratis subrogatos, acta completa, secreto retineantur, praestito etiam iuramento a notariis et testibus se nemini promulgaturos quicquid ipsi scripserint, et respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis per te, aut iussu tuo confectis, certiorem statim reddere debebit Amplitudo Tua Summum Pontificem, eaque quanto citius poterit authentice transcripta ac sigillo obsignata ad S. Rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, et in capsa clausa pluribus clavibus, quae diversis ad arbitrium tuum custodiendae tradantur, in Archivio episcopali conserventur. Notum tamen sit Amplitudini Tuae, neque per hanc epistolam, neque per aliquid in eo propositum voluisse Summum Pontificem, neque Sacram Rituum Congregationem tribuere, aut augere iurisdictionem seu facultatem, quae alias Episcopis competere posset. Atque ut hae litterae nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in

recordatione vigeant et tua et tuorum deinceps successorum, dabit operam Amplitudo Tua, ut illae quanto citius tam in Curia tua episcopali, quam in Archivio Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur.

Decretum. – Cum in tota Ecclesiae gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione et Canonizatione Sanctorum, utpote homines iam demortuos, etiam cum fama sanctitatis ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos et venerandos decernere.

Sacra Rituum Congregatio, ut res haec plane amplissima atque gravissima rite sancteque conficiatur, prohibet omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones sub poenis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quod si superiori, sacristae, seu alteri officiali illius ecclesiae, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam ecclesiae, fuerint revelata aliqua miracula, seu prophetiae dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quam primum commode poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes sic, ut supra, receptae, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum cum fuerit ad notitiam Sanctissimi D. N. Urbani Papae VIII deductum, Sanctitas Sua illud approbavit, ac imprimi, et ubique publicari mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 67].

5337.

S. R. C., *Urbis et Orbis Regularium*, 5 iul. 1631.

Emi DD. Patres mandarunt: « Extrahi Decretum prohibitivum,[1] consulto SSmo, quod mulieres de cetero non possint occasione quarumvis Processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium, et quod sub eadem poena comprehendantur ipsi Regulares permittentes foeminas ingredi septa eorum Monasteriorum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 564].

5338.

S. R. C., *Lancianen.*, 5 iul. 1631.

Duo petiit definiri Archipresbyter Ecclesiae Lancianen. 1. An liceat Archiepiscopo erigere sibi Thronum Episcopalem cum quinque gradibus a dexteris Altaris maioris, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum,

[1] Cf. N. 5308, 5315.

cum quatuor gradibus? 2. An liceat eidem Archiepiscopo sterni facere tapeta in suis gradibus, quando gradus Altaris stant nudi sine paramentis?

Et S. R. C. mandavit: « In casu proposito utrumque prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 569].

5339.

S. R. C., *Aesernien.*, 2 aug. 1631.

Capitulum Cathedralis Aesernien. exponens Episcopum loci erexisse Thronum cum gradibus excedentibus altitudinem Altaris maioris, et sterni fecisse tapeta supra gradus Throni, gradus autem Altaris nudos remanere, supplicavit declarari: an haec liceant?

Et S. R. C. respondit: « Non licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 574].

5340.

S. R. C., *Syracusana*, 2 aug. 1631.

Presbyteri et Clerici parochialis Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae Civitatis Ragusiae Syracusanae Dioecesis supplicarunt pro licentia addendi in Litaniis B. M. V., quae recitantur quolibet Sabbato in dicta parochiali, prout cantantur in Domo Lauretana, S. Ioannem Baptistam.

Et S. R. C. respondit: « Nihil addendum in Litaniis Beatae Mariae Virginis, sed omnino recitari debere, prout iacent impressae pro Domo Lauretana ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 576].

5341.

S. R. C., *Civitaten.*, 6 dec. 1631.

Supplicavit Episcopus Civitaten. per hanc S. R. C. declarari: SS. Sacramentum Feria V in Coena Domini asservari debere sub unica tantum clave retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas et saeculares cuiuscumque gradus, status, vel conditionis existant; non obstante quacumque contraria consuetudine. Item sub hoc Decreto comprehendi omnes Ecclesias suae Dioecesis, tam Saeculares quam Regulares quoquo modo a iurisdictione Ordinarii exemptas.

Et S. R. C. respondit: « SS. Sacramentum Feria V in Coena Domini sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas et saeculares, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. Item praedictum Decretum afficere omnes Ecclesias tam Saeculares quam Regulares, quovis modo a iurisdictione Ordinarii exemptas ». Et ita omnino in Civitate et Dioecesi Civitaten. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 579].

5342.

S. R. C., *Thelesina*, 6 dec. 1631.

Archipresbyter Parochialis et Collegiatae Ecclesiae Terrae Cerreti Thelesinae Dioecesis supplicavit definiri: 1. an liceat levare corpora defunctorum sine licentia et intimatione proprii Parochi? Et S. R. C. respondit: « Corpora defunctorum non posse levari de domo propria, nisi cum interventu vel de licentia Parochi, cum quo concordari debet de hora illa deferendi ».

2. Petiit: an possit idem Parochus prohiberi per Canonicos Cathedralis Thelesinae, ne ingrediatur in Ecclesiam S. Leonardi, filialem et suppositam suae Parochiae, in qua translatum est servitium, ob aeris intemperiem Civitatis Thelesinae, ad exercendas functiones Parochiales, et recipiendum solita emolumenta et obventiones Parochiales? Et S. R. C. respondit: « In casu proposito nullo modo per Canonicos Cathedralis posse prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 580].

5343.

S. R. C., *Aversana*, 13 mart. 1632.

Nomine Parochorum Terrae Iuliani Aversanae Dioecesis supplicatum fuit declarari tria dubia iuxta alias resoluta.

1. An Curatus teneatur distribuere candelas in Festo Purificationis ultra interessentes Processioni per domos parochianorum: stante, quod Constitutio synodalis has praecise prohibet distribui absentibus, et Rituale Romanum ad hoc Parochos non arctat. Et S. R. C. respondit: « In casu proposito servandam esse Constitutionem synodalem et Rituale Romanum ».

3. An inter Sacerdotes SS. Annuntiationis et Sanctae Sophiae Ecclesiarum non parochialium in functionibus ecclesiasticis praecedentia debeatur ei, qui primum delectus fuerit in Sacristam, vel Presbyteratus ordinem fuit prius assequutus? Et S. R. C. respondit: « In casu proposito illi Sacerdoti qui prius Presbyteratus Ordine fuit insignitus, praecedentiam deberi; non autem tempus deputationis in Sacristam esse attendendum in concursu circa praecedentiam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 585].

5344.

S. R. C., *Cameracen.*, 13 mart. 1632.

Petierunt Archiepiscopus et Episcopi Provinciae Cameracen. declarari: an Abbates, Priores, Guardiani, Rectores Societatis Iesu, aliique Superiores Regulares, qui ex privilegio possunt benedicere vestes sacras, reconciliare coemeteria, et similia, possint ea perficere non solum pro Monasteriis et Ecclesiis propriis, sed etiam pro aliis promiscue et indistincte?

Et S. R. C. respondit: « Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Iesu, et alios quoscumque habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi coemeteria, et similia; dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus in quibus sacra unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 587].

5345.

S. R. C., *Asculana*, 3 apr. 1632.

Petiit Episcopus Asculanus declarari: an liceat Regularibus in Feriis VI Quadragesimae publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, absque licentia Ordinarii. Item: an Confraternitates laicorum possint absque licentia, vigore alicuius aggregationis, idem SS. Eucharistiae Sacramentum publice exponere bis in anno occasione quadraginta horarum, sine licentia proprii Ordinarii?

Et S. R. C. respondit: « Neque Regularibus neque Confraternitatibus laicorum, quovis praetextu, licere exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia proprii Ordinarii ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 588].

5346.

S. R. C., *Bisuntina*, 30 apr. 1632.

Cum Episcopo, et non aliis inferioribus, concedat Congregatio Tridentina [1] dirigere Processiones ordinarias et extraordinarias per annum habendas, supplicavit Archiepiscopus Bisuntinus declarari:

1. An, absente Archiepiscopo, Processiones huiusmodi indicere spectet ad illius Vicarium Generalem, an vero ad Capitulum? Et S. R. C. respondit: « Processiones indicere, absente Archiepiscopo, spectare ad Vicarium Generalem eo modo, quo spectabat ad Archiepiscopum ».

2. An Vicario Generali debeatur praecedentia supra Canonicos canonicali habitu indutos? Et S. R. C. respondit: « Vicario Generali deberi praecedentia supra Dignitates et Canonicos et alios quoscumque de Capitulo, licet antiquiores, tam praesente quam absente Archiepiscopo ».

[1] Cf. N. 2409, 2411, 2414.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 589].

5347.

S. R. C., *Aquilegien.*, 7 iul. 1632.

Capitulum et Canonici Aquilegien. exponentes semper fuisse solitos omittere Missam Conventualem, quando celebrant Officium mortuorum cum Missa solemni, et in principio cuiuslibet mensis canere Missam Conventualem cum sola collecta pro defunctis; supplicarunt pro licentia continuandi, non obstantibus Decretis huius S. C. mandantibus utramque Missam celebrari. [1]

Et S. R. C. respondit: « Nihil ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 593].

5348.

S. R. C., *Lucana*, 15 dec. 1632.

Prior Collegiatae S. Alexandri Civitatis Lucanae narrans diem Consecrationis Ecclesiae concurrere cum Festo S. Alexandri Titularis, nec posse commode utrumque Festum, ut par est, celebrari; supplicavit pro licentia transferendi diem Consecrationis post octavam S. Alexandri.

Et S. R. C. respondit: « Festum Consecrationis prius agendum ut dignius, Festum vero Titularis transferendum in diem proxime sequentem non impeditam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 598].

5349.

S. R. C., *Monopolitana*, 15 dec. 1632.

Dignitates eiusdem Cathedralis Monopolitanae supplicarunt declarari: quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente: et quis, quando Episcopus non celebrat, sed tantum Divinis praesens est?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Aut Praebendae sunt distinctae in Presbyterales et Diaconales; et tunc Episcopo solemniter celebranti assistere debere pro Presbytero assistente digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus; Episcopo vero non celebranti, sed Divinis tantum praesenti, pro Presbytero assistente inservire

[1] Cf. N. 5259, 5289, 5292, 5293, 5309, 5321, 5333.

debere digniorem Canonicum post Dignitates. Aut Praebendae non sunt distinctae; et tunc Episcopo, sive solemniter celebret, sive Divinis tantum praesens sit, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem de Capitulo, iuxta dispositionem Caeremonialis, lib. 1, cap. 7 et 8 ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 599].

5350.

S. R. C., *Senogallien.*, 15 ian. 1633.

Praemortua uxore intra limites cuiusdam Parochiae, non electa sepultura, et marito declarante sepeliendam esse in sepulcro avito ipsius mariti, quod est in Ecclesia alterius Parochiae, supplicatum fuit definiri: an licite potuerit hoc facere maritus pro uxore praemortua?
Et S. R. C. in casu proposito sic respondendum censuit, nempe: « Quod si maritus habet propriam sepulturam, in ipsa tumulandam esse etiam uxorem; sin minus, in parochiali, intra cuius limites decessit ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 601].

5351.

S. R. C., *Aquilegien.*, 9 apr. 1633.

Petitum fuit declarari ad instantiam Collegiatae Ecclesiae *de Cividad* nuncupatae, Aquilegien. Dioecesis: an in Feriis Quadragesimae, Adventus, quatuor temporum, Rogationum et similium, possit omitti Missa Conventualis, quando occurrit in dictis Feriis aliquod Festum duplex vel semiduplex, non obstante quod adsit consuetudo illam omittendi?
Et S. R C. respondit: « Missam Conventualem de Feria numquam esse omittendam, etiam quod occurrat Festum duplex vel semiduplex, non obstante contraria consuetudine ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 603].

5352.

S. R. C., *Ordinum Mendicantium*, 22 apr. 1633.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Praedicatorum, S. Francisci, S. Augustini, et Discalceatorum Carmelitarum declarari:
1. An liceat Curatis, salvis eorum iuribus parochialibus, impedire contra voluntatem parentum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quascumque Ecclesias deferenda una cum Clericis et Parochis associent? Et S. R. C. respondit: « Regulares in casu proposito non posse impediri ».
2. An praedicti Curati possint cogere haeredes seu exequutores testamentarios, ut, pro cadaveribus quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis parochialibus celebrari etiam faciant Officia novendialia; necnon et anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus sepeliuntur? Et S. R. C. respondit: « Non posse cogi ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 604].

5353.

S. R. C., *Oppiden.*, 19 aug. 1634.

Dubiis per Episcopum Oppiden. transmissis, et ad relationem Emi de Torres S. R. C. respondit:
Ad 1. « Consecrationem probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per testes deponentes de visu ».
Ad 2. an per celebrationem Missae in Ecclesia polluta, dicatur reconciliata; S. C. respondit: « Negative: et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali ».
Ad 3. an Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in loco, dicatur bene reconciliata vel non; respondit « Affirmative ».
Quo vero ad diem Consecrationis, cum ignoretur dies certus ipsius Consecrationis, S. R. C. censuit: « Episcopum constituere debere ex nunc certum diem, qui deserviat quotannis pro anniversario Consecrationis Ecclesiae ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 611].

5354.

S. R. C., *Missalis Romani*, 18 sept., 2 nov. 1634.

A Theodosio de Rubeis in mathematicis disciplinis apprime versato propositum fuit emendandam esse Rubricam XV Missalis Romani, ubi dicitur, quod Missa privata celebrari potest ab aurora usque ad meridiem; nam Rubrica hoc modo expressa non videtur aptari regionibus habentibus polum elevatum ultra gradus 48, min. 30, cum in aliquibus partibus sit aurora continua fere per totam noctem: et consequenter vigore huius Rubricae celebrari posset per totam noctem. In aliis autem locis, iuxta maiorem elevationem poli, aliquando sunt tenebrae continuae, aliquando lux continua per plures menses: ideoque, deficiente aurora in illis regionibus, non habet locum dispositio Rubricae. Et cum de proximo publicandum sit novum Missale, quod sub praelo est, supplicavit SSm̃o prius perpendi et emendari imperfectionem Rubricae. Et Sanctitas Sua, ut ista difficultas mature discuteretur, mandavit pro huiusmodi causa convocari infrascriptos coram Em̃o et Rm̃o D. Cardinali Oregio.
Et die 18 septembris 1634 interfuerunt coram eodem Em̃o in Palatio Quirinali RR. PP. DD. Sacrista SSm̃i, Magister Sacri Palatii, Lanuccius utriusquae Signaturae Referendarius, Rospigliosus S. R. C. Secretarius, Errera Secretarius Brevium, Ingolus Secretarius Congregationis de Propaganda Fide, Don Bartholomaeus Gavantus, et Fr. Lucas Waddingus, inter-

veniente etiam eodem Theodosio: et cum diutius quaestio esset agitata, praeter Ingolum et Theodosium, qui censuerunt aliquid addendum esse Rubricae pro maiori declaratione; omnes alii fuerunt in voto contrario, attento quod agitur de immutanda Rubrica, quae diutissime mansit inconcussa et est universalis: quia « In casibus propositis quoad regiones carentes aurora, intelligitur moraliter de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas regionum consuetudines. Ita ut quaelibet additio reddatur superflua, et potius parere posset varias difficultates, quae specialiter propositae et consideratae fuerunt in Congregatione ».

Et per me de praedictis omnibus facta peculiari relatione SSmo, Sanctitas Sua mandavit: « Nihil innovari, et solum adnotari in Registro dubium excitatum: addens, quod iuxta casuum contingentiam, dabitur responsio a Sede Apostolica ».

Iterum deinde idem Theodosius habuit recursum ad SSmum, enixe supplicando rem melius considerari ante editionem Missalis; et varias congessit rationes pro fundamento suae opinionis, quas institit imprimi pro maiori commoditate, prout impressae fuerunt. Et SSmus iussit hac de re iterum agi coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus Scaglia, Oregio et Ginetto.

Itaque die 2 novembris hora 20 in Palatio Emi Scaglia fuit Congregatio, in qua praesentes fuerunt supradicti Emi PP., nec non omnes alii supranumerati, excepto R. P. Sacrista qui sequutus fuerat SS. eo de tempore progredientem ad septem Urbis Ecclesias. Et insuper interfuit R. P. D. Paulucciu S. C. Concilii Secretarius, et Octavianus Marianus Mathemanus. Et solis Ingolo et Theodosio in prima sententia permanentibus, ceteri omnes fuerunt in voto: « Praedictam Rubricam esse universalem, si intelligatur eo modo quo est intelligenda; tanto magis quod in alia Rubrica, ubi agitur de defectibus qui occurrere possunt in Missa, additur quod celebratur ab aurora communiter, ex quo constat habitam fuisse rationem locorum in quibus non apparet aurora: praeterea satis est verificari in maiori Orbis parte; nam aliter corrigendi essent Hymni, in quibus habetur: *Iam lucis orto sidere: Iam sol recedit igneus:* et multa alia dictis regionibus incongruentia ». Haec et alia quamplurima fuerunt adducta pro substinenda priori Rubrica. Et denique Emus Scaglia, luculenter admodum et erudite, innumera protulit fundamenta pro hac parte, et rationibus singulis in contrarium allatis plenissime respondit. Iulius Rospigliosus Secretarius.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 614].

5355.

S. R. C., *Barbastren.*, 9 dec. 1634.

Dubiis pro parte Episcopi Barbastren. porrectis in S. R. C. fuit ad relationem Emi Pamphylii, responsum ut infra, videlicet:

Ad 1. An Ecclesia vel Sacristia teneatur subministrare paramenta pontificalia proprio Episcopo? S. R. C. respondit: « Episcopum posse uti praefatis paramentis pontificalibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 615].

5356.

S. R. C., *Aretina*, 21 apr. 1635.

Institum fuit declarari: an Episcopus possit prohibere Cappellanis Confraternitatum, ne in Oratoriis separatis ab Ecclesiis celebrent Missas in diebus festivis ante Missam Parochialem, aut saltem nonnisi de licentia Parochi?

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: « In Ecclesiis Parochialibus prohiberi posse; in Oratoriis vero separatis ab Ecclesiis, non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 619].

5357.

S. R. C., *Neapolitana*, 21 apr. 1635.

Quaesitum fuit definiri: an Regulares possint molestari a Parochis, ne in propriis Ecclesiis Missas privatas celebrent ante Missam parochialem, et praecipue diebus festivis?

Et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 620].

5358.

S. R. C., *Oscen.*, 26 maii 1635.

Petitum fuit responderi: an Episcopo solemniter celebranti, inservire debeant pro assistentibus personae de Capitulo, an vero alii qui non sint de Capitulo?

Et S. R. C. respondit: « Deservire debere personas de Capitulo, et nullo modo alios qui non sint de eodem Capitulo ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 621].

5359.

S. R. C., *Iustinopolitana*, 24 nov. 1635.

Circa petitionem Episcopi Iustinopolitani, an ipsum accedentem ad aliquam Collegiatam suae Dioecesis, teneantur Canonici eiusdem Collegiatae associare; et quomodo hoc casu incedere debeant, an ante vel post?

S. R. C. respondit: « Teneri, et circa ordinem incedendi mandavit servari dispositionem Caeremonialis Episcoporum, lib. 1, cap. 15; et lib. 2, cap. 8 ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 625].

5360.

S. R. C., *Sulmonen.*, 24 nov. 1635.

Petitum fuit responderi: an liceat mulieribus occasione Processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium, etiam stante consuetudine ingrediendi?

Et S. R. C. respondit: « Nullo modo licere mulieribus ingredi septa Monasteriorum Regularium occasione quarumcumque Processionum, non obstante quacumque contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 627].

5361.

S. R. C., *Vercellen.*, 1 mart. 1636.

Petiit Episcopus Vercellen. declarari: an possit Nuncius Apostolicus exercere Pontificalia, et populum benedicere absque licentia Ordinariorum?

Et S. R. C. respondit: « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 631].

5362.

S. R. C., *Interamnen.*, 21 iun. 1636.

Supplicarunt Canonici Cathedralis Interamnen. declarari: an celebrante solemniter prima Dignitate pro Episcopo absente vel impedito teneatur ipsa prima Dignitas celebrare primas et secundas Vesperas, nec non Matutinas Horas et Laudes?

Et S. R. C. respondit: « Omnia supradicta peragi debere per primam Dignitatem, quando solemniter celebraturus est pro Episcopo absente vel impedito ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 633].

5363.

S. R. C., *Hispalen.*, 22 nov. 1636.

Expositum fuit reperiri nonnullos saeculares in Civitate et Dioecesi Hispalensi, qui sub praetextu quod sint Patroni Ecclesiarum, praetendunt in Feria V Coenae Domini clavem SS. Sacramenti (quod eo die asservatur reconditum sub clave) ipsis esse consignandam, et proinde petitum definiri: an hoc conveniat; stante quod alias haec S. R. C. consulta super hoc in Civitaten. 6 decembris 1631 respondit: SS. Eucharistiae Sacramentum in Feria V in Coena Domini sub unica tantum clave esse asservandum, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas et saeculares cuiuscumque gradus, status et conditionis, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. [1]

Et S. R. C. respondit: « Supradictum Decretum omnino servandum esse, prout illud servari debere in Civitate et Dioecesi Hispalen. mandavit, quibuscumque non obstantibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 635].

5364.

S. R. C., *Casertana*, 12 iun. 1638.

Cum in Collegiata Ecclesia Terrae Magdalini fuerint per Ordinarium creatae duae Praebendae, altera Diaconalis, et Subdiaconalis altera: et novissime per eundem Ordinarium creatae quatuor Praebendae Presbyterales; praetendebant Praebendae Diaconalis et Subdiaconalis tamquam primo erectae, praecedentiam habere supra quatuor Praebendas Presbyterales noviter erectas, nec teneri subire ea munera quae prius subibant tamquam Diaconi et Subdiaconi; et ob id supplicatum definiri, quid in casu proposito servandum?

Et S. R. C. respondit: « Obtinentes Praebendas Presbyterales, licet noviter erectas, praecedentiam habere debere supra obtinentes praebendas Diaconalem et Subdiaconalem, licet antea erectas; et obtinentes praebendas Diaconalem et Subdiaconalem teneri in casu proposito subire eadem onera ad quae tenebantur, antequam erigerentur Praebendae Presbyterales ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 639].

5365.

S. R. C., *Urbaniae*, 12 iun. 1638.

Duo petiit Episcopus Urbaniae:

1. An ipse possit uti in sua Dioecesi Decretis alias editis, [2] non licere Regularibus exponere SS. Eucharistiae Sacramentum sine licentia Ordinarii? Et S. R. C. respondit: « Debere uti, etiam non obstante contraria consuetudine ».

2. An iidem Regulares habere possint conciones et sermones, non petita prius benedictione ab Episcopo, iuxta Constitutionem Gregorii XV? [3] et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 641].

[1] Cf. N. 5341.
[2] Cf. N. 5345.
[3] Cf. N. 199.

5366.

S. R. C., *Oritana*, 10 iul. 1638.

Episcopus Oritanus supplicavit declarari: an liceat pulsare campanas in adventu Domini loci?

Et S. R. C. respondit: « Non licere pulsare campanas ecclesiarum neque Piorum Locorum in adventu Domini loci, sine licentia Ordinarii ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 644].

5367.

S. R. C., *Sutrina*, 10 iul. 1638.

Expositum fuit pro parte graduatorum Terrae Capranicae, Magistrum quemdam Regularem audere, relicta Cruce sui Ordinis, incedere in Processionibus seorsum a suis Fratribus, post Magistratum; et supplicatum responderi: an conveniat?

Et S. R. C. respondit: « Non convenire, nec esse permittendum, quod Regulares immisceant se cum Saecularibus in publicis Processionibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 647].

5368.

S. R. C., *Brixinen.*, 24 iul. 1638.

Episcopus Brixinen. conquestus est de Abbatibus Regularium suae Dioecesis petentibus benedictionem ab aliis Abbatibus suorum Ordinum, contra expressam prohibitionem huius S. C., supplicans provideri.

Et S. R. C. respondit: « Abbates in casu proposito non ab alio quam ab Ordinario benedictionem petere debere, et ita servari mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica n. 648].

5369.

S. R. C., *Constantien.*, 24 iul. 1638.

Fratres Minores Conventuales supplicarunt declarari, in arbitrio esse haeredum exequias facere die 3, 7 et 30, pro defunct s ubicumque voluerint, non obstante contradictione Parochorum praetendentium medietatem eleemosynae, quae elargitur occasione dictarum exequiarum: non aliter quam si dictae exequiae fierent in eorum propriis Ecclesiis.

Et S. R. C. « Remisit ad Ordinarium, qui faciat observare ius commune, cum Parochi non possint praetendere nisi ius funerale, quando eligitur alibi sepultura ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 649].

5370.

S. R. C., *Thelesina*, 24 iul. 1638.

Orta differentia inter Sodales Confraternitatum S. Antonii et SS. Conceptionis Terrae Cerreti circa praecedentiam in Processionibus, supplicatum fuit declarari: cuinam Confraternitati sit danda praecedentia in Processionibus?

Et S. R. C. respondit: « Praecedentiam dandam esse illi Confraternitati quae prius saccis usa est, iuxta dispositionem Bullae Gregorii XIII, quae incipit: *Exposcit etc.* ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 653].

5371.

S. R. C., *Ugentina*, 24 iul. 1638.

Duo petiit definiri Cantor Cathedralis Ugentinae:

1. Licere sibi tamquam primae Dignitati praeeminentiam assistendi pro Presbytero assistente Episcopo solemniter celebranti vel Divinis interessenti.

2. Licere sibi pariter, iuxta solitum, substituere alium sibi benevisum in huiusmodi functione, quando impeditus erit.

Et S. R. C. ad 1. respondit: « Affirmative ».

Ad 2. vero « Negative, seu non posse alium substituere, non obstante contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 655].

5372.

S. R. C., *Meliten.*, 9 dec. 1638.

Procurator Generalis S. Augustini Fratrum Discalceatorum supplicavit declarari, iuxta eorum solitum, non teneri accedere ad Processionem die octava Corporis Christi, sed solum in ipsa die Corporis Christi.

Et S. R. C. respondit: « Ad ipsorum favorem, et ideo non posse cogi ab Ordinario in die octava ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 661].

5373.

S. R. C., *Arianen.*, 19 febr. 1639.

Archidiaconus Arianen., qui est Vicarius Capitularis, supplicavit responderi sibi: an in adventu Baronum locorum Dioecesis liceat pulsare campanas?

Et S. R. C. respondit: « Nullo modo licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 666].

[1] Cf. N. 151.

5374.

S. R. C., *Senogallien.*, 16 apr. 1639.

Emo Pamphylio proponente difficultatem subortam: an Vicarius Generalis potuerit baptizare, sine consensu proprii Parochi?

Et S. R. C. respondit: « Posse Vicarium baptizare, si sit Sacerdos, et non habeat ab Episcopo facultatem limitatam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 672].

5375.

S. R. C., *Beneventana*, 16 apr. 1639.

Cappellani et Oeconomi S. Mariae Sanitatis turbati a Parocho in celebratione Missarum ante Ecclesiae parochialis Missam, supplicarunt provideri.

Et S. R. C. iuxta alias resoluta, [1] respondit: « Oratores non posse impediri in eorum Ecclesia circa horam celebrandi Missam, et alia divina Officia exercendi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 674].

5376.

S. R. C., *Iustinopolitana*, 7 maii 1639.

Capitulum Cathedralis Iustinopolitanae petiit declarari: an praecedentia debeatur Capitulo Cathedralis assistenti Episcopo in aliqua Ecclesia Collegiata suae Dioecesis, quando Episcopus intervenit solemniter Divinis; aut Capitulo et Clero eiusdem Ecclesiae Collegiatae?

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, [2] respondit: « Praecedentiam deberi in casu proposito Capitulo Cathedralis supra Capitulum, Clerum et quoscumque alios Sacerdotes Ecclesiarum inferiorum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 676].

5377.

S. R. C., *Ugentina*, 23 maii 1639.

Episcopus Ugentinus consuluit S. C.: an permittere debeat Principi Terrae Praesicciae baldachinum in Ecclesia Matrice eiusdem Terrae, quando intendit assistere Divinis?

Et S. R. C. respondit: « Nullo modo permittendum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 680].

[1] Cf. N. 5356.
[2] Cf. N. 5156, 5240, 5252, 5254.

5378.

S. R. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 18 iun. 1639.

S. R. C. censuit: « Praecedentiam inter Confraternitates illi deberi quae prius saccis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in Processionibus SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias Processiones et in loco sibi debito incedat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 682].

5379.

S. R. C., *Ianuen.*, 2 iul. 1639.

Bartholomaeus Classa Ianuen., provisus de Praebenda Theologali aggregata Praebendae Subdiaconali in Cathedrali Ianuen., supplicat declarari: deberi sibi locum inter Canonicos Sacerdotes, attenta Praebenda Theologali.

Et S. R. C. respondit: « In casu proposito ei deberi locum uti Canonico Subdiacono ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 684].

5380.

S. R. C., *Brundusina*, 20 aug. 1639.

Dubitatum fuit: an Ordinario solemniter celebranti extra Cathedralem debeat assistere Vicarius Generalis, an vero dignior de Capitulo?

S. R. C. respondit: « Assistentiam semper et ubique deberi Ordinario per digniorem de Capitulo, et nullo modo per Vicarium Generalem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 685].

5381.

S. R. C., *Incerti loci*, 19 nov. 1639.

Quaesitum fuit tacito nomine: an consuetudo immemorabilis allegata non cantandi duas Missas in Cathedralibus et Collegiatis, tempore Quadragesimae, quatuor temporum, Vigiliarum, et similium, probari debeat concludenter, an sufficiant coniecturae?

Et S. R. C. respondit: « Nullo modo per coniecturas, sed concludentissime probari debere, et interim servari mandavit Rubricam Missalis Romani ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 691].

5382.

S. R. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 14 ian. 1640.

S. R. C. respondit: « Ordinem ecclesiasticae Hierarchiae servandum esse, ut primum et digniorem locum obtineant Canonici Presbyteri, 2. Diaconi, 3. Subdiaconi; licet Diaconi et Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint, non obstante contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 695].

5383.

S. R. C., *Ordinis Minorum Observantium*, 14 ian. 1640.

S. R. C. respondit: « Numerum Religiosorum ac electionem Religionum pro associandis cadaveribus ad haeredes defunctorum pro libitu voluntatis eorum spectare et pertinere: et ita ubique in posterum servari debere declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 696].

5384.

S. R. C., *Turritana*, 10 mart. 1640.

Decanus Cathedralis Turritanae exposuit, Vicarium Generalem praetendere, uti digniorem de Capitulo, porrigere aspersorium Archiepiscopo venienti ad Ecclesiam, supplicans responderi: an hoc ei liceat?

Et S. R. C. respondit: « Non licere, sed hoc munus spectare et pertinere ad primam dignitatem Capituli, ordine successivo absente digniore ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 698].

5385.

S. R. C., *Cracovien.*, 28 apr. 1640.

Expositum fuit in Civitate et Dioecesi Cracovien. passim exponi SS. Eucharistiae Sacramentum per Regulares, et quod magis urget sine debita decentia; et petitum responderi: an conveniat?

Et S. R. C. respondit: « Nullo modo convenire, nec posse per Regulares publice exponi, sine expressa licentia Ordinarii, et ideo omnino prohibendos contrafacientes ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 703].

5386.

S. R. C., *Neapolitana*, 28 apr. 1640.

Abbatissa et Moniales S. Marcellini exponentes Anniversarium Dedicationis earum Ecclesiae cadere sub die 2 iunii, et multoties, ob Festa mobilia, non posse dictum Anniversarium cum integra octava celebrari; supplicarunt pro licentia transferendi in diem 16 iulii.

Et S. R. C. respondit: « Non posse transferri, nisi iuxta Rubricas ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 704].

5387.

S. R. C., *Placentina*, 21 aug. 1640.

Emo Brancaccio proponente petitionem Canonicorum Ecclesiae Placentinae contra Decanum eiusdem Ecclesiae habentem duplicem praebendam, Presbyteralem et Diaconalem, et renuentem inservire pro Diacono, quando per turnum ad ipsum tamquam Diaconum contingit inservire;

S. R. C. censuit: « Inservire debere in utroque Officio, si vult gaudere illorum proventibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 713].

5388.

S. R. C., *Thelesina*, 21 aug. 1640.

Parochus Terrae Casalduni supplicavit prohiberi Sacerdotibus ne audeant celebrare Missam in diebus festivis in Oratorio ante Missam Conventualem in sua Parochia:

Et S. R. C. respondit: « Non posse prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 716].

5389.

S. R. C., *Ariminen.*, 15 sept. 1640.

Petitum fuit, in qua sepultura tumulari debeat infans: an in sepulcro parvulorum, an in propria sepultura parentum, in qua concurrit consensus patris ipsius infantis?

Et S. R. C. censuit: « Posse parvulum tumulari in sepultura propria, si illius parentes eam habebunt ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 717].

5390.

S. R. C., *Bisinianen.*, 6 oct. 1640.

Marcus Capaltus Curatus in Terra Lutiorum supplicavit declarari: ad quem spectent functiones solemnes in Ecclesia simplici intra fines alicuius Parochiae existente: an ad Archipresbyterum loci, an ad Curatum, intra cuius fines Ecclesia existit, an vero ad Rectorem ipsius Ecclesiae simplicis?

Et S. R. C. respondit: « Ad Rectorem ipsius Ecclesiae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 725].

5391.

S. R. C., *Brundusina*, 15 dec. 1640.

Archiepiscopus Brundusinus conquestus est de Principe Vetranae, audente usque ab anno 1635 retinere baldachinum in Ecclesia, contra formam Decretorum huius S. C., et Congregationis Immunitatis.

Et S. R. C. respondit: « Quod Archiepiscopus exequatur Decreta iam transmissa ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 726].

5392.

S. R. C., *Firmana*, 26 ian. 1641.

Clerus Saecularis Montis Cosari asserens se fecisse semper Officium super cadaveribus, etiam in Ecclesiis Regularium, supplicavit mandari servari solitum.

Et S. R. C. respondit: « Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium ad ipsos Regulares spectare et pertinere, non obstante contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 731].

5393.

S. R. C., *Regni Sardiniae*, 2 mart. 1641.

Referente Emo Sabello controversiam praecedentiae inter Episcopos servandae, S. R. C. respondit: « Praecedentiam regulandam esse a die Decreti Consistorialis super expeditione Ecclesiae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 734].

[1] Cf. N. 5377.

5394.

S. R. C., *Ruben.*, 23 mart. 1641.

S. R. C. in causa vertente inter Vicarium Episcopi Ruben. et Archidiaconum eiusdem Ecclesiae, ad relationem Emi de Torres, censuit: « Primum stallum in Choro assignandum Vicario, firmandum tamen in loco fixo, ita ut amplius variari non possit, absente vel praesente Episcopo, in privata seu pontificali Sede interveniente; secundum vero stallum relinquendum esse Archidiacono, et post hos, aliis Dignitatibus et Canonicis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 742].

5395.

S. R. C., *Fanen.*, 23 mart. 1641.

Supplicavit Plebanus Terrae Cartoceti praecipi Regularibus eiusdem Terrae, ne audeant diebus Festis celebrare Missas in eorum Ecclesia, antequam celebretur in Ecclesia Parochiali.

Et S. R. C. respondit: « Non posse prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 745].

5396.

S. R. C., *Hispalen.*, 23 mart. 1641.

S. R. C. respondit: « Inter Capitulares cuiuscumque Ecclesiae, tam in functionibus ecclesiasticis quam in actibus quibuscumque capitularibus, quoad praerogativas et praeeminentias, attendendum esse tempus captae possessionis, et iuxta cuiusque admissionem illos stare, sedere et incedere debere, ipsorumque stallum in Choro et habitum debere esse communem et uniformem cum aliis Capitularibus eiusdem ordinis, quibuscumque aliis qualitatibus et dignitatibus saecularibus minime attentis ».

Et ita in Metropolitana Ecclesia Hispalen. servandum esse declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 747].

5397.

S. R. C., *Algaren.*, 20 apr. 1641.

Orta differentia inter Canonicos Cathedralis Algaren. et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Oppidi Oteri, occasione Visitationis quae fiebat per Episcopum in Ecclesia Collegiata, circa praecedentiam quam Canonici Collegiatae Ecclesiae praetendebant supra Canonicos Cathedralis, qui assistebant Episcopo visitanti tamquam in propria Ecclesia, supplicatum fuit responderi: quid hoc casu servandum?

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, [1] respondit: « Praecedentiam deberi Canonicis Cathedralis supra Canonicos Collegiatae etiam in propria Ecclesia ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 748].

5398.

S. R. C., *Aesernien.*, 20 apr. 1641.

Moniales Benedictinae Monasterii S. Mariae Civitatis Aeserniae conquestae sunt de Canonicis Cathedralis, qui vocati ad funus in Ecclesia ipsarum Monialium, praetendunt facere Officium super cadaveribus in dicta Ecclesia, supplicantes coerceri.
Et S. R. C. respondit: « Non ad Canonicos Cathedralis in casu proposito spectare Officium facere super cadaveribus, sed ad Confessarium sive Cappellanum inservientem in Ecclesia ipsarum Monialium ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 751].

5399.

S. R. C., *Smirnen.*, 20 apr. 1641.

Archiepiscopus Smirnen. petiit responderi: an Regulares intra hebdomadam Corporis Christi inter Missarum solemnia et ad Vesperas possint exponere SS. Sacramentum absque eius licentia?
Et S. R. C. respondit: « Posse Regulares in casu proposito publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Ordinarii ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 753].

5400.

S. R. C., *Ampurien.*, 11 maii 1641.

Ad relationem Emi Sacchetti, S. R. C. respondit: « Canonicos et Clerum Cathedralis in Synodo sedere debere a dexteris; a sinistris vero Canonicos Collegiatae de Templo cum suo Clero; in incedendo vero Capitulum cum suo corpore et membris debere praecedere Capitulum Collegiatae ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 754].

[1] Cf. N. 5156, 5240, 5252, 5254, 5376.

5401.

S. R. C., *Caiacen.*, 11 maii 1641.

Deputati Seminarii Caiacen. supplicarunt declarari: an liceat Clericis Seminarii habitare diu noctuque, et etiam dormire in domibus aedificatis super Cappellis dexterae navis Ecclesiae Cathedralis, in quibus quotidie celebratur?
Et S. R. C. respondit: « Non licere, sed omnino prohibendum ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 756].

5402.

S. R. C., *Nolana*, 11 maii 1641.

Guardianus Minorum Conventualium supplicavit praecipi, quod Regulares in publicis Processionibus incedant per se sub propria Cruce, et nullo modo mixtim, alterum Ordinis Conventualis, alterum Observantiae.
Et S. R. C. respondit: « Minores Conventuales debere incedere separatim sub propria Cruce, et nullo modo mixtim cum Observantibus ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 757].

5403.

S. R. C., *Oritana*, 11 maii 1641.

Capitulum et Clerus Collegiatae Ecclesiae Casalis Novi, asserentes esse in possessione faciendi Officium super cadaveribus, etiam in Ecclesia Minorum Observantium dicti loci, supplicarunt manuteneri.
Et S. R. C. respondit: « Officium super cadaveribus in casu proposito spectare ad Regulares Ecclesiae, in qua tumulari debet cadaver, non autem ad Capitulum Collegiatae, non obstante contraria consuetudine ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 760].

5404.

S. R. C., *Vallisoletana*, 11 maii 1641.

Petitum fuit declarari: an sit permittendum quod celebretur Capitulum tempore divinorum Officiorum?
Et S. R. C. respondit: « Non licere nec debere celebrari Capitulum tempore divinorum Officiorum nec inter Missarum solemnia, et ideo omnino prohibendum ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 762].

5405.

S. R. C., *Licien.*, 6 iul. 1641.

Episcopus Licien. per literas significavit, Ducem S. Donati Patronum Terrae tenere Thronum, sive Solium fixum in Ecclesia parochiali S. Caesarei cum baldachino et genuflexorio pariter fixo, et non amovibili, idemque servari per Marchionem Patronum Terrae Caballini, supplicans responderi sibi: quomodo circa praedicta se gerere debeat?

Et S. R. C. mandavit: « Scribi Episcopo, quod faciat in praemissis ad unguem servari Caeremoniale Episcoporum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 766].

5406.

S. R. C., *Discalceatorum Sancti Augustini in Galliis*, 6 iul. 1641.

S. R. C., iuxta alias resoluta,[1] respondit: « Corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda, sed Parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus: nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus Officium in Ecclesiis Regularium, sed hoc ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare et pertinere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 767].

5407.

S. R. C., *Firmana*, 11 nov. 1641.

Commissarius in Curia Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci exponens, Capitulum Cathedralis Firmanae renuere obedire Decreto per hanc S. C. edito ad favorem suorum Regularium circa Officium faciendum per ipsos Regulares super cadaveribus in eorum Ecclesia propria, sub praetextu contrariae consuetudinis ad favorem Capituli introductae, supplicavit provideri.

Et S. R. C. « Stetit in Decretis,[2] et mandavit servari omnino Decretum iam editum ad favorem Regularium, non obstante contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 773].

[1] Cf. N. 5218, 5227, 5299, 5319, 5392, 5403.
[2] Cf. N. 5406.

5408.

S. R. C., *Narnien.*, 11 nov. 1641.

Cappellanus Societatis SS. Trinitatis loci Calvi Narnien. Dioecesis prohibitus a Parocho celebrare Missam ante Missam Parochialem, supplicavit responderi: an licite hoc possit prohiberi?

Et S. R. C. respondit: « Non posse prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 778].

5409.

S. R. C., *Nuscana*, 11 nov. 1641.

Archipresbyter Parochus Terrae Bagnoli turbatus ab Ordinario loci circa publicationem Matrimoniorum et Ordinandorum, mandante haec fieri per Vicarium foraneum, supplicavit provideri.

Et S. R. C. respondit: « Praedicta munia esse exercenda per proprium Parochum, et nullo modo per Vicarium foraneum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 780].

5410.

S. R. C., *Mediolanen.*, 7 dec. 1641.

Congregatio nuncupata Transitus, solita qualibet Dominica recitare Litanias B. M. V. pro agonizantibus, cum Orationibus non approbatis ab hac S. R. C., institit declarari, an liceat continuari, an vero sit prohibendum?

Et S. R. C. respondit: « Omnino prohibendum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 782].

5411.

S. R. C., *Ordinis Praedicatorum*, 7 dec. 1641.

Religio S. Dominici supplicavit declarari, non licere, contra dispositionem Bullae Clementis VIII,[1] erigere duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione.

Et S. R. C. respondit: « Duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione erigi non posse, et ideo tam in Civitate Mediolanen., quam ubique locorum id esse prohibendum, prout omnino per Ordinarios prohiberi mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 783].

[1] Cf. N. 192.

5412.

S. R. C., *Senarum*, 7 dec. 1641.

Procuratores Generales Ordinum Mendicantium supplicarunt declarari, esse in arbitrio haeredum defunctorum vocare Regulares, qui funus associare debeant et nullo modo in arbitrio Curatorum Civitatis Senarum, non obstante Decreto synodali disponente ad Curatos hoc munus pertinere.

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, [1] respondit: « In arbitrium haeredum defunctorum residere numerum Regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntatem Parochorum, non obstante contrario Decreto synodali ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 784].

5413.

S. R. C., *Granaten.*, 10 maii 1642.

Episcopus Termopolensis Suffraganeus Archiepiscopi Granatensis supplicavit declarari: deberi sibi praecedentiam supra omnes Canonicos et Dignitates dictae Ecclesiae, tam in Choro quam extra, qua hactenus caruit.

Et S. R. C. respondit: « Praecedentiam competere Episcopo oratori super omnes Canonicos et Dignitates, tam in Ecclesia et Choro quam extra ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 790].

5414.

S. R. C., *Grossetana*, 10 maii 1642.

Episcopus Grossetanus, qui ob aeris insalubritatem consuevit certis anni temporibus in oppido suae Dioecesis commorari, est in possessione habendi sequentia obsequia a Plebano illius Ecclesiae, cuius observantiam demandari supplicavit:

1. Ut Episcopo Missam privatam audienti Plebanus praebeat librum Evangeliorum, et pacem ad osculum;
2. Ut Plebanus associetur Episcopum venientem ad Ecclesiam cum cappa a domo Episcopali distante triginta passus;
3. Habendi ab eodem Plebano paramenta et alia ad usum Missae pro suis Cappellanis ibidem celebraturis;
4. Erigendi sibi in eadem Ecclesia Sedem pontificalem cum baldachino.

Et S. R. C. respondit ad quartum: « Episcopo competere; ad reliqua: Nihil ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 791].

[1] Cf. N. 5319, 5352, 5383.

5415.

S. R. C., *Messanen.*, 10 maii 1642.

Occasione Decreti huius S. C., quod Presbyteri Saeculares non possint Officium celebrare super cadaveribus in Ecclesiis Regularium, Clerus Saecularis praetendit Regularem non posse Crucem erigere, quando funera ad Ecclesias Regularium deferuntur: unde multa scandala oriuntur, quibus Carmelitae Terrae Cerami petierunt provideri.

Et S. R. C. mandavit: « Dari Decreta antiqua ad favorem Regularium emanata, [1] et iniungi Archiepiscopo eorum observantiam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 793].

5416.

S. R. C., *Bitetten.*, 31 maii 1642.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis exposuit Baronem Bitetti baldachinum in Ecclesia, alias iussu S. C. depositum, iterum, tolerante Episcopo, erexisse; et thurificationem a Caeremoniario immediate post Episcopum celebrantem exigere; supplicans propterea huiusmodi abusibus provideri.

Et S. R. C. mandavit: « Baldachinum amoveri, et quoad thurificationem servandum esse Caeremoniale, lib. 1, cap. 23, vers. *Quo vero ad laicos*, circa finem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 796].

5417.

S. R. C., *Hipporegien.*, 31 maii 1642.

Communitas Strambini petiit declarari: an verba illa Ritualis in titulo de Processionibus, § *Laici a Clericis, foeminae a viris separatae orantes prosequantur*, intelligenda sint quod foeminae omnis generis, tam nobiles quam ignobiles, post viros, tam nobiles quam ignobiles, sequantur; foeminae enim nobiles praetendunt immediate post viros nobiles incedere?

Et S. R. C. respondit: « Rituale requirere ut in Processionibus post Clerum viri a foeminis separatim incedant; ceterum quoad locum et modum eundi nihil statuisse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 797].

[1] Cf. N. 5406, 5407.

5418.

S. R. C., *Savonen.*, 31 maii 1642.

Vicarius foraneus Marchionatus Finalis conquestus est de Fratribus Ordinis Praedicatorum Burgi *del Finale*, quod nimis frequentes sint in SS. Eucharistiae Sacramento, ex levissimis causis, et sine congrua decentia exponendo.

Et S. R. C. mandavit: « Servari Decreta antiqua super hoc edita,[1] scilicet: non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur e tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit. Et ita servari mandavit: nec non circa decentiam in exponendum standum esse definitioni et iudicio Ordinarii ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 800].

5419.

S. R. C., *Aquilana*, 28 iun. 1642.

Episcopus fundatus in asserta consuetudine immemorabili eiusdem Ecclesiae permittendi Gubernatori et Magistratui locum in Presbyterio, permisit bis vel ter Praesidi Regiae Audientiae Sedem cum duobus gradibus in eodem, cuius occasione cum Praeses eam deinde ad instar Cathedrae erexisset, coactus fuit illum a Presbyterio arcere; quamobrem concitata sibi laicorum ira, S. C. consuluit: quid sibi in posterum agendum esset, supplicans sibi saltem permitti ut, in casu absentiae Magistratus, locum illius in Presbyterio possit eidem Praesidi assignare.

Et S. R. C. « Damnando gesta per Episcopum, mandavit scribi eidem, ut omnino servet Caeremoniale, lib. 1, cap. 13, § *Sedes autem pro nobilibus etc.*: et Nuncio Neapolitano, ut ei assistentiam praebeat, ut in Regesto Literarum habetur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 802].

5420.

S. R. C., *Grassen. in Gallia*, 28 iun. 1642.

Episcopus consuluit S. C., quid sibi agendum esset in sua Ecclesia, in qua asserit antiquam vigere consuetudinem singula tertia Dominica mensis, loco Missae Conventualis, celebrandi Missam votivam solemnem de Sacramento?

[1] Cf. N. 5345, 5365, 5385.

Et S. R. C. respondit: « Omittendam nullatenus esse Missae Conventualis solemnem celebrationem propter Missam votivam, consuetudine quavis contraria non obstante, ut in Regesto Litterarum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 804].

5421.

S. R. C., *Interamnen.*, 19 iul. 1642.

Orta controversia inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis et Magistratum, Canonici recursum habuerunt ad S. C., petentes declarari infrascripta, et respective mandari super eisdem observantiam Caeremonialis:

1. Magistratus, qui ante hac consueverat in concione sedere a sinistris Episcopi remotius ab illo, et in scamno eiusdem qualitatis cum illo quo Canonici a dexteris sedent: nunc usurpat sibi sessionem ad dexteram in scamno eminentiore et proximo Episcopo cum genuflexorio.

2. Idem Magistratus contra formam Caeremonialis usurpat sessionem in Presbyterio e regione Episcopi cum genuflexorio, quo nec ipse Episcopus utitur.

3. Contra eiusdem Caeremonialis dispositionem, praetextu cuiusdam Decreti Episcopalis, thurificationem exigit eodem tempore quo Canonicis exhibetur.

4. Distributionem candelarum ante Canonicos, vel eodem saltem tempore postulat.

5. Idem de cineribus.

6. Idem de palmis.

7. Idem de adoratione Crucis Feria VI maioris hebdomadae.

8. In Processionibus SS. Corporis Christi locum sibi vindicat immediate post SS. Sacramentum.

9. Idem Magistratus ab immemorabili tempore consuevit in ipso die sui ingressus ad Ecclesiam Cathedralem accedere, et Missae solemni interesse, et publicam eleemosynam elargiri; nunc, praedictorum obtentu, neutrum facere contendit.

Et S. R. C., proponente Emo et Rmo Cardinali Roccio, partibus in ius vocatis, ac Decretis alias editis [1] inhaerendo,

Ad 1. respondit: « Magistratui non licere occupare locum Capituli et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum ».

Ad 2, 3, 4, 5, 6, 7 et 8. « Servandum omnino esse Caeremoniale ».

Ad 9. « Eum Magistratum teneri consueta obsequia et accessus in diebus solitis et solemnibus Ecclesiae Cathedralis praestare, et ad id cogi posse ». Et ita in posterum servari mandavit in Civitate Interamnen.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 808].

[1] Cf. N. 5250, 5326, 5405, 5416, 5419.

5422.

S. R. C., *Calaguritana*, 13 sept. 1642.

Capitulum Ecclesiae Collegiatae Civitatis de Victoria petiit mandari observantiam Decretorum S. C., quod clavis Sacrarii SS̃mi Corporis Christi in Feria V asservanda, non custodiatur a laicis etiamsi illustribus, qui plerumque id sibi usurpare conantur.

Et S. R. C., Decretis antiquis inhaerendo,[1] respondit: « Clavem Tabernaculi, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Feria V in Coena Domini asservatur, nequaquam laicis etiam illustribus tradendam esse, sed Dignitati vel Canonico in crastinum celebraturo ». Et ita in Ecclesia praedicta servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 813].

5423.

S. R. C., *Cremonen.*, 13 sept. 1642.

Confraternitate disciplinatorum de Cassano praetendente, vigore aggregationis Archiconfraternitati SS. Trinitatis de Urbe, exponere semel in mense SS. Sacramentum in forma quadraginta horarum, Parochus dicti loci supplicavit: an id ei liceret?

Et S. R. C. Decretis antiquis inhaerendo respondit: « Confraternitates vigore cuiuscumque aggregationis non posse exponere SS. Eucharistiae Sacramentum sine licentia Ordinarii ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 814].

5424.

S. R. C., *Marianen.*, 22 nov. 1642.

Quaesivit Episcopus Marianensis: utrum laicis aliquod ius adquiratur in sedibus et scamnis, quae in Ecclesiis tenere consueverunt, ita ut ab ipso Episcopo removeri non possint?

Et S. R. C. respondit: « Laicis ius in praedictis non adquiri, quominus Episcopo liceat ex causa super his disponere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 816].

5425.

S. R. C., *Venden. in Polonia*, 17 dec. 1642.

Supplicavit Episcopus Vendensis declarari: utrum eius Consecratio celebrata a duobus Episcopis tantum, adhibito pro tertio Decano Ecclesiae Cathedralis, sit valida? et quatenus opus sit, convalidari.

[1] Cf. N. 5341, 5363.

Et S. R. C. amplectens opinionem Turrecrematae in cap. *Porro*, num. 3, dist. 66, quod ternarius numerus Episcoporum non sit de substantia Ordinis Episcopalis, censuit, si SS. Domino N. placuerit: « Consecrationem praedictam convalidari posse, una cum omnibus inde sequutis ». Et relatione Sanctissimo facta, Sanctitas Sua benigne annuit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 820].

5426.

S. R. C., 21 febr. 1643.

Iuxta antiquum morem huius S. C. relati fuerunt per me Secretarium duo abusus, qui reformatione indigere videbantur.

1. Quod in multis Ecclesiis ad inserviendum lepori musices, alteratur notabiliter Textus Sacrarum Scripturarum mutilando, anteponendo, postponendo, et alterando verba et sensum illarum, et adaptando eas modulationi, ita ut non musica Sacrae Scripturae, sed haec illi inservire videatur.

2. Quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur; et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad Altare distracti haereant, et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non musica Missae, sed Missa musicae famuletur.

Et S. R. C. censuit: « Indigere reformatione, et quousque ratio congrua ineatur, iniungendum Em̃o Card. Vicario, ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 823].

5427.

S. R. C., *Vercellen.*, 14 mart. 1643.

Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Vercellen. officiant et resident in duabus Ecclesiis Cathedralibus, octo scilicet in S. Mariae Maioris, et viginti quatuor in S. Eusebii, qui omnes ad perpetuo conservandam unitatem Capituli solemnioribus et statis diebus, ac in omnibus publicis supplicationibus et functionibus solent insimul convenire et officiare in una tantum Ecclesia; reliquis vero diebus unicuique in sua Ecclesia. Canonici quidem S. Mariae quotidie cantant Missam Conventualem cum Diacono et Subdiacono paratis, sed numquam solent cantare duas Missas, ut certis diebus praescribit Rubrica Missalis: tum propter minorem numerum Canonicorum, carentium etiam omni adiutorio Beneficiatorum vel Cappellanorum, tum etiam quia in S. Eusebii cantatur dicta Missa: ex quo, respectu totius Capituli satisfit praecepto Rubricae.

Praeterea solent Canonici S. Mariae recitare Officium de Sanctis, quorum Reliquiae et Cappellae sunt in S. Eusebii ad hoc, ut unitati Capituli respondeat etiam uniformitas Officii: sed quia nonnullis oritur scrupulus, cupiunt dicti Canonici S. Mariae declarari:

1. An causis supradictis attentis, possint, tuta conscientia, iuxta antiquam consuetudinem, non cantare dictam secundam Missam?

2. An possint recitare Officia de Sanctis quorum Reliquiae venerantur, vel Cappellae erectae sunt in S. Eusebii?

3. Cura animarum S. Mariae Maioris Cathedralis Vercellen., erecta in Vicariam, exercetur per Vicarium perpetuum; cura vero animarum Cathedralis S. Eusebii exercetur per Vice-Curatum amovibilem; et quando dictus Vicarius perpetuus et Vice-Curatus conveniunt in Processionibus et aliis ecclesiasticis functionibus, contendunt de praecedentia. Quaeritur, cui debeatur?

4. An quando Episcopus pontificaliter cantat in aliqua Ecclesia Civitatis, ad quam convenire debent et solent Canonici omnes, deferenda sint de Cathedrali S. Eusebii omnia indumenta pontificalia, et quae ipsis Canonicis quoque congruunt, et an idem servandum sit quando Episcopus pontificaliter cantat in dicta Cathedrali S. Mariae Maioris?

5. An liceat Episcopo Pontificalia exercenti in Civitate, sed extra Cathedralem, invitis Canonicis, pro se et suis assistentibus et inservientibus paramenta a Cathedrali desumere?

6. Quaesivit Episcopus Vercellensis: an Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis habentibus usum mitrae, dum illa utuntur in solemnioribus diebus, absente Episcopo a Choro, Canonici teneantur ministrare de mitra, an potius hoc ad Cappellanos et alios inferiores pertineat?

Et S. R. C., proponente Eñio et Rñio D. Card. Sacchetto, respondit:

Ad 1. « Satisfacere praecepto Rubricae modo praedicto, quando Canonici insimul conveniunt; quando vero simul non conveniunt, teneri ad celebrandas duas Missas a Rubrica praescriptas in utraque Ecclesia: sed si aliqui ex Canonicis conveniunt, convenientibus suffragari unam ex dictis Missis in altera Ecclesia celebratam ».

Ad 2. « Convenientes tantum in alterutra Ecclesia satisfacere recitando Officium proprium eiusdem Ecclesiae, in qua conveniunt ».

Ad 3. « Praecedentiam deberi Vicario perpetuo ».

Ad 4. « Paramenta deferenda esse de Cathedrali S. Eusebii, etiam quando Pontificalia fiant in Cathedrali S. Mariae Maioris ».

Ad 5. « Episcopo licere ».

Ad 6. « Mitram per Cappellanos seu Ministros inferiores esse ministrandam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 831].

5428.

S. R. C., 18 apr. 1643.

Quaesitum fuit a multis Episcopis: an Constitutio super observatione Festorum comprehendat Festa ex voto alicuius personae vel communitatis introducta? Et interrogatis prius Consultoribus S. R. C., qui post latum suffragium recesserunt, Fr. Lucas dixit Constitutionem tollere Festa de voto. P. Alciatus: Festa de voto esse sublata, quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum Festorum. Abbas Hilarion: Successores non teneri ex voto, sed ex directione communitatis, accedente auctoritate Episcopi; ideoque Constitutionem tollere Festa de voto pro iis qui non voverunt, secus pro illis qui voverunt. R. P. D. de Rubeis: Festa de voto remanere in dispositione Iuris communis. R. P. D. Sacrista: Tolli ex vi clausularum derogatoriarum in fine Bullae, quae tollunt omnia statuta etiam iuramento firmata. Eñus Cardinalis Sacchettus: Successores non obligari, voventes obligari. Pamphylius in eodem, et in derogatoriis tolli statuta iuramento firmata. Roccius in eodem. Pallottus: Teneri ad Festa de voto qui voverunt, et non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia. Franciottus: Teneri qui voverunt, uti particulares, et responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta Festa ponenda sub Festis de devotione. Bragadinus in eodem. Caesarinus in eodem. Ideoque S. R. C., unanimi consensu, Decretum desuper concepit tenoris sequentis:

Proposito dubio ad instantiam quamplurium Reverendissimorum Episcoporum: an stante Constitutione SS. D. N. Urbani PP. VIII, super observatione Festorum, quae incipit *Universa*, Idibus septembris 1642 promulgata,[1] Universitates seu Communitates Civitatum seu locorum teneantur ex praecepto servare Festa ex voto earumdem inducta?

S. R. C., referente Eñio et Rñio D. Cardinali Sacchetto, censuit: « Ex dispositione Constitutionis praedictae personas voventes tantum teneri »; quam S. C. sententiam sibi relatam SSñius D. Noster laudavit et approbavit, dixitque: « Intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere Festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar Festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus, ex vi voti provenientis, ipsismet personis tantum quae voverunt ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 834].

5429.

S. R. C., *Mediolanen.*, 16 maii 1643.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Mediolanensis supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum:

1. An in Ecclesiis Cathedralibus seu Collegiatis, ubi plures sunt Dignitates, absente vel impedito Episcopo, debeat qui primam post eum obtinet Dignitatem, Missas et Vesperas cantare?

2. An ipso Digniore, vel impedito vel absente, alter qui secundam Dignitatem obtinet debeat id munus obire; et si iste non adesset, an ad tertiam Dignitatem spectet, et an omnibus Dignitatibus absentibus vel impeditis, antiquior Canonicus id praestare debeat, an vero Canonicus Hebdomadarius?

[1] Cf. N. 226.

3. In Ecclesiis ubi unica tantum Dignitas existit, ut Praepositus vel Archipresbyter, an ipso absente vel impedito, antiquior Canonicus, an potius Hebdomadarius debeat vices illius Dignitatis subire in Missis cantandis et aliis obeundis, quae ad Praepositum ipsum pertinerent, si praesens esset?

4. In Ecclesiis Collegiatis prima Dignitas solet incensari ter, sicut Archiepiscopus in Metropolitana, Canonici vero bis. Quaeritur: an bis tantum ipse Praepositus et primam obtinentes Dignitatem debeant incensari, cum terna incensatio videatur exhibenda Archiepiscopo tantum, aut Episcopo in sua Dioecesi, aut in aliis, ubi nulla maior extat Dignitas?

8. An Praepositi et alii eiusmodi qui Pontificalia exercere nequeunt, in sua Ecclesia debeant scamnis et scabellis tantum uti, vel etiam cathedris aliquo panno etiam serico ornatis, cum Missas et Vesperas canunt, aut etiam quando de suggestu concionantur?

Et S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Cardinali Caesarino, respondit:

Ad 1. « Absente Episcopo pertinere ad primam Dignitatem praesentem, dummodo sit in Sacris Ordinibus constituta ».

Ad 2. « Si turni usus quoad celebrationem Officiorum huiusmodi indistincte inter Dignitates et Canonicos servatur, non esse ab eo recedendum, prima Dignitate celebrare impedita ».

Ad 3. « Impedito Praeposito, Hebdomadarium celebrare debere, cum non eadem Dignitas sit Praepositorum et Episcoporum, nec propterea eodem iure censendi ».

Ad 4. « Ternam thurificationem Episcopo vel Archiepiscopo tantum debitam, eodem praesente, alteri non esse tribuendam ».

Ad 8. « Non licere Praeposito et aliis eiusmodi, qui Pontificalia exercere nequeunt, uti cathedris serico ornatis, quibus utuntur Episcopi celebrantes ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 837].

5430.

S. R. C., *Fulginaten.*, 13 iun. 1643.

Renuentibus Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Episcopo Pontificalia exercente, cum pluvialibus et habitu sacro inservire, nec non ipsis impeditis alios substituere; Episcopus supplicavit declarari: an ad dicta teneantur?

Et S. R. C. censuit: « Dignitates, Canonicatus vel alia Beneficia in Ecclesia praedicta obtinentes, teneri Episcopo solemniter celebranti vel Pontificalia exercenti assistere, ac vestibus sacris sui quisque Ordinis vel Officii munera per se ipsos exercendo inservire, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem et particularia eiusdem Ecclesiae statuta: legitimo vero impedimento detentos, si per se ipsos adimplere praemissa nequiverint, alios respective eiusdem Ordinis et Dignitatis substituere debere; idque per Episcopum opportunis iuris remediis exigi posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 838].

5431.

S. R. C., *Comen.*, 11 iul. 1643.

Erecta, auctoritate Ordinarii, Ecclesia in Oppido de Riva cum Cappellano ad eius servitium deputato, Archipresbyter, infra cuius Parochiae limites existit, prohibuit Missas in ea diebus Festis celebrari ante Missam parochialem: quapropter Fundatores supplicarunt declarari, id non posse prohiberi.

Et S. R. C., iuxta alias decreta, [1] respondit: « A Parocho prohiberi non posse, quin Missae in Ecclesia praedicta diebus Festis ante vel post Missam parochialem celebrentur, nisi eadem Ecclesia aliquo speciali iure subiectionis, ipsi parochiali sit obnoxia ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 842].

5432.

S. R. C., *Milevitana*, 26 sept. 1643.

Parochus S. Mariae Damasceni Ritus graeci reformati sub s. m. Gregorio XIII, supplicavit sibi decerni praecedentiam inter ceteros Parochos iuxta antiquitatem suae Ecclesiae, non obstante quod sit graeci ritus uniti, pro qua declaratione etiam Rmus Episcopus praesens in Curia instat.

Et S. R. C. respondit: « Ritum graecum praedictum non obstare, quominus Parochus orator praecedentiam Ecclesiae suae debitam inter ceteros latini ritus assequatur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 850].

5433.

S. R. C., *Canarien.*, 22 nov. 1643.

Communitates Civitatum Palmae, Lagunae et aliarum conqueruntur de Parochis et Ecclesiasticis, prohibentibus ne haeredes defunctorum vocent ad funera Regulares, nisi prius vocentur omnes Clerici non solum propriae Parochiae defunctorum, sed etiam Parochiarum aliarum, supplicantes propterea pro abolitione dicti abusus.

Et S. R. C. respondit: « Numerum Religiosorum et Clericorum ac electionem Ordinum Regularium pro associandis cadaveribus ad haeredes defunctorum pro libitu voluntatis eorum spectare et pertinere, sine tamen praeiudicio proprii Parochi et Ecclesiae parochialis, iuxta sacrorum Canonum et Ritualis Romani dispositionem ». Et ita in posterum in Civitatibus praedictis servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 852].

[1] Cf. N. 5356, 5375, 5388.

5434.

S. R. C., 5 mart. 1644.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis unius Civitatis constat ex duabus Ecclesiis et triginta duobus Canonicis, quorum viginti quatuor resident in una Ecclesia, octo vero in alia: ambae vero Ecclesiae unicum constituunt Capitulum; et habent praebendas et ordines distinctos in Presbyterales, et Diaconales, et Subdiaconales. Cumque saepius teneantur in unius Capituli formam coalescere, et simul una convenire, non servatur inter eos nec ordinis nec receptionis praerogativa; sed dicti Canonici viginti quatuor sine distinctione praecedunt aliis octo Canonicis. Supplicatur itaque declarari, an rationabilis et toleranda sit huiusmodi consuetudo, quae tamen immemorabilis non existit, et quid servandum?

Et S. R. C. declaravit: « Consuetudinem praedictam tamquam irrationabilem et abusum non esse tolerandam, sed inter omnes Canonicos praedictos ordinis et receptionis rationem esse servandam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 857].

5435.

S. R. C., *Marianen.*, 16 apr. 1644.

Moniales SS. Annuntiationis de Bastia supplicarunt pro facultate asservandi in earum Ecclesia SS. Eucharistiam.

Et S. R. C. respondit: « Aut Monasterium est canonice erectum, et non indiget: aut non, et non est approbandum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 860].

5436.

S. R. C., *Avenionen.*, 14 maii 1644.

Carolus Felix Deserre Canonicus Ecclesiae Cathedralis Avenionen., in qua Praebendae omnes sunt Presbyterales, exposuit: quod cum tempore suae receptionis ad possessionem praedicti Canonicatus in Sacerdotio non esset constitutus, duo recentiores Canonici post illum admissi, cum Sacerdotes existerent, praecedentiam super illum adepti sunt; nunc cum et ipse ad Sacerdotium ascenderit, supplicavit sibi responderi, an de iure possit consequi praecedentiam ante dictos Canonicos post illum admissos: et licet alias ob allegatam pendentiam litis in partibus reiectus fuerit ad suos Iudices; nihilominus cum modernus D. Archiepiscopus Avenionensis praesens in Curia consentiat et instet; supplicavit iterum pro resolutione.

Et S. R. C., referente Emo et Rmo D. Cardinali Roccio, secundum ea quae proponuntur, respondit: « Praecedentiam deberi Canonico oratori ante omnes alios post ipsum receptos ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 864].

5437.

S. R. C., *Grossetana*, 4 iun. 1644.

Quaesitum fuit: an Parochus et prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis possit indicere Orationem quadraginta horarum, et exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Episcopi?

Et S. R. C. respondit: « Non posse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 869].

5438.

S. R. C., *Minerbien.*, 4 iun. 1644.

Primicerius Ecclesiae Minerbiensis exposuit, vertente controversia inter ipsum et Archidiaconum eiusdem Ecclesiae super iure dirigendi Chorum et ordinandi Divinum Officium, Episcopum anno 1612 ad favorem Primicerii decrevisse; in quorum Decretorum exequutionem, cum ab Archidiacono turbetur, supplicavit responderi, quid iuris?

Et S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Cardinali Sacchetto, censuit: « Servandam esse dispositionem Iuris communis in cap. unico, *De officio Primicerii*, et can. *Perlectis*, § *ad Primicerium*, dist. 25 ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 870].

5439.

S. R. C., *Calaritana*, 2 iul. 1644.

Quaesivit Archiepiscopus Calaritanus:

1. An, quando ipse in Ecclesia sua intervenit cum cappa Processioni SS. Corporis Christi, teneatur ipsemet intortitium deferre, vel sibi ab alio ministro deferri facere?

2. An Canonici in huiusmodi Processione teneantur intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per se ipsum non deferat?

3. An Praesidens Capituli, praesente Archiepiscopo, possit dirigere Processiones etiam sub poenis: an vero spectet ad ipsum Archiepiscopum?

Et S. R. C. respondit: Ad 1. « In casu proposito Archiepiscopum debere intortitium sibi per ministrum deferri facere ».

Ad 2. « Canonicos teneri funalia seu intortitia deferre ».

Ad 3. « Processiones edicere, decernere, dirigere, et deducere ad Archiepiscopum pertinere de consilio tantum Capituli, non autem de consensu ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 875].

5440.

S. R. C., *S. Marci*, 26 nov. 1644.

Quaesitum fuit: 1. Quomodo intelligenda sit Rubrica de genuflexionibus, quae SS. Eucharistiae fiunt: an eodem modo genuflectendum sit coram exposito, quam coram asservato in Tabernaculo, ostio aperto?

2. An liceat Sacerdotibus in Missis privatis, tempore Hebdomadae Maioris, Passionem D. N. a cornu Epistolae recitare?

Et S. R. C. respondit: Ad 1. « Semper, et a quocumque coram SS. Eucharistiae Sacramento esse genuflectendum ».

Ad 2. « Non a cornu Epistolae, sed a cornu Evangelii esse recitandum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 877].

5441.

S. R. C., *Granaten.*, 29 mart. 1645.

Ad tollendum abusum, qui in Civitate et Dioecesi Granaten. irrepsit, et in dies irrepere non cessat, in publice exponendo pauco cum decore SS. Eucharistiae Sacramentum; petiit Archiepiscopus dictae Civitatis prohiberi esse sibi permissum tam Saecularibus, quam Regularibus etiam exemptis, ne audeant illud exponere absque sui licentia.

Et S. R. C. respondit: « Neque Regularibus neque Confraternitatibus laicorum quovis praetextu licere publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, absque speciali licentia ipsius Archiepiscopi: et contrafacientes censuris esse coërcendos ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 882].

5442.

S. R. C., *Massen.*, 7 oct. 1645.

Ad Ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae Suffragii, quam construxit Universitas Portus Ferrarii in Ilva, cum non possit Episcopus Vicarium mittere ad effectum illam benedicendi, supplicatum fuit S. R. C. ut illam benedicere valeat Plebanus dicti loci.

Emi Patres eidem Congregationi praepositi responderunt: « Episcopum posse subdelegare tam Plebanum praedictum, quam alium sibi magis benevisum, ad effectum vero benedicendi, non autem consecrandi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 889].

5443.

S. R. C., *Baren.*, 7 oct. 1645.

In Collegiata Aquaevivae Baren. Dioecesis fuit assertum adesse Archipresbyterum, ad quem spectat facere omnes functiones pontificales; et cum ipse reperiatur hodie excommunicatus, Archiepiscopus Baren. deputavit substitutum Vicarium ut exerceat curam animarum tantum in dicta Terra; qui praetendit facere functiones praedictas, aliisque Presbyteris sibi benevisis delegare, in grave praeiudicium Dignitatum et Presbyterorum, qui S. R. C. consuluerunt:

1. Ad quem spectet, excommunicato Archipresbytero, functiones facere, celebrare Missas solemnes, et Vesperas cantare: an ad Dignitates et alios Presbyteros de gremio dictae Ecclesiae gradatim, an vero ad assertum Vicarium?

2. An possit dictus Vicarius functiones praefatas Presbyteris sibi benevisi delegare?

Et eadem S. R. C. respondit: « Functiones praefatas quae debent fieri per primam Dignitatem, ea impedita obeundas esse per Dignitatem sequentem, non autem aliis delegandas a Vicario ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 890].

5444.

S. R. C., *Camerinen.*, 13 ian. 1646.

Prior et Canonici Collegiatae S. Venantii Camerinen. S. R. C. supplicarunt, ut declarare dignaretur: an Clericus moriens, sepulcro non electo, sed habens sepulcrum maiorum, debeat in eo sepeliri, aut in Ecclesia cui in susceptione primae tonsurae fuerit adscriptus, licet in ea nullum exercuerit ministerium neque Beneficium possederit?

Et eadem S. R. C. respondit: « Nullum ius super sepultura praefatae Ecclesiae, ubi Clericus defunctus in susceptione primae tonsurae fuerat adscriptus, competere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 891].

5445.

S. R. C., *Nicien.*, 13 ian. 1646.

Consulta S. R. C. an Episcopo quolibet tempore concionem cum cappa audienti, teneantur saltem duo Canonici assistere; et an Canonici teneantur eumdem levare et associare, quando ad Ecclesiam est accessurus ad assistendum divinis Officiis et pontificaliter celebrandum, quamvis ipse incedat cum rochetto et mozzetta, sed absque cappa.

Eadem S. R. C. Ad 1. respondit: « Iuxta alias resoluta, Episcopo concionem cum cappa audienti saltem per duos Canonicos assistentiam praestandam esse ».

Ad 2. « A Canonicis cum habitu canonicali non esse excipiendum et associandum Episcopum, nisi sit cappa indutus ». Et ita in Ecclesia Nicien. Emi PP. eidem Congregationi praepositi servari mandarunt.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 892].

5446.

S. R. C., *Calaritana*, 14 iun. 1646.

Consulta S. R. C.: an liceat in Sodalitatum laicorum Oratoriis, quibus animarum cura non est adnexa, nec hospitalitatis ius exercetur, quotidie asservare SSmum Eucharistiae Sacramentum, [et in maiori hebdomada facere Sepulcrum?

Eadem S. R. C. respondit: « Non licere, et praedicta prohiberi » mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 895].

5447.

S. R. C., *Perusina*, 11 aug. 1646.

Renuentes Canonici Cathedralis Perusinae praestare assistentiam Episcopo non Pontificalia exercenti, sed concionibus, Missis, aut Vesperis cum cappa assistenti extra Cathedralem, non obstante praetensa ab eodem Episcopo consuetudine, recursum habuerunt ad S. R. C., ut declarare dignaretur: an et in quibus casibus teneantur?

Emi PP. S. R. C. praepositi, utraque parte informante, responderunt « Canonicos teneri et cogi posse ab Episcopo ut sibi ministrent et inserviant non solum in Cathedrali verum etiam in aliis Civitatis Ecclesiis, in quibus solemnes vel publicas episcopales functiones est obiturus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 898].

5448.

S. R. C., *Nicien.*, 13 sept. 1646.

Consulta S. R. C. super infrascriptis dubiis:

1. An Canonici assistentes Episcopo Divinis cum cappa interessenti, teneantur illi ponere et deponere biretum, et praecipue quando populo benedicit?

4. An Canonici in habitu canonicali teneantur accedere in cubiculum Episcopi non cum cappa, sed cum mozzetta et rochetto ad Ecclesiam accedenti, ut inserviat divinis Officiis et Processionibus?

5. An dum Episcopus privatim Missam celebrat, duo Canonici teneantur inservire et assistere?

6. An Episcopus debeat induere cappam pontificalem in sua *camera*, antequam excipiatur per Canonicos in habitu canonicali accedentes: an vero sufficiat quod cappam induat in illo cubiculo, in quo conveniunt Canonici ad illum excipiendum?

7. An quando Episcopus accessurus est ad Ecclesiam ut Divinis assistat, intimandi sint Canonici per aliquem ministrum Episcopi, vel potius hora congrua accedere debeant non intimati ad illum excipiendum et associandum?

8 An Episcopo accedenti ad Ecclesiam, tam in diebus festivis quam in ferialibus, sive cum cappa sive cum mozzetta, ad assistendum Litaniis aliisque similibus, tam exposito SSmo Sacramento quam non exposito; teneantur Canonici adire cubiculum Episcopi, et in habitu canonicali illum excipere et associare ad Ecclesiam?

S. R. C. ita responderi censuit: Ad 1. ut alias saepe: « Episcopum divinis Officiis interessentem cum cappa pontificali debere per seipsum sibi detrahere et ponere biretum, et ad hoc non teneri Canonicos assistentes ».

Ad 4. « Non debere Canonicos excipere Episcopum de cubiculo dum ad Ecclesiam accedit ut divinis Officiis intersit, nisi quando incedit cum cappa pontificali: si vero accedat cum rochetto et mozzetta, satis esse ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae ».

Ad 5. « Canonicos non teneri praestare assistentiam Episcopo privatim Missam celebranti, nisi legitima consuetudo illos obliget ».

Ad 6. « Satius esse quod Episcopus cappam induat in *camera*, in qua Canonici illum excipiunt, ut alias fuit pro eadem Ecclesia responsum 20 novembris 1628 ».

Ad 7. « Condicta hora cum Episcopo ad inchoandum Officium, et dato signo cum campana, Canonicos teneri accedere ad cubiculum Episcopi, ut excipiant et associent ad Ecclesiam ».

Ad 8. « Teneri Canonicos excipere de cubiculo Episcopum accedentem ad Ecclesiam cum cappa, occasione assistendi divinis Officiis, sive Pontificalia exercendi seu solemniter celebrandi: sine cappa vero, ut in aliis accessibus, satis esse ut occurrant et excipiant ad portam Ecclesiae, ut supra ad 4 ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 900].

5449.

S. R. C., *Comen.*, 17 nov. 1646.

Archipresbyter Collegiatae de Sondrio, in Valtellina Comen. supplicavit S. R. C., quatenus declarare dignaretur:

1. An Canonici dictae Collegiatae teneantur celebrare Missam Conventualem iis diebus quibus Ecclesiae inserviunt?

2. An inservire debeant pro Diacono et Subdiacono Dignitati vel Canonico Missam solemniter celebranti?

3. An celebratio dictarum Missarum Conventualium, et munus Dia-

coni et Subdiaconi debeat fieri per turnum, iuxta distributionem faciendam ab Archipresbytero?

Emi PP. S. R. C. praepositi: Ad 1. responderunt: « Praefatos Canonicos celebrare teneri Missam Conventualem, nisi adsint Cappellani, qui hoc munus explere consueverint ».

Ad 2. « Inservire teneri pro Diacono et Subdiacono Dignitatibus solemniter celebrantibus: Canonicis vero non teneri, nisi Praebendae sint distinctae; alias servandum esse solitum ».

Ad 3. « Distributionem praedictam esse faciendam a prima Dignitate iuxta cuiusque praerogativam, et per turnum; quatenus ab alia Dignitate, huiusmodi distributio fieri non consueverit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 901].

5450.

S. R. C., *Nicoteren.*, 17 nov. 1646.

Cum S. R. C. iam dixerit Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Nicoteren. Protonotarium Apostolicum, non tamen de numero participantium, amittere quotidianas distributiones, quotiescumque in Choro aliisque ecclesiasticis functionibus habitum Praelatitium deferat; fuit iterum dubitatum:

1. An huiusmodi decisio locum sibi vindicet in prima Dignitate, quam detinet Archidiaconus?

2. An eidem Archidiacono, dum inservit Episcopo in Missis et functionibus publicis, sit licitum gestare rochettum cum pluviali, aut teneatur uti superpelliceo tantum?

Ad 1. S. R. C. respondit: « Dictum Archidiaconum, quamvis primae Dignitatis honore praefulgeat, immunem non esse a poena privationis distributionum quotidianarum, si in functionibus ecclesiasticis incedat cum habitu Protonotarii ».

Ad 2. « Non habitu praelatitio, sed canonicali uti debere, quando in functionibus ecclesiasticis Episcopo inservit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 903].

5451.

S. R. C., *Ferentina*, 12 ian. 1647.

Consuluerunt S. R. C. Canonici Cathedralis Ferentinae: an teneantur Episcopum accedentem ad Ecclesiam cum cappa in diebus ferialibus excipere de cubiculo, et usque ad eumdem locum comitari, vel potius satis sit illum associare usque ad portam Palatii?

Eadem S. R. C. respondit: « Episcopum quandocumque accedentem ad Ecclesiam in diebus ferialibus ad interessendum simpliciter Horis Canonicis, Vesperis et Completorio, aut etiam Missae Conventuali, non uti debere cappa magna, sed rochetto et mozzetta. Ideoque tali casu Canonici non tenentur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 906].

5452.

S. R. C., *Cassanen.*, 4 maii 1647.

Congregatio S. Mariae de Colorito, quae dicitur de Observantia S. Augustini, institit coram S. R. C. ut declararet: an liceat cadavera, quae in eorum Ecclesia sepelienda sunt, de domo defuncti vel alibi existentia deferre ad Ecclesiam recto tramite; vel potius deferenda sint prius ad Ecclesiam parochialem, ibique celebrandum Officium, et postea ad Ecclesiam Regularium ad effectum illa tumulandi?

S. R. C. respondit: « In casu proposito cadavera in Ecclesiam S. Mariae de Colorito absque ullo intervallo esse deferenda, ibique celebrandum Officium, sine praeiudicio emolumentorum Ecclesiae Parochialis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 909].

5453.

S. R. C., *Calaguritana*, 3 aug. 1647.

Contendentibus inter se Matthaeo de Tavorga et Anna Maria de Vegogna coniugibus ex una, et moderno Rectore Ecclesiae parochialis Oppidi de Vilvao partibus ex altera: an scilicet clavem sub qua reconditur SSmae Eucharistiae Sacramentum Feria V in Coena Domini, praefatus Rector tradere teneatur dicto Matthaeo de Tavorga ex persona uxoris Ecclesiae Parochialis praedictae praetenso Patrono, et ob peculiarem nobilitatem Familiae de Vegogna, nec non ob generalem Hispaniarum consuetudinem huiusmodi clavem custodiendi per personas nobiles;

S. R. C., referente Emo Sfortia, pluries auditis partibus, in casu proposito, « Rectorem dictae Ecclesiae parochialis de Vilvao praefato Matthaeo de Tavorga huiusmodi clavem tradere non teneri » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 912].

5454.

S. R. C., *Beneventana*, 5 sept. 1648.

Archiepiscopus Beneventanus supplicavit declarari:

1. An Dignitates illius Cathedralis, quae sedent ab utroque latere Chori, debeant omnes prius thurificari quam Canonici eiusdem Ecclesiae, qui tam a dexteris quam a sinistris Chori una cum praefatis Dignitatibus sedent?

Et S. R. C. respondit: « Tam Dignitates quam Canonicos a latere digniori Chori sedentes prius thurificandos esse, quam Dignitates et Canonicos qui sedent a latere Chori minus digno ».

5. An Canonici Archiepiscopum ad Ecclesiam accedentem associare, et ab eadem redeuntem usque ad *anticameram* suae habitationis, iuxta

consuetudinem suorum Praedecessorum, comitari teneantur? Et S. R. C. respondit: « Quod circa associationem serventur Decreta; et ad eorum formam compellantur Canonici renitentes, si aliqui adsunt, sub censuris etiam in subsidium ».

6. An Archidiaconus, prima Dignitas, Archiepiscopo tam solemniter celebranti quam Divinis tantum interessenti cum cappa, assistere teneatur, cum praebendae non sint distinctae? Et S. R. C. respondit: « Assistentiam praedictam praestandam esse per Archidiaconum iuxta formam Caeremonialis, eumque ad hoc posse cogi, sub censuris etiam in subsidium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 915].

5455.

S. R. C., *Novocomen.*, 23 ian. 1649.

Supplicarunt S. R. C. Paulus Besta et Vitalis Betlana Canonici Collegiatae Sondrii supradictae Dioecesis declarari, ut ipsi praecedere debeant qui possessionem capitularem adepti fuerunt ante Caesarem Pusterlam eam praetendentem, ex titulo anteriori sui Canonicatus.

Et Emi Patres responderunt: « Oratoribus in antiquiori possessione existentibus praecedentiam deberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 917].

5456.

S. R. C., *Ianuen.*, 13 mart. 1649.

Procurator Generalis strictioris Observantiae S. R. C. supplicavit, ut confirmare dignaretur Decretum Emi Archiepiscopi, de celebranda Dedicatione Ecclesiae Oppidi Rapelli die 6 iulii ob incertitudinem diei Consecrationis; licet modo de ea notitia habita fuerit ex authenticis scripturis, cum dicta dies Consecrationis coincidat in festo S. Bonaventurae a toto Ordine magna cum solemnitate celebrari consueto.

Et Emi PP. responderunt: « Non suffragari Decretum Emi Archiepiscopi, sed celebrandum esse in ipsa die, qua repertum fuit Ecclesiam consecratam fuisse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 920].

5457.

S. R. C., *Novocomen.*, 24 iul. 1649.

Ecclesia Collegiata Sondrii Novocomen. Dioecesis a S. R. C. supplicavit declarari infrascripta dubia:

1. An in Collegiata, in qua Canonici tenentur celebrare Missam Conventualem per turnum, Archipresbyter, qui ibi est prima Dignitas, possit semper aut quotiescumque sibi placuerit, dictam Missam celebrare?

2. An in diebus Stationum Ecclesiae, et in solemnioribus Festivitatibus per annum, in quibus idem Archipresbyter de more solet Missam Conventualem celebrare, hanc celebrationem alteri Dignitati possit, quae non sit de gremio Ecclesiae, vel alicui Sacerdoti sibi beneviso, delegare?

3. Si in supradictis Festivitatibus solemnibus, idem Archipresbyter noluerit vel nequiverit Missam Conventualem celebrare, an succedat ad hanc functionem in eius locum Canonicus antiquior sive Decanus, vel potius Canonicus ad quem spectat ratione turni?

Et Emi PP. ad 1. « Negative responderunt, sed celebrandum esse per turnum ».

Ad 2. « Negative, sed, impedita prima Dignitate, spectare ad secundam ordine successivo ».

Ad 3. « Antiquiorem succedere debere: cum, impedita prima Dignitate, supradictae functiones in Festis solemnioribus peragendae sint a secunda, et gradatim ordine successivo ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 921].

5458.

S. R. C., *Placentina*, 23 aug. 1649.

S. R. C. pluries respondit: Vicedominum, et alias Dignitates Ecclesiae Cathedralis habentes duplices praebendas, et Presbyterales et Diaconales, debere fungi Officio Diaconi cum ex turno ipsis incumbit, si velint Praebendae gaudere proventibus. Cum vero eaedem Dignitates huiusmodi Decretis non acquiescentes remissoriam ad probandam contrariam consuetudinem petierint, et processus in S. C. fuerit exhibitus;

Emi PP., iterum proposita causa, et referente Emo D. Card. Sacchetto, ac partibus saepe auditis, declararunt: « Habentes Canonicatus, seu Praebendas Diaconales vel Subdiaconales, etiam cum Dignitate, onera illis adnexa obire debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 923].

5459.

S. R. C., *Tornacen.*, 25 sept. 1649.

Consulta fuit per Episcopum, etiam de mandato SS. D. N., S. R. C. pro declaratione sequentium dubiorum:

1. An Missae in Ecclesia Cathedrali in certo Altari vel Cappella praescriptae, celebrari valeant per Canonicos aut eorum substitutos in Cappella primo obvia et commodiori, licet vigeat contraria possessio a quadraginta annis et ultra?

8. An liceat, tam in Civitate Tornacen. quam Insulen., Fratribus Ordinis S. Dominici aliisque Mendicantibus, in quorum Ecclesiis sepulturae eliguntur, cadavera defunctorum levare, absente et inconsulto Parocho;

et an illi vocati ad funus debeant convenire in parochiali Ecclesia ipsius defuncti, vel in alia, vel expectare per vias, aut in domo defuncti?

Et Em̃i PP., referente Em̃o Dño Card. Franciotto, responderunt: Ad 1. « Per Episcopum cogendos esse omnes, ad quos spectat, ut Missas in Altaribus vel Cappellis praescriptis, iuxta erectionem celebrent ».

Ad 8. « Dari exemplar Decretorum in hac materia latorum » scilicet:

Ad primam partem dubii « Cadavera decedentium in Parochia non posse levari, nisi requisito Parocho, per Regulares, eoque de iuribus parochialibus satisfacto ».

Ad alteram vero partem: « Regulares vocatos ad funus debere convenire in parochiali Ecclesia, vel in alia iuxta loci consuetudinem; et nullo modo permittendum ut recto tramite accedant ad domum defuncti, vel per vias expectent ». Et ita responderunt.

[S R. C. Decreta Authentica, n. 924].

5460.

S. R. C., *Bellicastren.*, 16 nov. 1649.

Capitulum et Canonici Cathedralis propter Praebendarum tenuitatem, ac immemorabilem ab ipsis assertam consuetudinem, in Adventu, Quadragesima, aliisque Vigiliis, in quibus festus dies alicuius Sancti coincidit, cogi non posse praetendunt ad celebrandam Missam Conventualem, propter recurrentem Missam de Sancto: Episcopus vero eiusdem Civitatis a S. R. C. instanter ita declarari petiit.

Et Em̃i PP. responderunt: « Omnino praedictos Canonicos teneri ad celebrandum utramque Missam iuxta Rubricas Missalis Romani in praedictis temporibus, quacumque exceptione et consuetudine adducta non obstante ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 925].

5461.

S. R. C., *Ianuen.*, 16 nov. 1649.

Religiosi Ordinis S. Francisci Minimi nuncupati Provinciae Ianuen. humiliter S. R. C. supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. An et a quo fieri debeat aspersio die Dominica quando Superior celebrat?

2. An debeant velari Imagines et Cruces Sabbato Passionis, si occurrat eo die festum S. Titularis vel Patroni Ecclesiae?

3. An detegi illae debeant, quando in hebdomada Passionis occurrit festum S. Titularis vel Dedicatio Ecclesiae?

4. Quo velo cooperienda sit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum in Feria V maioris hebdomadae, et Crux Processionis, cum Sacerdos indutus sit violaceo, et Diaconus colore albo; et actus ipse lotionis sive Mandati

praecipiatur a Rubricis fieri cum floribus et signis laetitiae, et videatur participare de festivitate Missae celebratae in mane cum Cruce velata albo colore, et ex alia parte sit actus humilitatis?

5. An et quando benedicenda sint Pixis, purificatoria, Ostensoria, vel saltem lunula, quae immediate inserviunt Sacramento plusquam alia: quae habent in Missali propriam formam benedictionis?

Et Em̃i PP. responderunt: Ad 1. « Aspersionem semper faciendam esse a Celebrante ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Colorem non esse mutandum ».

Ad 5. « Servandas esse Rubricas ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 926].

5462.

S. R. C., *Eporedien.*, 19 nov. 1650.

Exposuit Episcopus S. R. C. Civitatem Eporediensem multis abhinc annis voto publico se obstrinxisse servare nonnulla Festa cum Vigilia et peragere Processiones; quod ab anno 1631 ab Episcopo praedecessore confirmatum fuit, eo adiecto, ut ad ea teneantur etiam successores, licet votum non emiserint. Cum autem eadem S. C. quoad Festa alias declaraverit [1] ex dispositione Constitutionis s. m. Urbani VIII super his editae, [2] voventes tantum obstringi, institit etiam declarari: an eorum successores votum obliget quoad Vigilias et Processiones, saltem ex vi praecepti?

Et Em̃i PP. « Negative » responderunt.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 932].

5463.

S. R. C., *Cassanen.*, 11 mart. 1651.

Cum alias S. R. C., ad relationem Em̃i D. Card. Sacchetti, in controversia orta inter Archidiaconum Cathedralis Ecclesiae Cassanen. et Cantorem declaverit:

1. Capitulares de Choro exire volentes ab Archidiacono prima Dignitate, et eo absente, a digniori, ordine successivo, veniam petere debere:

2. Tabellam, in qua describi debeat per quos exercendae sint functiones ecclesiasticae per turnum, ab Archidiacono praescribendam et ordinandam esse; ad Cantorem vero spectare Chori directionem, iuxta praescriptum in tabella;

[1] Cf. N. 5428.

[2] Cf. N. 226.

3. Eiusdem Archidiaconi munus esse dare signum pro inchoando Officio Divino; et antequam signum detur pro discessu a Choro, nulli de Capitulo exire licere;

Modo autem huiusmodi controversia denuo excitata, cum modernus Cantor praedictis Decretis acquiescere noluerit;

Eadem S. R. C., utraque parte informante, ac eodem Eñio D. Card. Sacchetto referente, decrevit:

Quoad 1 et 3: « Standum esse in Decretis ».

Quoad 2: « Tabellam subscribendam esse ab utroque, si ambo adfuerint; sin minus, a praesente ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 933].

5464.

S. R. C., *Camerinen.*, 20 maii 1651.

Antonius Tranquillus Presbyter, cuius professionem olim in Ordine Minorum Conventualium S. Francisci emissam, Eñi PP. consultationibus Episcoporum et Regularium praepositi nullam esse (ut praesupponitur) censuerunt, humillime supplicavit a S. R. C. declarari, sibi praecedentiam deberi a die suae promotionis ad Presbyteratum, cum eam cedere nolint, nisi qui ordinati sunt postea quam ipse ad saeculum rediit.

Et Eñi PP. responderunt: « Praecedentiam deberi etiam in casu proposito, iuxta tempus promotionis ad Presbyteratum, quatenus alius titulus in quaestionem positus non fuerit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 936].

5465.

S. R. C., *Urbis*, 19 aug. 1651.

Fratres Ioannes Augustinus a S. Angelo Definitor Generalis Ordinis Carmelitarum supplicavit a S. R. C. declarari sequentia dubia:

1. An stante Decreto eiusdem S. C. quod in diebus quibus prohibetur fieri de Festo duplici, non possint dici Missae votivae, neque de requie; in vigilia Pentecostes, omissa solemni Missa de eadem, a qua dictum festum incipit, possit cantari Missa de Beata Virgine?

2. An Regulares, qui utuntur Missali Romano in celebratione Missarum tam privatarum quam solemnium, ritus in Missali praescriptos immutare possint addendo vel minuendo aliqua, seu ritus alios subrogando in Choro aut in Altari, sub alicuius antiquae consuetudinis praetextu; an potius omnia in eodem Missali et Caeremoniali praecepta, ad unguem sine ulla additione, diminutione, vel immutatione servare debeant?

3. An quando Missa canitur sine Ministris, thurificari possint tam Altare quam Chorus, ut alias fit quando Ministri adsunt?

4. An sub illis verbis, quibus Summi Pontifices Clemens VIII, [1] et SS. D. N. Innocentius X, [2] in suis Constitutionibus utuntur, Caeremoniale Episcoporum approbantes et observari mandantes, *ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit;* Regulares, qui ritum Romanum in Officio Divino et Missa sequuntur, comprehendantur, adeo ut etiam ipsi ad praescriptum eiusdem Caeremonialis omnia peragere et praestare debeant?

5. An Regularium Caeremonialia, quae praedicto Episcoporum Caeremoniali in aliquibus conformia non sunt, pariter prohibeantur?

6. An quando SS. Eucharistiae Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes cuiusvis conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes et ab eodem recedentes, semper utrumque genu flectere debeant?

Super quibus EE. PP., referente Eñio D. Card. Cornelio, responderunt, ut infra:

Ad 1. « Negative iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Nihil addi, minui, vel immutari posse, sed omnia in eodem Missali et Caeremoniali praescripta ad unguem servanda esse ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Affirmative, nisi aliter fuerit a Sede Apostolica specialiter indultum ».

Ad 5. « Ut ad proximum ».

Ad 6. « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 937].

5466.

S. R. C., *Turritana*, 2 mart. 1652.

Pro parte Decani et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Turritanae a S. R. C. supplicatum fuit declarari: an directio Chori in defectum Cantoris, qui in eadem Cathedrali non habetur, privative spectet ad Vicarium Generalem in habitu Vicariali incedentem?

Et Eñi PP. « Ad digniorem Chori spectare et pertinere, responderunt, non autem ad Vicarium Generalem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 939].

5467.

S. R. C., decr. 16 dec. 1652.

S. R. C. hac die 5 octobris 1652 censuit et declaravit, si SS. D. N. placuerit, « Non potuisse nec posse, tam Saeculares quam Regulares cuiuscumque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Iesu, excedere limites verbales

[1] Const. *Cum novissime*, 14 iul. 1600. – Bull. Rom., tom. 5, II, p. 301, 302.
[2] Const. *Etsi alias*, 30 iul. 1650. – Bull. Rom., tom. 6, III, p. 211, 212.

Indultorum Sedis Apostolicae super Beatificationibus, praesertim in celebratione Missarum et Officii cum octavis, nisi hoc expresse Sedes Apostolica eis indulserit ». Et facta relatione per Emum D. Cardinalem Cornelium Episcopum Albanen. Sanctitas Sua approbavit, et sic, ut praemittitur, observari mandavit. Die 16 decembris 1652.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 942].

5468.

S. R. C., *Callien.*, 22 mart. 1653.

Episcopus exposuit S. R. C., quod in defectum Ecclesiae Cathedralis, in qua construitur nova fabrica, pro habendis concionibus tempore Adventus fuit subrogata de consensu etiam Capituli Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium, in qua, dum ipse concioni interest cum cappa, Canonici recusarunt assistere, ut solent in Cathedrali, et supplicavit declarari: an teneantur?

Et eadem S. R. C. censuit et declaravit: « Canonicos teneri assistere cum eorum habitu canonicali ».

[S. R. C., Decreta Authentica, n. 944].

5469.

S. R. C., *Placentina*, 22 mart. 1653.

Cum S. R. C. sub die 23 augusti 1649 decreverit Dignitates Cathedralis habentes Canonicatus, seu Praebendas Diaconales, seu Subdiaconales, onera canonicatibus adnexa subire debere; [1] modo ad instantiam Praepositi, Archidiaconi et Archipresbyteri eiusdem Cathedralis supplicatum fuit declarari, ipsos, qui habent praebendas perpetuo unitas, non comprehendi in supradicto Decreto, nec teneri ad hebdomadam in turno Diaconorum.

Et eadem S. R. C., auditis Canonicis Diaconis eiusdem Cathedralis, referente Emo et Rmo D. Card. Sacchetto, censuit et declaravit: « Dictum Decretum non comprehendere praedictas Dignitates, quae habent Praebendas Diaconales perpetuo unitas, nec tales Dignitates in posterum esse apponendas in turno Diaconorum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 945].

5470.

S. R. C., *Cassanen.*, 22 nov. 1653.

Orta differentia inter Canonicos provisos de Canonicatibus, ultimo loco erectis a moderno Episcopo, et Salvatorem Alphanum, ultimo loco provisum de uno ex canonicatibus eiusdem Ecclesiae antiquis, super praecedentia inter ipsos servanda;

[1] Cf. N. 5458.

S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Card. Sacchetto, censuit et declaravit: « Praecedentiam deberi Canonicis, qui prius adepti sunt possessionem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 951].

5471.

S. R. C., *Cusentina*, 20 iun. 1654.

Instante Fr. Bartholomaeo de Camerino Ordinis Capuccinorum occasione Visitationis Provinciarum Regni Neapolis pro declaratione:

1. An in Litaniis, quae dicuntur in Ecclesiis Capuccinorum, ut asseritur ex forma Constitutionis, post Matutinum et post Nonam, liceat addere nomina Sanctorum, ultra expressa in Litaniis quae habentur in Breviario Romano, ex eo quod sint Sancti eiusdem Ordinis, vel Patroni Provinciarum, vel etiam ex devotione?
2. An in versiculo consueto de B. V. *Benedicta tu in mulieribus* cum responsorio, *et benedictus fructus ventris tui*, liceat addere *Iesus*, et dicere: *benedictus fructus ventris tui Iesus?*

S. R. C. « In utroque casu non licere quidquam addere » censuit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 957].

5472.

S. R. C., *Perusina*, 20 iun. 1654.

Praetendentibus Canonicis Ecclesiae Cathedralis Perusinae gravari et distrahi a servitio Chori, si vocentur et cogantur ad assistendum et inserviendum Episcopo, quotiescumque, pro suo arbitrio, sine necessitate accedit saepe ad diversas Ecclesias eiusdem Civitatis ad Missas Pontificales celebrandum, sive ad assistendum, vel cum pluviali vel cum cappa; habito super hoc recursu ad S. R. C. pro declaratione: an teneantur?

Eadem S. R. C. censuit: « Non omnes teneri, sed tres tantum pro facienda assistentia ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 958].

5473.

S. R. C., *Mediolanen.*, 8 iul. 1654.

Cum ad notitiam SS. D. N. pervenerit D. Gubernatorem Mediolani in die Annuntiationis B. M. V., proxime praeterita, poni fecisse genuflexorium cum tapete magno et pulvinaribus, pro se et Marchionissa eius uxore, in Ecclesia Cathedrali intra Presbyterium et ante Altare maius, ac in eo ipso

[1] Cf. N. 5478.

loco ubi Faldistorium pro Episcopo apponi solet: nec non eumdem D. Gubernatorem, absque ulla Sedis Apostolicae licentia, retinere suam Sedem intra Presbyterium cum cortina, eo modo et forma, quibus in praeteritum usi sunt alii eius Praedecessores, praevia tamen opportuna Sedis Apostolicae licentia; Sanctitas Sua mandavit discuti huiusmodi negotium in hac particulari Congregatione, in qua, re discussa et plene examinata, Emi PP. censuerunt: « Significandum esse Archiepiscopo per Literas S. R. C., non licere praefato D. Gubernatori genuflexorium in dicto loco et modo, quo supra, apponere; nec item retinere Sedem intra Presbyterium, ut supra dictum est, absque speciali licentia Sedis Apostolicae, si eidem S. R. C. ita videbitur ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 959].

5474.

S. R. C., *Mediolanen.*, 18 iul. 1654.

Relata in hac Congregatione Resolutione capta in alia Congregatione particulari sub die 8 huius mensis [2] de mandato SS. super eo, quod non liceat D. Gubernatori Mediolani apponere genuflexorium et retinere Sedem intra Presbyterium Ecclesiae Cathedralis, sine speciali Sedis Apostolicae licentia; et quod debeat S. R. C. Literis id significare Archiepiscopo, ne in posterum huiusmodi novitates fieri contingat;

Eadem S. R. C.: « Praefatam resolutionem approbavit, eamque Archiepiscopo significari mandavit, prout in Regesto Literarum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 960].

5475.

S. R. C., *Aesina*, 18 iul. 1654.

Cum saepe alias et specialiter in hac causa S. R. C. declaraverit [3] praecedentiam inter Canonicos competere Canonicis Ordinis Presbyteralis supra Canonicos Ordinis Diaconalis et Subdiaconalis, etiamsi Presbyteri recentius recepti sint; et in Ecclesia Cathedrali orta fuerit controversia, an idem, quod servatur in Choro et quando inceditur cum cotta et habitu canonicali, debeat etiam servari in Capitulo et in aliis actibus in quibus Canonici conveniunt in eorum habitu ordinario clericali;

Eadem S. R. C., auditis partibus, censuit et declaravit: « Canonicis Presbyteris ubique locorum competere praecedentiam in functionibus capitularibus, tam quae fiunt cum habitu canonicali, quam sine habitu ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 961].

[1] Cf. N. 5474.
[2] Cf. N. 5473.
[3] Cf. N. 5196, 5226, 5232, 5300, 5364, 5382, 5434.

5476.

S. R. C., *Recineten.*, 22 aug. 1654.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Recineten. exposuit Dignitates eiusdem Ecclesiae, deficientibus Canonicis, ab Episcopi assistentiae onere se exemptas reputare, ob idque Episcopum debito ei ministerio quandoque fraudari.

S. R. C. respondit: « Episcopo rescribendum esse pro observantia Caeremonialis, quo in cap. 26, lib. 1, clare disponitur: Si nullus Presbyter Canonicus aderit, praeter Dignitates, tunc aliquem ex ipsis Dignitatibus teneri ad supplendum locum Diaconi deficientis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 966].

5477.

S. R. C., *Seguntina*, 19 sept. 1654.

Ad quinque dubia per Episcopum Seguntinum ad S. R. C. transmissa eadem C., ut infra, respondit:

Ad 1. scilicet: An, attento quod in Cathedrali consueverint Canonici feria V in Coena Domini Missas celebrare, et ex eis neminem ad Communionem, quae fit ab ipso Episcopo inter Missarum solemnia, accedere; Episcopus eosdem possit ad observantiam contentorum in Caeremoniali, lib. 2, cap. 23, compellere?

R. « Omnino servandum esse Caeremoniale Episcoporum, et pro eiusdem observantia posse ab Episcopo cogi Canonicos, et alios quoscumque de gremio Ecclesiae ».

Ad 2. An, stante consuetudine, quod hymnus *Gloria in excelsis Deo* etc. integre sub organo moduletur et humanis vocibus, nec alternatim concinatur, possit Episcopus cogere ad implementum eorum, quae continentur in lib. 1, cap. 28 Caeremonialis Episcoporum?

R. « Abusum huiusmodi ab Ecclesiae praedictae praxi omnino tollendum ».

Ad 4. An insuper cogi possint Capitula Collegiatarum, non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine, ad celebrandum diebus Vigiliarum, quatuor temporum, et Quadragesimae, ultra Missam Festi currentis post Tertiam, alteram conventualem de Vigilia, et Feriis praedictis post Nonam?

R. « Collegiatas teneri etiam ad Missam Conventualem de Vigilia et Feriis praedictis, iuxta Rubricas Missalis Romani ».

Ad 5. An tolerandum, quod Dux de Medina Caeli in Ecclesia Collegiata sui Patronatus occupet Sedem primae Dignitatis, sitam in digniore parte Chori, vel in hoc sit servanda potius dispositio Caeremonialis Episcoporum?

R. « Non tolerandum, nisi docto et constito de legitimo Privilegio ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 970].

5478.

S. R. C., *Perusina*, 14 nov. 1654.

Episcopus Perusinus S. R. C. supplicavit pro moderatione Decreti hoc anno sub die 20 iunii ab eadem S. C. emanati, [1] quo firmatum extitit tres tantum Canonicos teneri Episcopo extra Cathedralem Missarum solemnia pontificaliter peragenti assistere.

Et re maturius inspecta, eadem S. R. C.: « In Missa Pontificali tres Canonicos assistere, et alios duos in officio Diaconi et Subdiaconi eidem Episcopo ministrare debere, declaravit; in reliquis firmo remanente Decreto, ut praefertur, sub die 20 iunii emanato ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 976].

5479.

S. R. C., *Ortonen. Camplen.*, 15 dec. 1654.

Archidiaconus Camplen. ipsi adiudicari postulavit ius dirigendi Chorum, dicendi *Pater*, *Ave Maria*, et *Credo* pro inchoatione Officii, ac indicendi mox Hebdomadario, ut intonet versiculum, *Domine labia mea* etc. ad Matutinum et *Deus in adiutorium meum intende* etc. ad Vesperas. necnon benedictiones ad Primam et Completorium, versiculum *Dominus det nobis suam pacem*, et his similia, quaeque hactenus consueverunt per ipsum impleri.

S. R. C.: « Directionem Chori, nisi Cantoris Dignitas vel similis cui huiusmodi praerogativa et munus incumbat, in ipsa Cathedrali Ecclesia existat, ad Archidiaconum primam Dignitatem pertinere respondit. Reliqua vero abusive hactenus ab ipso peracta, omnino ad Hebdomadarium, vel alias peragentem Officium, posthac fieri peragique iussit: non obstante qualibet contraria consuetudine, quam abusum declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 981].

5480.

S. R. C., *Pacen.*, 29 maii 1655.

Ad instantiam Antonini Frull Prioris et primae Dignitatis Cathedralis Ecclesiae Pacen.

S. R. C. declaravit: « Nequaquam ad Vicarium Generalem ratione Officii, sed ad primam Dignitatem, vel successive ad alias Dignitates aut seniorem Canonicum, privative quoad ipsum Vicarium, spectare ius ministrandi aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiarum, praesente Capitulo Cathedralis indumentis canonicalibus redimito, assistendi eidem Episcopo in Missis pontificalibus, concinendi Missas in diebus solemnioribus, nec non peragendi solemnia Missarum et delationem SS. Sacramenti, absente Episcopo, in Festivitate Corporis Christi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 984].

[1] Cf. N. 5472.

5481.

S. R. C., *Alexien.*, 19 iun. 1655.

Episcopus Alexien. S. R. C. supplicavit ut dignaretur declarare, teneri Canonicos ingredi cubiculum ab ipso oratore destinatum pro sumenda cappa pontificali, et inde eum Sacra facturum, vel Divinis cum cappa adstiturum, associare ad Ecclesiam Cathedralem.

Et S. R. C., ad relationem Emi Dñi Cardinalis Franciotti, cui huiusmodi negotium commissum fuerat, die 8 maii 1655 respondit: « Canonicos teneri, et cogi posse ad huiusmodi sibi debita obsequia vindicanda, etiam sub censuris, nisi Episcopium longe distet a Cathedrali ». Die 19 iunii 1655.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 985].

5482.

S. R. C., *Mediolanen.*, 19 iun. 1655.

S. R. C. in causa controversiae praecedentiarum in Processionibus Sanctissimi Sacramenti inter Societatem Sanctissimi Sacramenti loci Lignarelli, et Societatem S. Ambrosii loci Lignani censuit: « Competere praecedentiam Societati SSmi Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 986].

5483.

S. R. C., *Civitatis Plebis*, 29 ian. 1656.

Episcopus Civitatis Plebis ad S. R. C. transmisit formulam Litaniarum S. Antonii de Padua, quae recitantur a Fratribus Minorum de Observantia S. Francisci in eorum Ecclesia.

Et S. eadem R. C. iussit: « Ad Episcopum dirigi literas, quibus moneatur, ut prohibeat recitationem praedictarum Litaniarum, et auctoritate S. C. cogat Fratres praedictos ad consignandas ipsi Episcopo formulas omnes et singulas tum manu conscriptas, tum typis impressas, quasque ad S. C. transmittat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 995].

5484.

S. R. C., *Pragen.*, 29 ian. 1656.

Archiepiscopus Sebasten. in partibus Infidelium, Suffraganeus Emi D. Card. de Sbarrach, Archiepiscopi Pragen., declarari postulavit: an ipsi uti Archiepiscopo supra Episcopum Litomericen., praesentem in Civitate et Dioecesi Pragensi, praecedentia competeret?

Et S. R. C.: « Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum maioritate gradus supra Episcopum praecedentiam spectare » respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 999].

5485.

S. R. C., *Ephesina*, 8 apr. 1656.

Archiepiscopus Ephesinus a S. R. C. declarari postulavit: num Archiepiscopi titulares in aliena Dioecesi existentes praeferri debeant Episcopis, et Archiepiscopis consecratione iunioribus, nec non aliis Episcopali charactere senioribus, sed gradu Archiepiscopali posterioribus, ut puta ad Ecclesiam Archiepiscopalem post ipsius oratoris ordinationem translatis?

Et EE. PP. praedictae Congregationi praepositi, ad relationem Emi D. Card. Azzolini, « Affirmative responderunt, extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos et Archiepiscopos etiam seniores, praecedentia competit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1006].

5486.

S. R. C., *Mediolanen.*, 8 apr. 1656.

Archiepiscopus Mediolanen. declarari postulavit, non licere Regularibus, nisi de licentia Ordinarii exponere SS. Eucharistiae Sacramentum.

Et S. R. C. iussit: « Oratori facultatem attribui, ut etiam auctoritate Congregationis contra inobedientes procedat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1008].

5487.

S. R. C., *Lubecen.*, 10 iun. 1656.

Episcopus Lubecen. exposuit, hactenus, eo absente vel impedito, functiones quas ipsi in Cathedrali celebrare mos est, Episcopo Petinen., quo idem utitur uti Vicario in spiritualibus, delegare consuevisse, quandoque tamen reclamantibus Dignitatibus eiusdem Ecclesiae, qui praetendunt ad eos huiusmodi functiones eo casu spectare; petiitque a S. R. C. declarari potuisse ac posse Ordinarium, cui libuerit, digniori tamen Dignitatibus ipsis, Ecclesiae functiones episcopales commendare.

Et S. R. C.: « Id quidem intelligendum, respondit, de muniis pontificalibus, quae a Dignitatibus et Capitularibus impleri nequeunt: secus de iis quae a Dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, alteri licet digniori, demandare in praeiudicium Dignitatum aliorumque Capitularium, Episcopo non licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1013].

5488.

S. R. C., *Lubecen.*, 10 iun. 1656.

Episcopus Lubecen. a S. R. C. declarari postulavit, num possit ipse cogere Dignitates, ut ei, absentibus Diaconis et Presbyteris Canonicis, in munere Diaconi assistentis inserviant?

Et S. R. C.: « Affirmative » respondit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1014].

5489.

S. R. C., *Surrentina*, 3 ian. 1657.

Patres Theatini supplicarunt, iniungeretur Archiepiscopo, ne consuetudinem a multis annis inductam exponendi SS. Sacramentum novem diebus Nativitatem Domini praecedentibus, vellet abrogatam, illi non assentiendo.

At S. R. C. respondit: « Nullatenus Regularibus licere exponere SS. Sacramentum, nisi de licentia Episcopi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1018].

5490.

S. R. C., *Montis Regalis*, 9 iun. 1657.

Augustinus Taddaeus Rector Ecclesiae parochialis B. M. V. de Plebe Cunei Dioecesis Montis Regalis Provinciae Taurinen. declarari postulavit: non potuisse nec posse Regulares quoscumque, etiam Societatis Iesu, exponere SSmum Sacramentum in eorum Ecclesiis, nisi de licentia Parochi, intra cuius Parochiae limites sita est Regularis Ecclesia.

Et S. R. C. respondit: « Regularibus licentiam Episcopi satis esse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1026].

5491.

S. R. C., *Tropien.*, 9 iun. 1657.

Antonius de Alulys Tropien. institit, iniungi Vicario Capitulari, ut amoveat suspensionem a celebratione in Altari Cappellae eius patronatus positam a defuncto Episcopo, ex quo sub suppedaneo Altaris condita sint defunctorum cadavera.

Et S. R. C. respondit: « Nihil ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1030].

5492.

S. R. C., 4 aug. 1657.

Institum fuit declarare dignarentur PP. Emi, an, attenta immemorabili, Praepositus alicuius Ecclesiae tuta conscientia possit inter Missarum solemnia uti baculo et annulo, nec non pontificali more populo benedicere;

Et S. R. C. respondit: « Non posse, nisi constito sibi de speciali Sedis Apostolicae indulto ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1032].

5493.

S. R. C., *Montis Regalis*, 4 aug. 1657.

Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi de *Bene* Dioecesis Montis Regalis petentibus declarari:

1. An Parochus et Clerus Ecclesiae parochiali Matrici addicti, sint praeferendi Capitulo et Canonicis Collegiatae?

2. An Parochus Protonotarius Apostolicus uti possit Almutia?

3. An in Synodo Dioecesana Capitulum Collegiatae sit Parocho Matricis Ecclesiae praeferendum?

4. An valida sit erectio Collegiatae auctoritate Ordinaria, ob idque Collegiata auctoritate Apostolica erecta videatur praeferenda antiquiori Collegiatae, sed novissimis hisce temporibus erectae auctoritate Ordinaria?

S. R. C. responderi mandavit: Ad 1. « Capitulum et Canonicos Collegiatae Parocho Matricis Ecclesiae in omnibus praelationem habere ».

Ad 2. « Parochum uti Protonotarium Almutia nullatenus uti posse ».

Ad 3. « In Synodo Canonicos Collegiatae praeferendos esse cuilibet Parocho etiam Matricis Ecclesiae eiusdem loci ».

Ad 4. « Erectionem Collegiatae auctoritate Ordinaria, cui saltem Auctoritas Apostolica minime accesserit, utpote penitus nullam nequaquam sustineri: et Collegiatam canonice erectam ius praelationis acquisivisse super ceteris a die expeditionis Literarum Apostolicarum ». Et ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1034].

5494.

S. R. C., *Sarsinaten.*, 15 sept. 1657.

Francisco Fabiano Canonico Poenitentiario, et olim Canonico Subdiacono eiusdem Cathedralis Ecclesiae Sarsinaten. petenti: an Canonicis Presbyteris, qui Canonicatum adepti sunt postquam ipse orator praebenda Subdiaconali potiretur, de nova tandem Presbyterali et Poenitentiali provisus, idem praeferendus videatur?

S. R. C. respondit: « Eum retinere debere locum possessionis novae praebendae, Subdiaconalis nullatenus attenta possessione ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1038].

5495.

S. R. C., *Baren.*, 1 dec. 1657.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae loci Terlicii Nullius Dioecesis Provinciae Baren. supplicavit ut S. C. declarare dignaretur:

1. An Canonici Collegiatae, attenta immemorabili consuetudine, possint in Ecclesiis Regularium super defunctorum cadaveribus absolutionis caeremoniam peragere, ac tertia die ab humatione cadaverum ibidem valeant exequias celebrare?

2. An Regulares, sine licentia vel praesentia Parochi, possint a domibus defunctorum cadavera extrahere ad eorum Regularium Ecclesias deferenda?

Et S. R. C. iussit:

Ad 1. « Dari Decreta quibus alias firmatum extitit in Regularium Ecclesiis, qualibet in contrarium non obstante inducta consuetudine, ipsis tantum assentientibus, Clerum Saecularem posse absolutionem et Missas defunctorum huiusmodi celebrare ».

Ad 2. « Regularibus non licere cadavera e domibus defunctorum extrahere nisi de licentia Parochi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1042].

5496.

S. R. C., *Pragen.*, 1 dec. 1657.

Archiepiscopus Sebasten. Suffraganeus Pragensis exposuit, ei a Dignitatibus Metropolitanae in aliquibus praecedentiam controverti.

Et S. R. C.: « Archiepiscopo titulari, aeque ac Archiepiscopo de residentia, praelationem et obsequia deberi, respondit. Siquidem, etsi diversae sint sedium sortes, tamen Praesulum iura semper eadem permanent, licet enim possint Catholicae Religionis hostes non habitui, sed actui tantum potestatis et iurisdictionis vim inferre, qua Episcopalis Dignitas fraudatur

sed non minuitur; propterea Archiepiscopum oratorem ceteris Dignitatibus Archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1045].

5497.

S. R. C., *Leodien.*, 1 dec. 1657.

Ioannes Antonius Episcopus Dionysiensis Suffraganeus Episcopi Leodiensis a S. R. C. declarari postulavit: an ipsi Episcopo Suffraganeo, vel Praeposito et Decano, primis Ecclesiae Cathedralis Leodien. Dignitatibus, praecedentia competat?

Et S. R. C.: « Episcopo titulari, aeque ac Episcopo de residentia, praelationem et obsequia deberi respondit. Siquidem etsi diversae sint sedium sortes, tamen Praesulum iura semper eadem permanent, licet enim possint Catholicae Religionis hostes non habitui, sed actui tantum potestatis et iurisdictionis vim inferre, qua Episcopalis Dignitas fraudatur sed non minuitur; propterea Episcopum oratorem ceteris omnibus Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse » declaravit.[1]

[S, R. C. Decreta Authentica, n. 1046].

5498.

S. R. C., *Mediolanen.*, 26 ian. 1658.

Die 5 ianuarii 1658, Vigilia Epiphaniae, absolutis Vesperis in Cappella Palatii Quirinalis Emis PP. S. R. C. praepositis in aula Paramentorum congregatis, postquam ex ea SSmus discesserat, Literae Archiepiscopi Mediolanensis ad eamdem S. C. directae relatae sunt, quibus percipiebatur Principem Trivultium eidem Archiepiscopo postulasse, ut ei in Ecclesia munus traditionis habitus aurei velleris expleturo, baldachino uti permitteret.

Et praefati Emi DD. « Praedicti Principis instantiis nullatenus annuendum esse censuerunt, ac Archiepiscopo rescribi iusserunt, baldachinum in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque Sacris quibusvis locis, cuicumque praedicta peragenti non competere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1047].

5499.

S. R. C., *Vratislavien.*, 26 ian. 1658.

Episcopus Vradislavien. exposuit ex capitularibus tres in eius Cathedrali nunc reperiri, qui Episcopali Dignitate in partibus infidelium sunt insigniti: Episcopum Spingensem, qui Decanatus Dignitatem simul obtinet; Episcopum Suffraganeum, qui Praebenda Canonicali gaudet; et Praepositum cui nuper collatus est Episcopatus in partibus. Quare, attento quod Suffraganeus nisi sit Canonicus, locum non habeat in Capitulo, verum si fuerit Canonicus, inibi sedeat loco digniori, ac sententiam et suffragium ferat loco suae receptionis in Canonicatum; S. C. supplicavit, dignaretur declarare: quaenam ratio in sessionibus capitularibus inter praedictos habenda sit?

[1] Cf. N. 5502.

Et S. R. C. respondit: « Suffraganeum Canonicum, necnon Dignitates Capitulares, vel Praebendas Canonicales obtinentes, iuxta Ordinum gradus vel promotionis ad Ordinem Pontificalem in sessionibus huiusmodi, locum occupare debere supra ceteras Dignitates, et reliquos Canonicos eiusdem Ecclesiae; sed loco suae admissionis ad possessionem Dignitatum Capitularium, vel Canonicatuum, sententiam et suffragium dare debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1054].

5500.

S. R. C., *Lucerina*, 8 iun. 1658.

Fratres Minores Observantiae S. Francisci Civitatis Luceriae, qui, cesso Fratribus Reformatis antiquiori Conventu S. Salvatoris, in alterum recentioris erectionis sub nomine Pietatis se receperunt, eis praecedentiam controverti a dictis Reformatis exposuerunt, ex quo his antiquior Conventus fuerit assignatus.

At Emi PP. S. R. C. praepositi: « Praelationem non ab antiquitate erectionis Conventus, sed ab incolatu Familiae cuiuscumque Ordinis desumendam esse, iuxta disposita per s. m. Gregorium XIII,[1] declararunt, et propterea Fratribus Minoribus de Observantia, uti antiquioribus in loco, praecedentiam super Reformatos Luceriae deberi », decreverunt.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1067].

5501.

S. R. C., *Vratislavien.*, 8 iun. 1658.

Ioannes Balthassar Liesp, Episcopus Nicopolitanus, et Ecclesiae Vratislaviensis Suffraganeus, cum iam septuagenarius variis vexetur infirmitatibus, et praecise podagra, ita ut pedum usu saepissime destitutus Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare nequeat,S. R. C. supplicavit, ut ei impertiri dignaretur facultatem, ut quandocumque in praedicto morbo detentus Sacra conficere nequiverit, possit nihilominus Sacros Ordines conferre inter Missarum solemnia alio Sacerdote celebrante, ut ita Ecclesiae necessitati possit satisfieri, cum non adsit in dicta Dioecesi alter Episcopus, nec

[1] Cf. N. 151.

extra illam, nisi ultra trecenta milliaria, et tanto itineris incommodo nemo velit se exponere.

Et S. R. C. « Nihil » ei responderi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1071].

5502.

S. R. C., *Leodien.*, 13 iul. 1658.

Episcopus Dionysiensis, Episcopi Leodien. Suffraganeus, S. R. C. supplicavit ut Auditori Camerae ac duobus aliis Episcopis in illis partibus commorantibus iniungere dignaretur executionem Decreti alias sub die 1 dec. 1657 evulgati, quod scilicet Episcopus titularis aeque ac Episcopus de residentia ceteris Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendus sit.

Et EE. PP. S. eidem C. praepositi: « Episcopo Leodien. urbanis verbis scribendum esse duxerunt, ut praedictum Decretum servari curet ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1075].

5503.

S. R. C., *Ragusina*, 13 iul. 1658.

Petiit Archiepiscopus Ragusinus infrascripta dubia declarari:

1. An Vicarius solitus in Choro sedere in Sede separata, debeat in Processionibus praecedere Canonicis ac Dignitatibus?

2. An Canonici eius Cathedralis teneantur assistentiam praestare Archiepiscopo Pontificalia exercenti extra Cathedralem?

3. An Canonicus celebrans, Vesperarum solemnia peracturus, possit uti Alba?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Affirmative, scilicet, Vicarium praeferendum esse Dignitatibus ac reliquis Canonicis, qui sacris non sint induti ».

Ad 2. « Tres Canonicos Cathedralis in Civitate teneri assistere Archiepiscopo Pontificalia exercenti: at extra Civitatem non esse cogendos ».

Ad 3. « Celebrantem non Episcopum facientem Officium in Matutinis, Laudibus et Vesperis non posse uti Alba ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1077].

5504.

S. R. C., *Senen.*, 13 iul. 1658.

Supplicatum fuit S. R. C., ut eadem declarare dignaretur: an Praepositus prima Dignitas insignis Collegiatae S. Mariae Senarum in sessionibus synodalibus sit praeferendus vel posthabendus Canonicis Ecclesiae Metropolitanae?

[1] Cf. N. 5497.

Et S. R. C. respondit: « Inter Dignitates et Canonicos Metropolitanae neminem interponi posse, quum unum et idem Corpus constituant: et idcirco Praepositum oratorem praeferendum esse Canonicis eius Collegiatae tantum ». Ac ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1080].

5505.

S. R. C., *Bisacien.*, 7 sept. 1658.

Presbyteri Oppidi Morrae Bisaciensis Dioecesis a S. R. C. declarari petierunt: an Archipresbytero, qui Archipresbyteratum resignavit, competat praecedentia supra reliquos Presbyteros, ei anteriores in Ordine, attento quod ipse fuerit Archipresbyter?

Et S. R. C. declaravit: « Nullam qualitatem Archipresbyteri remanere post renunciationem Archipresbyteratus; idcirco eum esse contemplandum uti simplicem Sacerdotem, illumque antiquioribus in Ordine cedere oportere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1081].

5506.

S. R. C., *Nicien.*, 7 sept. 1658.

Confratres Societatis Misericordiae Monoeci Nicien. Dioec. a S. R. C. declarari petierunt posse in Altari eorum Oratorii Tabernaculum Augustissimi Sacramenti, retineri, idemque ibidem exponi, necnon Missarum et Vesperarum solemnia per eorum Cappellanum privative quoad Parochum, intra cuius Parochiae limites situm est Oratorium, peragi licere, irrequisita prorsus eiusdem Parochi, necnon Episcopi singulis vicibus licentia, nec attento illius Decreto, seu prohibitione.

Et S. R. C., acceptis ac perpensis Ordinarii literis: « Praefato Cappellano privative quoad Parochum omnia praedicta munia competere, requisita tamen licentia Episcopi quoad expositionem SSmi Sacramenti; Tabernaculum vero in eorum Altari retineri non licere » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1090].

5507.

S. R. C., *Aretina*, 28 sept. 1658.

Relata per Eminentissimum D. Cardinalem Azzolinum controversia inter Clerum Saecularem et Regulares Castri Leonis Florentini Aretinae Dioecesis excitata, ex quo hi in Choro Collegiatae, dum Divinis intersunt, supra Presbyteros Saeculares sedere praesumant: prout eos quandoque sedisse exposuerunt;

S. R. C., pluries auditis partibus, declaravit: « Clero Saeculari semper et quandocumque deberi praecedentiam supra Regulares, non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine ». Et ita in casu proposito servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1094].

5508.

S. R. C., decr. gen. 28 sept. 1658.

Cum pluries expositum fuerit Decretum editum die 28 iulii 1628 a Cardinalibus Congregationum Episcoporum et Regularium, Sacri Concilii, et Sacrorum Rituum, qui de mandato s. m. Urbani VIII simul convenerunt cum Secretariis earumdem trium Congregationum, in Regestis S. R. C. minime exaratum fuisset; ipse ab Em̃o D. Cardinali Paulutio eiusdem Decreti copiam accepi, quam eodem Em̃o Cardinali Paulutio praesente, Em̃is PP. de verbo ad verbum perlegi. Iidemque iusserunt ut idem Decretum in Acta S. C. referrem. Die 28 septembris 1658.

DECRETUM GENERALE.

Die 27 iulii 1628 habita fuit Congregatio particularis de ordine SSm̃i D. N. Urbani VIII, cui interfuerunt Illm̃i et Rm̃i DD. Cardinales Congregationum Sacri Concilii, Episcoporum et Rituum, necnon Secretarii earumdem; negotioque mature discusso, unanimiter censuerunt: « Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse; exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus: nempe in die Festo SSm̃i Corporis Christi, in Litaniis Maioribus, in Rogationibus, ac in quibusvis aliis publicis et consuetis, vel pro bono, causa et honore publico ab Episcopis indictis Processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis tantum Apostolicis, Sacro Tridentino Concilio posterioribus, contrarium desuper disponentibus minime sublatis ».

« Regularibus autem et Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium esse permissum intra eorum Ecclesias et claustra tantum Processiones facere, et non extra: Si vero Ecclesiae claustro careant, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eamdem ianuam: et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut supra, Apostolicis contrarium disponentibus haud sublatis, quibus per hoc Decretum minime censeatur derogatum ».

Quae resolutio fuit ab eadem Congregatione approbata 21 augusti eiusdem anni 1628 in Congregatione habita in Palatio Montis Quirinalis, et deinde ab eodem SS. D. N. approbata, et iussu Sanctitatis Suae observanda.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1096].

5509.

S. R. C., *Forosempronien.*, 28 sept. 1658.

Fuit institum infrascriptis dubiis a S. R. C. responderi:

1. An prohibitio, quod Imagines Beatorum non possint exponi publicae venerationi et super Altari in iis Ecclesiis, aliisque publicis locis, quibus hoc ex speciali Sedis Apostolicae indulto non est concessum, sit intelligenda simul et coniunctim quoad supradicta, an vero divisim?

2. An quis possit licite permittere, ut exponatur cum luminibus et tabellis Imago Beati non canonizati, in Ecclesiis, aliisque publicis locis in quibus hoc fieri, ex Apostolicae Sedis speciali indulto, minime indultum patet? [1]

Et S. R. C. responderi mandavit:

Ad 1. « Intelligendam esse divisim, ita ut publice non possint exponi in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque publicis locis, nec supra nec extra Altare ».

Ad 2. « Episcopos teneri huiusmodi amovere et prohibere, ut impleantur Decreta Congregationum SS. Inquisitionis [2] et Sacr. Rituum, quorum executio iisdem iniuncta est ». Et ita in omnibus servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, 1097].

5510.

S. R. C., *Neapolitana*, 28 sept. 1658.

Relata per Em̃um D. Card. Franciottum controversia a Fratribus Conversis et Oblatis professis Ordinis Minorum Provinciae Neapolitanae excitata, ex quo iis praecedentiam deberi praesumerent supra Novitios, qui adhuc professionem non emiserunt;

EE. DD., visis ac mature perpensis partium iuribus, censuerunt: « Praecedentiam deberi Novitiis supra Laicos iuxta dispositionem Iuris communis et Constitutiones editas a Capitulis Generalibus Romano et Marsiliensi. Et ita ubique et in toto Ordine servandum esse mandarunt, sub poenis in contravenientes vel non acquiescentes per regulae Constitutiones decretis, aliisque arbitrio S. C. infligendis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1098].

[1] E. Dub. 3.
[2] Cf. N. 719.

5511.

S. R. C., *Civitatis Ducalis*, 7 dec. 1658.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis Ducalis a S. R. C. declarari enixe postularunt: an ipsi teneantur capitulariter assistentiam praestare Episcopo Ordinationes peragenti? [1]

Et S. R. C. respondendum esse censuit: « Canonicos praedictos teneri ad praefatam assistentiam, quando solemniter in cantu inter divina Officia fiunt Ordinationes; si vero fiant privatim, tres tantum ex ipsis debere Episcopo inservire ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1099].

5512.

S. R. C., *Posnanien.*, 7 dec. 1658.

Exposuit Praepositus Bonecensis Dioecesis Posnanien. erectionem Confraternitatis Suffragii a fel. memor. Innocentio X obtentam, ei ab Ordinario impediri, attento quod in eadem Ecclesia duae reperiantur Confraternitates, licet sint alterius Instituti et Invocationis.

Et S. R. C. respondit: « Non obstare Bullam Clementis VIII [2] quoad erectionem plurium Confraternitatum, quae sint diversi Instituti vel Invocationis, prout in casu praedicto locum non habere » declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1101].

5513.

S. R. C., *Triventina*, 29 mart. 1659.

S. R. C., prout in similibus, [3] declaravit: « Inter simplices Sacerdotes nulla gaudentes Praebenda, anterioritatem suscepti Ordinis Presbyteratus inspiciendam esse, nulla inter eos habita ratione prioritatis in Ordine Subdiaconatus vel Diaconatus ». Et ita in Terra Alfidenae Triventinae Dioecesis servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1115].

5514.

S. R. C., *Veliterna*, 24 maii 1659.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Veliternae, in qua Praebendae non sunt distinctae, sed omnes habent adnexum Ordinem Presbyteralem, a S. C. declarari postularunt, an inter ipsos praecedentia competat Canonico antiquiori in possessione, quamvis Ordine posteriori, an vero Canonico posterioris possessionis, sed in Ordine anteriori?

[1] E. Dub. 2.
[2] Cf. N. 192.
[3] Cf. N. 5166, 5225, 5287, 5301, 5464.

Et Emi PP. responderi mandarunt: « Consuetudinem Ecclesiae servandam esse, modo Canonici infra terminum a S. Tridentina Synodo statutum [1] Presbyteralem Ordinem susceperint; at si consuetudo probari nequeat, praeferendum esse Canonicum, qui prius post adeptam possessionem ad Ordinem Presbyteralem ascenderit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1117].

5515.

S. R. C., *Volaterrana*, 24 maii 1659.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Oppidi S. Geminiani Volaterranae Dioecesis a S. R. C. declarari postularunt, supra Vicarium foraneum ac Hebdomadarium sacris indutum, Praeposito, prout hactenus consuevit, locum non competere.

Et S. R. C. responderi mandavit: « Vicario foraneo ratione Vicariatus nullam competere praecedentiam, sed eum stare et sedere debere in loco suae receptionis, si sit de gremio Capituli. Verum Hebdomadario, si fuerit Canonicus, deberi digniorem locum a parte tabellae Chori; Praeposito autem digniorem locum e conspectu Hebdomadarii, vel immediate post Hebdomadarium Canonicum: at si Hebdomadarius erit Canonico inferior, et fuerit sacris indutus, deberi ei locum apud Altare a parte cornu Epistolae; si vero non fuerit sacris indutus, digniorem locum supra reliquos sui Ordinis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1118].

5516.

S. R. C., *Rossanen.*, 19 iul. 1659.

Procurator Generalis Ordinis Capuccinorum exposuit a Fratribus Minimis S. Francisci de Paula Rossanen. Civitatis Fratribus Capuccinis eiusdem loci in Processionibus praecedentiam controverti, quia Capuccini ab antiquo Conventu ad modernum, postquam Fratres Minimi in ea Civitate Conventum adepti sunt, transierunt.

S. itaque R. C. censuit: « Praecedentiam competere Capuccinis uti antiquioribus in loco: et familiam novi Conventus subrogati loco antiqui, iis omnibus privilegiis gaudere, quibus antiqui Conventus familia ipsa fruebatur; praesertim cum translatio auctoritate Apostolica peracta sit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1127].

[1] Sess. VII, *de ref.*, c. 12; sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.

5517.

S. R. C., decr. 27 sept. 1659.

Ad aures EE. PP. S. R. C. plures devenerunt qui patrantur indultorum excessus, in materia praestationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta:

1. « Quod eorumdem Beatorum imagines, etiam non principaliter, et uti supplices appositae, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae, eorum praeclara gesta repraesentantes aut referentes, in Ecclesiis, Sacrariis et Oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium vel alia Divina Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur ».

2. « Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam, imagines, simulacra, pictasque tabellas in Ecclesiis poni et coli posse in parietibus tantum, non autem super Altari collocandi facultas censeatur ».

3. « Quod, si concessa fuerit per eamdem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Beatis celebrandi vel recitandi facultas tradita praesumatur; etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet ».

4. « Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate ».

5. « In locis ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata; nec satisfactoria praecepto recitationis, nisi quoad illos quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit ».

6. « Missae pariter, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris Regularibus vel Saecularibus alicuius loci vel Monasterii, seu Presbyteris alicuius Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate etiam Cardinalatus insignitis, minime celebrentur ».[1]

7. « Dies Festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico provisum fuerit ».

8. « Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci earumque personarum, in quo et a quibus cultus cum Officio et Missa celebretur ».

9. « In quibusvis ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur vel recitentur ».

10. « Publicis in precibus, praeter indultas et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur ».

11. « Eorumdem Reliquiae in Processionibus minime circumferantur ».

S. R. C., praesentibus declaratione et iussione: « Removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicae aut Ordinariorum hactenus praestitum, ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu S. eadem C. eumdem in pristinum reduci iubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat sub poenis etc. ».

[1] Vide Decretum die 9 decembris 1895, quo ius mutatum est. — Cf. N. 6248.

« Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur,[1] nec eorum natalia cum octavis celebrentur, et aliis quibuscumque a S. C. hactenus emanatis, quae praesenti Decreto renovantur ».

« His autem SSmo relatis, et in S. R. C. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Emum et Rmum D. Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut, elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes et singulos afficiant et arctent, ac si omnibus et singulis eadem exhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent. Indulsitque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, Saeculares et Regulares quoscumque quantumvis exemptos, etiam Societatis Iesu, S. Antonii Viennen. et S. Ioannis Hierosolymitani, et reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere ».

« Cum aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coërcere valeat; eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subiectis, intra vel prope quorum Dioecesis limites eorum Ecclesiae vel Monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica Delegatis ad huiusmodi Decretorum observationem praedicti omnino cogantur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1130].

5518.

S. R. C., decr. 27 sept. 1659.

S. R. C., tollendis et eliminandis circa ecclesiasticos ritus qui irrepserunt abusibus, sedulo intenta, post Episcoporum Caeremoniale evulgatum (quo quidquid ad ipsos in Sacris Caeremoniis pertinet, abunde praescripsit): idem quoad inferiores Praelatos, qui Pontificalium usu fruuntur, praestandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur Sacrorum Ritus in omnibus, et praesertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtendentesque, parum obsequi student Decretis pluries ab eadem S. R. C. hac in re evulgatis, aut ipsa ignorare praetexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu, cogere, perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

[1] Cf. N. 5325.

1. « Super Altari, in quo Sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponant Candelabrum ».

2. « Cathedram, seu Sedem fixam et permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantum-modo Pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili Sede seu Cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati con-gruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, aut basilico opere exornato ».

3. « Baldachinum adhibere supra Sedem poterunt non pretiosum aut aureum, sed simplex; et eo, quod Altari superimponitur, materia et opere inferius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur ».

4. « Non abacum alium praeter parvam mensam, et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, Calix, Missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria col-locentur: prope vero mensam eamdem parieti haerens baculus pastoralis aptetur ».

5. « Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi, vel alii in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat: nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicationis Ecclesiae. Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis Defunctorum quocumque die etiam festivo et de praecepto ».

6. « Ad Ecclesiam accedentes, licet pontificaliter Divina peracturi, iis-demque absolutis ab Altari recessuri, a suis Canonicis vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant ».

7. « Praeter duos Sacrificii ministros, Diaconum nempe Evangelii et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, et unicus Presbyter cum pluviali iis assistant. Duo insuper Cappellani, qui de mitra et baculo, ac totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidem-que Tunicellis induti, Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in Sedibus seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis, situ congruo accommodatis moxque illico removendis, consideant ».

8. « Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhi-beant. Sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum pastora-lem albo velo appenso deferant; ab iisque et aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subiectas prorsus abstineant, et neque in Processionibus, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum vel Parochiam ducuntur, insignibus praedictis utantur, vel penes se perferri faciant ».

9. « Regulares rochettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat ».

10. « Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti va-leant; nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui vel benedicti in propriis Eccle-siis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus vel alias benedictis indulto ».

11. « Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi pontificaliter Divinis vacaturi ».

12. « Indulgentias impertiri vel publicare non audeant, absque expresso S. Sedis indulto ».

13. « Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum pontificalibus, necnon Vesperis et Matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno iure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificali-bus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non praesumant ».

14. « Praesente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent ».

15. « Si Episcopus aderit, ipsius Sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior Abbatiali est erigenda: haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolae collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathe-dralis, prope Abbatem Canonici vel Monachi Monasterii Abbatialis Eccle-siae consideant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat; Episcopus propterea trino ductu, et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici vel Monachi Abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur ».

16. « Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti huiusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis ».

17. « In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, nec non in vestitionibus Monialium, et emissione professionis earumdem, etiam pleno iure sibi subiectarum, in benedictione sacrae supellectilis, ceterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemniis ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis quam privatis, quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno iure subiectis mitram, baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione, adhibeant »

18. « Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Eccle-siarum vel Monasteriorum benedicant ».

19. « Reliqua pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio alienae Ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant: puta Campanarum benedictionem, Calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non Minorum Ordinum collationes ».

20. « Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant; sed Episcopis, quibus ius huiusmodi privative competit, omnino dimittant ».

21. « In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Alta-ris ornatum, et benedictionis largitionem, a simplici Sacerdote non discre-pent, ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis

sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altare adhibeant ».

His autem SSmo relatis, et in S. R. C. ordinaria habita coram Sanctitate Sua, per Emum et Rmum D. Card. Brancaccium accurate perlectis, mature discussis: « Sanctitas Sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut, elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes et singulos usu pontificalium gaudentes, cum Saeculares tum Regulares, quantumvis exemptos et speciali expressione indigentes afficiant et arctent, ac si omnibus et singulis eadem exhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent, indulsitque praeterea Locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, praefatos etiam per censuras compellere».

« Cumque nonnulli ex praedictis Abbatibus et Praelatis proprium habere possint territorium iuraque Episcopalia, nullique subdantur Episcopo qui eos coercere, si excesserint, valeat; eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis, si aderunt, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subiectis, intra vel prope quorum Dioecesium limites eorum Ecclesiae vel Monasteria sita fuerint, tamquam a S. Sede delegatis, ad huiusmodi Decretorum observationem praedicti omnino cogantur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1131].

5519.

S. R. C., *Sanctae Severinae*, 22 nov. 1659.

Dominicus Susanna Canonicus Cathedralis S. Severinae declarari petiit: an, attento quod ipse adhuc non reperiatur in sufficienti aetate ad suscipiendum Sacerdotium, sit tamen idoneus et paratus, quamprimum aetatem impleverit, ad suscipiendum Ordinem huiusmodi, sit vel ne praeferendus Canonicis Sacerdotibus posterioris possessionis, cum Praebendae non sint distinctae?

Et S. R. C. respondit: « Quod orator, quousque Sacerdotio carebit, posthabendus est Canonicis Presbyteris etiam posterioris possessionis; at si cum primum licuerit Sacerdotium suscipiet, tunc, nisi consuetudo Ecclesiae (quam eo casu Canonici iuniores probare debebunt) secus non exigat, locum suae possessionis ascendat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1139].

5520.

S. R. C., *Sulmonen.*, 20 dec. 1659.

Ad instantiam Cleri Matricis Ecclesiae loci Palenae Sulmonen. Dioecesis, S. R. C. inhaerendo Decreto alias in similibus edito [1] in Congregatione particulari de ordine s. m. Urbani VIII, eoque annuente, declaravit: « Posse

[1] Cf. N. 5508.

Episcopos poenis sibi benevisis compellere quoscumque Regulares etiam Monachos, et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus, nempe in die Festo SS. Corporis Christi, in Litaniis maioribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis et consuetis, vel pro bono, causa aut honore publico, non obstantibus quibuscumque ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1141].

5521.

S. R. C., *Vratislavien.*, 24 ian. 1660.

Suffraganeus Vratislavien., exposuit, ob eius invaletudinem non posse Ordines conferre et Missae sacrum absolvere: petiitque dispensari, ut inter Missarum solemnia, ab alio Sacerdote peragenda, sedens Ordines conferre valeat.

Et S. R. C. censuit: « Nihil indulgendum fore ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1150].

5522.

S. R. C., declar. 17 apr. 1660.

Allatis ad S. R. C. dubiis circa observationem et intelligentiam Decreti super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando editi die 27 septembris 1659: [1]

1. An ubi indultum fuerit ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat eius imaginem et simulacrum, nec non votivas tabellas super Altari exponere?

2. An § 7. *Dies festi in Beatorum honorem non celebrentur*, extendatur ad Festa devotionis?

3. An indulta recitandi Officium cum octava, vel sine octava, et celebrandi Missam de Beatis fuerint revocata per dictum Decretum?

4. An in Ecclesiis, in quibus Officium et Missa de Beatis recitari ac respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere?

5. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare Officium et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altare Beatis praedictis erigere?

S. R. C. respondit: Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Pariter negative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1156].

[1] Cf. N. 5517.

5523.

S. R. C., *Ariminen.*, 12 iun. 1660.

Guardianus et Fratres Conventuales Ecclesiae S. Francisci loci S. Archangeli Ariminen. Dioecesis S. R. C. exposuerunt, ex certis signis, quae adhuc exstant in eorum Ecclesia, haesitari non posse, quin olim fuerit consecrata, verum ignorari penitus diem actae Consecrationis; propterea supplicarunt assignari diem ad celebranda huiusmodi anniversaria solemnia.

Et S. R. C.: « Modo Vicarius Generalis Episcopi absentis non haesitet de veritate narratorum, eiusdem arbitrio diem in posterum semper retinendam, extra tamen Adventum et Quadragesimam, oratoribus assignari indulgendum » censuit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1161].

5524.

S. R. C., *Boianen.*, 12 iun. 1660.

Episcopus Boianen. S. R. C. exposuit, nonnisi cum scandalo populi totius Regni Neapolitani posse debitae executioni demandari Decretum editum super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando;[1] quamobrem supplicavit, dignaretur S. C. ei praecipere, quid quoad B. Caietanum, apud Neapolitanum populum in magna veneratione universin habitum, connivendum videatur?

Et S. R. C. iussit: « Cum SSmo agi: an quoad praeterita, nempe quoad Altaria iam erecta et imagines Beatorum publicae venerationi hactenus expositas firmandum sit, ne removeantur: praecipiendo stricte Episcopis, ne in futurum nova erigi et exponi permittant, procedentes contra inobedientes etiam exemptos, ut delegati Sedis Apostolicae, vel si de omnibus Beatis haec firmari non placeret, saltem dignaretur Sanctitas Sua declarare, Decretum emanatum non extendi ad Beatos illos, quorum nomina recensentur in Martyrologio Romano, saltem quoad Altaria iam erecta et imagines olim expositas in publicis locis. Delato autem ad SSmum sensu S. C., mandavit: Episcopo Boianen. et aliis huiusmodi petentibus responderi, quod suaviter curent executioni demandare Decretum: et populum, quantum poterit, tum per Confessarios tum per concionatores promoneri faciant, quod S. C. non intendit cultum privatamque populi religionem in B. Caietanum removere, sed potius, ut augeatur, desiderat; at cultum publicum ubique Sanctis Canonizatis praestandum, Beatis fieri communem vetat, alias nulla daretur distinctio inter Sanctos et Beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia Canonizationis procedere quodammodo videretur, si causa huiusmodi effectus novos minime produceret ».

[1] Cf. N. 5517.

Quo vero ad novam provisionem: « Sanctitas Sua dixit maturius procedendum, neque quidquam contra firmatam legem velle firmare ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1162].

5525.

S. R. C., *Camplen.*, 24 iul. 1660.

Capitulum Cathedralis Camplensis S. C. supplicavit, declarare dignaretur, an Canonici Cathedralis ubique sint praeferendi etiam Dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum?

Et S. R. C.: « In sessionibus, stationibus et Processionibus ecclesiasticis, quando capitulariter incedunt, oratores utique praeferendos esse respondit: in reliquis vero actibus privatis, vel alias in quibus uti singuli intersunt ad ritum ecclesiasticum, nullatenus pertinere, ideoque nihil rescribendum esse duxit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1172].

5526.

S. R. C., *Polinianen.*, 11 sept. 1660.

Episcopus Polinianen., qui suis literis S. C. certiorem reddidit se tandem baldachinum Domini temporalis ab Ecclesia Cathedrali amovisse, cum Civitas ad manus creditorum Principis devenerit, sub hasta plus offerenti deliberanda; verum summopere vereri, nisi S. C. approbatio intercedat, imo et prohibitio ne in posterum permittat Ordinarius ut baldachinum huiusmodi erigatur, ne a futuro Domino temporali in pristinum cuncta redigi praesumatur.

Et S. R. C.: « Iussit zelum Episcopi plurimum commendari, et prohiberi in posterum, ne abusus reviviscat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1176].

5527.

S. R. C., *Mediolanen.*, 15 ian. 1661.

Ad preces Comitis Ferrantis Cavenago S. R. C. declaravit: « Dño loci permitti posse Sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem et extra Presbyterium: eidemque pacem cum Instrumento, et thurificationem duobus ictibus post Rectorem Ecclesiae etiam simplicis parochialis, per Cappellanum cotta indutum, non tamen per ministros Sacrificii sacris amictos praestari debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1187].

5528.

S. R. C., *Urbis*, 12 mart. 1661.

Sacerdos deputatus a Vicario ad conficiendum turnum Orationis quadraginta horarum in Urbe, petiit: an Feria VI in Parasceve sit prosequenda huiusmodi Oratio cum expositione SSmi, an vero abstinendum?

Et S. R. C. mandavit: « Omnino cessandum a mane Feriae V usque ad mane Sabbati Sancti ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1190].

5529.

S. R. C., *Bituntina*, 2 iul. 1661.

Proposito dubio in S. R. C. an in Cappella Palatii Episcopalis, absente Episcopo, Missa celebrari possit et praesertim a Vicario Generali?

S. R. C., praehabita matura discussione, decrevit: « In Cappella Palatii Episcopalis, etiam absente Episcopo vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium; nec non diebus Festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1196].

5530.

S. R. C., *Farfen.*, 3 sept. 1661.

Aliqui Sacerdotes Doctoratus laurea insigniti S. C. supplicarunt, declarare dignaretur: an Sacerdotibus Doctoribus debeatur praecedentia supra Presbyteros etiam anteriores ordine, non Doctores?

Et S. R. C. censuit: « Emo Abbati significandum servari Decreta S. C.,[1] quibus alias firmatum fuit, nullam vim fieri posse in Doctoratu inter Presbyteros, cum Sacerdotis regalis dignitas absorbeat quoscumque gradus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1211].

5531.

S. R. C., *Castellaneten.*, 1 oct. 1661.

Exposuit Episcopus Castellaneten. in sua Cathedrali Canonicos et reliquos Praebendatos eiusdem, etiam in Quadragesima, concionibus interesse consuevisse sine habitu chorali, et mixtim cum laicis stantes vel sedentes in scamnis communibus: propterea supplicavit provideri, ut, qua decentia fas est, in posterum concionibus iidem, quatenus adesse velint, induti chorali habitu ordinatim in proprio scamno consideant.

[1] Cf. N. 5287.

Et S. R. C. mandavit: « Ut in futurum Canonici et Praebendati reliqui Cathedralis Ecclesiae vel Collegiatae, si inibi conciones habeantur, interfuturi assistant, ordine sedentes, in proprio ac decenti scamno cum habitu chorali sub poenis Episcopo benevisis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1217].

5532.

S. R. C., 3 iun. 1662.

Petitum fuit a S. R. C. declarari: 1. An Episcopus possit statuere diem Dominicam ad celebrandum Festum alicuius S. Martyris, de quo asservetur Reliquia insignis in Ecclesia.

2. An Tibia sit Reliquia insignis?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Negative, imo neque posse de eo celebrari Officium et Missam in die ipsa martyrii vel obitus, nisi Reliquia sit de Sancto descripto in Martyrologio Romano, et constet de identitate Reliquiae eiusdem Sancti ».

Ad 2. pariter, « Negative, iuxta Rubricas in Missali et Breviario Romano impressas ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1234].

5533.

S. R. C., *S. Miniati*, 3 iun. 1662.

Exposuerunt Canonici Cathedralis Ecclesiae S. Miniati quindecim ab hinc annis inter ipsos laudabiliter ad praescriptum Sacrae Tridentinae Synodi, sess. 24, cap. 11, inductam esse distinctionem Praebendarum, adhuc tamen haesitationem in aliquibus vigere: an Canonici obtinentes Praebendas Diaconales et Subdiaconales, quos contingat a Sacro Presbyteratus ordine reperiri, ratione Presbyteratus, quem tamen eorum praebenda non exigit, quandoquidem sint anteriores possessione, videantur praeferendi Canonicis iunioribus, dignioris tamen Praebendae?

Et S. R. C. respondit: « Attendendam esse distinctionem Praebendarum, et iuniores Canonicos Praebendas Presbyterales obtinentes, Canonicis Diaconali vel Subdiaconali Praebenda gaudentibus, etiam possessione anterioribus, praeferendos esse ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1237].

5534.

S. R. C., decr. 5 aug. 1662.

Cum SSmus D. N. in Visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas privatas pro defunctis etiam in Festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani eumdemque abusum Decreto Congregationis eliminari praeceperit, inno-

tuerit vero S. R. C. huiusmodi abusum, etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus, inductum pariter reperiri; ut Missalis Rubricae inviolatae serventur,

Eadem S. R. C.: « Districte praecipit omnibus et singulis Sacerdotibus, tam Saecularibus quam Regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant vel praesumant. Quod si ex Benefactorum praescripto Missae huiusmodi celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, iuxta mentem eorum Benefactorum: curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristae aliique, ad quos pertinet, ut huiusmodi Decretum inviolate servetur, et in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici ac legi possit. In eos autem qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum Saeculares tum Regulares, pro modo culpae, animadvertant ». Die 5 augusti 1662.

Et facta de praedictis SSmo relatione, Sanctitas Sua annuit, et cum applicatione Sacrificii satisfieri ac Benefactorum mentem impleri voluit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1238].

5535.

S. R. C., *Leodien.*, 2 sept. 1662.

Instantibus Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae B. M. V. Oppidi Tongrensis Dioecesis Leodien., S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declaravit: « Canonicos Regulares S. Augustini eiusdem Oppidi in Processionibus deferre debere praecedentiam Clero Saeculari, [1] eosque teneri accedere ad Processiones SS. Corporis Christi, S. Marci, Rogationum, ac ad quascumque alias publicas et consuetas, vel pro bono, causa aut honore publico ab Episcopo indictas, nisi aliter iis ab Apostolica Sede expresse indultum fuerit, vel iidem ultra medium milliare ab Oppido praedicto distent. Et ad haec implenda ab Ordinario poenis sibi benevisis cogi posse ». [2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1244].

5536.

S. R. C., *Neritonen.*, 20 nov. 1662.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An Capitulum possit admittere ad participationem distributionum quotidianarum Dignitatem, seu Canonicum participantem, qui in Choro, sive ceteris functionibus Ecclesiasticis inserviat indutus habitu Protonotarii?

[1] Cf. N. 5171, 5174, 5261, 5271, 5285, 5507.
[2] Cf. N. 5508, 5520.

Et S. R. C. respondit: « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1246].

5537.

S. R. C., *Montis Regalis*, 17 mart. 1663.

Capitulum et Canonici Collegiatae Oppidi Benarum supplicarunt S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An, cum in dicto loco auctoritate Apostolica erecta sit nova Collegiata de bonis patrimonialibus sine cura animarum, in die Corporis Christi deducenda sit Processio et SS. Sacramentum de Ecclesia ipsius Collegiatae, vel de Parochiali, uti prius?

2. An delatio SS. Sacramenti in dicta die spectet ad Parochum Matricis vel potius ad Dignitatem Collegiatae; et, eo absente, ad antiquiorem Canonicum? [1]

3. An in Festo S. Marci Evangelistae et triduo Rogationum Parochus Matricis una cum suis Clericis convenire debeat in Collegiatam Ecclesiam, ut ex illa deducentur Processiones illis diebus faciendae; vel potius teneatur Capitulum illas facere separatim ab ipso Parocho?

4. An spectet ad primam Dignitatem et, ea absente, ad digniorem de Capitulo, vel potius ad Parochum, in cuius districtu dicta Collegiata posita est, administrare Sacramenta Canonicis eiusdem Collegiatae, illorumque funus ducere et Officium facere circa illud, dum defertur ad sepeliendum?

Et S. R. C., referente D. Servantio, respondit, ut infra:

Ad 1. « De Ecclesia parochiali matrici ».

Ad 2. « Ad Parochum ».

Ad 3. « Convenire debent ad Ecclesiam parochialem matricem, cum ius benedicendi sit apud Parochum ».

Ad 4. « Ad Parochum, nisi secus in casibus omnibus praedictis provisum sit a Sede Apostolica in erectione Collegiatae, et nisi Collegiata gaudeat aliquo privilegio Apostolico ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1255].

5538.

S. R. C., *Rheginen.*, 17 mart. 1663.

Episcopus Boriae postulavit a S. R. C. tria infrascripta declarari.

1. An Metropolitano pro temporalibus negotiis accedenti ad suam Dioecesim liceat attollere Crucem et gestare mozzettam?

2. An possit prohibere Episcopum, ipso praesente, ab usu Mozzettae?

[1] E. Dub. 3.

3. An possit erigere idem Metropolitanus in propria domo Altare ad tempus?

Et S. R. C. declaravit: « Tria supradicta licite fieri posse a Metropolitano ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1256].

5539.

S. R. C., *Ariminen.*, 16 iun. 1663.

Curati et Beneficiati Ariminen. exposuerunt S. R. C., Episcopum Urbaniae occasione visitationis decrevisse, quod vasa Olei sancti, quae asservabantur in cornu Epistolae, deinceps in cornu Evangelii servari deberent: et ulterius omnia diademata SSmis Crucifixis amovenda essent. Modo praedicti Curati eidem S. C. supplicarunt, declarari, quid agendum;

Et S. R. C. respondit: « Quoad vasa Olei sancti serventur in loco decenti, sive in cornu Epistolae sive in cornu Evangelii. Quoad diademata, scribi Vicario pro informatione, et interim supersederi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1260].

5540.

S. R: C., *Melphitana*, 4 aug. 1663.

Vicarius Generalis Melphitanus S. R. C. supplicavit infrascripta declarari:

1. Ubi sedere debeat Vicarius quando assistit in Choro, et an occupare possit Sedem Dignitatum?

2. An liceat illi habere tapetum vel suppedaneum parvum sub Sede ex corio, stante quod Canonici et Dignitates sedent in Choro supra Vicarium per tres palmos elevato?

Et S. R. C. respondit:

Quoad 1. « Non posse Vicarium occupare stallum Dignitatis, sed addendum sedile in Choro, et primum locum dandum Vicario ».

Quoad 2. « Servari consuetudinem ». Et ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1277].

5541.

S. R. C., *Pisauren.*, 15 mart. 1664.

Episcopus Pisauren. institit super declaratione: an Amictus, Albae et Tobaleae Altarium, necnon Pallae et Corporalia confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant *Mussulo;*

S. R. C. respondit: « Lectum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1287].

5542.

S. R: C., *Caven.*, 24 maii 1664.

Episcopus Caven. institit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An liceat Episcopo in quacumque Ecclesia etiam Regularium suae Dioecesis erigere baldachinum, praesertim quando personaliter interest functionibus Ecclesiasticis; sive dum habetur sacra concio, illud erigi facere e regione pulpiti tamquam in loco digniori?

2. An permitti debeat quod Canonicus suae Cathedralis, qui officium magistri Caeremoniarum pro tempore exercet, associet Acolythum, quando in Missa solemni seu in Vesperis accedit ad incensandum Magistratum saecularem videlicet Syndicos, Electos, Gubernatorem, aliosque Officiales ipsius inibi collegialiter assistentes?

Et S. R. C. declaravit:

Quoad 1. « Licere ».

Quoad 2. « Tenetur associare ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1290]

5543.

S. R. C., *Calaguritana*, 24 maii 1664.

Cum in Civitate Vianae Dioeces. Calaguritanae, quae caput est Principatus Regni Navarrae, duo extent insignes Ecclesiae parochiales insimul unitae, et unum Monasterium Fratrum S. Francisci de Observantia a 24 annis circiter fundatum; spatio dictorum annorum plures fuerunt diversis vicibus suscitatae lites et controversiae inter Parochos et Beneficiatos dictarum Parochialium, atque Guardianum et Fratres dicti Monasterii, tam super Processionibus, quae per dictos Regulares fiunt extra ambitum et claustrum sui Conventus, sine licentia et permissione Parochorum; quam etiam super modo et forma servanda per dictos Regulares in associatione et tumulatione cadaverum. Quapropter, ne in posterum novae suscitentur discordiae et dissensiones, occasione praemissorum, sed inter dictos Parochos et Regulares quies et perpetua pax servanda sit, pro parte dictorum Parochorum et Beneficiatorum Ecclesiarum parochialium Civitatis Vianae supplicatum fuit S. R. C. pro declaratione, seu resolutione infrascriptorum dubiorum:

1. An liceat Regularibus S. Francisci Civitatis Vianae facere Processiones extra ambitum et claustrum proprii Conventus cum Cruce elevata aliisque Insignibus, eundo per Parochias dictae Civitatis et territorium illarum, invitis et contradicentibus Parochis?

4. An praefati Regulares quoties intersunt Processionibus, quae fieri solent pro aliqua necessitate, vel publica causa, teneantur accedere ad Ecclesias parochiales, et una cum Clero ab Ecclesiis discedere, et expectare donec

terminatae sint functiones ecclesiasticae dictarum Processionum; et an in dictis Processionibus et Functionibus debeant incedere capite discooperto, prout faciunt Beneficiati et Clerici dictarum Parochialium iuxta dispositionem Ritualis Romani?

10. An liceat dictis Regularibus seu Religiosis in die Sabbati Sancti pulsare Campanas, antequam pulsentur Campanae Ecclesiarum parochialium?

11. An dicti Religiosi debeant se abstinere a pulsatione Campanarum tempore concionis, quae fieri solet in Ecclesia parochiali S. Mariae dictae Civitatis, attenta vicinitate utriusque Ecclesiae?

Et S. R. C. respondens, praefata dubia ita resolvit et declaravit:

Ad 1. « Non licere absque consensu Parochorum ».

Ad 4. « Teneri accedere ad Parochialem, et intus expectare; et non discedere antequam sit terminata Processio, et extra Ecclesiam incedere capite cooperto, dummodo non deferatur Sanctissimum Sacramentum ».

Ad 10. « Non licere ante pulsum Campanae matricis Ecclesiae.

Ad 11. « Vetitum non reperitur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1291].

5544.

S. R. C., *Dalmatiarum*, 12 iul. 1664.

Supplicante S. R. C. Episcopo Curzolae, ad tollendas controversias inter infra dicendos pro declaratione: an praecedentia tam in sedendo quam in Processione debeatur Curatis Villarum, qui sunt Presbyteri Saeculares, vel potius Guardiano Fratrum S. Francisci Minorum Observantium et Priori Ordinis S. Dominici, quando insimul omnes conveniunt in consecratione Olei sancti per ipsum Episcopum facienda;

S. R. C. declaravit: « Deberi Sacerdotibus Saecularibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1294].

5545.

S. R. C., *Syren.*, 12 iul. 1664.

Cum Episcopus Syren. in Arcipelago transmiserit ad S. C. de Propaganda Fide infrascriptos ordines, praecepta, seu edicta prohibitoria per ipsum facta et publicata contra Fratres Capuccinos, scilicet:

1. Ne Capuccini faciant amplius Processiones ab eis per Civitatem, secunda Dominica cuiuslibet mensis fieri solitas: neve amplius, sub poena peccati mortalis, utantur opera et servitio saecularium in Choro et Sacristia: neve aliquem in posterum induere possint veste coloris nigri et bireto pro servitio in Divinis.

2. Ne exponant SSm̃um diebus Dominicis, cum sit praeiudiciale Confraternitati eiusdem Sanctissimi erectae in Ecclesia, ubi Sanctissimum solemniter conservatur.

3. Ne utantur pluviali.

4. Ne amplius in posterum recitent Litanias per eos recitari solitas non approbatas, donec exhibeatur licentia S. R. C.

5. Ne accedant domibus eius dioecesanorum et subditorum cum Stola et Crucifixo et Rituali a Romano diverso.

Per Illm̃um et Rm̃um Albitium dictae S. C. de Propaganda Fide Secretarium fuerunt transmissa ad S. R. C. cum de re ad eam spectante agatur.

Et S. R. C., consideratis ac etiam mature perpensis replicationibus Capuccinorum per eumdem Episcopum transmissis, decrevit: « Ut ipsi Capuccini pareant Episcopo in omnibus: ideoque ad observantiam omnium praedictorum per eumdem Episcopum, etiam auctoritate S. C., sub censuris aliisque poenis cogi et compelli posse atque debere » iussit et mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1296].

5546.

S. R. C., *Montis Regalis*, 12 iul. 1664.

Capitulum et Canonici Collegiatae Senarum Montis Regalis Dioeces. Provinciae Taurinen., ad tollendas ulteriores controversias cum Archipresbytero eiusdem loci, instituerunt apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. An Processiones pro Litaniis maioribus, Rogationum, occasione Iubilaei, necnon pro pace, pluvia vel serenitate petenda, inter generales censeri debeant?

2. An Parochus matricis Ecclesiae possit ad suum libitum inchoare generales Processiones, non expectatis Canonicis Collegiatae, vel potius eligenda sit competens hora, videlicet, ut post decantatum Matutinum, vel immediate ante Missam capitularem, sive post illam decantatam?

3. An generalibus Processionibus praedictis Parochus interesse debeat personaliter, et non per substitutum, maxime dum Capitulum Collegiatae eisdem interfuerit?

4. An Decreta alias per dictam S. C. emanata, quod Capitulum Collegiatae in omnibus sit praeferendum Archipresbytero matricis Ecclesiae, quamvis archipresbyteralis Ecclesia sit unica parochialis, et Collegiata animarum cura penitus careat; et quod cum Capitulum ab haeredibus invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam Saeculares quam Regulares convenire in Ecclesia Collegiata, et sub unica Cruce Capituli incedere; debeant servari etiam in Processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam cum Cruce Parochi, et nullum afferri potest praeiudicium iuribus parochialibus et Parochi; et quis debeat facere functiones benedicendi campos, et maledicendi animalia, et a quo debeat praescribi et intimari hora huiusmodi Processionum?

5. An dum Capitulum fuerit invitatum ad funus, et illud renuat Paro-

chus levare, possit idem Capitulum ab haeredibus requisitum illud levare, praevia tamen protestatione Parochi facienda?

6. An Officium faciendum in Ecclesia Collegiata, super corpus ad eamdem delatum pro sepultura, spectet ad Parochum, vel potius ad Dignitatem Collegiatae?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Non posse, sed spectare ad Collegiatam Ecclesiam; et indicenda est hora conveniens ».

Ad 3. « Dum non obstet legitimum impedimentum, debet personaliter interesse ».

Ad 4. « Affirmative, et functiones benedicendi spectare ad Parochum, et hora debet praescribi et intimari a prima Dignitate Collegiatae ».

Ad 5. « Posse, requisito et expectato Parocho nolente venire ».

Ad 6. « Ad Dignitatem Collegiatae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1297].

5547.

S. R. C., *Asculana*, 30 aug. 1664.

Ad terminandas controversias inter Capitulum et Canonicos ex una, et Gregorium Pesci Archidiaconum Cathedralis et Vicarium Generalem partibus ex altera, S. R. C., utraque parte plene informante, ad infrascriptas declarationes devenit:

1. « Confirmavit Decretum editum die 15 martii proxime praeteriti non licere Canonicis occupare Sedem Archidiaconi celebrantis ».

2. « Capitulum et Canonicos, quando in Processionibus deferuntur Reliquiae ad Ecclesias Regularium, terminata functione ac data benedictione per illas deferentem, teneri et cogendos esse expectare ipsum deferentem, donec sibi mutaverit habitum, et in casu proposito Archidiaconum quando ab eo deferuntur, asserta consuetudine in contrarium allegata non obstante ».

3. « Dictum Archidiaconum, licet etiam Vicarium, quando intervenit in Choro cum habitu Protonotarii, non gaudere distributionibus quotidianis ».

4. « Ius deferendi Reliquias S. Crucis et Spinae, inter ipsum Archidiaconum et Decanum Canonicorum, spectare ad digniorem in casu proposito ».

5. « Absolutionem mortuorum, ibi fieri solitam qualibet Feria secunda non impedita, spectare ad Archidiaconum, non autem ad Canonicum antiquiorem; dictoque Archidiacono impedito, ad digniorem ».

6. « Invocationem seu Orationem Spiritus Sancti, quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem ».

8. « Archidiaconum, licet etiam Vicarium, non posse abstinere se a Choro et gaudere distributionibus quotidianis ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1299].

[1] E num. 9.

5548.

S. R. C., *Labacen.*, 21 mart. 1665.

Propositum fuit dubium in S. R. C., an, Episcopo Labacensi in pontificalibus celebrante extra Ecclesiam Cathedralem, in Civitate tamen et suburbiis, teneantur Canonici eiusdem Cathedralis illi inservire et ministrare, tam in Missa quam in aliis functionibus episcopalibus solemnibus. Necnon cum Canonici dictae Cathedralis non sint nisi quatuor et duae Dignitates, et multoties accidat quod unus vel alter absit causa infirmitatis vel alia licita, in eo casu repugant Canonici simul cum aliis Sacerdotibus non Canonicis, qui in supplementum assumuntur, Episcopo pontificaliter celebranti inservire et ministrare; praetendentes quod Episcopus teneatur totum numerum ministrorum necessariorum assumere ex dictis Sacerdotibus non Canonicis, quodque ipsi Canonici assistere tantum debeant penes Episcopum in habitu Canonicali.

S. R. C. declaravit: « Dictos Canonicos teneri ad inserviendum et ministrandum Episcopo pontificaliter celebranti una cum Sacerdotibus non Canonicis, et Episcopum posse ad id eos compellere ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1312].

5549.

S. R. C., *Labacen.*, 31 iul. 1665.

S. R. C., auditis Capitulo et Canonicis super resolutis, die 21 martii prox. praet., ad instantiam Episcopi, censuit: « Standum esse in decisis quoad assumptionem Ministrorum et Sacerdotum non Canonicorum, prout in Decreto dicta die emanato, ad quod etc. Quo vero ad assistentiam extra Cathedralem, stante parvo numero Canonicorum, in casu de quo agitur, declaravit: Non licere cogere Canonicos ad assistentiam ». [2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1318].

5550.

S. R. C., *Martoranen.*, 31 iul. 1665.

S. R. C. declaravit: « Ius porrigendi et dandi aspersorium Episcopo accedenti ad Cathedralem privative in omnibus functionibus spectare ad digniorem de Capitulo non autem ad Vicarium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1319].

[1] Cf. N. 5549.
[2] Cf. N. 5548.

5551.

S. R. C., *Urbis*, 19 sept. 1665.

Supplicatum fuit per S. R. C. infrascriptis dubiis responderi:

1. An consecrari possit Ecclesia, quae non potest circumdari tota ab extra per Episcopum?

2. An consecrari possit quamvis non consecretur Altare maius, et an loco illius possit consecrari aliud?

3. An transferri possit dies Consecrationis propter Anniversarium in aliam diem, diversam ab illa in qua facta fuit Consecratio?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Potest consecrari, et circumdari per illas partes in quibus est aditus ».

Ad 2. « Debet cum ipsa omnino consecrari Altare maius, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in Ecclesia, sufficit: alia vero sunt accessoria, pro quibus datur Consecratio distincta, sine Ecclesiae Consecratione ».

Ad 3. « Potest transferri, dummodo sit deputatus dies Anniversarii ab Episcopo in actu Consecrationis Ecclesiae ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1321].

5552.

S. R. C., *Nullius Dioecesis et Provinciae Treviren.*, 31 iul. 1665.

Una pars Capituli et Canonicorum Collegiatae S. Diodati Lorenae Provinciae Treviren. exhibuit in S. R. C. supplicem libellum; quo circa Eadem S. R. C. ad removendos abusus caeremoniarum contra formam Ritus Romani, et tollendas controversias, quae inter ipsos Canonicos quotidie oriuntur, utque omnia reducantur ad formam Ritus S. Romanae Ecclesiae, declaravit, ut infra:

1. « Ad Missam thurificari tantum debet Altare, in quo cantatur Missa. Ad Vesperas vero Altare ubi asservatur SSmum Sacramentum, et Altare Chorale coram quo decantantur Vesperae, nisi esset idem in quo SS. Sacramentum asservatur, quia in hoc casu unum hoc Altare tantum thurificari debet; in utroque tamen Altari debent esse luminaria et Crux ».

5. « Missa, et praecipue Conventualis quoad fieri potest, concordare debet cum Officio, et licet Rubricae aliquando admittant votivas pro Conventuali, ut Titulo IV, de Missis votivis, numero 3, in Missali Romano, non tamen admitti debent Anniversaria ex obligatione; sed Canonici eo die tenentur ad duas Missas, Conventualem scilicet ex cap. *Cum Creatura*, de celebratione Miss., et Anniversarium ex obligatione stipendii ». [1]

[1] E. num. 6.

15. « Non sunt admittenda neque recitanda alia Officia, quam approbata a S. Sede Apostolica; alia omnia sunt reiicienda ».

16. « In Litaniis non possunt invocari nomina, et in Martyrologio non debent annuntiari Festa, nisi illorum Sanctorum qui in ipsis descripti reperiuntur ».

17. « Usum oblationum in Missis temporibus nostris non habet Ecclesia Romana, nisi in Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, Ordinationibus, et similibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1322].

5553.

S. R. C., *Florentina*, 19 dec. 1665.

S. R. C., ad preces Laurentii Vanni Praepositi S. Ioannis Florentiae, declaravit: « Tam actum baptizandi quam alias functiones praeparatorias pro baptizandis Turcis et aliis ad fidem venientibus, esse faciendas per eumdem Sacerdotem baptizantem, et in casu per ipsum Praepositum, prout in Rituali disponitur et usque adhuc servatum fuit, neque a solito recedendum esse censuit ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1325].

5554.

S. R. C., *Ragusina*, 13 febr. 1666.

S. R. C. censuit: « Expositionem SSmi in Ecclesiis Regularium dictae Civitatis Ragusae, ad tollendum in posterum absurda et scandala, quae propter frequentem illius expositionem oriri expositum fuit, esse faciendam et regulandam arbitrio Archiepiscopi, tam quoad causas exponendi quam etiam quoad locum, horas et assistentiam, ad illius securitatem et decentiam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1329].

5555.

S. R. C., *Ordinis Minorum*, 13 febr. 1666.

Quum post Decretum revisionis et approbationis Rubricarum Fratrum Minorum a Sacra Congregatione Rituum editum die 13 februarii 1666, ad calcem earumdem Rubricarum quaedam subiiciantur regulae, quae et generales sunt, et exhibent velut compendium plurium Resolutionum dictae S. Congr.; hinc regulae ipsae hic adnotantur prout sub enunciata die in Regesto habentur.

Notanda Quaedam Generalia ad Missale Fratrum Minorum.

1. In Ecclesiis, ubi Titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duae Missae: una de die post Tertiam, alia de Festo (quum nullam habeat cum Officio connexionem) post Nonam, excepta Dominica I Adventus, Feria IV Cinerum, Dominica I Quadragesimae, Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis Domini, et Festo Corporis Christi; aut saltem debet commemoratio de Festo fieri. In fine vero praedictarum Missarum legitur Evangelium Sancti Ioannis, et non aliud Feriae vel Festi occurrentis, cum de eo non debeat celebrari Officium illa die.

6. Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia illorum Ecclesiae non sunt Collegiatae, sed appellantur proprie Conventuales ab Innocentio IV in Bulla eiusdem VII Bullarii, et in Clementina I, de celebrat. Missarum. Ex Conc. Viennensi distinguuntur Ecclesiae Regulares a Cathedralibus et Collegiatis, quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus Missis. Gavant., part. 3, tit. 11, num. 12.

7. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio XL horarum vel spiritualium exercitiorum, cantari debet Missa unica de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra octavam eiusdem festi casus accideret), et tempore Paschali addendum erit *Alleluia*, ut fit in aliis votivis Missis.

8. Dicitur tunc una tantum Oratio cum *Gloria*, *Credo* et Praefatio de Nativitate, quia solet esse publica causa; non autem privatis Missis haec conveniunt. [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1331, 1332].

5556.

S. R. C., *Decreta ad Missale pertinentia*, 13 febr. 1666.

1. In Altari privilegiato certis tantum diebus, si in eis incidat Festum duplex de praecepto, non potest dici Missa de Requiem.

2. In diebus Festis, praesente corpore, celebrari potest Missa solemnis de Requiem, non privatae.

3. In Festis duplicibus non possunt amplius celebrari Missae privatae pro defunctis. [2]

4. Hymnus angelicus Symbolumque non dicuntur in votiva solemni, in qua paramenta violacea adhibentur.

5. In eo Altari, sub quo vel sub cuius *predela* humata sunt corpora defunctorum, non debet celebrari Missa, donec alio transferantur.

[1] E. num. 9.
[2] E. Dub. 4 et 5.

6. In Oratione *A cunctis* nomen S. Michaelis seu S. Ioannis Baptistae, Patroni vel Titularis, ponitur ante Apostolos.

7. In fine Missae, ad quodcumque Altare celebratae, fit reverentia Cruci infra gradus, capite discooperto.

8. *Communicantes* de Ascensione non omittitur in Festis I et II classis, quae occurrunt infra octavam Ascensionis, licet de ea non fiat commemoratio.

9. In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium.

10. Solis Episcopis licet sumere paramenta de Altari.

11. In Parasceve immittitur particula in Calice sine Crucis signo.

12. Qui benedicit candelas, cineres, ramos, debet etiam cantare Missam sequentem.

13. Celebrans qui distribuit candelas, cineres et palmas, detecto capite distribuat.

14. Insignis Reliquia Sancti, ratione cuius dici queat *Credo* in Missa, ea est, ratione cuius duplex Officium recitari potest, scilicet de Sancto cuius habetur caput, brachium, crus, quibus S. R. C. die 8 aprilis 1628, [1] tamquam insignem reliquiam addit eam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva. Quod si Corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Missa recitari debet.

15. In Missis Beatorum Ordinis Minorum nondum canonizatorum quae sub ritu dupl. mai. per annum aut ritu inferiori celebrantur, non dicitur *Credo*.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1333].

5557.

S. R. C., *Decreta quae ad Officium attinent*, 13 febr. 1666.

1. Non est relinquendum Officium Breviarii pro Officio devotionis.

2. Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod in loco sit eius nomine Ecclesia vel Reliquia, nisi in proprio Titulo Ecclesiae vel ubi est Reliquia.

3. Conceditur Officium dupl. min. pro Reliquia insigni et adprobata. Reliquia insignis est corpus, caput, brachium, crus, et pars in qua passus est Martyr, dummodo sit integra. [2]

4. Moniales ne dicant in *Confiteor*, ad Primam et Completorium: *tibi Mater*, *vobis Sorores:* sed ut in Breviario.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1334].

[1] Cf. N. 5302.
[2] E. Dub. 4.

5558.

S. R. C., *Volaterrana*, 10 apr. 1666.

Institum fuit a S. R. C. declarari:

1. An Praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Geminiani Volaterranae Dioecesis, qui est Protonotarius, liceat praecedere Canonicis paratis, ac etiam Celebranti, interessendo divinis Officiis?

2. An eidem Praeposito liceat sedere in Choro in Sede eminenti assignata pro Episcopo?

3. An possit tamquam Protonotarius incedere cum rochetto detecto cum sola mozzetta ad instar Episcopi?

4. An deceat eidem Praeposito solemniter celebrare cum assistente pluviali parato, contra Constitutiones Synodales?

5. An frui possit distributionibus, incedendo cum habitu Protonotarii in Choro?

Et S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, [1] respondit: « In omnibus non licere, dummodo tamen idem Praepositus non doceat de indulto particulari ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1337].

5559.

S. R. C., *Montis Politiani*, 18 sept. 1666.

S. R. C. ad preces Canonicorum et Capituli Montis Politiani declaravit: « Fratribus Minor. Observant. Reformat. S. Francisci non licere sine licentia Ordinarii portare processionaliter Crucem, illamque benedicere et plantare extra eorum claustrum, etiam in fundo et re propria, neque benedicere habitus Sacerdotales Clericorum et personarum non subiectarum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1340].

5560.

S. R. C., *Arboren.*, 18 sept. 1666.

Pro parte Archiepiscopi Arboren. pro bono suae Dioecesis gubernio porrecta fuerunt in S. R. C. infrascripta dubia declaranda: [2]

1. Cum Caeremoniale Episcoporum, lib. 1, cap. 4, § 1, disponat ut Archiepiscopus per suae iurisdictionis loca iter faciens faciat ante se deferre Crucem, quaeritur: an id intelligendum sit quando solum ad Ecclesiam pergit functiones sacras peracturus, vel per Provinciam suam transit Ecclesias visitaturus, an etiam quando aliis quibuscumque de causis per praefata loca iter habet?

2. An vi Caeremonialis Episcoporum, lib. 2, cap. 26, n. 2, Feria VI in Parasceve abstinere debeat Episcopus a danda benedictione et a manu ad osculandum praebenda, tempore tantum divinorum Officiorum, an per totam diem?

3. An ab iisdem benedictionibus dandis, osculisque recipiendis abstinere debeat Episcopus in Choro per integrum triduum maioris Hebdomadae?

S. R. C., facta relatione per D. Servantium, respondit:

Ad 1. « Ubique, quando Archiepiscopo placebit, dummodo non sit in curru ».

Ad 2. « Per totam diem ».

Ad 3. « In Feria VI in Parasceve tantum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1342].

[1] Cf. N. 5307, 5253, 5450, 5536, 5547.
[2] E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 11 et 12.

5561.

S. R. C., decr. gen. 1 dec. 1666.

SS. D. N. Alexander PP. VII, ad tollenda quamplurima dubia in diversis mundi partibus orta, et in S. R. C. deducta, occasione Decreti eiusdem S. C. sub die 5 augusti 1662 editi, [1] et per Sanctitatem Suam approbati, de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus: approbando in primis aliud Decretum eiusdem S. C. editum in una *Novarien.*, die 22 novembris 1664, [2] quo declaratum fuit: « Anniversaria et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici maiori contingentis, posse celebrari, et non comprehendi in dicto Decreto ». Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandae sunt Missae de Requiem ex obligatione; declaravit: « Per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de Requie ad formam Privilegiorum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1343].

5562.

S. R. C., *Mantuana*, 15 ian. 1667.

Proposita in S. R. C. controversia inter Patres Coelestinos S. Christophori ex una, et Patres Camaldulenses S. Marci Civitatis Mantuae partibus ex altera, super praecedentia inter ipsos in Processionibus et aliis ecclesiasticis functionibus, audita relatione Episcopi, aliisque a partibus hinc inde plene informantibus deductis bene perpensis;

[1] Cf. N. 5534.
[2] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1307.

Em̃i S. R. C. praepositi iudicarunt: « Praecedentiam deberi Patribus Coelestinis tamquam antiquioribus in loco, ad formam Constitutionis Gregorii XIII, [1] non obstante allegata per Camaldulenses (sed non bene probata) possessione praecedendi, et quod in Monasterio seu Hospitio Humiliatorum olim in dicta Civitate degentium dictisque Coelestinis antiquiorum in dicto loco se successisse praetenderint; et proinde dictam Constitutionem Gregorii XIII ad favorem ipsorum Coelestinorum servandam esse », prout servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1344].

5563.

S. R. C., *Romana*, 15 ian. 1667.

S. R. C.: « Servandum esse censuit Rituale Romanum pro asportandis cadaveribus a Carceribus novis ad Ecclesiam parochialem S. Blasii, ut dicitur *della Pagnotta*, tam quoad tempus quam quoad modum, omniaque alia in dicto Rituali disposita ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1346].

5564.

S. R. C., *Civitatis Conchen.*, 13 aug. 1667.

S. R. C. ad preces Magistri Caeremoniarum Cathedralis Conchen. declaravit:

1. « Servandas esse Rubricas Missalis Romani circa celebrationem Missarum in Feria II Rogationum ».
2. « SSm̃um Sacramentum pro Communione fidelium retinendum esse, etiam durante Processione Corporis Christi, reclusum in suo Tabernaculo ».
3. « Cum cantatur Missa votiva pro re gravi de aliquo Sancto, semper dici debet *Gloria* et *Credo*, et uti colore, quo utitur in Festo, cuius Missa cantatur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1357].

5565.

S. R. C., *Pharen.*, 10 sept. 1667.

S. R. C. declaravit: « Nemini tam Saeculari, quam Regulari, etiam in eorum propriis Ecclesiis, licere concionare, ipso Episcopo actu concionante. Et quoad praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter Presbyteros simplices et Canonicos ratione paramentorum, deberi Paratis ». Et ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1360].

[1] Cf. N. 151.

5566.

S. R. C., *Mediolanen.*, 5 nov. 1667.

Ex relatione Ecclesiae Mediolanensis exhibita in S. C. Concilii occasione Visitationis sacrorum liminum, transmissa fuerunt S. R. C. infrascripta dubia pro declaratione:

1. Quae obsequia Baronibus, Feudatariis, locorum Dominis, Gubernatoribus Castrorum, et aliis huiusmodi personis, ecclesiasticis functionibus assistentibus, debeantur?

4. An Regulares in executionem Decreti ipsius S. C. teneantur atque cogi et compelli possint accedere ad Processiones Corporis Christi, Rogationum, quae vocantur Litaniae Maiores, et ad eas quae pro serenitate aut pluvia impetranda fieri solent, nec non ad alias quascumque pro bono publico aut honore indictas; et demum ad illam, iussu Em̃i Archiepiscopi indictam in expositione et repositione SSm̃i pro Oratione quadraginta horarum in Ecclesia Metropolitana, pro conservatione Caroli II Hispaniarum Regis, ad quam Cassinenses accedere consulto recusarunt, allegantes, ne viderentur obedire mandatis Archiepiscopi?

7. An in Processionibus tum SSm̃i Sacramenti in die Solemnitatis Corporis Christi eiusque octava, tum aliarum Confraternitatum Rosarii, de Carmelo, Cordigerorum, aliisque huiusmodi, permittendum sit ut pueri puellaeque nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo, Sanctos Sanctasque eorumque vitas, miracula et mortes repraesentantes, cum insignibus eorumdem Sanctorum induant et incedant?

Et S. R. C. respondit, ut infra:

Ad 1. « In casibus particularibus providebitur: et interim Em̃us Archiepiscopus curet, ne quidquam omnino innovetur ».

Ad 4. « Posse compelli ad formam Decreti sub Urbano VIII emanati, [1] quod dabitur a Domino Secretario ».

Ad 7. « Prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1361].

5567.

S. R. C., *Aquaependen.*, 10 dec. 1667.

S. R. C. declaravit: « Regulares in funeralibus, quando interveniunt Capitulum et Canonici Cathedralis Aquaependen., convenire debere in ipsa Cathedrali, et incedere sub Cruce eiusdem Cathedralis, non obstante quod cadaver sit deferendum ad Ecclesiam ipsorum Regularium: functiones autem super ipso cadavere ad dictam Ecclesiam delato, spectare ad ipsos Regulares ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1363].

[1] Cf. N. 5508.

5568.

S. R. C., *Cusentina*, 10 dec. 1667.

Supplicantibus Patribus Dominicanis Civitatis Terrae Mendicini Cusentinae Dioecesis declarari a S. R. C.: an possint Dominica infra octavam Corporis Christi circumcirca eorum Conventum facere Processionem, gestando SSm̃um; et an liceat ingredi mulieres in prima clausura Conventus, tempore quo ipsi Patres faciunt Processionem SSm̃i Rosarii?

Et S. R. C. respondit: Quoad primum « Servetur solitum »; quoad clausuram « Non licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1364].

5569.

S. R. C., *Brugnaten.*, 9 iun. 1668.

Supplicante Episcopo Brugnaten. in S. R. C. pro declaratione: an Regulares Sestri loci suae Dioecesis teneantur accedere ad Processiones Iubilaei?

Et S. R. C. respondit: « Teneri ad Processiones quae fiunt ob publicam causam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1366].

5570.

S. R. C., *Senen.*, 9 iun. 1668.

S. R. C., ad preces Parochi SSrum Quirici etc. Senen., inhaerendo declarationi factae in una Pisauren. 20 decembris 1603, [1] iterum declaravit: « In delatione cadaveris, quotiescumque intervenerit Capitulum et Clerus Ecclesiae Cathedralis, praecedentiam competere Capitulo et Clero eiusdem Cathedralis; in Ecclesia vero ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici ipsius Cathedralis, qui ibi habuerit sive elegerit sepulturam, ad Parochum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1368].

5571.

S. R. C., *Romana*, 15 sept. 1668.

Proposito dubio: an Cardinales Diaconi possint in suis Diaconiis solemnem benedictionem super populo impertiri, vel in actu Visitationis Diaconiae, necnon dum solemni Missae assistunt?

Et S. R. C. censuit: « Posse. Et facta de praedictis relatione SSm̃o, Sanctitas Sua annuit; non celebrante tamen Episcopo ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1373].

[1] Cf. N. 5203.

5572.

S. R. C., *Papien.*, 23 mart. 1669.

Franciscus Spadinus Praepositus S. Michaelis maioris Papiae supplicavit ad S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. An ad ipsum Praepositum vel alium ex Canonicis spectet ius convocandi Capitulum, proponendi in eo negotia resolvenda, dandi primum votum et suffragia recolligendi?
2. An ad ipsum Praepositum spectet ius cantandi Missas et Vesperas cum assistentia Diaconi et Subdiaconi Canonicorum in solemnioribus, benedicendi candelas, cineres et palmas, deferendi SSm̃um Sacramentum in Processionibus, et faciendi alias actiones et functiones Sacerdotales relatas per Barbosam, cap. 5, n. 43, *De Canonicis et Dignitatibus?*
3. An, impedito Praeposito, fieri debeant per Canonicum seniorem residentem?
4. An ad ipsum Praepositum spectet superioritas circa assistentiam Choro, et directionem Divinorum Officiorum?
5. An sit exemptum ab Officio Hebdomadarii per rotam fieri solito a Canonicis, et ab onere legendi lectiones, martyrologium et responsoria?
6. An ipse prius sit thurificandus, et eidem danda pax ante Canonicos?
7. An, ipso absente, eius stallum in Choro debeat esse vacuum, neque ab alio ex Canonicis occupari possit?
8. An Canonicis liceat celebrare Missas tempore Divinorum Officiorum sine licentia ipsius Praepositi, et idem concedere non debeat, nisi quod utile et necessarium pro Ecclesia iudicaverit?
9. An Canonici debeant eidem parere in iis, quae respiciunt Divina Officia?

Et S. R. C., referente Em̃o D. C. Brancatio, utraque parte informante, respondit:

Ad 1. « Spectare ad Praepositum ».

Ad 2. « Spectare ad primam Dignitatem vel Canonicum antiquiorem, nec tolerandam consuetudinem assumendi duos presbyteros extra gremium Capituli ».

Ad 3. « Impedito Praeposito, spectare ad seniorem ».

Ad 4. « Ad Praepositum, nisi aliter mandaverit Episcopus ».

Ad 5. « Serventur decreta Visitationis ».

Ad 6. « Servetur Caeremoniale ».

Ad 7. « Affirmative ».

Ad 8. « Servari Statutum ».

Ad 9. « Affirmative ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1384].

[1] Cf. N. 5574.

5573.

S. R. C., *Maioricen.*, 8 iun. 1669.

S. R. C., inhaerendo declarationi alias sub die 16 februarii proxime praeteriti factae, quoad Fratres Ordinis Minor. Regul. Observant. S. Francisci Provinciae Maioricen., per eos scilicet parendum esse Ordinario circa expositionem SS̃mi in eorum Ecclesiis et Domibus, illiusque prohibitionem; iterum declaravit: « Idem servandum esse per Rectores et Administratores Hospitalis generalis Maioricen., eisque non licere dictum SS̃mum exponere in eorum Ecclesia sine licentia dicti Ordinarii, praetensis eorum privilegiis exemptionis a iurisdictione ipsius Ordinarii, non obstantibus quibuscumque ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1388].

5574.

S. R. C., *Papien.*, 20 iul. 1669.

S. R. C., inhaerendo declarationibus factis die 23 martii proximi praeteriti,[1] proponente Em̃o Brancatio in controversiis inter Praepositum et Canonicos S. Michaelis Papiae, iterum declaravit:

1. « Canonicos tam Ordinis Diaconalis quam Subdiaconalis per turnum teneri ad assistentiam Praeposito tam in solemnioribus quam in Dominicis, quando ipsemet celebrat ».

2. « Servandum esse Statutum Ecclesiae, cap. 6, scilicet, quod Praepositus debeat celebrare Missam cum cantu omnibus diebus Dominicis et omnibus Festis principalibus, nisi occupatus fuerit per Episcopum Papiensem: aliis vero diebus celebretur huiusmodi Missa per Canonicos residentes; et, ipsis deficientibus, per Cappellanos, ut consuetum est ».

3. « Non teneri Canonicos ad assistentiam Vesperarum cum pluvialibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1391].

5575.

S. R. C., decr. gen. 13 aug. 1669.

Cum Alexander VII dubia in diversis mundi partibus (occasione Decreti S. R. C. die 5 augusti 1662 emanati,[2] et a Sanctitate Sua approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in Festis ritus duplicis) exorta, dirimere cupiens, aliud eiusdem S. C. Decretum in una *Novarien.*, die 22 novem-

[1] Cf. N. 5572.
[2] Cf. N. 5534.

bris 1664 editum[1] approbaverit, quo declaratum fuerat: « Anniversaria et Missas defunctorum causa, ex dispositione testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die, celebrandas, tametsi dies obitus huiuscemodi in Festum ritus dupl. maioris incideret, non comprehendi in dicto primo Decreto; ac alterius, quod Altaria privilegio Apostolico pro animabus Fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus quotidie proinde etiam in Festis ritus dupl. celebrandae essent Missae defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri iniunctis obligationibus, et indulgentias per huiusmodi privilegia Apostolica concessas animabus Fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, prout in Brevi Apostolico desuper die 22 ianuarii 1667 expedito continentur ».

S. R. C., intellecto quod etiam dubitaretur utrum praedicti Brevis dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata sed non in perpetuum nec pro omnibus hebdomadae diebus, et ad quae Missae non ex obligatione sed ex sola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet; re mature perpensa, censuit: « Declarationem a memorato Alexandro VII, sicut praemittitur, editam, extendendam esse ad Altaria, ut praefertur, non in perpetuum, sed ad septennium vel aliud brevius vel longius tempus, ac non pro omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quandocumque privilegiata; et proinde si Sanctissimo D. N. placuerit, indulgendum fore ut Missae, quae ibidem de Festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione celebratae fuerint, indulgentias per privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia, perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratae fuissent ». Die 20 iulii 1669.

Et facta, relatione SS̃mo D. N. Clementi PP. IX, Sanctitas Sua sententiam S. C. approbavit, et Breve desuper expediri mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1392].

5576.

S. R. C., *Aesina*, 31 maii 1670.

Quam alias quaesitum fuerit: an Coadiutori Canonici Presbyteri Ecclesiae, in qua Praebendae sunt distinctae, debeatur praecedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadiuto Divinis interest: et quum S. R. C. responderit, in casu proposito praecedentiam Coadiutori deberi: hinc est, quod ortis dubiis infrascriptis, modo Canonici Ordinis Diaconalis et Subdiaconalis eiusdem Ecclesiae Cathedralis Aesinae supplicarunt denuo declarari:

1. An dicta declaratio valeat, etiamsi Coadiutores Canonicorum Ordi-

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1307.

nis Presbyteralis non sint Sacerdotes, sed in minoribus Ordinibus tantum constituti?

2. An Canonici Ordinis Diaconalis in minoribus Ordinibus, vel in sacro Diaconatus Ordine tantum constituti, debeant praecedere Canonicis Presbyteris Ordinis Subdiaconalis, seu in Presbyteratus Ordine constitutis?

Et S. R. C. respondit tam ad primum, quam ad secundum: « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1398].

5577.

S. R. C., *Nicien.*, 9 aug. 1670.

Propositis per Eñum D. Card. Brancatium in S. R. C. infrascriptis dubiis, declarari petitis per Capitulum et Canonicos Cathedralis Nicien. contra Patres Praedicatores eiusdem loci:

1. An Decretum Episcopi defuncti, quod ad tollendam indecentiam, mandavit omnes Regulares ad mortuorum cadavera, etiam in propriis eorum Ecclesiis sepelienda, vocatos, prius convenire debere ad Ecclesiam parochialem defuncti, et inde cum Clero eiusdem Parochiae se conferre ad levandum cadaver, nullo vero modo expectare per vias vel ire directe ad domum defuncti, servandum sit; non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili favore Regularium eundi directe ad domum, et ibidem in via Parochum et alios vocatos expectare?

2. An accessus huiusmodi fieri debeat per Regulares ad Ecclesiam Cathedralem, si Cathedralis vocata capitulariter intervenerit, etiamsi Cadaver assumendum sit ex alia Parochia?

Et S. R. C. respondit, ut infra:

Ad 1. « Regulares vocatos ad funus associandum nullo modo expectare debere per vias, aut in domo defuncti; sed prius convenire debere ad Ecclesiam parochialem defuncti, et inde cum Clero dictae Parochiae se conferre ad levandum cadaver, non obstante contrario usu, etiam immemorabili ».

Ad 2. « Quod si ad funus vocatum fuerit Capitulum Cathedralis, et capitulariter interveniat, ad hanc Ecclesiam debeant omnes convenire, et inde incipiendam esse Processionem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1408].

5578.

S. R. C., *Caietana*, 13 sept. 1670.

Proposita per Eñum D. Card. Gualterium infrascripta dubia, declarari petita ab Archipresbytero S. Angeli Terrae Itri Caietanae Dioecesis, contra Presbyteros SSñae Annuntiationis eiusdem loci;

S. R. C., audita prius relatione Vicarii, et partibus hinc inde informantibus, declaravit, et respondit ut infra:

1. An ad Archipresbyterum Collegiatae et Matricis Ecclesiae, qui est Parochus, vel ad digniorem ex dicta Collegiata, si Capitulum intervenit, seu potius ad Sacristam aut alium Cappellanum Ecclesiae SSñae Annuntiationis sitae intra fines dictae Parochiae, spectet agere Officium super cadaveribus sepeliendis in ista Ecclesia, et ibi ea occasione canere Missam?

R. « Utrumque spectare ad Parochum, vel eo absente, ad Rectorem Ecclesiae praedictae, aut istius digniorem Cappellanum ».

4. An toleranda sit consuetudo ut in Processione SSñi Corporis Christi, Canonici incedant cum superpelliceis tantum, Presbyteri vero dictae Ecclesiae SSñae Annuntiationis cum Planetis et aliis indumentis sacris?

R. « Vestimenta sacra non posse deferri a dictis Cappellanis, nisi deferant etiam Canonici ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1409].

5579.

S. R. C., *Boianen.*, 29 nov. 1670.

S. R. C., inhaerendo Decretis in similibus editis, [1] iterum declaravit: « Non licuisse Baroni Terrae Mirabellae Boianen. Dioecesis, neque Archipresbytero iam defuncto de familia eiusdem Baronis, introducere et retinere Sedes fixas cum inscriptione utriusque, et genuflexoria intra Presbyterium Altaris maioris Ecclesiae Archipresbyteralis dictae Terrae, prout Episcopus in Visitatione reperiisse exposuit. Idcirco eadem S. R. C. censuit: Praedictorum usum omnino fuisse et esse prohibendum, prout prohibuit, et removeri voluit et mandavit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1410].

5580.

S. R. C., *Rheginen.*, 29 nov. 1670.

Exposuit Marchio Terrae Potidactili consuevisse in Ecclesia matrice dictae Terrae Rheginen. Dioecesis adhibere Sedem ex corio super simplici *predella* absque baldachino, quod sibi competere non praesumit.

Et S. R. C. censuit: « Marchioni oratori Domino loci, simplicem Sedem coriaciam super *predella* sine baldachino extra Presbyterium licere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1411].

5581.

S. R. C., *Gerunden.*, 13 iun. 1671.

S. R. C. declaravit: « Regulares Ecclesiae Gerundensis compelli posse per Episcopum ad accedendum, et interessendum Processionibus publicis, et aliis in dicta Dioecesi fieri solitis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1423].

[1] Cf. N. 5184, 5205, 5250, 5326, 5405, 5419, 5421, 5473, 5474, 5527.

5582.

S. R. C., *Tortonen.*, 13 iun. 1671.

S. R. C. ad preces Marchionis Blasii Spinulae Equitis Hierosolymitani Feudatarii Cassani, Spinoli et Villalverniae sub Dioecesi Tortonen., inhaerendo simili declarationi factae die 15 ianuarii 1661 *in una Mediolanen.*[1] pro parte Comitis Ferrantis Cavenachi, iterum declaravit: « Permitti posse dicto Marchioni, et eius successoribus in praefatis suis locis Sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem et extra Presbyterium; eidemque et successoribus pacem cum Instrumento et thurificatione duobus ictibus, post Rectorem Ecclesiae etiam simplicis Parochialis, per Cappellanum cotta indutum, non tamen per Ministros Sacrificii sacris amictos praestari debere ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1426].

5583.

S. R. C., *Ordinis Minorum Observantium S. Francisci*, 19 dec. 1671.

S. R. C., inhaerendo declarationi hac eadem die facta in *Savonen.*,[2] et aliis, iterum declaravit: « Defunctorum corpora, in Ecclesiis Regularium tumulanda, esse deferenda recto tramite, et per viam a Parocho declarandam ad Ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem ». Declaravit ulterius: « Hoc servandum esse, etiam haeredibus defunctorum contradicentibus, et ad Parochialem prius deferri volentibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1439].

5584.

S. R. C., *Savonen.*, 19 dec. 1671.

S. R. C. in controversia Savonen. dubiorum relata per Em̃um D. Card. de Maximis, inter Praepositum Collegiatae et parochialis Ecclesiae S. Blasii Finalis ex una, et Fratres Ordinis Praedicatorum eiusdem loci partibus ex altera, censuit:

Ad 1. « Servandum esse Decretum Congregationis Em̃orum DD. Cardinalium Mellini, Ubaldini et Ginetti, et RR. P. Palutii Secretarii Sacri Concilii, et Benigni Secretarii S. R. specialiter deputatae a s. m. Urbano VIII editum die 27 iulii 1628, et servandum de ordine eiusdem SS̃mi ab omnibus Sacris Congregationibus in casibus contingentibus; tenoris sequentis: « Re-

[1] Cf. N. 5527.
[2] Cf. N. 5584.

gularibus et Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis esse permissum, in eorum Ecclesia et claustro tantum, Processiones facere, et non extra; si vero Ecclesia claustro careat, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo ab una ianua et intrando per aliam, sive per eamdem, et semper prope muros Ecclesiae et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus et praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tamen Apostolicis per hoc Decretum minime derogatum censeatur. Et proinde dictis Fratribus Praedicatoribus denegandas esse Remissoriales ad probandam dictam assertam eorum consuetudinem immemorabilem, illudque servari mandavit, non obstantibus quibuscumque interpretationibus per eos factis, dictumque Decretum intelligi de consuetudinibus praeteritis ante dictum annum 1628, non autem postea legitime quaesitis, et quibuscumque aliis Decretis aliarum Congregationum postea editis, ut praetendebant ».

Ad 2. « Regularibus, obtenta supradicta licentia ingrediendi limites Parochiae, non licere facere eorum Processiones eadem fere hora, eadem die, eodem in loco, et per easdem vias, in quibus Clerus Parochialis ad Processiones procedit, sed semper esse praeferendum ipsum Clerum: quo vero ad Confraternitates esse praeferendam illam, quae prius facere consuevit, et in concursu cum Parochiali, ipsam esse praeferendam ad formam aliorum Decretorum in similibus editorum ».

Ad 3. « Regulares invitatos ad funera debere convenire in Parochiali, non autem expectare Parochum per vias; vel in domo defuncti, quacumque praetensa consuetudine etiam inmemorabili in contrarium non obstante, et servanda esse Decreta eiusdem S. C. in similibus saepe edita ».[1]

Ad 4. « Defunctorum cadavera in Regularium Ecclesiis tumulanda, esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium: non autem prius ad Parochialem, ut ibi dictus Parochus det ultimum vale ».

Ad 5. « Spectare ad Parochum declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, et reliqua alia omnia disponere usque ad ianuam Ecclesiae, quando illius cadaver est sepeliendum in dicta Ecclesia Regularium ».

Ad 6. « Non licere Regularibus pulsare eorum Campanas Feria V in Coena Domini post silentium illarum Parochialis, et die Sabbati Sancti ante earumdem pulsationem ».

Quas omnes declarationes in posterum eadem S. R. C. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1440].

[1] Cf. N. 5459, 5577.

5585.

S. R. C., *Posnanien.*, 16 iul. 1672.

S. R. C., ad removendam aemulationem Regularium, circa expositiones et Processiones cum Sanctissimo in Civitate et Dioecesi Posnaniensi, minuentem eiusdem SSm̃i decentiam, cum saepissime una eadem die simul in quatuor, quinque et sex Ecclesiis dictae expositiones et Processiones peragantur, ita ut vix aliquot personae assistentes in Ecclesiis reperiantur; declaravit inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis: [1] « Non licere Regularibus praedicta agere, nisi de licentia Episcopi, et proinde esse permittenda et prohibenda eius arbitrio et prudentia ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1450].

5586.

S. R. C., *Frisingen.*, 3 sept. 1672.

Praepositus Monasterii Inderstorfensis Canonicorum Regularium S. Augustini Dioecesis Frisingen. supplicavit in S. R. C. declarari: an verbum *Benedicere* contentum in indulto sibi concesso per fel. rec. Urbanum VIII, circa potestatem benedicendi Altaria etc., idem importet quam consecrare, et an virtute dicti privilegii possit consecrare Altaria, aqua tamen benedicta ab Antistite?

Et S. R. C., referente Em̃o D. Card. Brancatio, respondit: « Indultum benedicendi non comprehendere consecrationem ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1453].

5587.

S. R. C., *Neapolitana*, 3 dec. 1672.

S. R. C. declaravit: « Quod eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus Neapolitanus Episcopus Titularis, quibus gaudent Canonici, qui sunt Episcopi tam in Basilica S. Petri, quam in ceteris Basilicis de Urbe, qui praesunt ceteris Canonicis, etiam antiquioribus; et fruuntur quavis maiori praeeminentia, non solum in Choro, recipiendo primas antiphonas, sed in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contingit ». [2]
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1457].

5588.

S. R. C., *Oppiden.*, 3 dec. 1672.

Episcopus Oppiden. supplicavit a S. R. C. responderi infrascripto dubio: an Archiepiscopus transiens per Dioeceses Suffraganeorum, causa visitandi loca propriae Dioecesis, possit deferre mozzettam, quae est Insigne plenariae iurisdictionis, et erigere Crucem, et dare benedictionem praesente Episcopo suffraganeo?

[1] Cf. N. 5345, 5365, 5385, 5418, 5441, 5486, 5489, 5490, 5554, 5573, 5508, 5584.
[2] Cf. N. 5592.

Et S. R. C. respondit: « Licere ad praescriptum Caeremonialis ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1459].

5589.

S. R. C., *Ruben.*, 3 dec. 1672.

Horatius Rocca Cathedralis Ecclesiae Ruben. Sacerdos, supplicavit a S. R. C. declarari: an pro Reliquia insigni possit fieri Officium duplex iuxta huius S. C. Decretum, quando scilicet Caput, Brachium aut Crus non sunt integra, sed mutilata, et partes demptae non adsunt, ut conglutinari possint: et si pro Reliquia mutilata fieri possit Officium duplex?

Et S. R. C. respondit: « Servandum esse Decretum huius S. C. ad unguem, emanatum sub die 8 aprilis 1628 ». [1]
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1460].

5590.

S. R. C., *Rossanen.*, 21 ian. 1673.

S. R. C., ad preces Parochorum Civitatis Rossanen. declaravit: « Non licere haeredibus defuncti vocare aliquam Dignitatem vel Canonicum aut Presbyterum sibi bene visos, ad peragendas functiones cum Stola super cadaveribus, invitis et contradicentibus dictis Parochis ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1461].

5591.

S. R. C., *Veliterna*, 21 ian. 1673.

S. R. C., ad relationem Em̃i D. Card. Vidoni declaravit: « Canonicum Poenitentiarium Ecclesiae Cathedralis Civitatis Veliternae, ultimo loco provisum, non posse cogi ad inserviendum Missis cantatis pro Diacono et Subdiacono, Constitutione seu consuetudine dictae Ecclesiae in contrarium non obstante ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1462].

5592.

S. R. C., *Neapolitana*, 6 maii 1673.

Cum S. R. C. declaraverit die 3 decembris 1672: « Quod eisdem praerogativis gaudere debeat Rm̃us D. Paulus Garbinatus Canonicus Ecclesiae Cathedralis Neapolitanae et Episcopus Titularis Nabucen., quibus gaudent Canonici qui sunt Episcopi tam in Basilica S. Petri quam in ceteris Basilicis

[1] Cf. N. 5302.

de Urbe, qui praesunt ceteris Canonicis etiam antiquioribus, et fruuntur quavis maiori praeeminentia, non solum in Choro recipiendo primam antiphonam, sed in capitulo et in quovis alio loco ubi convenire contingit »;[1] fuit pro parte D. Francisci de Ianuario Primicerii eiusdem Cathedralis oppositum, sibi competere praefatas praerogativas et praeeminentias supra dictum Canonicum Episcopum Titularem. Et proposita causa per Eñum D. Cardinalem Sfortiam.

S. R. C., utraque parte informante, declaravit: « Competere praenarratas praerogativas et praeeminentias dicto Canonico Episcopo Titulari in omnibus actibus, ubicumque convenire contigerit, etiam supra praefatum Primicerium eiusdem Cathedralis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1469].

5593.

S. R. C., *Monopolitana*, 17 iun. 1673.

Confraternitatibus SS. Sacramenti et Suffragii Civitatis Monopolitanae supplicantibus in S. R. C. pro declaratione: an Parochi dictae Civitatis prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsas Confraternitates invitent ad associanda cadavera, quae in eorum Ecclesiis parochialibus deferuntur?

S. R. C. declaravit: « Non posse prohiberi ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1478].

5594.

S. R. C., *Senogallien.*, 12 aug. 1673.

Iterum pro parte et ad instantiam Archipresbyteri et Canonicorum Collegiatae parochialis Ecclesiae Terrae Corinaldi Dioecesis Senogallien. proposita in S. R. C. causa controversiarum vertente inter praefatos oratores, et Priores, et Fratres Augustinianos Conventus S. Nicolai eiusdem loci; eadem S. C., inhaerendo Decretis ipsius S. C. alias datis[2] in Summario sub die 6 maii prox. praet., referente Eño D. Cardinali Facchinetto; et praecipue Decreto generali super Regularibus, edito die 27 iulii 1628,[3] denuo declaravit, ut infra, videlicet:

1. « Regularibus, et praecipue dictis Fratribus Augustinianis S. Nicolai Corinaldi esse permissum intra eorum Ecclesiam et claustrum tantum et non extra, facere omnes et singulas Processiones per eosdem fieri solitas, et signanter illas SS. Rosarii et S. Monicae: si vero eorum Ecclesia claustro careat, eisdem licere dictas Processiones facere intra ambitum dumtaxat eorumdem Ecclesiae: hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae et intrando per aliam, sive per eamdem ianuam; et semper prope muros Ecclesiae et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu proprii Ordinarii, aut cum Cruce capituli Parochialis Ecclesiae dictae Collegiatae, quibuscumque in contrarium non obstantibus ».

3. « Dictos Fratres vocatos ad funus, occasione sepeliendi mortuos etiam in eorum propria Ecclesia, convenire debere ad parochialem Ecclesiam dictae Collegiatae, et exinde cum Archipresbytero seu Capitulo dictae Collegiatae, ad domum defuncti accedere, et nullo modo eis permittendum expectare praedictos per vias vel ad domum defuncti ».

5. « Praedictis Fratribus non licere in eorum Ecclesia exponere SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum in Altari sub quovis praetextu et causa, et cum illo benedicere populum diebus Dominicis et aliis diebus festivis de praecepto, nisi de licentia proprii Ordinarii, quacumque consuetudine in contrarium non obstante ». Et ita declaravit, et praedicta omnia in dicta Terra Corinaldi servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1487].

[1] Cf. N. 5587.
[2] Cf. N. 5584, 5585.
[3] Cf. N. 5508.

5595.

S. R. C., *Andegaven. in Gallia*, 3 mart. 1674.

Pro parte Henrici moderni Episcopi Andegaven. in Gallia expositum fuit in S. R. C., quod in sua Civitate et Dioecesi plurimae adsunt Ecclesiae, quarum Dedicationes cadunt in dies Festorum etiam duplicium, quae ideo non sine incommodo transferre necesse est; cumque eiusmodi inconveniens vitari possit, commodiusque foret, si Dedicationes praedictae in alios dies remitterentur: supplicatum fuit propterea, quatenus praedicto oratori Episcopo Dedicationes Ecclesiarum huiusmodi, quas in dies Festorum cadere contigerit, in Dominicos seu alios dies, prout consultius iudicaverit, remittendi licentiam, et facultatem benigne concedere et indulgere dignaretur.

Et S. R. C. respondit: « Non esse ordinem hactenus servatum mutandum, sed Festum Dedicationis Ecclesiae, cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse eadem die, qua venerit. Posse tamen Episcopum Ordinarium eidem diem assignare suo arbitrio, si diem certam non habuerit, qua semel electa, huiusmodi Festum amplius non esse variandum ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1498].

5596.

S. R. C., *Vestana*, 3 mart. 1674.

Pro parte Episcopi Vestani supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii: posito, quod Regulares levare possunt cadavera de domo vel Ecclesia parochiali in eorum Ecclesia sepelienda, an si Parochus venire recuset, vel licentiam deneget, teneantur petere licentiam ab Episcopo, qui in illa Civi-

tate reperitur: an vero ea possint absque Episcopo, propria auctoritate levare et deferre in eorum Ecclesiam, ubi sepeliri debent?

Et S. R. C. respondit: « Non teneri ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1503].

5597.

S. R. C., *Audomaren. in Flandria*, 14 apr. 1674.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria expositum fuit, quod in dicta Civitate Audomaren. spatio 50 annorum circiter Ecclesia PP. Societatis Iesu fuit aedificata, et adhuc non consecrata, stante quod Abbas Monasterii S. Bertini Ordinis S. Benedicti praetendat illam consecrare, ut eiusdem Fundator.

Et S. R. C. respondit: « Consecrationem dictae Ecclesiae spectare ad Episcopum Dioecesanum, nisi Abbas praedictus habeat speciale privilegium S. Sedis Apostolicae, quod Episcopo praefato tenetur exhibere ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1505].

5598.

S. R. C., *Cremonen.*, 16 iun. 1674.

S. R. C. certiorata de expositis in literis Episcopi sub data 5 apr. prox. praet. super omissionibus studiose factis per Vice-Gubernatorem illius Civitatis Cremonen. adversus Sacros Ritus, Dignitatem Episcopalem, et Capitulum Cathedralis huiusmodi, occasione Cappellae etc., eidem Episcopo scribi mandavit: « Non licere habere locum in Presbyterio Gubernatorem illius Civitatis, sed hoc permissum, ex speciali indulto SSm̃i Gubernatori Mediolani ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1514].

5599.

S. R. C., *Lisbonen.*, 16 iun. 1674.

Patres Congregationis Oratorii Assumptae sub Instituto S. Philippi Nerii Lisbonen. Dioecesis supplicarunt apud S. R. C., quatenus eisdem concedere dignaretur, ut possent continuare et dicere, addendo in *Confiteor* et Litaniis Sanctorum, nomen S. Philippi eorum Patriarchae, sicut hactenus consueverunt, ut moris est apud omnes Religiosos in Regno Portugalliae addendi in *Confiteor* et Litaniis nomen Sancti sui Patriarchae.

Et S. R. C. respondit: « Posse tolerari ». Et ita censuit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1518].

5600.

S. R. C., *Firmana*, 4 aug. 1674.

S. R. C. ad instantiam Canonicorum et Capituli Collegiatae S. Pauli Parochialis Civitatis Novae, Dioecesis Firmanae, inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, [1] et praecipue in una *Firmana*, die 24 maii 1664, [2] iterum declaravit: « Regulares, et signanter Ordinis S. Augustini, et S. Francisci Minorum Observantium dictae Civitatis, vocatos ad sepeliendos mortuos, etiam in eorum propria Ecclesia, convenire debere ad praedictam Ecclesiam parochialem, in cuius limites existit, et inde una cum Parocho ad domum defuncti: et nullo modo permittendum esse expectare Parochum per viam, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1521].

5601.

S. R. C., *Lucerina*, 4 aug. 1674.

Em̃o D. Card. Azzolino proponente in S. R. C. infrascripta tria dubia pro parte et ad instantiam Capituli et Canonicorum Cathedralis Lucerinae, contra Monachos Caelestinos dictae Civitatis:

1. An Monachi renuentes accedere ad Processiones consuetas possint ab Episcopo compelli?

2. An in transferendis funeribus ad eorum Ecclesiam adire debeant Cathedralem, et associare usque ad domum defuncti?

3. An liceat Capitulo ingredi Ecclesiam Monachorum cum Cruce, et Officia supra cadavera et alia munia peragere?

Et S. R. C., partibus hinc inde plene informantibus, respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. « Non posse praedictos Monachos compelli accedere ad Processiones Rogationum et alias huiusmodi, exceptis tamen Processionibus SSm̃i et aliis expressis in Decreto generali ». [3]

Ad 2. « Non posse cogi Monachos ad associationem cadaverum; et quatenus interesse debeant, debere accedere ad Cathedralem et sub eius Cruce procedere ».

Ad 3. « Non licere Capitulo ». Et ita declaravit, et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1522].

[1] Cf. N. 5459, 5577, 5584, 5594.
[2] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1292.
[3] Cf. N. 5508.

5602.

S. R. C., *Lucerina in Apulia*, 17 nov. 1674.

Ex parte Parochorum Civitatis Lucerinae in Apulia expositum fuit in S. R. C., adesse consuetudinem in dicta Civitate, quod quando parochiani defuncti sibi elegerunt sepulturas aliarum Ecclesiarum, transierunt associati a Parocho per vicos et plateas aliarum Ecclesiarum parochialium, et Ecclesiae Cathedralis absque ulla contradictione, et solutione alicuius rei Capitulo praedictae Cathedralis.

Et S. R. C., audita relatione Episcopi Ordinarii, visisque iuribus hinc inde deductis, censuit: « Parochos per Capitulum praefatae Cathedralis non esse molestandos ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1526].

5603.

S. R. C., *Meliten.*, 9 febr. 1675.

Pro parte Capituli Seminariae proposita causa Meliten. Praecedentiae in S. R. C. per Eñum D. Cardinalem Carpineum Pro-Datarium vertente inter praedictum Capitulum Seminariae ex una, et Capitulum Sinopuli parte ex altera Meliten. Dioecesis;

S. R. C. declaravit: « Praecedentiam spectare ad Capitulum Seminariae antiquiorem, uti Collegiatam insignem supra Capitulum Sinopuli, occasione Synodi Dioecesanae, Sessionum et Processionum, aliarumque functionum causa illius celebrandarum sub quovis praetextu ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1531].

5604.

S. R. C., *Imolen.*, 18 maii 1675.

Propositis per Eñum D. Cardinalem Albitium in S. R. C. praetensionibus Rm̃i Episcopi Imolen. contra Magistratum eiusdem Civitatis, quae sunt tres, ut infra, videlicet:

1. Quod Magistratus in diebus solemnibus debeat accedere ad palatium Episcopi ipsumque comitari ad Cathedralem, et post functionem denuo associare ad palatium.

2. Quod Magistratus non debeat accedere ad alias Ecclesias Civitatis tempore functionum earumdem, et in eisdem Ecclesiis assistere Missis et Vesperis cantatis, recipiendo incensum et pacem.

3. Quod non debeat removeri sedile ipsius Episcopi, locatum in Ecclesiis pro audiendis concionibus, de loco praetenso a Magistratu.

Et S. R. C., visis iuribus ab utraque parte plene informante allegatis et deductis, aliisque discussis, censuit:

Quoad 1. « Circa associationem ex deductis servandum esse solitum tempore Rm̃orum Mellini et Coccini ».

Quoad 2. « Non posse prohiberi Magistratui accessum ad Ecclesias, sed thurificari debere duplici ductu ».

Quoad 3. « Circa locum pro audiendis concionibus, scribendum esse Eñmo et Rm̃o D. Cardinali Rossetto, qui auditis partibus, assignet locum congruum Magistratui pro audiendis dictis concionibus ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1537].

5605.

S. R. C., *Senogallien.*, 22 iun. 1675.

In causa Funerum et Processionum vertente inter Archipresbyterum, Canonicos et Curatos Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Petri Corinaldi Senogallien. Dioecesis ex una, et Conventum et Fratres S. Nicolai Ordinis Eremitarum S. Augustini, necnon Fratres Minores Conventuales S. Francisci dictae Terrae Corinaldi ex altera parte, apud S. R. C. proposita fuerunt infrascripta dubia:

1. An haeredes defunctorum sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad tempus illa sepeliendi, an vero iisdem haeredibus liceat pro libitu asportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi seu prohibitione ab eodem facta uti Vicario foraneo?

2. An illatis cadaveribus private ab haeredibus ad aliquam Ecclesiam per modum depositi, Regulares convenire et congregari debeant in dicta Ecclesia, aut in Parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?

3. An cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus?

4. An Regulares possint cogi ad associanda cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda; an vero possint expectare in dictis propriis eorum Ecclesiis, et an in casu quo Regulares non accedant ad associanda dicta cadavera, amittere debeant intorticia, ut Parochus praetendit? [1]

5. An si Parochus requisitus intervenire recuset funeralibus defunctorum in Ecclesiis Regularium sepeliendorum, possint haeredes, imo et ipsi Regulares asportare cadavera ad Ecclesiam sepulturae electae, Parocho non interveniente, ac praedicti Regulares eadem sepulturae tradere, et an Parochus in funeribus dictorum defunctorum maiorem eleemosynam solito praetendere possit?

Et S. R. C., Eñmo et Rm̃o D. Cardinali Casanata referente, auditis partibus, respondit:

[1] E. num. 5.

Ad 1. « Quoad tempus humationum cadaverum servandam esse Synodum; et in reliquis, petita et etiam non obtenta licentia, posse cadavera deponi arbitrio haeredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae ».

Ad 2. « Regulares debere congregari in illa Ecclesia ubi cadaver fuit depositum, ut supra ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis, ad effectum associandi cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere quod illa expectent ad ianuas; quo vero ad intorticia, remisit causam ad iudices suos ».

Ad 5. « Vocato Parocho, et ipso renuente intervenire vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. Quo vero ad emolumenta per Parochum praetensa, nihil dandum ultra solitum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1539].

5606.

S. R. C., *Albinganen.*, 13 iul. 1675.

S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, [1] censuit: « Functiones principales spectantes ad Praepositum Ecclesiae Collegiatae SS. Philippi et Iacobi loci de Taggia Dioecesis Albinganen., ipso absente, impedito, vel nolente peragere, gradatim ordine successivo peragere debere Canonicum digniorem; et hoc impedito, ut supra, digniorem Cappellanum nuncupatum de massa eiusdem Collegiatae; et non posse praedictum Praepositum pro se substituere aliquem Presbyterum sibi benevisum pro exercendis dictis functionibus ».

Et ita declaravit. et in praedicta Ecclesia servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1544].

5607.

S. R. C., *Neapolitana*, 23 nov. 1675.

Eñus D. Card. Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus significavit per suas litteras S. R. C., quod occasione Festivitatis SS. Petri et Pauli, P. Abbas Ecclesiae S. Petri ad Aram Canonicorum Regularium Lateranensium illius Civitatis, ut ad ipsam Ecclesiam personaliter venerandam se conferret, requisivit et invitavit, cum iam ipso die Festi ad Ecclesiam praedictam se accessurum paraverit et ex palatio Archiepiscopali egressurus erat, praemisit, ut ibi solet, privatim Crucem ut in suo adventu de more elevaretur; praedictus Abbas ipsam Crucem videns elevandam, non passus est ut lator illam in Ecclesiam introduceret, imo quod nec foris illam ad ianuam

[1] Cf. N. 5233, 5273, 5362, 5429, 5443, 5457, 5480, 5487, 5550, 5572.

Ecclesiae admoveret. Quare cum evidens fuerit spretus, et nullus honor ab Abbate praedicto praestitus suae Dignitati, prout evidens fuerit praeiudicium iurisdictioni Archiepiscopali illatum, dum omnia iura clamant posse Archiepiscopum elevata Cruce per Ecclesias exemptas nedum suae Dioecesis, verum etiam suae Provinciae incedere, prout ad omnes Ecclesias quomodolibet exemptas semper ibi Archiepiscopus Neapolitanus introivit, et ipse quoque absque controversia. Ideoque supplicavit pro declaratione, non posse dictum Abbatem impedire, quin ipse elevata Cruce ad eius Ecclesiam, quando sibi libuerit, accedat; et ut in futurum a similibus abstineat, et ad aliorum exemplum auctoritate ipsius S. C. moneatur et corrigatur.

Et S. R. C., referente Eñio D. Card. Columna, respondit: « Licere Eñio Archiepiscopo ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce, et Eñus Archiepiscopus conficiat processum contra Abbatem quem transmittat ad eamdem S. C. ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1550].

5608.

S. R. C., *Sypontina*, 23 nov. 1675.

Pro parte Eñi D. Fr. Vincentii Mariae Archiepiscopi Sypontini Card. S. Xysti, supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. An ex Presbyteris ad Capitulum non pertinentibus, qui diebus festivis intersunt Choro et Processionibus, praecedere debeant antiquiores in Ordine, an potius qui Doctoratus honore insigniti sunt?
2. Num servari idem debeat inter Diaconos, Subdiaconos et Clericos?
3. Utrum Sacerdotes extradioecesani praecedere dioecesanis possint, aut qui urbem incolunt, quamvis hi sint antiquiores in Ordine?
4. In Ecclesiis adscriptitiis Dioecesis debent ne praecedere qui ab antiquiori tempore illis fuerunt inscripti, an potius qui in Ordine sunt antiquiores?
5. Praesentibus in dictis Ecclesiis Sacerdotibus tam adscriptis quam non adscriptis, num iis praecedentia competat, qui in Ordine sunt antiquiores?
6. Ordo praecedentiae habendus in Ecclesiis Civitatis habendus ne etiam in tota Dioecesi?

Et S. R. C., referente Eñio D. Cardinali Columna, ad suprascripta dubia respondit, ut infra, videlicet:

Ad 1. Praecedentiam inter Presbyteros sumi ex antianitate Ordinis, non ex gradu Doctoratus: quia Presbyteratus Ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus: sed inter plures Parochos seu Curatos Ecclesiarum parochialium attenditur praerogativa Ecclesiae parochialis, non antianitas Ordinis ».

Ad 2. « Idem servandum, ut supra, ex iisdem rationibus ».

Ad 3. « Civitatem, et incolatum nullam maiorem praerogativam tribuere ».

Ad 4. « Attendendam antianitatem Ordinum, dum in Ecclesiis adscriptitiis non potest considerari aliquis honor, seu aliquis titulus perpetuus et realis pro adscripto ».

Ad 5. « Affirmative ex proxime allegata ratione ».

Ad 6. « Affirmative, cum militet eadem ratio, et non cognoscitur posse assignari disparitatem rationis ». Et ita declaravit, et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1551]

5609.

S. R. C., *Fanen.*, 23 nov. 1675.

S. R. C. ad instantiam Parochorum Castri Saltariae Dioecesis Fanen., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, [1] et praesertim Decreto generali super Regularibus edito die 27 iulii 1628 (relato sub alio Decreto 28 septembris 1658), [2] et audita relatione Episcopi Fanen. Ordinarii, iterum declaravit: « Non licuisse neque licere Monachis Caelestinis S. Petri dicti loci Saltariae, nisi de licentia et consensu proprii Episcopi Ordinarii, aut cum Cruce Parochi, peragere et dirigere Processiones, et praecipue illas primae Dominicae cuiuslibet mensis, die 20 ianuarii Festo S. Sebastiani, et Feria VI in Parasceve post Matutinum de sero intra limites Parochiarum supplicantium, et extra ambitum et porticum propriae Ecclesiae per ipsos Caelestinos fieri solitas, nullo iure, sed tantum propria auctoritate ». Et ita decrevit, et omnino servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1553].

5610.

S. R. C., *Civitatis Castelli*, 21 mart. 1676.

Pro parte Rmi Episcopi Civitatis Castelli supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. Utrum in Festis SS. Apost. Petri et Pauli, atque Assumptionis Deiparae, teneatur Episcopus Missam et Vesperas pontificaliter agere, quamvis contraria vigeat consuetudo?

4. Utrum Magistratus ad accipiendos cineres prima die Quadragesimae, vel ad Crucem adorandam Feria VI in Parasceve, vel Feria V in Coena Domini ad communicandum accedere possit statim post Canonicos, et ante alios Sacerdotes etiam Planeta indutos?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Licere ».

Ad 4. « Negative ». Et ita censuit, et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1559].

[1] Cf. N. 5584, 5594.
[2] Cf. N. 5508.

5611.

S. R. C., *Mantuana*, 21 mart. 1676.

S. R. C. ad instantiam Comitis Sigismundi Magni Canonici Cathedralis Civitatis Mantuae, ac Protonotarii Apostolici de numero non participantium, inhaerendo Decretis alias ab eadem in similibus emanatis, [1] et signanter in una *Asculana* in Apulia, 6 martii 1610, [2] iterum declaravit: « Privilegia dictorum Protonotariorum, quatenus sunt in usu, servanda sunt; et si praedictus orator voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia Cathedrali in qua habet Canonicatum, debet sedere, stare et incedere in loco non inter Canonicos sed post Abbates; quia reputatur tamquam extraneus, et non lucratur distributiones et fructus suae Praebendae ». Et ita servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1560].

5612.

S. R. C., *Nuscana*, 13 iun. 1676.

Supplicante Parocho Terrae Bagnoli Nuscanae Dioecesis pro resolutione infrascripti dubii: an liceat cum consensu Episcopi, contradicente tamen Parocho oratore, Fratribus Ordinis S. Dominici in die Festivitatis S. Dominici Processionem facere cum Reliquia praedicti S. Dominici, et cum Confraternitatibus erectis intra Conventum et extra claustra dicti Conventus, et intra limites Parochiae oratoris?

Et S. R. C., inhaerendo Decreto alias in similibus emanato, [3] respondit: « Potest Episcopus concedere licentiam, etiam contradicente Parocho ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1573].

5613.

S. R. C., *Anagnina*, 14 nov. 1676.

Vicarius Generalis Episcopi Anagnini supplicavit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. An Vicarius Generalis debeat praeferri Praeposito et aliis omnibus de Capitulo in omnibus actibus publicis et privatis, tam praesente quam absente Episcopo?

2. An praesente Vicario Generali, absente Episcopo, celebrans debeat thurificari triplici vel duplici ductu?

3. An absente Episcopo, debeat Vicarius Generalis thurificari triplici vel duplici ductu?

[1] Cf. N. 5558.
[2] Cf. N. 5253.
[3] Cf. N. 5508.

4. Si duplici; an existente consuetudine legitime probata, quod Dignitatibus detur incensatio triplici ductu, dato casu, an etiam Vicarius Generalis incensandus sit triplici ductu, cum sit dignior quibuscumque Dignitatibus?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Deberi ».

Ad 2. « Triplici ductu ».

Ad 3. « Duplici ductu ».

Ad 4. « Duplici ductu, non obstante consuetudine, imo abusu in contrarium ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1577].

5614.

S. R. C., *Theatina*, 14 nov. 1676.

S. R. C. ad instantiam Francisci Antonii Solari Archipresbyteri de Villa Franca Theatinae Dioecesis declaravit: « Quod per Fratres Ordinis S. Dominici in peragendis Processionibus in dicto loco servetur Decretum generale desuper emanatum die 27 iulii anno 1628 (relato sub alio Decreto 28 septembris 1658), [1] dummodo praedicti Patres non habeant indultum particularem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1581].

5615.

S. R. C., *Veneta*, 14 nov. 1676.

Cum Confraternitas S. Francisci Vinearum Civitatis Venetae fuerit erecta in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia anno 1346, sub invocatione S. Francisci, aggregata Confraternitati Assisii: utendo vestibus et signis Sac. Stigmatum, et exercendo omnia opera pia praescripta in Bullis fel. rec. Xysti V, et Pauli V; et cum noviter erecta sit altera Confraternitas intra eamdem Ecclesiam in alio Altari sub nomine B. Paschalis Baylon cum instituto suffragandis mortuis, quae Confraternitas anno 1628 habuit aggregationem Archiconfraternitati Stigmatum Urbis, et ex tunc usque adhuc incepit peragere dicta exercitia, et uti iisdem vestibus et signis ad instar praedictae antiquae Confraternitatis S. Francisci; quapropter ad instantiam praefatae antiquae Confraternitatis S. Francisci supplicatum fuit per S. R. C. declarari: an liceat sub eodem tecto stare duas Archiconfraternitates eiusdem Instituti, habentes eadem signa et peragentes eadem exercitia?

Et S. R. C., facta prius per me Secretarium distincta relatione pro Emo Dño Cardinali Casanata, respondit: « Servetur Constitutio fel. rec. Clementis VIII, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica*, 7 decembris 1604 ». [2] Et ita censuit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1582].

[1] Cf. N. 5508.

[2] Cf. N. 192.

5616.

S. R. C., *Bituntina*, 14 nov. 1676.

Praeter alia dubia proposita in S. R. C. Episcopus Bituntinus supplicavit infrascripta declarari:

1. An post mediam noctem Nativitatis Domini, ante tamen auroram, possint simul celebrari tres Missae privatae?

2. An Sacerdos, qui in dicta nocte celebravit Missam solemnem, possit immediate celebrare privatim reliquas duas Missas: vel potius teneatur expectare auroram?

Et S. R. C., referente Emo D. Card. Portocarrero, respondit utrique dubio: « Negative: id et allegatis rationibus abunde probetur, et praxi universalis Ecclesiae, conformi Romanae magistrae comprobatur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1584].

5617.

S. R. C., *Hispalen.*, 16 ian. 1677.

Pro parte Didaci Diaz de Escobar Presbyteri et Caeremoniarum Magistri Ecclesiae Hispalen. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione, an sustinendi sint mores infrascripti, videlicet:

1. Mos est in die depositionis defuncti, sive Dominica sit, sive Festum duplex primae classis, Missas privatas de Requiem celebrari, cum ita fieri non debeat, nisi tantum quae corpore praesente solemniter celebretur.

2. Item in primis novem diebus depositionis defuncti in Altari, ubi iacet, Missae de Requiem tam solemniter quam privatim celebrantur, non solum duplicibus Festis et Dominicis, verum et in Festis et classicis et de praecepto.

7. Novem per dies ante Nativitatem D. N. Iesu Christi ad auroram celebrantur Missae (vulgo nuncupatae *de Aquiland*) de festivitatibus Virginis Deiparae; non solum in diebus feriatis, verum etiam in Festis duplicibus classicis et Dominicis, cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione, praetextu devotionis populi, quibus diebus ad maiorem celebritatem multa fiunt remedio digna. Conveniunt enim in Chorum cantandi causa plures laici, et quasdam canunt cantilenas risum moventes, tempori locoque nullatenus consentaneas. Huic mori debet opportunum adhiberi remedium, ut penitus e medio tollatur scandalum.

8. In Missis maioris Hebdomadae canitur aliquando *Passio* non solum a Subdiaconis, verum et a laicis, et multoties ab uxoratis contra Caeremoniale Romanum, lib. 2, cap. 21, ubi praecipitur: Passionem canentes indui debere amictu, alba, cingulo, manipulo et stola: quae omnia ad Diaconum dumtaxat, spectant. Et adeo haec consuetudo invaluit, ut in Missa etiam privata cantetur *Passio:* imo et etiam sine Missa; solus enim Sacerdos qui-

libet, quin Missam celebret, exit ad Altare cum omnibus paramentis, ibique adest dum *Passio* canitur, quae omnia non parvo remedio indigere videntur.

9. In tempore publicae generalisque necessitatis habentur aliquando preces, sive rogationes post Calicis elevationem in Missa Conventuali, Missa cessante quoadusque in Choro finiantur preces, et multis in locis hae preces fiunt ante *Pater noster*, et ab ipso Celebrante dicuntur cum Orationibus, ipsas interponendo tempore Sacrificii.

Et S. R. C. respondit: « Consuetudines seu, ut melius dicamus, abusus omnes expositi, uti repugnantes Rubricis et Expositorum opinionibus, tolli omnino debent. Non sunt enim laudabiles, imo scandalosae, iis maxime qui amant observantiam bonorum rituum ». Et ita declaravit, decrevit, atque praefata omnino tolli mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1588].

5618.

S. R. C., *Vercellen.*, 13 febr. 1677.

Cum ad aures Eñorum DD. Cardinalium S. R. C. praepositorum pervenerit, quod Episcopus Vercellensis abstinuit a visitando Oppidum Massarani, quia Princeps tenet de facto intra Presbyterium a cornu Evangelii Thronum cum strato et baldachino pro se, principissa et filiis, ad exclusionem eiusdem Episcopi; quapropter eadem S. R. C. mandavit: « Ut praefatus Episcopus curet omnino praedicta omnia removeri, et compellat etiam sub censuris, quatenus opus sit ». Et ita decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1593].

5619.

S. R. C., *Baren.*, 10 iul. 1677.

S. R. C. ad instantiam Capituli Cathedralis Baren. inhaerendo dispositioni Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 12, ibi: *Omnes vero Divina per se, et non per Substitutos compellantur obire Officia etc.*, declaravit: « Archiepiscopum Baren. posse et debere compellere Canonicos praedictae Cathedralis, quando non sunt legitime impediti, per seipsos et non per Substitutos, ad inserviendum Canonico celebranti pro Diacono et Subdiacono, sub censuris et poenis, etiam auctoritate eiusdem S. C. ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1597].

5620.

S. R. C., *Comen.*, 10 iul. 1677.

Ad instantiam Rectoris Albergatis Praepositi S. Xysti et aliorum Parochorum Civitatis Comi contra Capitulum et Canonicos Cathedralis eiusdem Civitatis, per Eñum D. Card. Vidonum proposita et discussa fuerunt in S. R. C. infrascripta dubia, videlicet:

1. An sit dictus Praepositus et Parochus reintegrandus tam de pluviali et Stola ablatis, quam de omnibus emolumentis parochialibus occasione funeris quondam D. Ludovici Odescalchi, ac de damnis et interesse propter huiusmodi turbativas passis?

2. An Capitulum Cathedralis Comi possit in die, seu tempore stationis, se ingerere vel cumulative vel privative quoad proprium Parochum, in functionibus parochialibus, idest baptismatibus, funeralibus, matrimoniis et similibus in Parochiis vel in Ecclesia, ubi fit statio?

Et S. R. C. respondit: Ad 1. « Episcopus conficiat processum super praetenso spolio; et confecto ac verificato, reintegret Parochum ».

Ad reliqua vero: « Manutenendos esse Parochos in exercitio functionum parochialium, privative quoad Capitulum, cui dentur Literae Remissoriales ad probandam immemorabilem, quatenus adsit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1598].

5621.

S. R. C., *Cusentina*, 10 iul. 1677.

S. R. C. ad dubia proposita pro parte Canonicorum Cathedralis Cusentinae respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. « Non posse coarctari Fratres Franciscanos sub die 17 septembris ad recitandum Officium de Nomine B. Mariae a fel. rec. Clemente X omnibus Regnis Regis Catholici concessum, et extensum sub ritu dupl. mai., et transferendum Officium Stigmatum S. Francisci, quod ipsi Fratres ex concessione Sedis Apostolicae de praecepto tenentur recitare sub ritu dupl. secundae classis ». [1]

Ad 2. « Tam Archiepiscopus, quam Canonici qui sunt legati Ecclesiae, etiam absentes, tenentur recitare Officium, iuxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati ».

Ad 3. « In Feriis et Sabbato quatuor temporum, occasione currentis Festi novem Lectionum, debent in Cathedralibus cantari duae Missae; potest per Canonicos cantari illa de Festo, et per Archiepiscopum vel Episcopum facientem Ordinationem, cantari vel saltem celebrari altera de Feria in paramentis violaceis ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1599].

5622.

S. R. C., *Novarien.*, 20 nov. 1677.

Cum alias ad instantiam Patrum Barnabitarum S. Marci Civitatis Novariae S. R. C. declaraverit Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium fieri debere ab ipsis Regularibus, non autem a Parochis defunctorum, non

[1] E. ad Dub. 2.

obstante contraria consuetudine: nunc vero iidem Patres, ad tollenda dubia et controversias, quae ex resolutione in dies insurgunt, iterum supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. Utrum renuentibus Parochis cadavera ad Ecclesias Regularium associare, possint Regulares ipsi cadavera de domo levare et ad Ecclesiam ducere et sepelire absque Parochi praesentia, nec possint a Parochis impediri?

2. An Parochi, postquam cadavera associarunt usque ad ianuas Ecclesiae Regularium, teneantur ab ea recedere, vel saltem Stolam dimittere, et manere in loco distanti ab officiatura, nec in ea se ingerere? [1]

Et S. R. C. respondit ad supradicta dubia, ut infra, videlicet:

Ad 1. « Affirmative, seu posse vocatis Parochis et ipsis renuentibus intervenire vel alterum mittere, ut resolutum fuit in *Senogallien.*, die 22 iunii 1675 ad 5 ». [2]

Ad 2. « Teneri ab ea recedere, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis legitime probanda, vel saltem admitti posse, dimissa Stola ». Et ita declaravit, et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1604].

5623.

S. R. C., *Terulen.*, 20 nov. 1677.

In Regno Aragoniae consuetum est, ut Episcopi, iuxta antiquitatem eorum erectionis Episcopatuum, in comitiis praeeminentiam habeant. Episcopus Terulen. supplicavit apud S. R. C. pro declaratione: an in aliis functionibus idem servari debeat, vel potius tempus consecrationis dictorum Episcoporum sit attendendum?

Et S. R. C. respondit: « Attendendum est tempus promotionis ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1606].

5624.

S. R. C., *Gadicen. seu Gaditana*, 22 ian. 1678.

In Breviario Romano a fel. rec. Urbani Papae VIII auctoritate recognito in ordinario Primae Horae dierum non duplicium, et ordinario Completorii praecipitur, quod Hebdomadarius quotidie Confessionem recitet cum Choro, ut ibi disponitur; et simul, quod in fine alterutrius Horae, ad Primam nempe dicat et proferat *Dominus nos benedicat etc. et Benedicat nos Omnipotens etc.* in fine Completorii.

In Ecclesia Gadicen., quodam episcopali statuto seu consuetudine a centum viginti annis circiter absque ulla confirmatione, examinatione seu

[1] E. Dub. 3.
[2] Cf. N. 5605.

approbatione recepto, et quotidie observato, disponitur ut non Hebdomadarius sed Praesidens Chori, qui est Decanus, et in eius absentia qui in ipsius locum substituitur, in suo habitu et ornamento praedictam Confessionem in Hebdomadarii praesentia, et personali assistentia, alta et aequali voce devote recitet et emittat.

In eadem Ecclesia disponitur etiam et statuitur, quod tam Canonici cum cappa chorali, quam Cappellani, versus Praesidentem Chori genuflectant. Interim ipse Praesidens Chori, posthabito Hebdomadarii officio et obligatione alias competente, non sine aliquorum ipsius Ecclesiae Capitularium choralium renitentia, maiorem cultus rationem per externos actus ostendit, in praedicto casu Hebdomadarii officium exercet; unde fit ut quamplures in Choro existentes vigore praedicti statuti maiori Altari eiusdem Ecclesiae, in quo SS̃mum Eucharistiae Sacramentum colitur, magna cum irreverentia terga vertere non erubescant. Quare infrascripta dubia ab hac S. R. C. resolvenda proponunt:

1. Utrum, stante praedicto Ecclesiae seu Chori statuto, praedictam Confessionem recitare debeat Hebdomadarius, an Praesidens Chori, qui est in capite ipsius Chori, et Hebdomadarius ad latus Chori?

2. Utrum omnes Choro interessentes genuflectere debeant ad Confessionem et Benedictionem quovis tempore, etiam Paschali atque diebus Dominicis?

3. Utrum omnes Choro interessentes virtute dicti statuti, specie et casu proposito teneantur facie ad faciem Praesidentem Chori intueri, terga SS̃mi Sacramenti Tabernaculo, directo vel ex obliquo, vertentes; an potius faciem vertere ad Altare et Tabernaculum, et terga ac latus ad Chori Praesidentem?

4. In Rubricis generalibus Missalis, Tit. V, *De Missis Defunctorum*, praecipitur, ut in prima die cuiuscumque mensis, non impedito Festo novem lectionum, Missa de Requiem celebretur; et quod si Festum simplex occurrat, duae Missae in Ecclesiis Cathedralibus, una de Festo et alia pro defunctis, dicantur. In praedicta Ecclesia longaevo tempore in Festo simplici Missae de Requiem celebrari in desuetudinem abiit, licet eo mense feria, in qua Missa pro defunctis dici potest, non occurrat. Quaeritur nunc: an, non obstante consuetudinis introductione, celebrari debeant duae Missae, iuxta Rubricas Missalis, vel potius eo mense Missa pro defunctis, virtute huiusmodi consuetudinis, valeat praetermitti?

5. In iisdem Rubricis Tit. XV, *De hora celebrandi Missam*, *num. 2*, praecipitur ut Missa Conventualis dicatur post Tertiam in diebus duplicibus et semiduplicibus, Dominicis atque octavis. In praedictae Ecclesiae statuto praecipitur, ut Capitula seu Congregationes Capitulares immediate post Primam celebrentur, et aliquando contingit quod ob multitudinem negotiorum vel eorum dilatam expeditionem Capitula protrahantur, et horologii cursus per alicuius temporis spatium sistat; et impediatur quominus Tertia in Choro cum personis capitularibus recitetur, et saepissime Hora Tertia inchoata, Conventualis Missa celebretur, Sexta et Nona perficiuntur deficientibus in Choro personis quae assistere deberent. Evenit etiam quod

Canonicus Hebdomadarius ratione voti seu suffragii in determinationibus, et decisionibus capitularis Congregationis adhibendi, non recedit a Capitulo: quamobrem in Choro saepe dicuntur et recitantur Sexta et Nona ante Missam Conventualem. Quaeritur: an debeat observari et executioni demandari Rubrica Missalis; an potius praedicta consuetudo tolerari in omnibus casibus relatis?

Et S. R. C., ad relationem Emi Corsini, respondit:

Ad 1. « Servandam esse consuetudinem ».

Ad 2. « Paschali tempore excepto, nec non Dominicis exceptis, pariter servandam esse consuetudinem ».

Ad 3. « Si Sedes Praesidis Chori e regione Altaris existit, semiversi maneant, ita ut nec Altari nec Praesidi terga vertant ».

Ad 4. « Cantandae sunt omnino duae Missae non obstante qualibet praetensa consuetudine, quae potius abusus censenda est ».

Ad 5. « Observandam esse Rubricam Missalis, et celebrationem Capituli in aliud magis opportunum tempus reiiciendam esse, non obstante statuto et consuetudine quacumque ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1609].

5625.

S. R. C., *Panormitana*, 12 mart. 1678.

Supplicante Iosepho de Comizares Canonico Ecclesiae Panormitanae pro declaratione: An extra Dioecesim Panormitanam liceat oratori uti insignibus canonicalibus, si fuerit inibi invitatus ad aliquas functiones ecclesiasticas, puta ad concionandum, seu ad ministrandum de licentia Parochi Sacramentum Baptismi, vel assistendum Matrimonio, et similia?

Et S. R. C., visis et consideratis iuribus allegatis, respondit: « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1613].

5626.

S. R. C., decr. 15 oct. 1678.

Sanctissimus D. N. Innocentius XI provide considerans, quod in tota Ecclesiae gubernatione nihil maius, aut gravius sit, quam homines declarari pro Sanctis, eosque uti tales colendos, et venerandos decernere, et perpendens, quod licet fel. rec. Urbanus VIII de consilio Congregationis Sanctissimae Inquisitionis nonnulla super hoc ediderit Decreta, [1] subindeque Sacra Rituum Congregatio alias Ordinationes fecerit secundum casuum contingentias a Summis Pontificibus approbatas; [2] nihilominus experientia

[1] Cf. N. 719.
[2] Cf. N. 5336.

docuit, quod adhuc nonnulla desiderantur pro meliori Causarum huiusmodi directione; idcirco iussit materiam diligenter discuti, primum in Congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus, prout factum fuit, et sub diebus 9 iulii et 6 augusti 1678 emanarunt resolutiones sequentes, si eidem Sanctissimo placuerit publicandae.

§ 1. – 1º Animadvertens eadem Sac. Congregatio, quod necessarium sit, ut Processus auctoritate Ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit mandari Ordinariis Locorum, ut ultra Testes inductos a Postulatoribus, teneantur ipsi quoque inquirere, ac examinare alios Testes bene instructos super vita, et moribus Servi Dei, et si aliquid repererint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant in ulteriori inquisitione, donec Sac. Congregatio ab eis certiorata per Literas, mandet, quid agendum sit.

2º Huiusmodi diligentias servari vult etiam in Processibus auctoritate Apostolica faciendis a Iudicibus Delegatis, quibus per Literas particulares Sacrae Congregationis enixe commendari debeat: et idem faciat Promotor Fidei in Literis scribendis Subpromotoribus.

3º Et pro maiori cautela praescribi debeat in Literis remissorialibus, quod non solum Interrogatoria retineantur semper clausa, et sigillata cum sigillis eorumdem Iudicum, non aperienda, nisi in actu examinis, et claudenda in fine, sed ulterius depositiones ipsae, antequam Processus sit absolutus, in fine cuiuslibet sessionis claudi, et signari debent cum sigillis Iudicum, nec possint aperiri, nisi in praesentia ipsorum in principio cuiuslibet examinis, et sessionis, ac huiusmodi diligentiae fieri debeant etiam in Processibus fabricandis in Curia. Iidemque Iudices, prout etiam Subpromotores, et Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac Testes, et in Curia etiam Protonotarius, debeant ante inchoationem Processuum praestare Iuramentum de servando secretum religiose sub poena excommunicationis ipso facto in casum contraventionis incurrendae iuxta formulam eiusdem Iuramenti imprimendam in fine Decretorum, et pro omnimoda observantia transmittendam Iudicibus Delegatis in ipsis Literis remissorialibus, et Subpromotoribus in Literis Promotoris.

4º Considerans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in Causis Beatificationum, et Canonizationum constitui debet in fideli interpretatione Processuum extero idiomate confectorum, et quod licet ex laudabili observantia interpres semper fuerit electus ab Eminentissimo Ponente, citato, et audito Reverendo Patre Fidei Promotore; nihilominus super hoc Decreta generalia nihil disponunt. Idcirco decrevit, quod in posterum in qualibet causa Interpres eligatur ab Eminentiss. Cardinali Ponente, citato, et audito Reverendo Patre Fidei Promotore, et pro maiori cautela, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo Viro probo, et perito, qui secrete ad hoc Officium assumatur ab eodem Eminentissimo Ponente, et si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur, arbitrio Sacrae Congregationis, per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interpreti, quam Revisori iuramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo, quibus etiam eadem Sacra Congregatio assignavit

mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies sit linearum 24, et linea syllabarum 26.

5º Advertens etiam quam necessaria sit diligens custodia Processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum, qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivio Sacrae Congregationis in Vaticano in loco clauso, et separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri, nisi de ordine Eminentissimi Cardinalis Ponentis, vel ad instantiam R. P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, et deinde reportandi, cuius Archivii duae sint claves, una penes Protonotarium Apostolicum, qui pro tempore intervenerit Sacrae Congregationi, et altera penes Secretarium, et clavis loci, in quo custodiuntur dicti Processus, stet penes eumdem Protonotarium; alterius vero, in quo retinentur aliae scripturae Sacrae Congregationis, penes Secretarium.

6º Idemque Protonotarius etiam habeat facultatem revidendi Inventarium dd. Processuum, et quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eundem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, et quarta in eodem Archivo, et in fine anni iidem Protonotarius, Promotor et Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, et conferre cum Processibus, ad effectum recognoscendi, an aliquid deficiat, et curandi, ut reportentur, et Secretarius referat in prima sequenti Congregatione.

7º Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum pagina 28, quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam Reges, Principes, et aliae Personae authenticae et honestae instanter supplicaverint Summo Pontifici, et tunc etiam non statim, sed expectare, quod diu pulsetur, nam si perdurabunt miracula, et supplicantium instantiae, tum Summus Pontifex, si ei videbitur, committit Causam Sacrae Congregationi: ideo si ita Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem sacra Congregatio Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis Processus, auctoritate Ordinaria fabricati, et cum praecedenti rigorosa discussione eiusdem Processus cum Scriptura, et Summario, et insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis literis Episcoporum circa percrebrescentiam famae sanctitatis, et miraculorum, ac devotionis Populi enixe pro Beatificatione, et Canonizatione instantis. Nisi tamen in aliqua causa ex peculiaribus circumstantiis Sacra Congregatio existimaverit anticipari posse tempus in discussione Processuum, auctoritate Ordinaria confectorum, et Sanctissimus hoc approbaverit.

8º In causis servorum Dei ante Decreta fel. record. Urbani VIII introductis, non signentur Commissiones reassumptionis, nisi prius per Sacram Congregationem examinatis Processibus, tam auctoritate Ordinaria confectis, quam auctoritate Apostolica, quatenus adsint.

9º Cum in Decreto approbato a fel. record. Urbano VIII die 12 martii 1631 [1] impresso in libello, pagina 57, Sacra Congregatio cognoscens, quod in hac re, utpote gravissima, rite, sancteque procedendum est, prohibuerit

[1] Cf. N. 5336.

omnibus, et singulis Personis Ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub poenis arbitrio ipsius Sacrae Congregationis infligendis, illud confirmando iussit, quod huiusmodi extraiudiciales attestationes non solum exquiri, aut obtineri non valeant, sed rursus quod hactenus obtentae, sive in futurum obtinendae, non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in Processibus, tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis.

10º Subpromotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi, et examinandi Processus (ex quibus pendet Beatificationum, et Canonizationum substantia), ad effectum referendi eidem Promotori, debeat huiusmodi munus diligentissime, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quae solent a Procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum Processibus, subsecuta attestatione, quod fuerint per ipsum revisa, et in quolibet folio se subscribat, eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat, postquam fuerint impressa, cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio et sigillum Secretarii, nec ante praedictas subscriptiones possint tam Summaria, quam Informationes publicari sub gravissimis poenis, tam quoad Postulatores, quam etiam quoad Impressorem, arbitrio Sacrae Congregationis, seu Eminentissimi Cardinalis Praefecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipse D. Promotor ex diligenti et accurata revisione Processuum, quam facere solet, necessarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium obiectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod Sacra Congregatio plurimum expedire cognoscit, ad hoc, ut veritas magis elucescat. Et pro quolibet Processu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet Dubio, persolvatur ei stipendium decem ducatorum auri praescriptum in Decretis generalibus, pag. 62, cum declaratione tamen, quod respectu Processuum auctoritate Apostolica in specie, qui pluries ad diversum effectum examinari debent, dictum stipendium, debeatur pro tribus Dubiis tantum, nempe prima vice, quando disputatur validitas, secunda vice, quando disputatur de virtutibus, seu de Martyrio, et causa Martyrii, et tertia vice, quando disputatur de miraculis, quamvis disputationes alicuius ex dictis Dubiis pluries reiterari contingat, seu eadem Dubia in diversas inspectiones pro faciliori resolutione dividantur.

11º Et quia materiae gravitas, et dignitas exposcit, ut pertractetur, et dirigatur a Viris notae probitatis, experientiae et peritiae, censuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quam Summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores Collegii Sacri Palatii Apostolici, tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex dicto coetu, quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas, quam quatuor, ad hoc, ut eis facilius operam dare possint, sub poena inhabilitatis amplius

scribendi in casum controventionis, et liceat Partibus in quocumque statu causae, rationabiliter tamen, et praevia licentia Eminentissimi Ponentis mutare Procuratorem, dummodo alias in eius locum subrogandus sit de eodem Collegio, et non habeat in totum plures causas, quam quatuor.

12º Advocati vero ad scribendum in iure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex Collegiis Sacrae Consistorialis Aulae, vel ex duodecim aliis approbatis a Sacra Congregatione, ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit.

13º Pro mercede autem praedictorum, ac etiam Notarii, Sacra Congregatio iussit servari taxas ab ea diligenter revisas, quae, ut omnibus innotescat, typis mandari debeant, et in fine Decretorum inseri.

14º Cum etiam observatum fuerit, saepe Postulatores dare Scripturas Medicorum vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, et ex alia parte non fuerit solitum responderi per Peritos eiusdem professionis: ideo videtur necessarium, ad hoc, ut respondeatur secundum artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex officio, secreto, et praevio iuramento, alium Medicum vel Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate, ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturae.

§ 2. Die 15 octobris 1678 facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo praefatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit et approbavit atque servari mandavit, et publicari. — Ioannes Baptista de Luca Auditor et Secretarius Memorialium. — Loco ✠ Sigilli. — Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congregationis Secretarius.

§ 3. *Formula Iuramenti Iudicum ante inchoationem Processuum:* Ego infrascriptus tactis sacrosanctis Evangeliis coram me positis, iuro, et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus in Causa Beatificationis, et Canonizationis Servi Dei N. iuxta formam Decretorum Sacrae Congregationis Rituum, et praecipue novissimorum, quae confirmata fuerunt a Sanctissimo D. N. Innocentio XI. Necnon iuro, et promitto religiose servare secretum, tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, et super articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis aliis Iudicibus, et Subpromotore, ac Notario pro eodem Processu deputatis, et in Curia excepto etiam Protonotario, sub poena periurii, et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam maiori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Et ita promitto, et iuro: Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Idem Iuramentum praestabitur a Subpromotore, et Notario, et in Curia etiam a Protonotario, mutatis mutandis.

§ 4. *Formula Iuramenti Testium:* Ego infrascriptus tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis, iuro dicere veritatem, tam super interrogatoriis, quam super articulis, super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iisdem interrogatoriis, quam responsiones et depositiones a me factas, sub poena periurii, et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso

etiam maiori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Et ita promitto, et iuro: Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

[Bull. Rom., tom. 8, p. 67-72].

5627.

S. R. C., *Ampurien.*, 26 nov. 1678.

Facta relatione per Emum Card. Sabellum Ponentem causae Ampurien. in S. R. C. de controversia super praecedentia in Processionibus, vertente inter Fratres Minores Observantes ex una, et Capuccinos parte ex altera, habentes ambo Conventum in oppido Nulvi in Sardinia Ampurien. Dioecesis;

S. R. C., auditis hinc inde partibus in voce et in scriptis pluries informantibus, et praecipue pro parte Minorum Observantium, declaravit: « Praecedentiam deberi Fratribus Minoribus Observantibus, ex quo Observantes sunt priores ordine qualitatis et approbationis Apostolicae, et Capuccini, licet priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, sunt tamen filiales ex eadem Religione Observantium, et longe posteriores in approbatione Apostolica: quo casu non intrat Bulla Gregoriana [1] de anterioritate Conventus in eodem loco ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1616].

5628.

S. R. C., *Matheranen.*, 26 nov. 1678.

In terra Ferrandinae Dioecesis Matheranen. existit Collegiata Ecclesia, ut vocant, receptitia, cui inserviunt centum Presbyteri participantes massam communem; et in ea adsunt duae Dignitates, quarum una, quae, ut asseritur, prima et principalis est Archipresbyter; altera non principalis est Cantor. Sed quia munera obeunda inter dictas Dignitates confunduntur, ideo

S. R. C. ad instantiam praedicti Archipresbyteri, inhaerendo resolutionibus alias in similibus emanatis, [2] declaravit ut infra, videlicet:

1. « Convocationem Capituli ad Archipresbyterum spectare uti primam Dignitatem ».

2. « Capsulam, in qua conservatur sigillum Capituli, duabus clavibus obsignandam esse, quarum altera sit penes electum a Capitulo, altera penes maiorem Capituli, nempe Archipresbyterum ».

3. « Facere tabellas Missarum et assignare Presbyteros per turnum spectare ad Archipresbyterum ».

[1] Cf. N. 151.
[2] Cf. N. 5158, 5463, 5572.

9. « Non alba, sed tantum superpelliceum adhibendum est in Processionibus, quando induuntur Planetae, vel Dalmaticae seu Tunicellae, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum, lib. 1, cap. 15, § 6 ».
Et ita decrevit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1619].

5629.

S. R. C., *Papien.*, 18 mart. 1679.

S. R. C., audita relatione Rm̃i Episcopi Papien., declaravit: « Confraternitatem SSm̃ae Trinitatis Terrae Basignanae Dioecesis Papien. posse continuare usum diebus festivis SSm̃ae Trinitatis et S. Laurentii Titularis Oratorii faciendi canere Missam per suum Cappellanum, absque tamen assistentibus, etiam administrandi Sacramentum Eucharistiae, nec non qualibet tertia Dominica mensis exponendi SSm̃um Sacramentum cum sola licentia Ordinarii, etiam renuente et contradicente Parocho ».
Et ita decrevit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1622].

5630.

S. R. C., *Discalceatorum SS. Trinitatis Congregationis Gallicanae*, 2 sept. 1679.

Cum S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, [1] et signanter in una *Savonen.*, die 19 decembris 1671, [2] et altera *Senogallien.*, 22 iunii 1675, [3] declaraverit defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium tumulanda, esse deferenda recto tramite et per viam a Parocho declarandam ad Ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem, etiam haeredibus defunctorum contradicentibus, volentibus ad dictam parochialem Ecclesiam prius deferri;

Iterum eadem S. R. C. ad instantiam P. Fr. Ignatii a S. Antonio Procuratoris Generalis praedictorum Discalceatorum SSm̃ae Trinitatis Congregationis Gallicanae, mandavit: « Ut dicta Decreta servari debeant etiam a Parocho Terrae de Falcone Dioecesis Ebredunen., praetendente, quod cadavera sepelienda in Ecclesia Conventus praedictorum Religiosorum noviter erecti, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et ibi ipsi dare ultimum vale ». Et ita decrevit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1634].

[1] Cf. N. 5406, 5452, 5583.
[2] Cf. N. 5584.
[3] Cf. N. 5605.

5631.

S. R. C., *Monopolitana*, 16 dec. 1679.

S. R. C., inhaerendo Decreto alias pro Monopolitana Civitate emanato, iterum declaravit: « Cadavera defunctorum etiam Presbyterorum et Sacerdotum in Regularium Ecclesiis tumulanda, deferenda esse recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad Parochialem, sive ad alias Ecclesias, non obstante asserta contraria consuetudine immemorabili a Clero et ecclesiasticis eiusdem Civitatis Monopolis allegata, formiter et legitime probanda ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1638].

5632.

S. R. C., *Maioricen.*, 16 dec. 1679.

S. R. C. die 16 decembris 1679, audita instantia Rm̃i Episcopi Maioricen., respondit: « Episcopus Oropensis, qui obtinet Canonicatum in Cathedrali Maioricensi, praecedere debet supra omnes Dignitates et Canonicos eiusdem Cathedralis ». Et ita declaravit. [1]
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1672].

5633.

S. R. C., *Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae*, 27 ian. 1680.

S. R. C. ad preces Patris Fr. Caroli Felicis a S. Teresia Procuratoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae porrectas per Em̃um et Rm̃um Dominum Cardinalem Alterium, inhaerendo Brevi fel. rec. Urbani VIII dato die 24 iulii 1641, et Decreto eiusdem Sacrae Congregationis emanato die 4 martii 1673, ad favorem Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini gratiam benigne extendendo, concessit: « Ut in posterum corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda, sed Parochum debere cadavera suorum parochianorum levare a loco ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae praedictorum Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus; nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus Officium in Ecclesiis praefatorum Regularium, sed hoc ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare et pertinere. Et ita in omnibus et singulis Conventibus praedictorum Regularium

[1] Cf. N. 5640, 5647.

Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae ubique existentibus servari mandavit, quibuscumque Decretis eiusdem S. C., et aliis in similibus editis, in contrarium non obstantibus ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1640].

5634.

S. R. C., *Messanen.*, 24 febr. 1680.

Pro parte Parochorum Civitatis Messanen. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. An Parochi Civitatis Messanae Officium defunctorum, Missamque, aliaque funeralia celebranda in die obitus alicuius Parochi, seu annuali, vel alia die, vel suorum propinquorum, una insimul convenire possint: et an sedeant cum praecedentia ad reliquos simplices Presbyteros non Curatos?

2. An supradicti Parochi in Festis Titularium, aliorumque Sanctorum uniuscuiusque parochialis Ecclesiae possint insimul convenire Vesperas Missasque cantare, aliisque functionibus ecclesiasticis assistere, cum habeant substitutum seu Vice-Parochum pro servitio suarum Ecclesiarum respective parochialium; et an ubi non adsunt stalla possint sedere in aliquo scamno oblongo cum postergali cooperto aliquo panno decentis coloris cum tapete; et an sedeant cum praecedentia ad reliquos simplices Presbyteros non Curatos?

11. An possint Regulares, priusquam ad eorum Ecclesias corpora defunctorum efferantur tumulanda, ac etiam Cappellani Confraternitatum et Collegiatarum, aspergere in domibus ipsorum defunctorum super eadem cadavera, exclusis eorum propriis Parochis, vel soli Parochi proprii debeant hoc officium peragere?

S. R. C. respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. « Affirmative de consensu Parochorum, in quorum Ecclesiis celebrandum est Officium et funus; quo vero ad praecedentiam in sedendo, etiam affirmative ».

Ad 2. « Affirmative pariter de consensu Parochorum praedictarum Ecclesiarum; et quoad scamnum et reliqua, etiam affirmative ».

Ad 11. « Servetur Rituale Romanum ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1643].

5635.

S. R. C., *Novarien.*, 24 febr. 1680.

In causa Novarien. Praecedentiae vertente inter Iosephum Fortem et alios Sacerdotes antiquiores Terrae Orbae ex una, et Ioannem Baptistam Nigrum et alios Cappellanos in Ecclesia parochiali eiusdem loci partibus ex altera,

S. R. C. ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Carpinei, censuit: « Praecedentiam deberi indistinctim Sacerdotibus in Ordine antiquioribus ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1644].

5636.

S. R. C., *Tinen.*, 24 febr. 1680.

Supplicante Episcopo Tinen. in Insula Archipelagi, ut in posterum S. R. C. concedere dignaretur quod in praedicta Insula prima Missa nocte Nativitatis Domini celebrari possit circa tres horas noctis post Vesperum et Matutinum, sicut fit in Candia et aliis Civitatibus Status:

S. R. C. respondit: « Non licuisse, neque licere ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1645].

5637.

S. R. C., *Lauden.*, 6 apr. 1680.

Episcopus Lauden. a S. R. C. declarari postulavit:

1. Quomodo excipiendi et tractandi sint ab Episcopo Generales Religionum?

2. Aspersorium Aquae benedictae a quo porrigendum sit Episcopo, cum ad aliquam Ecclesiam accedit?

Et S. R. C. inhaerendo Decretis alias editis, respondit:

Ad 1. « Generales Ordinum tractandos esse ab Episcopo tam in eis comitandis, quam in aliis functionibus honorariis, pariformiter ac Praelatos, quorum Dignitati aequiparantur, ut disponit Caeremoniale Episcoporum, lib. 1, cap. 13, § 12 ».

Ad 2. « Aspersorium aquae benedictae porrigendum esse Episcopo a prima Dignitate Ecclesiae tam Regularis quam Saecularis, ad quam accedit, etiamsi adsit aliquis Canonicus vel Dignitas Cathedralis, dummodo non adsit capitulariter, nec non cum indumentis canonicalibus; tunc enim huiusmodi munus ad primam Dignitatem Cathedralis spectare, sicut alias resolutum fuit ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1646].

[1] Cf. N. 5160, 5232, 5273, 5314, 5384, 5480, 5550, 5235; *Turritana*, 14 febr. 1632; *Aversana*, 12 ian. 1669; *Imolen.*, 14 apr. 1674; *Civitatis Castelli*, 9 iul. 1678. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 584, 1376, 1506, 1614.

5638.

S. R. C., *Sutrina*, 6 apr. 1680.

Relata Causa controversiae per Emũm et Rm̃um D. Card. Columna in S. R. C., ortae inter Capitulum et Canonicos Cathedralis Sutrinae ex una, et Ioannem Baptistam Nesulam Parochum S. Silvestri eiusdem Civitatis de et super iure delationis Crucis in funeralibus;

S. R. C., utraque parte informante, censuit (inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis): [1] « Cadavera defunctorum debere associari cum unica tantum Cruce, quae esse debet illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes, non obstante asserta manutentione a praedicto Parocho praetensa deferendi eius Crucem ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1647].

5639.

S. R. C., *Taurinen.*, 11 ian. 1681.

Cum expositum sit quod duo adsunt Parochiales in Oppido Ripularum Taurinen. Dioecesis, altera sub invocatione S. Mariae de Stella, spectans ad Capitulum Collegiatae in eadem Ecclesia erectae; altera sub invocatione S. Martini, et haec est Plebania; in solemnitate SSm̃i Corporis Christi Capitulum dictae Collegiatae facere solet Processionem, et in die Dominica infra octavam illam facit Plebanus S. Martini. Cumque annis elapsis Capitulum praetenderet dictum Parochum seu Plebanum S. Martini non facere Processionem, Rm̃us Archiepiscopus Taurinen. ei impertitus fuit licentiam illam faciendi; sed Capitulum non acquiescens habuit recursum ad Rm̃um Nuntium, qui protulit sententiam ad favorem Plebani S. Martini faciendi Processionem dicto die Dominico, etiam extra limites suae Parochiae. Devoluta causa ad S. R. C. pro declaratione: an Rm̃us Archiepiscopus et Nuntius bene processerint, decernendo licuisse et licere eidem Plebano S. Martini facere Processionem?

S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Casanate, utraque parte hinc inde audita et informante, censuit: « Posse Episcopum concedere licentiam ingrediendi limites alienae Parochiae pro ea tantum parte, quam ad decentem circuitionem Processionis iudicaverit expedire ». Et ita declaravit atque decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1657].

[1] Cf. N. 5319, 5415, 5567, 5601.

5640.

S. R. C., *Maioricen.*, 7 iun. 1681.

Iterum proposita causa ad instantiam Archidiaconi et aliarum Dignitatum Cathedralis Maioricae adversus Episcopum Oropen. Canonicum eiusdem Ecclesiae super declaratione Decreti die 16 decembris 1679, [1] ad favorem praedicti Episcopi, circa modum nempe praecedendi et sedendi;

S. R. C., visis iuribus ab utraque parte informante, hinc inde deductis, respondit: « In decisis quoad Episcopum; quo vero ad Archidiaconum, praecedat aliis Dignitatibus et occupet locum post Episcopum Maioricensem immediate ». Et ita declaravit et servari mandavit. [2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1672].

5641.

S. R. C., *Sancti Miniati*, 7 iun. 1681.

Pro parte Vicarii Capitularis Sancti Miniati supplicatum fuit pro declaratione, ut infra:

1. An liceat Regularibus in eorum propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere pro causa publica, vel magnae devotionis, quae tamen prius non fuerit approbata ab Ordinario? Et si fecerint, an poenas incurrant synodales?

2. Si praedicta publica causa et magnae devotionis fuerit semel vel pluribus vicibus approbata, debeat quolibet anno, recurrente anniversario, iterum ab Ordinario approbari, si petatur?

Et S. R. C. respondit tam ad primum, quam ad secundum: « Non posse sine licentia Ordinarii ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1673].

5642.

S. R. C., *Urbis seu Romana*, 9 aug. 1681.

Instantibus Capitulo et Canonicis vetustissimae Collegiatae Ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, Sacra Rituum Congregatio, inhaerendo Decretis alias editis, [3] declaravit: « In associatione cadaverum quae humanda deferuntur ad eamdem Ecclesiam, ipsius Crucem erigendam esse; et eiusdem Sacristam seu Cappellanum cum Stola incedere, et in ipsa Ecclesia circa praedicta cadavera officium et absolutionis caeremoniam peragere debere ». Et ita servari mandavit. [4]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2227].

[1] Cf. N. 5632.
[2] Cf. N. 5647.
[3] Cf. N. 5403, 5406, 5407, 5452, 5567, 5601, 5622, 5633, 5638.
[4] Cf. N. 5750.

5643.

S. R. C., *Brictinorien.*, 20 sept. 1681.

Pro parte Praepositi primae Dignitatis Ecclesiae Brictinorien. supplicatum fuit pro declaratione: an Capitulum et Canonici teneantur canere duplicem Missam in diebus Quadragesimae, Quatuor temporum et Rogationum, ubi in ipsis aliquod Festum duplex incidit: et an praefati teneantur assistere ad utramque Missam?

Et S. R. C., audita relatione Episcopi, respondit: « Serventur Decreta synodalia, et Canonicos teneri ad assistentiam ». Et ita declaravit. [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1677].

5644.

S. R. C., *S. Angeli de Lombardis*, 22 nov. 1681.

S. R. C. inhaerendo aliis resolutionibus, [2] iterum declaravit: « Inter plures ordinatos ad Presbyteratum eodem tempore ab eodem Episcopo, illum praeferendum esse in Choro, in Processionibus et aliis actibus Capitularibus, qui prius descriptus, vocatus et ordinatus fuit, non autem qui prius Missam celebraverit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1682].

5645.

S. R. C., *Lucana*, 22 nov. 1681.

S. R. C., inhaerendo resolutionibus, circa celebrationem trium Missarum in Nocte Natalis Domini, alias editis, [3] et signanter sub die 7 decembris 1641, [4] iterum declaravit: « Non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis et Presbyteris Ecclesiae Cathedralis Lucanae, celebrandi tres Missas privatas immediate post decantatam Missam solemnem in nocte Natalis Domini, sed omnino pohibendum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1683].

[1] Cf. N. 5648.
[2] Cf. N. 5166, 5225, 5287, 5301, 5464, 5513, 5635.
[3] Cf. N. 5616, 5636.
[4] S. R. C. Decreta Authentica, n. 781.

5646.

S. R. C., *Thelesina seu Cerretana*, 22 nov. 1681.

Propositis in Congregatione Sacrorum Rituum per Emum et Rmum Dominum Card. Casanate infrascriptis quaesitis inter Ecclesiam Cathedralem Thelesinam translatam in Ecclesiam S. Leonardi de Cerreto Thelesinae Dioecesis, et Ecclesiam Collegiatam Parochialem S. Martini eiusdem Oppidi Cerreti;

S. R. C. ad singula, utraque parte informante, respondit ut infra:

2. An Canonici Cathedralis Ecclesiae possint in eodem oppido facere Processiones quocumque anni tempore, invito Parocho, etiam infra octavam Corporis Christi?

3. An Canonici Ecclesiae Collegiatae parochialis S. Martini possint in Sabbato Sancto pulsare Campanas antequam pulsentur ab Ecclesia S. Leonardi?

6. An possint Regulares facere Processiones intra limites Parochiae, Parocho invito, vel irrequisito?

8. An iidem Canonici Ecclesiae Parochialis possint facere Processiones extraordinarias, licentia Episcopi non petita?

11. An in Processionibus Rogationum, Episcopo absente vel nolente, in oppido Cerreti precum decantatio pertineat ad Archipresbyterum Ecclesiae S. Martini, an vero ad Canonicos Ecclesiae Cathedralis?

12. An Sacramenta Episcopo aegrotanti ministranda sint ab eodem Archipresbytero, ut Parocho, an vero a Canonicis Ecclesiae Cathedralis?

Et S. R. C. respondit:

Ad 2. « Affirmative, obtenta licentia Episcopi, et invitatis Canonicis ».
Ad 3. « Negative simpliciter ».
Ad 6. « Negative, nisi de licentia Episcopi ».
Ad 8. « Negative ».
Ad 11. « Pertinere ad Dignitates et Canonicos Cathedralis ».
Ad 12. « Spectare ad digniorem Capituli Cathedralis ».
Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1684].

5647.

S. R. C., *Maioricen.*, 18 apr. 1682.

Iterum Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Maioricensis ex noviter deductis supplicarunt apud S. R. C. pro recessu a decisis sub diebus 16 decembris 1679, [1] et 7 iunii 1681, [2] et declaratione, quod ad formam

[1] Cf. N. 5632.
[2] Cf. N. 5640.

Statuti confecti usque ab anno 1505, et consuetudinis Ecclesiae Valentinae allegatae, Episcopus Titularis Oropensis, ratione suae dignitatis, nullum superiorem gradum, nullamque praeeminentiam et decentius stallum habeat nec in Choro nec in Capitulo supra alias Dignitates et Canonicos dictae Cathedralis Ecclesiae, sed suum tantum locum canonicalem occupet, si velit in Capitulo et Choro cum aliis inservire: aut saltem in omni casu demandare ut quaelibet ex Dignitatibus gradatim sedeat, ita ut Archidiaconus, qui de praesenti secundum obtinet locum, retrotrahatur ad tertium; Sacrista, qui tertio ponitur, transferatur ad quartum, et sic deinceps, donec ipse Episcopus vivit et Canonicatum retinebit.

Et S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Card. Pamphilio, cui huiusmodi causa fuit commissa, partibus hinc inde auditis et informantibus, censuit: « Standum esse in decisis sub diebus 16 decembris 1679, et 7 iunii 1681 ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1688].

5648.

S. R. C., *Brictinorien.*, 22 aug. 1682.

Cum in S. R. C. habita die 20 septembris 1681, [1] ad instantiam Praepositi primae Dignitatis Ecclesiae Cathedralis Brictinorien., supplicatum fuerit pro declaratione: An Capitulum et Canonici tenerentur canere duplicem Missam in diebus Quadragesimae, quatuor Temporum et Rogationum, ubi in ipsis aliquod Festum duplicis Sancti incidit; et an praefati tenerentur assistere ad utramque Missam; S. R. C. declaravit: « Servanda esse Decreta Synodalia, et Canonicos teneri ad assistentiam »; nunc iterum proposita causa per Emum et Rmum D. Cardinalem de Lauraea pro parte Capituli et Canonicorum eiusdem Cathedralis, supplicatum fuit recedi a praedicto Decreto ex noviter deductis.

Et S. R. C., utraque parte audita et informante, censuit: « Standum esse in decisis ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1694].

5649.

S. R. C., *Hortana*, 22 aug. 1682.

S. R. C., audita relatione Rmi Episcopi Hortani, declaravit non licere facere functiones parochiales Cappellano confratrum societatis Ecclesiae S. Blasii in dicta Ecclesia, sita intra limites parochialis Ecclesiae S. Silvestri eiusdem Civitatis Hortanae, in praeiudicium Praepositi et Parochi eiusdem S. Silvestri, ideoque censuit: « Id praedicto Cappellano esse prohibendum, prout prohibuit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1696].

[1] Cf. N. 5643.

5650.

S. R. C., *Brictinorien.*, 26 sept. 1682.

S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Card. de Lauraea, utraque parte audita hinc inde et informante, declaravit: « Functiones maiores ad Episcopum spectantes, ipso absente vel impedito, spectare et pertinere ad Praepositum primam Dignitatem Cathedralis Ecclesiae Brictinorien., non autem ad alias Dignitates et Canonicos eiusdem Ecclesiae in hebdomada eis assignata ». Et ita decrevit et servari mandavit, allegata consuetudine in contrarium non obstante.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1697].

5651.

S. R. C., *Ravennaten.*, 23 ian. 1683.

In causa Ravennaten. supplicante Rmo Archiepiscopo declarari: An Monachi Monasterii S. Vitalis Ravennae teneantur accedere ad Processiones pro bono publico?

S. R. C. proponente Emo et Rmo D. Card. Columna, partibus hinc inde informantibus, respondit: « Teneri ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1704].

5652.

S. R. C., *Ruben.*, 20 mart. 1683.

S. R. C., proponente Emo et Rmo D. Card. de Lauraea causam pro parte et ad instantiam Archidiaconi et aliarum Dignitatum Cathedralis Ecclesiae Rubensis contra Rmum Episcopum Ruben. et eius Vicarium Generalem, et audita relatione eiusdem Episcopi, censuit: « Non potuisse Episcopum nominare Censores pro directione Chori sed hoc ius pertinere ad primam Dignitatem ». Quo vero ad Sedem: « Non licuisse neque licere Vicario Generali sedere in Sede Episcopali, immo monendum eumdem Vicarium, quod locum illum usurpaverit ».

Atque ita declaravit et decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1709].

5653.

S. R. C., *Albinganen.*, 24 iul. 1683.

Ad instantiam Ioannis Lombardi Praepositi Collegiatae Ecclesiae de Taggia Albinganen. Dioecesis, supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta dubia, videlicet:

1. Utrum post Processionem Reliquiarum, impertiri populo debeat benedicto cum Reliquiis?

2. Utrum in Missa de Requiem conveniat communionem fidelibus ministrare, vel post illam, et in casu convenientis administrationis post Missam cum paramentis nigris, utrum conveniat dari benedictionem; an vero benedictio omittenda?

3. Utrum in dicta Ecclesia, ubi instituta reperitur Societas B. M. V. de Monte Carmelo, vulgo *del Carmine*, possint in fine Litaniarum adiungi *S. Maria de Monte Carmelo ora pro nobis*, prout fit in Ecclesiis Carmelitarum?

Et S. R. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra:

Ad 1. « Posse, nullam tamen adesse obligationem ».

Ad 2. « Non esse contra Ritum: si tamen administretur communio post Missam, omittendam esse benedictionem ».

Ad 3. « In Litaniis nihil addendum, nisi doceatur de Privilegio, seu licentia S. R. C. ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1711].

5654.

S. R. C., *Pisana*, 24 iul. 1683.

In Sacra Rituum Congregatione per Emum et Rmum Dom. Card. Columna Ponentem in causa Pisana Caeremoniarum, pro Rmo Dom. Archiepiscopo, Capitulo et Canonicis primatialis Ecclesiae Pisarum, contra Praepositum et Canonicos insignis Collegiatae Ecclesiae Liburni, proposita fuerunt infra dicenda dubia ab eadem S. C. resolvenda, videlicet:

1. An occasione solemnis visitationis, Canonici teneantur associare et reassociare Rmum Archiepiscopum processionaliter cum Clero et Cruce?

2. An teneantur accedere ad habitationem Rmi Archiepiscopi, quando vult pergere ad Ecclesiam solemniter celebraturus?

3. An, quatenus teneantur accedere, debeant processionaliter cum toto Clero et elata Cruce?

4. An teneantur in huiusmodi associatione anteire Rmum Archiepiscopum, aut potius subsequi?

5. An, post peracta solemnia, teneantur Canonici comitari Rmum Archiepiscopum usque ad eius habitationem, aut potius usque ad fores, seu atrium Ecclesiae?

6. An teneantur toties quoties Rmus Archiepiscopus intendit ad praedictum effectum se conferre in eamdem Ecclesiam, aut potius diebus solemnibus tantum?

7. An et quando Archiepiscopus sacris vestibus indutus procedit e Secretario ad Altare celebraturus, Crux Archiepiscopalis deferenda sit ante ipsum immediate, an potius ante Canonicos paratos?

8. An Rmus Archiepiscopus possit inhibere Canonicis, quin inchoent divina Officia ante ipsius adventum, et ipso perveniente post illa incepta, teneantur Canonici repetere?

9. An in Processione Augustissimi Corporis Christi, Crux Archiepiscopalis deferri debeat per Subdiaconum paratum ante Beneficiatos paratos? [1]

10. An quoties Pisis celebratur Synodus, debeant omnes Canonici ad eamdem Civitatem accedere?

Et S. R. C., visis ac discussis iuribus hinc inde allegatis ab utraque parte informante, ad supradicta dubia respondit, ut infra:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Anteire ».

Ad 5. « Affirmative etiam cum Clero et Cruce usque ad domum ».

Ad 6. « Affirmative, si pontificaliter accedit ».

Ad 7. « Ante Canonicos, iuxta Caeremoniale, lib. 1, cap. 15, § 8 ».

Ad 8. « Negative, et dentur Decreta ». [2]

Ad 9. « Affirmative ».

Ad 10. « Dentur Decreta S. Congregationis Concilii ». [3] Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1712].

5655.

S. R. C., *Mantuana*, 2 oct. 1683.

S. R. C. ad instantiam Promotoris Fiscalis Mensae episcopalis Mantuanae respondit: « Monachi Cassinenses Monasterii Omnium Sanctorum eiusdem Civitatis, quamvis sint in parvo numero sex Religiosorum, tenentur accedere ad Processionem in Festo solemnitatis SSmi Corporis Christi, quacumque consuetudine in contrarium non obstante ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1716].

5656.

S. R. C., *Bitecten.*, 23 sept. 1684.

S. R. C.: « Mandavit scribi Episcopo Bitecten., ut omnino amoveri faciat baldachinum Baronissae Dominae Civitatis Bitecti in Ecclesia Cathedrali erectum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1734].

[1] E. Dub. 10 et 11.

[2] S. R. C., *Neritonen.*, 25 febr. 1606; *Brundusina*, 22 ian. 1639. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 199; 663.

[3] Cf. N. 2128, 2543.

5657.

S. R. C., *Gnesnen.*, 24 mart. 1685.

Cum pro parte Promotoris Fiscalis Gnesnen. institum fuerit coram Rm̃o Nuntio Apostolico Poloniae, ut cogerentur Regulares Terrae Cassiliae ad desistendum ab abusu introducto de non reassociando SSm̃um ad Ecclesiam Collegiatam, et Matricem S. Mariae dicti loci, die Festivitatis Corporis Christi, et obtento Decreto ab Auditore praefati Nuntii remissivo ad S. R. C., eadem commisit causam Em̃o et Rm̃o Domino Card. Pamphilio, auditis prius Rm̃o D. Panciatico et R. P. Procuratore Generali Minorum Conventualium S. Francisci. Citatis itaque supradictis et aliis interesse habentibus, et per eumdem Em̃um Pamphilium proposito ac discusso dubio: An Regulares existentes in curia Cassiliensi teneantur in Festo Corporis Christi ad Ecclesiam Matricem reassociare SSm̃um, ibique permanere usque ad benedictionem?

Et S. R. C. respondit: « Teneri ». Et ita declaravit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1748].

5658.

S. R. C., *Nolana*, 23 mart. 1686.

In causa Nolana Praeeminentiarum vertente inter Rm̃um Episcopum Nolanum eiusque Vicarium Generalem ex una, et Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis parte ex altera, supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta dubia proposita et relata ab Em̃o et Rm̃o Domino Card. de Lauraea: auditis iuribus hinc inde deductis et allegatis ab utraque parte informante, videlicet:

1. An Episcopo, in pulpito concionanti, teneantur duo Canonici assistere?

S. R. C. respondit: « Teneri, si Episcopus pontificaliter indutus, idest cum pluviali et mitra, concionetur in Cathedrali ».

2. An Episcopo extra Cathedralem, sed in Civitate, pontificaliter celebranti, Canonici teneantur assistere?

S. R. C. respondit: « Tres tantum Canonici, praeter Diaconum et Subdiaconum, tenentur assistere ».

3. An Episcopo extra Civitatem ordinationes et alias functiones exercenti, Canonici teneantur assistere?

Et S. R. C. respondit: « Non teneri ».

4. An Episcopo pontificaliter ad Ecclesiam venturo Capitulum teneatur ad aulam Palatii Episcopalis accedere ad eum recipiendum et associandum, et in reditu teneantur usque ad eumdem locum reassociare?

S. R. C. respondit: « Quoad primam partem teneri ad aulam accedere, accipere et associare; in reditu vero teneri solum ad reassociandum usque ad atrium, seu portam palatii episcopalis ».

5. An Capitulum sine licentia Episcopi possit in aliquo casu recitare divina Officia extra Chorum in aliqua parte Ecclesiae?

S. R. C. respondit: « Sine licentia Episcopi non posse ». Et ita declaravit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1760].

5659.

S. R. C., *Senen.*, 23 mart. 1686.

Cum alias S. R. C. decreverit, [1] prout refertur, non licere in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam alias duas Missas successive celebrare, nec communionem exhibere deposcentibus, Procurator Curiae Archiepiscopalis Senen. instat declarari, ut mandata ab omnibus pariter serventur, an Decretum liget omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Iesu, ceterosque omnes cuiuscumque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Card. de Lauraea, respondit: « Ligat omnes non habentes privilegium in contrarium ». Et ita declaravit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1761].

5660.

S. R. C., *Tiburtina*, 23 mart. 1686.

In causa controversa inter Capitulum, Canonicos et Dignitates Cathedralis Ecclesiae Tiburtinae ex una, et Canonicum Archangelum Masium Protonotarium Apostolicum de numero non participantium eiusdem Cathedralis parte ex altera, idem Canonicus Masius supplicavit declarari infrascripta quaesita:

1. Qui locus eidem incedenti cum habitu Protonotarii assignandus sit in Cathedrali, tempore divinorum Officiorum, tam assistente quam non assistente Episcopo?

2. Qui locus eidem assignandus sit, assistente Episcopo dictis divinis Officiis in Throno Presbyterii?

3. Qui locus eidem assignandus sit in Processionibus et aliis functionibus, tam praesente quam absente Episcopo?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Casanate Ponentis, visis et auditis iuribus hinc inde deductis, et allegatis ab utraque parte informante, censuit: « Canonico Masio incedenti in habitu Protonotarii deberi locum post omnes Canonicos, et non posse percipere distributiones ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1762].

[1] Cf. N. 5645.

5661.

S. R. C., *Altamura Nullius Provinciae Baren.*, 20 iul. 1686.

Quatuor in Altamurana Ecclesia Collegiata extant Dignitates, praeter Archipresbyterum Ordinarium pontificalibus insignibus decoratum, videlicet Archidiaconus, Cantor, Primicerius et Thesaurarius, cum viginti quatuor Canonicis, totidemque Cappellanis: tum vero Dignitates, excepto Archidiacono, tum Canonici, non habent ullum Ordinem Sacrum adnexum, quia Ecclesia non est Cathedralis, et hodie Thesaurarius quarta Dignitas est Clericus sexdecim annorum circiter; imo quamvis foret in Sacris constitutus, non haberet locum ad Thronum Archipresbyteri; sed assistunt ibi Archidiaconus indutus pluviali, Cantor et Primicerius Dalmaticis, remanente semper Thesaurario in suo stallo cum cotta et almutia, nisi, absentibus vel impeditis Dignitatibus ad assistendum destinatis, suppleat locum absentis vel impediti. Hoc statu Ecclesiae ita praesupposito ut certo, Capitulum et Canonici unanimiter implorarunt Sacrae Congregationis oraculum, humiliter ac suppliciter instantes responderi ad infrascripta septem quaesita: unde citato Procuratore Dignitatum, partibus hinc inde informantibus, et Eñ̃o D. Card. Casanate referente, S. R. C. ad eadem septem quaesita respondit ut infra, videlicet:

1. Cum non liceat Thesaurario Clerico supplere assistentiam ad Thronum cum pluviali, vel Dalmatica, et suppleat Canonicus in Sacris: An Thesaurarius in suo stallo thurificandus sit prius quam thurificetur Canonicus assistens in Throno?

S. R. C. respondit: « Thurificandum prius Canonicum assistentem ».

7. Cum in singulis quatuor hebdomadis per turnum obligati sint Choro una Dignitas, sex Canonici et totidem Cappellani: an liceat Dignitatibus sive divisim sive coniunctim arbitrio suo condonare in diebus Dominicis et Festis punctaturas pro Canonicis et Cappellanis, qui pro ea hebdomada in diebus ferialibus obligati non sunt?

S. R. C. respondit: « Non licere ».

Atque ita omnibus et singulis quaesitis respondendo, eadem S. R. C. servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1773].

5662.

S. R. C., *Baren.*, 22 febr. 1687.

Cum Archipresbyter terrae Casaemaximae Dioecesis Baren. introduxerit, ut expositum fuit, in Choro et intra Presbyterium illius Ecclesiae quatuor Sedes Coraminis, in quibus tempore quo celebrabantur divina Officia, assistebat Dux dictae terrae una cum matre, coniuge et fratre germano, cum tapetibus et pulvinaribus, recipiendo pacem et faciendo se

incensare triplici ductu; Rm̃us Archiepiscopus Baren. in executionem Decretorum S. R. C. [1] mandavit praedicto Archipresbytero ut removeret dictas Sedes, prout fecit. Cumque hodie Baro dicti loci praetendat supradictas Sedes pro se et mulieribus praedictis eis debere permitti, ex quo illae a tempore immemorabili ibi fuerint appositae, quamvis id non subsistat ex iustificationibus exhibitis, idem Archiepiscopus supplicavit ab ipsa S. C. declarari: an possit praedictus Archipresbyter reponere dictas Sedes in eodem Choro et Presbyterio, et an subsistat praetensa consuetudo immemorabilis allegata?

Et S. R. C. respondit: « Non licere, et ideo Sedes non esse reponendas, et Baronem cum aliis supradictis non esse thurificandum triplici ductu ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1777].

5663.

S. R. C., *Maioricen.*, 19 apr. 1687.

Pro parte Rm̃i Episcopi Maioricen. supplicatum fuit a S. R. C. declarari: an sibi liceat delegare Benedictionem Campanarum, omissa unctione, personis ordine Episcopali non insignitis, ut eius praedecessores consuevisse asseritur?

Et S. R. C., referente Eñ̃o D. Card. Colloredo, declaravit: « Non licere ». Et ita decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1781].

5664.

S. R. C., *Vercellen.*, 20 sept. 1687.

In causa Vercellen. praecedentiae inter Confratres SSm̃i Sacramenti loci Robii ex una, et Confratres SSm̃ae Trinitatis eiusdem loci Vercellen. Dioecesis parte ex altera, S. R. C., referente Eñ̃o et Rm̃o D. Card. Columna, utraque parte audita et informante in voce et in scriptis, censuit: « Indulgendum, ut Societas SSm̃i Sacramenti praecedat in Processionibus tantum in quibus SSm̃um Sacramentum defertur, dummodo eadem accedat ad alias Processiones iuxta ordinem antianitatis ». Et ita declaravit, decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1789].

[1] Cf. N. 5579, 5580, 5582, 5618

5665.

S. R. C., decr. gen. 13 mart. 1688.

Cum pluries S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, declaraverit: Nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum saecularibus, etiam Praesidi, in celebratione Missarum; nec non ipsis prohibuerit usum Baldachini, ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio;

Emi et Rmi Domini S. R. C. praepositi mandarunt, ut « Decreta prohibentia personis saecularibus osculum Evangelii, [1] usum baldachini [2] et assistentiam in Presbyterio, [3] renoventur, et exempla illorum transmittantur Archiepiscopis et Episcopis Regni Neapolis, eisdemque iniungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suae Dioecesis, tam Saecularibus quam Regularibus, et in casu transgressionis, procedant, etiam contra Regulares, auctoritate eiusdem S. C., ad poenam interdicti ». Et ita decreverunt et in Ecclesiis Regni Neapolis omnino servari iusserunt.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1792].

5666.

S. R. C., *Agrigentina*, 21 aug. 1688.

Emi et Rmi Domini, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Agrigentinae antiquitus constabat quatuordecim Capitularibus distributis ab anno 1554 per Praesulem Octavianum, ultra Dignitates, in Canonicos Presbyteros, Diaconos et Subdiaconos.

Anno 1567, confirmata per Aloisium dicta distributione, supradictis quatuordecim Capitularibus adiuncti fuerunt alii sex, tres videlicet Ordinis Presbyteralis, duo Diaconalis et unus Subdiaconalis; istique ratione posterioris erectionis contenti fuerunt semper praecedi ab aliis quatuordecim antiquioris erectionis tam in Choro, quam in Processionibus, aliisque actibus Capitularibus.

Inter dictos primos quatuordecim antiquiores, et istos moderniores omnes, ut supra, distributos in tres ordines Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum emersit controversia: utrum in peragendis functionibus spectantibus ad Ordinem Presbyteralem, deficientibus Presbyteris primae erectionis, succedere debeant Presbyteri secundae, vel potius istis prius anteferri debeant Diaconi, et Subdiaconi dictae primae? Et eodem modo in peragendis functionibus diaconalibus an si deficiant Diaconi antiquae erectionis, sint admittendi Diaconi erectionis modernioris, vel istis potius praeferendi veniant Subdiaconi dictae antiquioris erectionis?

[1] *Nullius Provinciae Baren.*, 24 aug. 1609; *Tranen.*, 11 nov. 1641. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 273, 779.
[2] Cf. N. 5498, 5526, 5656.
[3] Cf. N. 5662.

Ad sedandam huiusmodi controversiam et pro bono pacis dictae Cathedralis, omnes Capitulares supradicti tam antiquioris quam modernioris erectionis coniunctim supplicant huic S. C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum:

1. An deficientibus Presbyteris antiquioris erectionis, munus Presbyteri Assistentis Rmo Episcopo, ac eidem subministrandi incensum, expleri debeat ab uno ex Presbyteris supradictae modernioris erectionis; vel potius, istis posthabitis, a Diaconis et Subdiaconis dictae antiquioris erectionis?

2. An, in canendis Missis, quae vel ad praescriptum Caeremonialis, vel de consuetudine dictae Cathedralis, cani debent a Dignitatibus, seu Canonicis Presbyteris, deficientibus iisdem Dignitatibus et Presbyteris supradictae primae erectionis, admitti debeant Presbyteri secundae erectionis, vel potius praeferendi sint Diaconi et Subdiaconi dictae antiquae erectionis?

3. An infra octavas in quibus canere Missas debent Canonici, postquam eorum turnum expleverunt Presbyteri antiquiores, succedere debeant in canendis huiusmodi Missis immediate Presbyteri moderniores, vel potius Diaconi et Subdiaconi supradictae primae erectionis?

4. An, deficientibus Diaconis primae erectionis, adsistere debeant Rmo Domino Episcopo Diaconi secundae erectionis; vel potius, istis postpositis, Subdiaconi dictae primae erectionis?

5. An, simili modo deficientibus Diaconis dictae antiquioris erectionis, canere debeant Evangelium in Pontificalibus Diaconi erectionis modernioris; vel potius, istis posthabitis, subintrare debeant Subdiaconi primae erectionis?

Et S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Colloredo, respondit in omnibus supradictis dubiis: « Deficientibus Canonicis antiquioribus, admittantur novi Canonici eiusdem Ordinis ». Et ita declaravit atque decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1799].

5667.

S. R. C., *Caietana*, 25 sept. 1688.

S. R. C. audita relatione Rmi Episcopi Civitatis Caietanae, cui scriptum fuit pro informatione, et ad instantiam Magistratus illius Civitatis, nec non visis et auditis iuribus hinc inde deductis, declaravit: « Non licere dicto Magistratui incedere capite cooperto quando defert hastas baldachini in Processionibus cum asportatione insignis Reliquiae Ligni SSmae Crucis, et Statuae et Reliquiae brachii S. Erasmi Protectoris eiusdem Civitatis ». Et ita decrevit et servari mandavit etiam ab universo Clero, et aliis saecularibus praedictas Processiones comitantibus. [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1800].

[1] Cf. N. 5670, 5680.

5668.

S. R. C., *Comen.*, 25 sept. 1688.

Canonicorum Collegium Ecclesiae Cathedralis Comensis S. R. C. humiliter proponunt:

1. An Emo Card. Episcopo pergente ad Ecclesias seu saeculares seu regulares, vel celebrandi vel alias functiones persolvendi causa, dum a duobus vel pluribus Canonicis associatur Cathedralis Ecclesiae, aut habitu canonicali aut civili indutis, ad ipsos spectet, vel ad Rectores Ecclesiarum Monialiumque Confessarios eidem Episcopo porrigere aspersorium?

2. Cuinam pariter competat aspersorium porrigere, quando solemnes aguntur supplicationes in praedictis Ecclesiis, cum interventu totius Capituli habitu canonicali induti?

Et S. R. C. inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter in *Messanen.*, 11 iulii 1643 [1] et in *Lauden.*, 6 aprilis 1680, [2] respondit:

Ad 1. « Spectare ad Rectorem, seu digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit ».

Ad 2. « Ad primam Dignitatem, seu digniorem de Capitulo Cathedralis ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1803].

5669.

S. R. C., *Gerunden.*, 12 mart. 1689.

Proposita in S. R. C. instantia Rmi Episcopi Gerunden. et Capituli eiusdem Cathedralis super infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Magistratui et Iuratis Civitatis Gerunden., tam in dicta Cathedrali quam in aliis Ecclesiis eiusdem Civitatis, licitum sit habere locum in Presbyterio?

2. An Capitulum ac Canonici eiusdem Ecclesiae potuerint Magistratui et Iuratis per viam concordiae, non tamen auctoritate Apostolica confirmatae, permittere sive concedere locum in dicto Presbyterio, ita ut ob huiusmodi concordiam per tempus viginti annorum observatam, aliquod ius ad illum acquirere valuerint?

3. An prohibendum sit Magistratui et Iuratis ne utantur Sedibus et pulvinaribus cum tapete, tam in Ecclesiis quam in alio quocumque loco, in quo debent concurrere sive assistere Episcopo vel Canonicis repraesentantes Capitulum?

Et supplicantibus pro eorum resolutione ad formam Decreti per Sacram

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 845.
[2] Cf. N. 5637.

Congregationem Concilii emanatam sub die 10 novembris 1657, ad instantiam Praecentoris Maioris Cathedralis Ecclesiae Gerunden., declarantis: non licere Ecclesiis Collegiatis concedere Officialibus laicalibus locum in Presbyterio, confirmati ab eadem S. C. Concilii sub die 31 augusti 1658, nec non iuxta tenorem Decreti Generalis huius S. R. C. sub die 31 martii 1688, [1] et alias resoluta: [2]

S. R. C., supradictis Decretis inhaerendo, respondit:

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Non potuisse, et transactionem non sustineri ».

Ad 3. « Prohibendum ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1808].

5670.

S. R. C., *Caietana*, 18 iun. 1689.

Alias S. R. C., in una *Firmana*, die 1 decembris 1657, decrevit: Sacerdotes deferentes in Processione Reliquias, capite detecto incedere; [3] die vero 25 septembris 1688, iterum in eadem Caietana declaravit: non licere Magistratui incedere capite cooperto, quando defert hastas baldachini in Processionibus cum asportatione insignis Reliquiae Ligni SSmae Crucis, et Statuae ac Reliquiae Brachii S. Erasmi Protectoris; insuper neque saecularibus et universo Clero comitantibus. [4] Nunc vero iterum proposito praedicto dubio, eadem S. C.: « Omnes laicos detecto capite incedere debere censuit, iuxta superius resoluta ». [5]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1810].

5671.

S. R. C., *Caesenaten.*, 30 iul. 1689.

Propositis in S. R. C. dubiis, videlicet:

1. An Abbates Congregationis Cassinensis, Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini et Coelestinorum teneantur interesse Processionibus, quae fiunt a Cathedrali in die Corporis Christi, S. Marci, Rogationum, nec non aliis temporibus, dum pro re gravi ab Episcopo eiusmodi Processiones indicuntur; et si eisdem interesse recusent, an et quas poenas incurrant?

2. An iidem Abbates paramenta sacra ad usum suarum Ecclesiarum minime spectantia, non solum Ecclesiarum exemptarum, sed etiam iurisdictioni Episcopi subiectarum, benedicere indiscriminatim possint?

[1] Cf. N. 5665.
[2] Cf. N. 5662.
[3] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1043.
[4] Cf. N. 5667.
[5] Cf. N. 5680.

3. An in Ecclesiis in quibus asservantur Reliquiae insignes Sanctorum Martyrum, quorum nomina mutuata fuerunt ab aliis, quod eorum propria ignorarentur, recitari possit Officium de iisdem, et in Oratione proferri nomen quod illis impositum fuit?

Eadem S. R. C. respondit:

Ad 1. « Adeundam esse Congregationem Sacri Concilii ».

Ad 2. « Abbates non posse uti privilegio benedicendi sacram supellectilem, nisi pro usu suorum Monasteriorum, iuxta alias resoluta, [1] et in contrafacientes Episcopos posse animadvertere, iuxta Decretum Generale circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum de mandato s. m. Alexandri VII editum, [2] et alterum Decretum declarativum eiusdem ad instantiam Cassinensium ». [3]

Ad 3. « Non posse recitari Officium, nisi constet de identitate Corporis sive Reliquiae insignis illiusmet Sancti descripti in Martyrologio Romano, prout in similibus respondit S. C. ». [4] Et ita servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1815].

5672.

S. R. C., *Aquilana*, 30 iul. 1689.

Supplicatum fuit a Ioanne Baptista Xaverio Pandulpho Abbate Collegiatae et parochialis Ecclesiae Civitatis Aquilanae per S. R. C. declarari infrascripta dubia in supplici libello allata, videlicet:

1. An, Abbate solemniter celebrante, Diaconi et Subdiaconi officio fungi debeant Canonici, vel Cappellani ipsius Collegiatae?

2. Quonam habitu induti assistere in Choro debeant, utrum videlicet talari veste, superpelliceo et birreto?

3. Utrum, cum agatur de Ecclesia Collegiata, quae quinque habet Canonicos sexque Cappellanos, adsit obligatio Missam conventualem quotidie celebrandi, praeter aliam pro legatorum onere canenda? Et an in Festis de praecepto teneantur illi cantare Missam solemnem?

Et S. R. C., relatione Episcopi attenta, ac inhaerendo Decretis alias editis, respondit:

Ad 1. « Abbati solemniter celebranti Canonicos pariter in officio Diaconi et Subdiaconi inservire debere ».

Ad 2. « Canonicos, ceterosque divinis Officiis in Choro assistentes, decenti habitu talari, nec non superpelliceo ac bireto indutos esse debere, et contrarium abusum omnino abrogandum ».

Ad 3. « Missam Conventualem singulis diebus celebrandam esse, nec

[1] Cf. N. 5318, 5344, 5559.
[2] Cf. N. 5518.
[3] *Congregationis Cassinensium*, 20 iul. 1660. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 1163.
[4] Cf. N. 5532; *Ferrarien.*, 7 iun. 1681; *Toletana*, 20 nov. 1683. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 1670, 1722.

ob Missam votivam, seu aliam ex legato praescriptam, omitti posse, ut Canonici licite possint lucrari distributiones ». [1]

Ac ita in Collegiata S. Silvestri Civitatis Aquilanae servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1819].

5673.

S. R. C., *Hispalen.*, 21 ian. 1690.

Lectis ab Eṁo et Rṁo D. Card. Columna Ponente Dubiis olim intimatis Procuratori Capituli ad instantiam Rṁi Archiepiscopi, nec non aliis a Capitulo productis, aliisque ab eodem Eṁo Ponente (auditis Procuratoribus utriusque partis) reformatis, Eṁi Patres existimarunt respondendum dubiis reformatis tantum. Ideo rescripserunt:

Ad 1. An ad Archiepiscopum, adhibito tantum consilio Capituli, pertineat praefinire quo, quando et qua dirigendae ac deducendae sint Processiones tam ordinariae quam extraordinariae? Respondit: « Affirmative ».

Ad 2. An ad Archiepiscopum pertineat Processiones consuetas transferre ex causa pluviae, vel alia causa suo iudicio legitima? Idque sine vel cum Capituli consilio aut consensu? An vero spectet ad Capitulum sine consensu Praelati? Respondit: « Spectare ad Archiepiscopum cum consilio tantum Capituli ».

Ad 3. An ad Vicarios Generales Archiepiscopi, tam ipso praesente quam absente, spectet indicere, dirigere et gubernare, etiam circa modum incedendi, Processionem SSṁi Corporis Christi, et decidere discrimina, quae in ipsa forte evenirent? Respondit: « Spectare ad Archiepiscopum, et de eius mandato ad suos Vicarios circa iurisdictionalia ».

Ad 4. An, celebrante Archiepiscopo seu solum assistente, vel etiam ipso absente, liceat Subdiacono associanti Crucem Capituli, nec non Sacerdoti celebranti ac Diacono et Subdiacono ipsi assistentibus in Processione SSṁi Corporis Christi adducere facere post se scabella seu Sedes ornatas brachiis, quas *imperiales* vocant, in quibus, quando Processio detinetur, solent assidere? Respondit: « Negative, etiamsi deferantur ad ornatum tantum ».

Ad 5. An possit et debeat Archiepiscopus prohibere, ne in Festivitate et Octava Corporis Christi fiant in Ecclesia Cathedrali saltus, seu *danze*, a mulieribus et viris personatis pileo coopertis ante SSṁum Sacramentum, non obstante consuetudine introducta? Respondit: « Posse et debere ». [2]

[S. R. C. Decreta Anthentica, n. 1821].

[1] Cf. N. 5347, 5381, 5420, 5460, 5477, 5552, 5624.
[2] Cf. N. 5695, 5698, 5702.

5674.

S. R. C., decr. gen. 12 febr. 1690.

Cum Sabbato Sancto proxime futuro occurrat Festum Annuntiationis B. M. V., dubitatum fuit: An debeant celebrari Missae privatae ad effectum, ut christifideles commode satisfacere possint praecepto audiendi Missam?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i Dñi Card. Colloredi, re mature perpensa, censuit: « Praedictum Festum Annuntiationis, una cum praecepto audiendi Missam et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali transferri debere ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis Festis ad aliam diem iuxta Rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabbati Sancti omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis et Oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, et unicam Missam Conventualem una cum Officio eiusdem Sabbati Sancti celebrandam fore praecepit, si SSm̃o Dño Nostro placuerit ». Die 11 februarii 1690.

Et facto de praedictis per me Secretarium verbo cum SSm̃o, Sanctitas Sua benigne annuit, « Sensum S. C. approbavit, ac praesens Decretum edi et imprimi mandavit ». Die 12 februarii 1690.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1822].

5675.

S. R. C., *Baren.*, 11 mart. 1690.

Patres Ordinis Praedicatorum Civitatis Barii instituerunt in S. R. C. declarari: an ipsis oratoribus liceat consuetam Processionem SSm̃i Rosarii in prima Dominica Octobris cuiuscumque anni peragere extra eorum ambitum, accedente dumtaxat Archiepiscopi consensu, et irrequisitis Capitulo et Canonicis Cathedralis Barensis; vel competat Archiepiscopo praefato una cum Capitulo et Canonicis dictam licentiam concedere?

S. R. C., utrisque partibus auditis, referente Em̃o et Rm̃o Dño Card. Colloredo Ponente, respondit: « Spectare ad Archiepiscopum tantum ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1824].

5676.

S. R. C., *Baren.*, 22 apr. 1690.

Relatis in Sacra Rituum Congregatione per Em̃um et Rm̃um D. Card. de Aguirre dubiis, videlicet:

1. An osculum pacis intelligatur prohibitum Magistratui, etiam cum instrumento argenti et quid accedente consuetudine?

2. An Magistratus sit thurificandus, et quotuplici ductu?
3. An per ordinem S. R. C. editum die 13 martii 1688, [1] mandantis non posse Magistratum saecularem tenere Sedes et pulvinaria una cum stratu intra Presbyterium, intelligatur prohibitum illa retinere extra Presbyterium; et quid, stante consuetudine?

S. R. C. respondit:

Ad 1. « Negative, servata forma Caeremonialis, lib. 1, cap. 24, § 6 ».

Ad 2. « Affirmative, et serventur Decreta ». [2]

Ad 3. « Negative, sed sine suppedaneo; et hoc locum habere quando Magistratus accedit ad Ecclesiam in habitu Magistrali solemni ». Et ita decrevit et servari mandavit. [3]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1830].

5677.

S. R. C., decr. gen. 22 apr. 1690.

S. R. C. die 22 aprilis, referente Em̃o et Rm̃o D. Card. Columna Ponente: « Stetit in decisis die 13 martii 1688, [4] et quoad baldachina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem tam in Presbyterio, quam extra, in eodem Decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pateat similis abusus, mandavit ut iniungatur Archiepiscopis et Episcopis regni Neapolitani, quod hastas, gradus, suppedanea et quaecumque alia signa baldachini, ab Ecclesiis suarum Dioecesum, tam Saecularium quam Regularium, removere faciant; et quoad Ecclesias Regularium, procedant ad interdicta, et contra inobedientes ad censuras, auctoritate S. C. ». Die 22 aprilis 1690.

Et facto de praedictis verbo cum SSm̃o per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit, « Sensum Congregationis approbavit et laudavit, ac praemissum Decretum exequi et publicari praecepit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1831].

5678.

S. R. C., *Bononien.*, 10 iun. 1690.

Relata in S. R. C. causa Bononien. Praeeminentiarum ab Em̃o et Rm̃o D. Card. Columna Ponente inter Presbyteros *communales* Ecclesiae S. Blasii Terrae Centi ex una, et Capitulum et Canonicos ipsius Ecclesiae ac Magistratum dicti loci partibus ex altera, super exortis dubiis, nempe:

1. An liceat Magistratui habere locum et sedem in Presbyterio?
2. An liceat dictis Presbyteris sedere in pari scamno cum Canonicis?
3. An liceat Canonicis *communalibus* uti eorum insignibus canonicalibus,

[1] Cf. N. 5665.

[2] Cf. N. 5207; S. R. C., *Aesina*, 31 mart. 1640; *Albanen.*, 2 mart. 1641; *Narnien.*, 16 iul. 1672; *Farfen.*, 5 sept. 1674; *Lauretana*, 13 febr. 1677; *Aquaependen.*, 26 ian. 1686. – S. R. C. Decreta Authentica, n. 700, 737, 1449, 1525, 1592, 1758.

[3] Cf. N. 5679.

[4] Cf. N. 5665.

et praecedere in omnibus actibus et functionibus pertinentibus ad solos Presbyteros *communales?*

S. R. C., auditis iuribus hinc inde deductis, tam in voce quam in scriptis, utraque parte informante, respondit:

Quoad 1. « Removeatur Magistratus a Presbyterio ».

Ad 2. « Aequaliter sedere debent, sed post Canonicos ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita censuit, declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1838].

5679.

S. R. C., *Baren.*, 2 sept. 1690.

Iterum repropositis in S. R. C. dubiis per Emum et Rmum D. Card. de Aguirre Ponentem in causa Baren. Praeeminentiarum, inter Rmum Archiepiscopum Baren. et Magistratum Civitatis eiusdem, utraque parte audita et informante, alias resolutis; eadem S. C. omnibus hinc inde mature perpensis ac diligenter consideratis, censuit: « Recedendum esse a decisis die 22 aprilis proximi praeteriti, quoad Sedes: [1] et concedendum esse Magistratui Baren. scamnum, sive sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum, tam in Ecclesia Cathedrali quam in aliis Ecclesiis Saecularium et Regularium, extra Presbyterium; et in reliquis servandum Decretum ». Et ita declaravit, quibuscumque non obstantibus.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1840].

5680.

S. R. C., *Caietana*, 2 sept. 1690.

Referente Emo et Rmo D. Card. Homodeo in S. R. C. causam Caietanam vertentem inter Magistratum et Iudices eiusdem Civitatis ex una, et Capitulum Cathedralis et Clerum totius praedictae Civitatis ex altera partibus, super infrascriptis dubiis, videlicet:

1. Utrum respectu Cleri a prius resolutis sub die 25 septembris 1688 [2] recessum fuerit per Decretum editum die 18 iunii 1689? [3]

2. An Magistratui in Processionibus in quibus non gestantur Reliquiae insignes, incedere liceat capite cooperto ad instar Cleri?

3. An eidem Magistratui baldachini hastas deferenti in Processionibus, in quibus Reliquiae non portantur, sed aliqua Statua vel figura alicuius Sancti, liceat cooperire caput, quatenus Presbyteri sub eodem baldachino incedentes caput cooperiant?

[1] Cf. N. 5676.
[2] Cf. N. 5667.
[3] Cf. N. 5670.

4. Denique, an Magistratus Missis solemnibus aliisque ecclesiasticis functionibus adstans possit assurgere, sedere, caput tegere et detegere, prout facit Clerus, qui pariter interest?

S. R. C., auditis iuribus ex utraque parte, tam in scriptis quam in voce deductis, declaravit:

Quoad 1. « In Processionibus, in quibus defertur SSmum Christi Corpus vel SSmae Crucis Lignum, tam Clerus quam saeculares detecto capite incedere debeant. In aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiae vel Statuae Sanctorum, tunc saeculares et ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero Clerici possint incedere tecto capite cum bireto ».

Quoad 2. « Affirmative, quando non gestentur Reliquiae ».

Quoad 3. « Negative, tam quoad Magistratum quam quoad ecclesiasticos sub baldachino incedentes ».

Quoad 4. « Negative quoad capitis cooperitionem ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1841].

5681.

S. R. C., *Eugubina*, 2 dec. 1690.

Orta controversia inter Capitulum et Canonicos Cathedralis Eugubinae ex una, et Capitulum et Canonicos Collegiatae S. Christinae eiusdem Civitatis ex altera partibus; ac proinde excitatis infrascriptis dubiis in S. R. C.:

1. An sint purganda attentata per Capitulum et Canonicos dictae Collegiatae commissa in erectione Crucis et confectione particularis Processionis?

2. An sit inhibendum inhibitione poenali, ne audeat praedicta Collegiata aliquam Processionem facere nec erigere Crucem?

3. An sit danda opportuna cautio, ut Collegiata praedicta S. Christinae continuet in Processionibus sub Cruce Capituli?

4. An sit abolendus titulus *Insignis* a Collegiata, propria auctoritate sibi attributus?

S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Casanate Ponente, auditis iuribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, inhaerendo Decreto alias sub die 6 decembris 1653 in huiusmodi causa emanato, [1] declaravit:

Ad 1. « Constare de attentatis, et loco purgationis, circumscribenda omnia Acta post appellationem ».

Ad 2. « Serventur Decreta Sacrae Congregationis ».

Ad 3. « Quod Episcopus cogat remediis canonicis ».

Ad 4. « Non licere Collegiatae praefatae S. Christinae uti titulo *Insignis* ».

Et ita censuit, decrevit et inconcusse servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1844].

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 953.

5682.

S. R. C., *Iustinopolitana*, 24 nov. 1691.

Expositum fuit ab Episcopo Iustinopolitano S. R. C., quod cum in Civitate praedicta Patres Dominicani soleant ducere Processionem singulis annis per quasdam consuetas vias, et ipse, ex rationabilibus causis sibi benevisis, intendat mutare ambitum eiusdem Processionis, illamque per diversas vias introducere, supplicat declarari: An idem Episcopus hoc praecipere possit, etiam invito Parocho, per cuius vias transitus fieri debeat?

Et S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus pluries editis, [1] respondit: « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1859].

5683.

S. R. C., *Maioricen.*, 24 nov. 1691.

Cum ex parte Episcopi Maioricen. proposita fuerint in Sacra Rituum Congregatione duo dubia, videlicet:

1. An per Rectores et Administratores Hospitalis Generalis Maioricen., praetextu assertorum privilegiorum, possit fieri expositio SSmi sine licentia Episcopi?

2. An, quatenus non liceat, et de facto fiat expositio absque dicta licentia, possit Episcopus procedere contra dictos Rectores ad censuras aliaque iuris remedia?

S. R. C. respondit.

Ad 1. « Non licere absque licentia Episcopi, ut alias resolutum fuit ». [2]

Ad 2. « Posse Episcopum in casu controventionis procedere ad censuras et alia iuris remedia, quibuscumque privilegiis non obstantibus, dummodo intra quindecim dies, postquam in ipsius manus pervenerit huiusmodi Decretum, non fuerit ex parte Rectorum deductum ullum Privilegium, quo expresse et absque ambiguitate, illis a Sede Apostolica concedatur facultas exponendi SSmum absque licentia Ordinarii ». Et ita servari mandavit

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1860].

5684.

S. R. C., *Senen.*, 26 apr. 1692.

Relata in Sacra Rituum Congregatione ab Emo et Rmo Domino Card. Colloredo Epistola Rmi Archiepiscopi Senensis, eadem Sacra Congregatio declaravit: « Prohibitionem Missarum privatarum in Sabbato Sancto iuxta

[1] Cf. N. 5612, 5614, 5646, 5675.
[2] Cf. N. 5585, 5594, 5629, 5641.

Decretum editum anno 1690, sub die 12 februarii, [1] non fuisse pro illo tantum anno, in quo occurrebat solemnitas Annuntiationis Bmae Virginis Matris Dei, sed servandum singulis annis imposterum, iuxta priscam Ecclesiae praxim et doctrinam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1873].

5685.

S. R. C., *Bituntina*, 14 iun. 1692.

Cum S. C. R. super nonnullis controversiis ortis inter Canonicos Cathedralis Bituntinae ediderit Decretum, videlicet: In Missis solemnibus Canonicos, et non inferioris ordinis Praebendatos, teneri inservire in Officio Diaconi et Subdiaconi Dignitatibus et Canonicis, secus vero in Vesperis ceterisque Horis canonicis, iuxta dispositionem Caeremonialis, lib. 2, cap. 3, § 1; et cum huius Decreti vigore, Canonici celebrantes in Cathedrali praetendant assistentiam etiam in Dominicis semiduplicibus infra annum: ex parte Canonicorum Diaconorum et Subdiaconorum fuerunt proposita sequentia dubia, nempe:

1. An, et quae sint Missae solemnes in quibus tenentur Canonici Oratores inservire in Officio Diaconi et Subdiaconi Dignitatibus et Canonicis celebrantibus?

2. An, Episcopo solemniter celebrante, pertineat ad Canonicos Diaconos et Subdiaconos, vel potius ad Canonicos Presbyteros inservire in officio Diaconi et Subdiaconi in Evangelio et Epistola?

3. An, attenta distinctione Praebendarum et inveterata consuetudine quae viget in Cathedrali Bituntina, quod Canonici, sive sint Presbyteri, sive Diaconi et Subdiaconi, praecedant in stallo Chori, spectato solo ordine antianitatis; debeat hodie admitti praetensio Canonicorum Presbyterorum indistincte praecedendi in stallo Chori Canonicos Diaconos et Subdiaconos, dicta contraria consuetudine non obstante?

Et S. R. C., omnibus bene perpensis et mature consideratis, inhaerendo Decretis pluries editis, [2] et signanter in *Sarnen.*, 15 septembris 1691, [3] respondit:

Ad 1. « In omnibus et singulis diebus, in quibus Missae cantantur per Dignitates seu Canonicos, Canonicos pariter debere inservire in Officio Diaconi et Subdiaconi, non obstante quacumque contraria consuetudine ».

Ad 2. « Ad Canonicos in Ordine Diaconali et Subdiaconali constitutos, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. 1, cap. 9, § 1; et cap. 10, § 1 ».

Ad 3. « Ordinem ecclesiasticae Hierarchiae ita servandum esse ut in Choro, Processionibus ceterisque ecclesiasticis functionibus, sive peragantur in paramentis sacris, sive in habitu chorali, primum et digniorem locum

[1] Cf. N. 5674.
[2] Cf. N. 5150, 5165, 5232, 5364, 5387, 5449, 5458, 5469, 5574, 5619.
[3] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1855.

obtineant Canonici Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi, licet Diaconi vel Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint; non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1878].

5686.

S. R. C., *Lamacen.*, 30 aug. 1692.

Quaesitum fuit a S. R. C., an praesentibus in Choro Decano qui est prima Dignitas post Pontificalem in Ecclesia Lamacen. et Cantore qui secunda est; cui illorum in principio Horarum venia petenda sit, et quis mandare incipere, dare ictum ad incipiendas Lectiones Nocturnorum et facere signum exeundi de Choro debeat.

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, [1] respondit: « Ad primam Dignitatem praesentem in Choro spectare dare signum incipiendi et inchoandi divinum Officium, et a Choro exeundi: reliqua vero munia, ad regimen Chori spectantia, ad Cantorem pertinere declaravit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1882].

5687.

S. R. C., decr. gen. 13 sept. 1692.

Cum anno proxime venturo occurrat Festum S. Iosephi in Feria V Maioris Hebdomadae, exortum fuit dubium, attenta universali consuetudine Ecclesiae celebrandi eo die unam tantum Missam; an una cum Officio ipsius S. Iosephi transferri debeat anno praedicto etiam obligatio audiendi Missam ac vacandi ab operibus servilibus? dubioque huiusmodi in S. R. C. proposito, eadem Congregatio, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Albani, re mature discussa, censuit: « Officium transferendum esse ad aliam diem, iuxta Rubricas Breviarii Romani et Decreta ipsius Congregationis; ceterum praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus praedictis non esse trasferendum, sed servandum esse praedicta Feria V Maioris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae Conventualis, celebrandae pro praecepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SSmi Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur ». Et ita declaravit, ac Decretum huiusmodi publicari et imprimi mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1883].

[1] Cf. N. 5438, 5463, 5466, 5479, 5572.

5688.

S. R. C., *Hispalen.*, 13 sept. 1692.

Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Hispalensis supplicavit humiliter pro resolutione et responsione sequentium dubiorum, nempe:

1. Anno sequenti 1693 occurrit Festum S. Iosephi in Feria V Maioris Hebdomadae; et Officium debet transferri, iuxta regulas Iuris. Quaeritur modo: an cum Officio debeat transferri etiam abstinentia ab opere servili et obligatio audiendi Missam, prout ab hac S. C. fuit resolutum in Festo Annunciationis B. M. V., occurrente in Sabbato Sancto vel Feria VI in Parasceve? [1]

2. Quaeritur: An in Officio Sanctorum Gabrielis et Raphaelis (quorum alter die 18 martii, alter vero 24 octobris in Hispania celebratur) ad octavam Benedictionem dici debeat: *cuius Festum colimus*, vel *quorum Festum colimus*, ut fit in Festo S. Michaelis?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Iuxta Decretum generale in praesenti Congregatione sub hac eadem die 13 septembris 1692 editum ». [2]

Ad 2. « In Officio Sanctorum Michaelis Archangeli et Angeli Custodis dicendum: *Quorum Festum colimus;* quia est Festum omnium Angelorum, quemadmodum clare patet ex ipsis Lectionibus, et in Oratione omnium Angelorum patrocinium imploratur. In Officio autem S. Gabrielis, eius Festum colitur, et in Oratione eius auxilium et patrocinium invocatur: prout quoque fit in Officio S. Raphaelis, sicuti apparet in Oratione quae dicitur in eorum Officiis; ideo dicendum esse: *Cuius Festum colimus etc.* ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1885].

5689.

S. R. C., *Aquaependen.*, 20 dec. 1692.

Instante Episcopo Aquaependen in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. An Vicario Generali, qui non sit de gremio Capituli, debeatur in Choro stallum in quo residet Archidiaconus prima Dignitas?

2. Quatenus affirmative: quinam locus dandus sit Archidiacono, ita ut vel teneatur descendere inferius post Vicarium in eodem cornu dextero, vel transire ad stallum Archipresbyteri in cornu sinistro?

3. An primus locus pro Vicario debeat semper manere fixus et vacuus?

S. R. C., referente Emo Domino Card. Sacchetto, respondit:

[1] E. Dub. 2, 3 et 4. – Cf. N. 5674, 5684.
[2] Cf. N. 5687.

Ad 1. « Vicario deberi primum et digniorem locum a parte dextera, in casu de quo agitur ».

Ad 2. « Dicto Archidiacono primae Dignitati deberi primum locum a parte sinistra ».

Ad 3. « Stallum Vicarii debere manere fixum, nec ab aliis unquam, eo absente, occupandum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1886].

5690.

S. R. C., *Galliarum*, 10 ian. 1693.

Supplicante P. Bernardo a S. Ludovico Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Nationis Galliarum S. R. C. pro resolutione seu declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet: [1]

1. An si uno die occurrant plura Officia Martyrum, unum semiduplex et aliud simplex, in Vesperis pro commemoratione simplicis dicenda sit antiphona: *Gaudent in coelis etc.*, de secundis Vesperis, ut exemplum est die 16 septembris? et an detur ibi regula, vel exceptio regulae Rubricae de commemorationibus num. 8?

6. Num in die Coenae Domini vel Sabbato Sancto Missae privatae dici possint, quacumque interveniente necessitate, praesertim dum his diebus occurrat Annuntiatio B. M. V.?

S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredo, respondit:

Ad 1. « Servandam esse Rubricam Tit. IX, de commemorationibus num. 8, nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem Rubrica ».

Ad 6. « Quoad Sabbatum Sanctum negative; et Festum Annuntiationis transferendum esse ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, ut in diem propriam et fixam ex Decreto edito die 11 februarii 1690. [2] Quoad Feriam V in Coena Domini servandum esse Decretum generale pro Festo S. Iosephi die 13 septembris 1692 ». [3]

Ac ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1890].

5691.

S. R. C., *Sulmonen.*, 9 maii 1693.

In Causa inter Priorem Congregationis Patrum Coelestinorum et Parochum S. Mariae de Attoia Terrae Populi Sulmonen. Dioecesis ex una, et Patres Conventuales eiusdem loci ex altera partibus, recusantes intervenire in Processionibus solemnibus, videlicet Corporis Christi, Rogationum, et huiusmodi, iuxta solitum,

[1] E. Dub. 1, 2, 3, 7, 8, 10, 12 et 14.
[2] Cf. N. 5674.
[3] Cf. N. 5687.

S. R. C. attenta relatione praehabita P. Procuratoris Generalis dicti Ordinis, mandavit: « Scribendum esse Episcopo, ut cum auctoritate et facultatibus eiusdem S. C., cogat ipsos Fratres Conventuales ad interessendum praedictis Processionibus, iuxta solitum, et de paritione doceat ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1895].

5692.

S. R. C., *Lucen.*, 15 maii 1694.

Emus et Rmus D. Card. Bonavisius Episcopus Lucensis, ad sedandas controversias quae passim inter Parochos praedictae Civitatis oriuntur, petiit a S. R. C. declarari infrascripta dubia, tenoris huiusmodi, nempe:

1. An, exeunte ab Ecclesia parochiali Regularium cadavere, praecedere debeat Crux et Capitulum eorumdem Regularium, an potius Crux Regularium Ecclesiae in qua tumulari debet cadaver? [2]

2. Utrum Canonici Regulares Lateranenses praecedere in funeralibus debeant aliis Regularibus?

3. Utrum iidem Canonici Lateranenses et Salvatoris cedere in funeralibus primas debeant Ecclesiis Saecularibus?

4. Utrum procedere iidem valeant inter Collegiatas Ecclesias Saeculares, quae sibi invicem non cedunt, neque proinde extra funeralia conveniunt simul?

5. Utrum, si decretum ea super re Episcopus emanaret, tum Capitulum tum Regulares obtemperare teneantur?

6. Qualenam Decretum condere Episcopus debeat iuxta sensum S. R. C., ut omnes indiscriminatim obliget?

Et S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, [3] ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredi, respondit:

Ad 1. « Deferendam esse Crucem illius Ecclesiae in qua tumulatur cadaver ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta Constitutiones Pii IV [4] et Pii V, [5] et alias resoluta, et signanter in *Monopolitana*, 23 martii 1619 ». [6]

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Debere praecedere, iuxta antianitatem erectionis, quatenus sint aequales ».

Ad 5. « Ordinarium componere debere lites praecedentiae inter Regulares, omni appellatione remota, ad tenorem Concilii Tridentini, Sess. 25, de *Regularibus et Monialibus*, cap. 3; ideoque posse etiam poenis et cen-

[1] Cf. N. 5694.
[2] E. Dub. 2.
[3] Cf. N. 5638.
[4] Cf. N. 104.
[5] Cf. N. 137.
[6] Cf. N. 5280.

suris ecclesiasticis ad exequutionem Decretorum super his editorum Regulares compellere ».

Ad 6. « Eñus Episcopus faciat Decretum, quod confirmetur a S. R. C. ».

Et ita censuit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1905].

5693.

S. R. C., *Sulmonen.*, 29 maii 1694.

Propositis ab Eñio et Rñio D. Card. Costaguto infrascriptis dubiis inter Archidiaconum ex una, et Canonicos Cathedralis Sulmonen. ex altera partibus, excitatis;

1. An spectet ad Archidiaconum dare signum pro inchoando Officio et intonare Orationem Dominicalem?

2. An ad Archidiaconum spectet determinare horam celebrationis Officii?

3. An solus Archidiaconus possit in Processione solemni Corporis Christi deferre pluviale?

4. An spectet ad Archidiaconum peragere solemnes functiones, absente Episcopo?

5. An Canonici possint exire a Choro non expetita licentia ab Archidiacono?

S. R. C. respondit ad prima quatuor dubia: « Affirmative ».

Ad quintum vero: « Negative ». Et ita declaravit et servari mandavit.[1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1906].

5694.

S. R. C., *Sulmonen.*, 4 sept. 1694.

Cum S. R. C. sub die 9 maii proximi praeteriti anni 1693,[2] audita prius informatione P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, ad instantiam Patrum Coelestinorum et Parochi eorumdem Ecclesiae sub titulo S. Mariae de Attoia Terrae Populi Dioecesis Sulmonen. decreverit, ac mandaverit dictae Civitatis Episcopo ut cogeret Fratres Conventuales existentes intra limites dictae Parochiae ad interessendum Processionibus fieri solitis a Parocho parochialis Ecclesiae praedictae S. Mariae; et modo iidem Patres institerint pro extensione praefati Decreti ad Confraternitates S. Antonii et Pietatis in Ecclesia dictorum Fratrum Conventualium existentium;

S. R. C., ad relationem Eñi et Rñi D. Card. Pamphilii iterum decrevit: « Posse compelli ab Episcopo tam Fratres Conventuales quam Confraternitates praedictae ad interessendum Processionibus, de quibus agitur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1913].

[1] Cf. N. 5696.
[2] Cf. N. 5691.

5695.

S. R. C., *Hispalen.*, 22 ian. 1695.

Iterum ab Eñio et Rñio D. Card. de Abdua, vigore novae Audientiae concessae die 20 novembris proximi praeteriti, in Sacra Rituum Congregatione propositis infrascriptis dubiis controversis, et sub die 21 ianuarii 1690, Ponente cl. mem. Card. Columna, inter Archiepiscopum Hispalen. ex una, et Capitulum eiusdem Ecclesiae ex altera partibus, resolutis,[1]

S. R. C., utrisque auditis partibus, tam in scriptis quam in voce plene informantibus, omnibusque mature discussis, respondit:

Ad 1. « Quoad Processiones publicas tam ordinarias quam extraordinarias, in decisis. Et quoad modum exquirendi consilium in extraordinariis, posse servari solitum. Quo vero ad Processiones privatas consuetas fieri a Capitulo, tam intra quam extra Ecclesiam, recedendum a decisis, scilicet: non indigere novo consensu ».

Ad 2. « In decisis ».

Ad 3. « In decisis ».

Ad 4. « In decisis; et insinuandum etiam Archiepiscopo, ut ob reverentiam ipse quoque abstineat ».

Ad 5. « In decisis ».

Et ita declaravit.[2]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1919].

5696.

S. R. C., *Sulmonen.*, 7 maii 1695.

Propositis in S. R. C. ab Eñio et Rñio D. Card. Costaguto, ad instantiam Canonicorum Cathedralis Sulmonen., infrascriptis dubiis, Archidiacono eiusdem Cathedralis tantum informante (sub die 29 maii anni proxime praeteriti 1694, alias resolutis),[3] nempe:

1. An spectet ad Archidiaconum dare signum pro inchoando Officio et intonare Orationem Dominicalem?

2. An ad ipsum spectet determinare horam celebrationis Officii?

3. An ipse solus in Processione solemnitatis Corporis Christi possit deferre pluviale?

4. An ad ipsum spectet peragere solemnes functiones, absente Episcopo?

5. An Canonici possint exire de Choro, non expetita licentia ab Archidiacono?

S. R. C., visis et auditis iuribus ab utraque parte informante tam in scriptis quam in iure deductis, respondit:

[1] Cf. N. 5673.
[2] Cf. N. 5698, 5702.
[3] Cf. N. 5693.

Ad 1. « Servandum esse Caeremoniale, lib. 2, cap. 6, § 6: *Postquam omnes* ».
Ad 2. « Serventur ordinationes Episcopi ».
Ad 3. « Servetur Caeremoniale, lib. 2, cap. 33, § 5 et 6 ».
Ad 4. « In decisis ».
Ad 5. « Negative ».
Et ita declaravit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1924]

5697.

S. R. C., *Vercellen.*, 18 iun. 1695.

Cum S. R. C. in huiusmodi causa inter Confraternitatem SSm̃i Sacramenti loci Robbii ex una, et Confraternitatem SSm̃ae Trinitatis eiusdem loci partibus ex altera, referente clar. mem. Card. Columna, utraque parte audita et informante in voce et in scriptis, die 20 septembris 1687,[1] indulgendum censuerit ut Societas SSm̃i Sacramenti praecederet tantum in Processionibus in quibus SSm̃um defertur Sacramentum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones, iuxta ordinem antianitatis; cumque modo pro parte Confraternitatis SSm̃ae Trinitatis super declaratione supradicti Decreti fuerint in S. R. C. excitata infrascripta dubia, videlicet:

1. An liceat Confraternitati SSm̃i Sacramenti praecedere alteri SSm̃ae Trinitatis in associatione cadaveris demortui confratris eiusdem Societatis SSm̃i Sacramenti?

2. An et cui ex Confraternitatibus praedictis debeatur praecedentia in regressu ab Ecclesia parochiali, post absolutas Processiones, in quibus defertur SSm̃um Sacramentum?

3. An occasione expositionis SSm̃i Sacramenti faciendae in Ecclesia Confraternitatis SSm̃ae Trinitatis sub titulo S. Mariae Gratiarum, teneatur dicta Confraternitas SSm̃um Sacramentum processionaliter desumere ab Ecclesia Confraternitatis SSm̃i Sacramenti, et pari modo illuc restituere: et an dictis Processionibus intervenire possit Confraternitas SSm̃i Sacramenti, et praecedentiam habere debeat.

S. R. C., tam in voce quam in scriptis, utraque parte audita, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. de Abdua Ponentis, rescripsit:
Ad 1. « In occasione cadaverum, servandam esse formam praescriptam in Sententiis Vicariorum ».
Ad 2. « In regressu non esse locum alicui praecedentiae ».
Ad 3. « Servandum esse indultum Ordinariorum, et in casu interventus, praecedentiam deberi Societati SSm̃i Sacramenti ».
Et ita censuit, declaravit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1925].

[1] Cf. N. 5664.

5698.

S. R. C., *Hispalen.*, 3 sept. 1695.

Cum inter alia dubia sub die 21 ianuarii 1690,[1] in S. R. C. a cl. mem. Em̃o et Rm̃o D. Card. Columna proposita ad instantiam Rm̃i Archiepiscopi Hispalen., contra Decanum et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae eiusdem Civitatis, relato etiam infrascripto:

2. An ad Archiepiscopum pertineat Processiones consuetas transferre ex causa pluviae, vel alia causa suo iudicio legitima, idque sine vel cum Capituli consilio? An vero spectet ad Capitulum sine consensu Praelati? S. eadem C. responderit: « Spectare ad Archiepiscopum cum consilio Capituli tantum »; cumque, reproposito eodem dubio ab Em̃o et Rm̃o D. Card. de Abdua sub die 22 ianuarii 1695, *In decisis* rescribendum censuerit;[2] non acquiescentibus Decano et Capitulo supradictis, ad relationem eiusdem Em̃i D. Card. de Abdua

S. R. C., auditis utrisque partibus tam in voce quam in scriptis bene informantibus, censuit: « Recedendum esse a decisis sub die 21 ianuarii 1690, in secundo dubio proposito; et translationem Processionum privatarum pertinere ad Capitulum, cum approbatione tamen Archiepiscopi ». Et ita decrevit et servari mandavit.[3]
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1932].

5699.

S. R. C., *Abellinen.*, 17 dec. 1695.

Archidiacono Ecclesiae Cathedralis Civitatis Abellinae humiliter S. R. C. supplicante, citatis et intimatis Canonicis Ecclesiae Cathedralis praedictae, pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. An ad Archidiaconum spectet peragere solemnes functiones absente vel non celebrante Episcopo?

2. An Archidiacono solemniter celebranti debeatur assistentia a tribus ultimis Canonicis Capitularibus?

3. An Canonici exeuntes de Choro teneantur petere licentiam ab Archidiacono?

S. R. C., referente Em̃o Colloredo Ponente respondit:
Ad 1. « Affirmative in diebus solemnibus explicatis in Capitulo *Alma Mater*. (Cap. 23, *De Excom.*, in Sexto) ».
Ad 2. « Deberi assistentiam Canonicorum pro Diacono et Subdiacono tantum ».

[1] Cf. N. 5673.
[2] Cf. N. 5695.
[3] Cf. N. 5702.

Ad 3. « Affirmative, absente Episcopo ».
Et ita servari mandavit. [1]
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1933].

5700.

S. R. C., *Abellinen.*, 7 apr. 1696.

Cum S. R. C. sub die 17 decembris anni proximi praeteriti 1695, [2] ad relationem Emi ac Rmi Card. Colloredi, super primo dubio videlicet: An ad Archidiaconum Cathedralis Abellinen. spectaret peragere solemnes functiones absente vel non celebrante Episcopo? responderit: « Affirmative in diebus solemnioribus explicatis in cap. *Alma Mater* (cap. 23, *De Excom.*, in Sexto); cumque contigerit dubitari: an solemnitates, in quibus licitum est Archidiacono praefato celebrare, sint hae tantum explicatae in praedicto Cap. *Alma Mater*, an vero et ceterae omnes, quas lib. 2, cap. 1, § 2; et cap. 34, § 2 Caeremoniale Episcoporum enumerat? et propterea Archidiaconus pluries, Canonicis Cathedralis praedictae adversariis legitime intimatis, pro declaratione supradicti novi dubii humiliter institerit;

S. R. C., ad relationem eiusdem Emi et Rmi D. Card. Colloredi, censuit: « Extendendum esse Decretum, sub die 17 decembris 1695 editum, etiam ad Festa expressa in Caeremoniali Episcoporum, lib. 2, cap. 1, § 2; et cap. 34, § 2 ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1940].

5701.

S. R. C., *Augustae Praetoriae*, 21 iul. 1696.

Cum Episcopus Augustanus S. R. C. exposuerit:

3. Quod SSmum Eucharistiae Sacramentum continuo retinetur in eadem Ecclesia super duplici Altari, nimirum super Altare Chori et super alio S. Ioannis Baptistae, ratione Parochiae eidem Cathedrali unitae.

4. Quod maxime congruum sit declarare: An permittenda sit Sanctarum Reliquiarum publica expositio venerationi fidelium, de quibus nullum authenticum documentum in Cathedrali praedicta ostenditur, nec immemorabilis; vel saltem ante Concilium Tridentinum, illarum expositio et veneratio probatur in publico?

Cumque pariter S. R. C. humiliter supplicaverit, super expositis et dubiis praemissis, provide responderi;

S. R. C., auditis Capitulo et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Augustanae praedictis, tam in voce quam in scriptis plene informantibus, referente Emo et Rmo D. Card. Petruccio, respondit:

[1] Cf. N. 5700.
[2] Cf. N. 5699.

Ad 3. « Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum Altari designando ab Episcopo ».

Ad 4. « Episcopus utatur iure suo, iuxta Cap. 2, § ne in posterum, Tit. XLV, *De Reliquiis et Veneratione Sanctorum* ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1946].

5702.

S. R. C., *Hispalen.*, 21 iul. 1696.

Cum S. R. C. sub die 3 septembris anni 1695, [1] super instantia Decani et Capituli Ecclesiae Metropolitanae contra Archiepiscopum Hispalen., referente Emo et Rmo D. Card. de Abdua, censuerit recedendum esse a decisis sub die 21 ianuarii 1690, [2] in secundo dubio proposito, et translationem Processionum privatarum pertinere ad Capitulum cum approbatione tamen Archiepiscopi: reclamantibus modo ab huiusmodi Decreto, tam Archiepiscopo quam Capitulo praedictis, et reproposito ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua praedicto secundo dubio:

S. R. C., auditis tam in voce quam in scriptis utrisque partibus, respondit: « In decisis sub praedicta die 3 septembris 1695, et amplius ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1947].

5703.

S. R. C., *Spoletana*, 27 apr. 1697.

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Homodeo in S. R. C. infrascriptis dubiis, inter Conventum et Fratres S. Francisci ex una, et Archipresbyterum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Nursiae Spoletanae Dioecesis ex altera partibus, excitatis:

1. An Fratribus Conventus S. Francisci praedictis liceat facere Processionem per Terram Nursiae cum Reliquia S. Antonii de Padua in die Festo vel infra octavam dicti S. Antonii, absque consensu Capituli Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Nursiae praedictae?

2. An et cui spectet gestatio dictae Reliquiae in Processione?

S. R. C., utrisque partibus tam in voce quam in scriptis auditis, censuit respondendum:

Ad 1. « Licere de consensu et licentia Episcopi ».

Ad 2. « Spectare ad Religiosos S. Francisci ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1971].

[1] Cf. N. 5698.
[2] Cf. N. 5673.

5704.

S. R. C., *Montis Politiani*, 13 iul. 1697.

De unanimi consensu tam Dignitatum quam Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Montis Politiani ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An in Ecclesia Cathedrali Montis Politiani ad Archidiaconum praesentem in Choro, et ipso absente, ad seniorem Canonicum, exclusis aliis Dignitatibus, iuxta praetensam immemorabilem, spectet praescribere et ordinare in Choro, vel potius talis praeeminentia spectet ad Dignitates gradatim praesentes in Choro?

2. An in hebdomada dierum ferialium, in qua intervenit Praepositus cum alia parte Canonicorum, ad ipsum pariter spectet praescribere et ordinare in Choro, vel potius ad seniorem Canonicorum, excluso ipso Praeposito?

S. R. C., audita relatione Episcopi ac omnibus mature consideratis, censuit respondendum ad utrumque: « Praeeminentias praescribendi et ordinandi etc. spectare ad digniorem praesentem in Choro ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1976].

5705.

S. R. C., *Anagnina*, 3 aug. 1697.

Exposito S. R. C. per Episcopum Anagninum, occasione visitationis suae Dioecesis, ipsum reperisse absque ulla approbatione quasdam assertas Reliquias Sacerdotis Melchisedech, et partis loci, in quo asserebatur Christum Dominum Nostrum consedisse tempore quo Orationem Dominicalem composuerat, humiliter supplicavit sibi responderi: An assertae Reliquiae imposterum essent publicae venerationi exponendae?

Et S. R. C. respondit: « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1977].

5706.

S. R. C., *Abellinen.*, 31 aug. 1697.

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis dubiis inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae Oppidi Atripaldae ex una, et Patres Dominicanos Conventus S. Mariae Gratiarum et Confratres SSmi Rosarii eiusdem Oppidi Abellinen. Dioecesis ex altera partibus, exortis:

1. An Patribus Dominicanis et Confratribus SSmi Rosarii Oppidi Atripaldae liceat consuetam Processionem in prima Dominica Octobris cuiuslibet anni peragere extra ambitum, accedente dumtaxat Episcopi consensu, et irrequisitis Capitulo et Canonicis; vel competat Episcopo una cum Capitulo et Canonicis licentiam concedere?

2. An in dicta Processione possit intervenire Capitulum, et habere primum locum?

S. R. C., utraque parte tam in voce quam in scriptis informante, respondendum censuit:

Ad 1. « Sufficere licentiam Episcopi ».

Ad 2. « Competere Patribus Dominicanis ducere Processionem absque interventu Capituli ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1980].

5707.

S. R. C., *Urbis*, 5 oct. 1697.

Supplicatum humiliter fuit declarari: An Cappellani Ecclesiae S. Mariae de Horto, celebrantes Missam Festivitatis Consecrationis Ecclesiae die 6 octobris et per totam octavam, possint pariter recitare Officium Consecrationis praedictae, ut se conforment cum Missa?

Et S. R. C. respondit: « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 1983].

5708.

S. R. C., *Collen.*, 5 iul. 1698.

Supplicantibus humiliter Capitulo et Canonicis Cathedralis Collen. apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

1. An recitatio Officii B. M. V. de Monte Carmelo possit (ut pluribus in locis fit) transferri in Dominicam post diem 16 iulii?

6. An in die anniversarii et depositionis possit cantari defunctorum Missa loco conventualis, ut Rubrica innuere videtur?

S. R. C. respondit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2002].

5709.

S. R. C., *Ferrarien.*, 2 aug. 1698.

Remissa pro declaratione ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua ad S. R. C. controversia nonnullis ab hinc annis inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis et Magistratum Ferrarien. exorta, super modo sedendi in ipsa Ecclesia Cathedrali tempore quo, praesente Legato seu Episcopo, functiones pera-

guntur cum interventu eiusdem Magistratus, eaque ab Emo et Rmo D. Card. Imperiali in eadem S. R. C. relata:

Emi Patres S. R. C. praepositi, visa relatione Emi et Rmi D. Card. de Abdua una cum ichnographia Cathedralis transmissa, auditisque partibus tam in voce quam in scriptis informantibus: « Non esse amovenda sedilia Magistratus, utpote sita extra Presbyterium, et in reliquis Magistratum non esse audiendum » respondendum censuerunt. Et ita decreverunt et servari mandarunt.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2007].

5710.

S. R. C., *Marsicen.*, 21 mart. 1699.

Renuentibus Fratribus Ordinis Praedicatorum et S. Francisci Oppidi Meliterni Marsicen. Dioecesis, invitatis ad associandum cadaver vel in Ecclesiis dictorum Regularium, vel in altera parochiali sepeliendum, convenire in Ecclesia parochiali praedicta, et praetendentibus vel recto tramite ad domum defuncti se conferre, vel per vias et plateas Parochum expectare; Archipresbyter et Clerus Saecularis Oppidi praedicti humiliter de aliquo opportuno iuris remedio in S. R. C. supplicaverunt.

Et S. R. C., iuxta alias in similibus decreta, [1] et signanter in *Firmana*, sub die 24 maii 1664, [2] respondit: « Fratres Reformatos S. Francisci et Ordinis Praedicatorum praedictos teneri convenire in Ecclesia parochiali; et Episcopus curet servari Decreta ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2021].

5711.

S. R. C., *Congr. Missionum Provinciae Lituaniae*, 11 iul. 1699.

Non valentes Sacerdotes Congregationis Missionum Provinciae Lituaniae in exercitio earumdem, ob deficientiam in dicta Provincia Ecclesiarum, magno locorum intervallo disiunctarum, Sacrum, ad quod ex Instituto tenentur, celebrare: humiliter Sac. Rit. Congregationi supplicaverunt in casibus necessitatis pro indulto usus altaris portatilis, et respective celebrandi etiam in locis non sacris.

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredi: « Gratiam petitam oratoribus posse concedi censuit, si SSmo Domino placuerit ». Die 11 iulii 1699.

Et facta deinde per me Secretarium SSmo Domino Nostro de praedictis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 5 mensis augusti eiusdem anni.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2032].

[1] Cf. N. 5600.
[2] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1292.

5712.

S. R. C., *Ordinis Capuccinorum*, 22 aug. 1699.

Exposito humiliter in S. R. C. per Procuratorem Generalem Ordinis Capuccinorum in nonnullis Provinciis, in quibus Chori Ecclesiarum suae Religionis supra valvas earumdem Ecclesiarum diametraliter Altari SSmae Eucharistiae oppositas existunt, consuetudinem obrepsisse in iisdem Choris tempore nocturno ad lumen afficiendum tum Altari SSmi Sacramenti, tum dormitoriis, unicam lampadem in arcellula ex tela constructa retinendi, cum ex tali situatione lampadis ob maximam distantiam Chori ab Altari SSmi Sacramenti, hoc nullum vel pauxillum lumen recipiat, a S. R. C. supplicatum est declarari:

An in Ecclesiis praedictis, iuxta recensitam consuetudinem retentio lampadis ante Altare SSmi Sacramenti nocturno tempore, modo superius expresso, sufficiat; vel potius sit retinenda lampas intra et ante Altare SSmi Sacramenti semper accensa, prout de die retinetur?

Et S. R. C. respondit: « Negative; et omnino lampadem esse retinendam intra et ante Altare SSmi Sacramenti, ut continuo ardeat ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2033].

5713.

S. R. C., *Amerina*, 12 sept. 1699.

Cum S. R. C. in causa Amerina inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis ex una, et Magistratum Civitatis Amerinae ex altera partibus vertente, ad relationem Emi et Rmi Domini Card. Noris sub die 6 decembris 1698, unum ex SSmi Domini Nostri Innocentii PP. XII Magistrum Caeremoniarum cum instructionibus opportunis, sumptibus utriusque partis, ad Civitatem Amerinam transmittendum esse censuerit; cumque vigore facultatum sibi sub die 15 iulii proxime praeteriti ab Emo et Rmo Domino Card. Noris praedicto attributarum, ad Civitatem praedictam et ad Ecclesiam Cathedralem eiusdemque Presbyterium Abbas Candidus Cassina se contulerit, ibique una cum peritis descriptionem ichnographicam totius Ecclesiae praedictae, et signanter Presbyterii, confecerit, eamque cum nonnullis declarationibus in S. R. C. exhibuerit;

Reproposita ab Emo et Rmo Domino Card. Noris causa praedicta;

S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: « Aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium iuxta designationem; et supra delineatam ichnographiam a Magistro Caeremoniarum exhibitam, cum hoc Decreto palam in Sacrario Ecclesiae Cathedralis et Cancellariis Episcopi et Magistratus perpetuis futuris temporibus retinendam ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2036].

5714.

S. R. C., *Arequipae*, 13 mart. 1700.

Ex parte Decani et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Arequipae in Regno Peruano, humiliter supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta dubia, videlicet:

1. An dum expositum SSm̃um Sacramentum reperitur super Altare maius diametraliter ante Chorum, sed in notabili distantia situm, Celebrans, prima genuflexione Venerabili non praetermissa, debeat postea se inclinare seu genuflectere ante Episcopum?

27. An, absente Episcopo, Decanus Processionem SSm̃i Corporis Christi peragere debeat, nec non et alias functiones in Feria V et VI Hebdomadae maioris, attento quod pariformiter Dignitates et Canonici Hebdomadas per annum expleant, absque ulla differentia seu distinctione, et nulla adsit in praedicta Cathedrali consuetudo in ordine ad supradictam Corporis Christi Processionem?

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 1. « In eundo salutabit, se inclinando profunde Episcopo; deinde genuflectat SSm̃o, et procedat in Missa. In redeundo genuflectat SSm̃o; deinde se inclinet Episcopo, et procedat quo debet: celebrans enim numquam genuflectit Episcopo, sed se inclinat ».

Ad 27. « Spectare ad digniorem de Capitulo, dummodo celebret ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2049].

5715.

S. R. C., *Leopolien.*, 11 sept. 1700.

Reproposita in S. R. C. ab Em̃o et Rm̃o D. Card. Francisco Barbarino causa praecedentiae inter Canonicum Ioannem Skarbeki Episcopum Marrochiensem Suffraganeum, custodem Ecclesiae Cathedralis Leopolien., atque Capitulum ac Decanum et alias Dignitates eiusdem Cathedralis vertente; S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: « Praecedentiam competere Episcopo suffraganeo, licet Canonico, in Choro, Processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis supra primam et alias Dignitates et Canonicos ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2064].

5716.

S. R. C., *Congregationis Montis Coronae*, 22 ian. 1701.

Supplicante humiliter in S. R. C. P. Iuvenale Visitatore Generali Congregationis Camaldulensium Montis Coronae infrascripta dubia declarari:

6. An in Sacrificio Missae uti possit palla a parte superiori drappo serico cooperta?

7. An Sacerdotes in Sacrificio Missae uti possint cingulo serico?

8. An concesso a S. R. C. prc Regnis Hispaniarum Officio Patrocinii Bm̃ae Virginis recitando in una ex Dominicis mensis novembris ab Ordinariis Locorum assignanda, nomine Ordinariorum in hoc et similibus casibus intelligantur etiam Superiores, nec non Priores locales Regularium?

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Congruentius uti cingulo lineo ».

Ad 8. « Negative ».

Et ita respondit et declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2067].

5717.

S. R. C., *Gerunden.*, 13 aug. 1701.

Propositis ab Em̃o et Rm̃o Dom. Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis dubiis inter Dignitates, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Gerunden. excitatis:

1. Ad quem spectet ministrare Sacramenta Episcopo infirmo; eoque defuncto, Officia celebrare?

2. An nolente vel impedito Episcopo celebrare in Solemnitatibus maioris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes ac ceteris expressis in Caeremoniali Episcoporum, lib. 2, cap. 34, n. 2, prout etiam occasione Processionum SSm̃i Corporis Christi et similium; tam istae quam ceterae functiones expleri valeant in eius locum a Vicario Generali, sive Canonico statore Episcopi, sive Canonico Hebdomadario, sive alio quocumque Canonico, vel potius peragendae sint a prima Dignitate, istaque impedita, ab aliis ordine successivo, in casu etc.?

S. R. C., utraque parte in voce et in scriptis informante audita, censuit respondendum:

Quoad 1. « Servetur Caeremoniale, lib. 2, cap. 38, n. 4 ».

Quoad 2. « Dilata ». [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2076].

5718.

S. R. C., *Praenestina*, 13 aug. 1701.

Praetendente Gregorio Mastrillo Presbytero Cappellano ordinato ad titulum simplicis Beneficii Cappellae Sanctorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae, de iure patronatus laicalis, cum onere tamen residendi et coadiuvandi Parochum in Ecclesia S. Blasii Terrae S. Viti Praenestinae Dioecesis, quae est simplex Parochia non autem Collegiata, sibi competere

[1] Cf. N. 5722, 5731.

praecedentiam in Missis, Vesperis solemnibus, Processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis, supra Sacerdotes ordinatos ad titulum Patrimonii antiquiores in ordine: adversus huiusmodi praetensionem praedicti Sacerdotes antiquiores ad S. R. C. habito recursu, eidem pro decisione huiusmodi controversiae humiliter supplicaverunt.

Et S. R. C., relatione prius Vicarii Generalis Praenestini, et partibus tam in voce quam in scriptis informantibus auditis, ad relationem Emi et Rm̃i Dom. Card. Colloredi, censuit: « Praecedentiam deberi Sacerdotibus antiquioribus, praeterquam in functionibus, in quibus Cappellanus supplet vices et munus Parochi ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2078].

5719.

S. R. C., *Cortonen.*, 10 sept. 1701.

Episcopo Cortonensi a S. R. C. benigne responderi ad infrascripta dubia enixe supplicanti:

1. An qui cantat Passionem in Missis Hebdomadae Sanctae possit eo tempore, quo cantat, uti pileolo; ac similiter, qui in Officiis eiusdem Hebdomadae cantat Lectiones in Choro?

14. An Canonicis, tam in Cathedrali quam extra, Missam cantantibus tolerari possit assistens cum pluviali?

16. An Feria V in Coena Domini Canonici, qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem Sacrae Eucharistiae de manu Episcopi?

17. An punctator Chori possit esse Cappellanus amovibilis ad nutum Capituli?

S. R. C. censuit respondendum:

Ad 1. « Negative ad utrumque ».

Ad 14. « Negative; et dentur Decreta ».[1]

Ad 16. « Debent ».

Ad 17. « Punctores convenit esse de gremio Capituli et residentes in Choro ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2079].

5720.

S. R. C., *Avenionen.*, 3 dec. 1701.

Remissis ad S. R. C. ab Auditore SSm̃i D. Nostri Clementis PP. XI, praevia avocatione ab A. C., controversiis inter Patres Ordinis Praedicatorum aliosque Regulares Civitatis Avenionen., et Clerum Saecularem et Parochos eiusdem Civitatis nuper excitatis, propositisque ab Em̃o et Rm̃o D. Card. de Noris infrascriptis dubiis inter partes concordatis, ac de more resolvendis:

[1] Cf. N. 5558.

1. An liceat Parochis corpora defunctorum sepulturam eligentium in Ecclesiis Regularium, prius deferri facere ad Ecclesias parochiales, vel potius recto tramite debeant ad Ecclesias dictorum Regularium deferri?

2. An liceat Parochis in delatione cadaverum ingredi Ecclesias Regularium, ibique manere usque ad terminationem funeris?

3. Et quatenus negative: An, et in quo loco cadavera defunctorum relinqui debeant a dictis Parochis?

S. R. C., tam in voce quam in scriptis utraque parte audita, censuit respondendum:

Ad 1. « Quoad primam partem, Negative; quoad secundam, Affirmative ».

Ad 2. « Licere ingredi, dummodo non faciat Officium ».

Ad 3. « Teneri relinquere cadaver ad ianuam Ecclesiae ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2084].

5721.

S. R. C., *Taurinen.*, 3 dec. 1701.

Archipresbyter et Canonici Ecclesiae Collegiatae Oppidi Cherii Taurinen. Dioecesis pro declaratione infrascripti dubii humillime supplicaverunt:

An post Missam solemnem decantatam in nocte Nativitatis D. Nostri Iesu Christi, liceat successive celebrare Missas privatas, nec non Sacram Eucharistiam Christifidelibus illam deposcentibus exhibere?

S. R. C. iuxta alias Decreta [1] respondit: « Negative ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2086].

5722.

S. R. C., *Gerunden.*, 11 febr. 1702.

Concessa Capitulo et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Gerunden. nova audientia super dubiis, referente Em̃o et Rm̃o D. Card. Colloredo sub die 13 augusti 1701 ad favorem Dignitatum eiusdem Cathedralis resolutis; repropositisque ab eodem Em̃o et Rm̃o D. Card. Colloredo una cum secundo super quo fuerat dilata resolutio, omnibus dubiis praedictis videlicet:

1. Ad quem spectet etc.? [2]

S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum:

Ad 1. « In decisis; et amplius ».

Ad 2. « Spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias ».

Et ita decrevit et servari mandavit. [3]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2088].

[1] Cf. N. 5645, 5659.
[2] Cf. N. 5717.
[3] Cf. N. 5731.

5723.

S. R. C., *Urbis*, 11 febr. 1702.

Cum ex antiqua consuetudine, prout asseruerunt, Moniales Monasterii S. Silvestri de Capite in diebus Festivis, post completas Horas Canonicas, recitent semper Psalmos Poenitentiales cum adnexis Litaniis maioribus, a S. R. C. humiliter supplicaverunt declarari:

An ipsis liceat in praedictis Litaniis, praeter in iisdem descripta, superaddere nomina SS.rum earumdem Ordinis?

Et S. R. C. respondit: « Se conforment Breviario quo utuntur ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2093].

5724.

S. R: C., *Fanen.*, 8 apr. 1702.

Excitatis inter Parochum et Patres Ordinis Minorum Conventualium Montis Avii Fanen. Dioecesis quamplurimis controversiis, ac super iisdem ab Emo et Rmo D. Card. Francisco Barbarino infrascriptis dubiis in S. R. C. relatis:

1. An Patribus Conventualibus in eorum Ecclesia cineres benedicere illosque populo distribuere in die prima Quadragesimae, in praeiudicium iurium Ecclesiae parochialis, liceat?

2. An eisdem liceat in die Dominica Palmarum palmas benedicere illarumque distributionem facere?

3. An eisdem liceat candelas benedicere populoque distribuere in Festo Purificationis B. M. V.?

4. An eisdem liceat facere Processionem extra ambitum et claustrum eorum Conventus?

S. R. C., utraque parte tam in voce quam in scriptis informante audita, censuit respondendum:

Ad 1, 2 et 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Non licere, nisi de licentia, vel probata formiter consuetudine ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

S. R. C. Decreta Authentica, n. 2098].

5725.

S. R. C., *Pompeii Stabiae*, 31 mart. 1703.

Episcopo Civitatis Pompeii Stabiae pro declaratione infrascripti dubii apud S. R. C. enixe supplicante: An Canonici Ecclesiae Cathedralis interessentes concionibus, praesertim quadragesimalibus, debeant esse induti habitu canonicali, dum sedent in propriis stallis?

S. R. C. censuit: « Affirmative » respondendum. Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2108].

5726.

S. R. C., *Salernitana*, 31 mart. 1703.

Inter Clerum tam saecularem quam Regularem et Confraternitates status Serini Salernitanae Dioecesis ex una, et Parochum SS. Petri et Pauli ac Universitatem Casalis S. Luciae status Serini praedicti ex altera partibus, super modo peragendi Processionem die Festo SS. Corporis Christi controversiis exortis; ex parte Cleri tam Saecularis quam Regularis et Confraternitatum praedictorum, attentis irrationabilitate supra recensitae Processionis resultante ex via sex milliarium mensuratae longitudinis difficillima, incommoda, sepibus ac fluminibus impedita, per quam dirigenda est Processio; nec non quamplurimis abusibus, qui in tam longo itinere et adeo difficili in ea peragenda irrepserunt; nunc pro abolitione dictae Processionis, ita ut imposterum vice eiusdem unicuique ex Parochis cum suis Clero et Confraternitatibus in dicta die Solemnitatis Corporis Christi intra limites propriae Parochiae Processionem peragendi facultas benigne concedatur humiliter a S. R. C. supplicatum fuit.

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Gabrielli, relatione Archiepiscopi et partibus tam in voce quam in scriptis informantibus auditis, censuit: « Processionem non esse permittendam eo modo, quo nunc peragitur; sed faciendam iuxta modum ab Archiepiscopo praescribendum ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2109].

5727.

S. R: C., *Gienen.*, 28 apr. 1703.

Emi et Rmi Domini, Episcopus Gienen. EE. VV. devote exponit in Civitate de Anduxar sui Episcopatus adesse Confraternitatem sub denominatione Iesu Nazareni, in Conventu PP. Calceatorum SSmae Trinitatis legitime erectam: quae usque a longaevo tempore consuevit qualibet Feria VI maioris Hebdomadae summo mane in recolitionem SS. Passionis Domini Nostri Iesu Christi devotam facere Processionem, deferendo solemniter tres imagines, alteram eiusdem D. Nostri Iesu Christi Nazareni habentis supra caput coronam spineam, supra humeros Crucem ligneam et in collo funem ex sparto, sive cannabe de more compositam; alteram B. M. V. sub titulo *della Solitudine;* et S. Ioannis Evangelistae alteram, sine ulla prorsus pompa et procaci venustate. Anno autem 1701, recedendo ab hoc solito, et inconsulto ipso oratore, inhoneste nimis et indecenti luxu per dictam Civitatem incessit, exponendo et respective gestando dictam effigiem Salvatoris Nostri cum dicta Cruce super humeris undique argento subsuta et totaliter cooperta, cum capillamentis cincinnatis, cum corona non amplius spinea sed argentea, cum fune non ex sparto seu ex cannabe sed ex funiculis aureis intexto et variis ornato gemmis et adamantinibus; et quoad alias

imagines B. Mariae Virginis et S. Ioannis, utramque composuit quibusdam indumentis totaliter impropriis, scilicet coloris rosei, et aliis profanitatibus prorsus damnabilibus; quare dictus orator in sequenti anno 1702, antequam immineret designata dies dictae Processionis peragendae, virtute suorum iurium praeceptive mandavit, ut Confratres ab illicita pompa se abstinerent. Hoc tamen non obstante non cessant ipsi in hoc vano luxu persistere, et licet satis superque provisum sit per Decretum Sacrosanctae Tridentinae Synodi (Sess. XXV, De invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus) sancientis: *Ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur etc. Postremo, tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihil inhonestum appareat;* nihilo tamen minus idem orator, cum propriae conscientiae stimulis sit agitatus, ad tutius agendum ab EE. VV humiliter declarari exposcit: Num huiusmodi vana et lasciva forma deferendi imagines in die tam memoranda, sit toleranda, ac respective permittenda?

S. R. C. respondit: « Episcopus Processionem, ut praefertur, omnino prohibeat ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2110].

5728.

S. R. C., *Concordiae*, 23 iun. 1703.

P. Alexandro Alexandrino Ordinis Praedicatorum Congregationis Venetiarum infrascripta dubia a S. R. C. humiliter supplicante declarari:

1. An, non obstante Bulla s. m. Urbani Papae VIII de observatione Festorum, edita 13 septembris 1642,[1] vigeant et observari debeant Festa illa, quae confirmata erant voto alicuius Communitatis?

2. An Episcopus in sua Dioecesi Festa praedicta possit confirmare, adeo ut sint obligatoria, et alia Festa instituere de praecepto praeter illa quae in dicta Bulla expressa sunt?

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 1. « Festa ex voto personas tantum voventes teneri observare, iuxta declarationem S. R. C., die 18 aprilis 1643, cum approbatione Sanctissimi ».[2]

Ad 2. « Negative ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2113].

5729.

S. R. C., *Montis Alti*, 23 iun. 1703.

Remissa ad S. R. C. ab Auditore SS. Domini Nostri Papae Clementis XI cognitione controversiae inter Episcopum et Gubernatorem exortae super praetensa a Gubernatore manutentione sedendi in Presbyterio e conspectu

[1] Cf. N. 226.
[2] Cf. N. 5428.

Episcopi in functionibus ecclesiasticis; propositoque ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo super praemissis infrascripto dubio: An Gubernatori Montis Alti liceat retinere Sedem intra Presbyterium e conspectu Episcopi?

S. R. C., licet ex parte Gubernatoris pro dilatione resolutionis institum fuerit, Episcopo tam in voce quam in scriptis informante tantum audito, censuit respondendum: « Negative ». Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2115].

5730.

S. R. C., *Squillacen.*, 23 iun. 1703.

Inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae et Clerum ex una, et Monasterium ac Monachos S. Ioannis Theresti Ordinis S. Basilii Magni Oppidi Stili Squillacen. Dioecesis ex altera partibus, super praetensa a Monachis praedictis exemptione ab accessu ad publicas Processiones, nec non praecedentia supra Clerum Regularem in Processionibus fieri consuetis cum delatione Reliquiarum S. Ioannis Theresti, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis; tandem ab Emo et Rmo Dom. Card. Gabriello infrascriptis propositis dubiis:

1. An Monachi S. Ioannis Theresti Ordinis S. Basilii Magni teneantur accedere ad publicas Processiones, quae infra annum habentur, iuxta ritum Ecclesiae?

2. An dicti Monachi teneantur accedere ad alias Processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent, etiam cum delatione Reliquiarum dicti S. Ioannis Theresti, quae asservantur in Ecclesia eorumdem Patrum, talique casu debeatur praecedentia Clero Saeculari etiam in atrio Monasterii?

S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Quoad primam et tertiam partem Affirmative; quoad secundam vero partem Negative, idest Monachos non posse compelli ad deferendas Reliquias S. Ioannis Theresti; quod si illae Reliquiae deferantur, deferendas esse per Monachum incedentem in loco digniori ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2116].

5731.

S. R. C., *Gerunden.*, 24 nov. 1703.

Cum super controversiis inter Dignitates, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Gerunden. exortis, inter alia dubia ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo, sub die 13 augusti 1701 proposita, super secundo:

An scilicet, nolente vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus maioris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes ac ceteris expressis in Caere-

moniali Episcoporum, et signanter lib. 2, cap. 34, § 2, prout etiam occasione Processionum Corporis Christi et similium; tam istae quam ceterae functiones expleri valeant in eius locum a Vicario Generali, sive Canonico Episcopi, sive Canonico Hebdomadario, sive alio quocumque Canonico, vel potius peragendae sint a prima Dignitate, istaque impedita, ab aliis ordine successivo?

S. R. C. responderit: « Dilata »; [1] et postea, sub die 11 februarii 1702, repropositio ab eodem Eño et Rño Dom. Card. Colloredo supradicto dubio: « Spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias Dignitates », responsum fuerit; [2] obtenta subinde ex parte Capituli et Canonicorum praedictorum nova audientia, ac eisdem literis remissorialibus concessis, ad effectum probandi assertam immemorabilem, contigit in praesenti disputari dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Eoque ab Eño et Rño D. Card. Colloredo proposito,

S. R. C., utraque parte tam in voce quam in scriptis acerrime informante audita: « Standum esse censuit in decisis ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2120].

5732.

S. R. C., *Hispalen.*, 24 nov. 1703.

Petro Francisco Episcopo Lacedemoniae Suffraganeo et Auxiliario Archiepiscopi Hispalensis demisse supplicante declarari:

An ipsi, uti Archidiacono et Canonico Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis, liceat ingredi Chorum et Capitulum cum superpelliceo et habitu Canonicali?

S. R. C. censuit: « Teneri incedere cum habitu episcopali ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2121].

5733.

S. R. C., *Urbis et Orbis*, 12 ian. 1704.

Iurium parochialium functionum et praeeminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum earumque Cappellanos et Officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares earumque Cappellanos et Officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Eño et Rño D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

[1] Cf. N. 5717.
[2] Cf. N. 5722.

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?

2. An dictae Confraternitates erectae in Cappellis vel Oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?

3. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

5. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus?

6. An benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus?

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus?

8. An celebratio Missae solemnis Feria V in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus?

9. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus parochialibus?

10. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus?

11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus?

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis et Sacris Imaginibus, et benedictio quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horae Canonicae cum cantu vel sine cantu, absque alia licentia Parochi?

15. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?

16. An Cappellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi?

17. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam christianam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis vel privatis, a Parochiali divisis et separatis?

18. An in dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia Parochi?

19. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata, ante Missam Parochialem sive lectam sive cantatam?

20. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum?

21. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones, iuxta cuiusque Confraternitatis Institutum, absque interventu vel licentia Parochi?

22. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

23. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre Stolam?

24. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

25. An earumdem Ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochiali, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis?

26. An in dictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus neque Regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae?

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

29. An in Ecclesia parochiali Confratres vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus, sive parochialibus sive non parochialibus?

30. An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu vel licentia Parochi?

31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quatenus affirmative,

33. An etiam suffragium duplex?

S. R. C., re mature discussa, respondendum esse censuit:

Ad 1. « Affirmative ».
Ad 2. « Affirmative ».
Ad 3. « Negative ».
Ad 4. « Negative ».
Ad 5. « Negative ».
Ad 6. « Negative; sed benedictionem Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis ».

Ad 7. « Negative, prout iacet ».
Ad 8. « Negative, prout iacet; sed spectare ad Parochos ».
Ad 9. « Negative, prout iacet, ses spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X, n. 22, § 14 ».[1]
Ad 10. « Negative, prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii ».
Ad 11. « Negative ».
Ad 12. « Negative; et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus serventur Decreta ».
Ad 13. « Satis provisum in superioribus ».
Ad 14. « Affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa ».
Ad 15. « Affirmative ».
Ad 16. « Affirmative ».
Ad 17. « Negative ».
Ad 18. « Affirmative ».
Ad 19. « Negative; nisi aliter Episcopus disponat ».
Ad 20. « Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium ».
Ad 21. « Affirmative ».
Ad 22. « Negative, nisi adesset licentia Episcopi ».
Ad 23. « Negative extra propriam Ecclesiam ».
Ad 24. « Negative ».
Ad 25. « Negative ».
Ad 26. « Negative ».
Ad 27. « Negative ».
Ad 28. « Negative ».
Ad 29. « Negative ».
Ad 30. « Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina Officia ».
Ad 31. « Affirmative ».
Ad 32. « Negative ».
Ad 33. « Negative ».

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus et provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit: « Si SSmo Domino Nostro videbitur ». Die 10 decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, « SS. laudavit benigneque approbavit, et publicari et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit ». Die 12 ianuarii 1704.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2123].

[1] Bull. Rom., tom. 3, III, p. 447-449.

5734.

S. R. C., *Aquae Sextiae*, 12 apr. 1704.

Cum ex parte Fratris Thomae de Merles de Beauchamps, Commendatarii Aquae Sextiae Ordinis Hierosolymitani in Provincia, expositum fuerit S. R. C. ad ipsum tamquam Ordinarium spectare collationem Beneficiorum Ecclesiae sibi commendatae, demisse supplicatum fuit sequentia dubia declarare:

1. An Prior praedictae Ecclesiae commendatae, ipsi Commendatario uti Beneficiorum collatori subiectus, possit celebrare Missam privatam cum quatuor luminibus accensis?

2. An etiam celebrare cum annulo gemmato et pileolo absque speciali indulto Sedis Apostolicae?

3. An etiam a Sacrario ad Altare progredi, duobus Acolythis associatus et celebrare Missam privatam cum rochetto, nec non cum assistentia Sacerdotis?

4. An etiam uti in Ecclesia Sede camerali cum tapete ac pulvinaribus?

Et S. R. C. censuit in omnibus respondendum: « Negative ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2130].

5735.

S. R. C., *Turritana*, 26 apr. 1704.

In multiplicibus controversiis exortis inter Archiepiscopum Turritanum, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae in materia respiciente sacros Ritus, quamplurimae etiam emersere disceptationes, super quibus Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Gabriellus infrascripta dubia inter partes concordata in S. R. C. proposuit:

1. An Canonici Metropolitanae Ecclesiae Turritanae tam in Missis privatis quam solemnibus uti valeant instrumento vulgo *Bugia?*

6. An Capitulum et Canonici Turritani teneantur processionaliter accedere ad palatium D. Archiepiscopi Turritani, ad effectum eumdem associandi tam in accessu quam in recessu a praedicta Ecclesia Cathedrali ad palatium, non obstante distantia biscentum et ultra passuum, et intermediatione viae publicae?

7. An Archiepiscopus Turritanus valeat peragere functiones solemnes maioris Hebdomadae in Ecclesiis particularibus, derelicta Ecclesia Cathedrali, et in quibus casibus?

Et S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus pluries auditis, censuit respondendum:

Ad 1. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2135].

5736.

S. R. C., *Amalphitana*, 9 maii 1705.

Ad tollendam in posterum omnem controversiam cum Episcopis suae Provinciae Suffraganeis, Archiepiscopo Amalphitano pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicante:

An ipse, tamquam Metropolitanus, per Dioeceses Suffraganeorum Episcoporum pertransiens possit elevare Crucem?

S. R. C. respondit: « Posse ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2153].

5737.

S. R. C., *Salernitana*, 9 maii 1705.

Inter Carolum Siniscalcum Parochum Ecclesiae S. Angeli a Macerata, atque Cappellanos, Rectores et Gubernatores Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Terrae S. Severini Dioecesis Salernitanae, super nonnullis actibus iurisdictionalibus et praeeminentialibus a Carolo Siniscalco praedicto, tamquam Parocho in supra recensita Ecclesia S. Ioannis Baptistae, intra limites suae Parochiae existente, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis; super eisdem Em̃us et Rm̃us D. Cardinalis de Carpineo in Relatorem deputatus infrascripta dubia resolvenda proposuit:

1. An Cappellani seu Rectores et Gubernatores Ecclesiae S. Ioannis Baptistae seu Montis mortuorum de iurepatronato familiae de Iordano sitae intra fines Parochiae S. Angeli a Macerata Terrae S. Severini, possint et valeant anniversaria nec non funeralia cum tumulo et praesente etiam cadavere, Missam solemnem aliasque functiones, tam publicas quam privatas, per se facere absque ulla dependentia a Parocho, eoque magis absque illius interventu et assistentia? et quatenus negative,

2. An Parocho debeatur praecedentia in sedendo, Officiumque ipse dirigere debeat, Stolamque deferre et primam antiphonam aliasque Orationes canere in funeralibus, praesente cadavere; talique casu teneantur Cappellani et Rectores seu Gubernatores dictae Ecclesiae duplicem tradere eleemosynam dicto Parocho et Vicario Foraneo?

3. An liceat dictis Cappellanis Missas votivas solemnes celebrare, benedicere et distribuere populo palmas in die Dominica Palmarum, candelas in Festivitate SSm̃ae Purificationis B. M. V., necnon cineres, oleum et panem pro devotione fidelium, independenter a Parocho et absque illius interventu?

Et S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum:

Ad 1. « Affirmative: ita tamen ut spectet ad Parochum peragere Officium funebre, praesente cadavere, ad formam Decretorum generalium ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem, quatenus interveniat; Negative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2154].

5738.

S. R. C., *Ferentina*, 27 nov. 1706.

Cathedralem Ecclesiam Sanctorum Ioannis et Pauli Ferentinam nimis rudem, antiquatam et absque laqueari constructam (ex traditione), anno salutis humanae 1100, postmodum Capitulum et Canonici anno 1693 et subsequentibus fornice decorarunt, interiores parietes a solo ad culmen emarginaverunt, columnas quasdam novo caemento circumvestitas glutinarunt et dealbarunt, Cappellas laterales demolitas recenti studio in aequali situ composuerunt, ita ut tota pars interior et forma Ecclesiae non tantum restaurata sed insimul renovata appareat.

Scripturae, Monumenta, Signum Crucis in pariete et alia similia Consecrationem indicantia nullibi habentur pro tota Ecclesia, sed tantummodo pro Ara maiori prout huius memoria legitur in schedula, anno 1576 die 29 novembris, apud Reliquiarum fragmenta sub mensa eiusdem inventa.

Anniversarium tamen totius Ecclesiae sub fide maiorum recolitur die 13 iunii, in qua pariter ad Ecclesiam Fratrum Minorum Sancti Francisci solemniter celebratur Festum S. Antonii Patavini, populo Civitatis et finitimorum locorum propter affluentes nundinas ibidem adveniente, et Cathedralem non visitante, nec memoriam colente suae Dedicationis.

Quapropter Episcopus, Capitulum et Canonici humiliter S. R. C. consuluerunt et quaesierunt declarari:

An opportuniori tempore consecranda sit Cathedralis et etiam Ara maior eiusdem, in die non impedita, ut populus anniversariam Dedicationem possit recolere? et quatenus negative,

An saltem sit locus translationi anniversariae solemnitatis, quae recolitur die 13 iunii, ad aliam opportuniorem diem?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredi respondit: « Ecclesiam Cathedralem non indigere nova consecratione, sed tantum Altare maius; Festum vero Dedicationis Ecclesiae posse transferri ab Episcopo ad aliam diem ab ipso designandam, et non amplius immutandam ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2174].

5739.

S. R. C., *Tuden.*, 22 ian. 1707.

Cum in Dioecesi Tudensi, tam circa validam erectionem Cappellarum et Oratoriorum vulgariter *Eremita* nuncupatorum, quam circa celebrationem Missarum in illis, plura insurrexerint dubia; Episcopus pro bono regimine Dioecesis pro infrascriptorum declaratione apud S. R. C. demisse supplicavit.

1. An in Ecclesia, Cappella seu Oratorio publico noviter erecto, Missa celebrari possit, antequam per Episcopum Ordinarium loci visitetur per se sive per alium?

2. An, recusante Episcopo in novo Oratorio publico, Cappella seu Ecclesia, licentiam celebrandi Missam concedere, possit talis licentia per Iudicem Appellationis concedi, quin dicta visitatio non praecesserit?

3. An ultra consecrationem seu benedictionem Ecclesiae, Cappellae seu publici Oratorii, requiratur effectiva et formalis consecratio Altaris seu Altarium, vel sufficiat sola Oratorii, Cappellae seu Ecclesiae benedictio, etiam absque lapide consecrato? et cui incumbat onus probandi adesse in Altari talem lapidem consecratum, visitatione Episcopi deficiente?

Et S. R. C., Emo et Rmo Dom. Card. Fabronio referente, respondendum censuit:

Ad 1 et 2. « Ad Sacram Congregationem Concilii ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem saltem circa Altare portatile; Negative quoad secundam; probationem vero spectare ad asserentem ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2177].

5740.

S. R. C., *Bituntina*, 1 oct. 1707.

Capitulum Bituntinum S. R. C. humiliter exposuit: Primo, quod antiquitus ab immemorabili celebrabat Officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4 mensis maii; at cum anno circiter 1679 Episcopus, consecrato in altera die, quae ignoratur, Altare maiore eiusdem Ecclesiae, transtulerit idem Officium Consecrationis ad diem primam septembris contra Decreta S. R. C., demisse supplicavit declarare:

1. An dicta translatio debeat sustineri, vel potius remitti in praedictam diem 4 maii?

A Regia Maiestate Reginae Poloniae nuper fuisse donatum ipsi Capitulo Corpus integrum S. Victoris Martyris una cum authentica Emi et Rmi D. Card. Vicarii, asserentis illud extractum ex Coemeterio Callisti: et cum S. R. C. non esse celebrandum Officium alicuius Sancti ratione Reliquiae

insignis, non constito de identitate eiusdem, decreverit; humiliter etiam declarare supplicavit:

2. An possit celebrari Officium S. Victoris praedicti die 15 decembris, cum in Martyrologio Romano plures reperiantur SS. Martyres eiusdem nominis et diversis diebus?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Gabrielli, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2180].

5741.

S. R. C., *Bracharen.*, 8 iun. 1709.

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Bracharen. a S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta dubia declarari:

3. An cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum; vel necessario debeat esse album?

4. An instrumentum, vulgo *Bugia*, cum candela pro Episcopis ad librum, possit esse materia Ordinis Acolythorum, loco Candelabri seu Ceroferarii?

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 3. « Posse uti cingulo colore paramentorum ».

Ad 4. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2194].

5742.

S. R. C., *Cremen.*, 8 iun. 1709.

Ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua repropositis dubiis in Congregatione diei 4 mensis maii proxime praeteriti non resolutis, et super quibus fuit dilata resolutio,[1] nempe:

1. An Episcopo non celebrante in Festivitatibus solemnioribus, Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Cremen. teneatur ad celebrationem Missae et Vesperarum?

2. An saltem teneatur ad celebrandas Vesperas tum primas tum secundas, quoties velit canere dictam Missam, et e contra?

Eadem S. R. C., tam voce quam scriptis utraque parte audita, respondit:

Ad 1. « Non teneri, sed decere ».

Ad 2. « Affirmative, nisi sit legitime impeditus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2196].

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 2192.

5743.

S. R. C., *Uritana*, 22 mart. 1710.

Inter Patres Strictioris Observantiae Sancti Francisci Casalis Novi et nonnullos Presbyteros seu Archipresbyterum aliosque quoscumque Collegiatae dicti loci Uritanae Dioecesis, ortis super celebratione Festivitatis S. Antonii de Padua controversiis eisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Barbarinus in Ponentem datus infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An liceat Archipresbytero, Canonicis aliisque Presbyteris insignis Collegiatae Ecclesiae Oppidi Casalis Novi celebrare Festum S. Antonii in Cappella ibidem sita? et quatenus negative,

2. An liceat eisdem celebrare praedictum Festum in alio et quo die?

6. An liceat Fratribus Reformatis in die Festo dicti Sancti Processionem per Oppidum peragere?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 6. « Arbitrio Episcopi ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2203].

5744.

S. R. C., *Andrien.*, 19 iul. 1710.

Inter Patres Ordinis Praedicatorum Civitatis Andrien. atque Capitulum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ortis controversiis eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Card. Vallemannus infrascripta dubia declaranda proposuit:

6. An Capitulum Cathedralis in associatione cadaverum tumulandorum in Ecclesia S. Dominici possit eam ingredi cum propria Cruce erecta; et facere funus supra cadaver?

7. An Parochus dictae Cathedralis, associans solus dicta cadavera absque Capitulo, possit dictam Ecclesiam S. Dominici ingredi cum Stola et superpelliceo?

8. An Patres Dominicani possint asportare ad sepeliendum in eorum Ecclesia cadavera parvulorum ante septennium, sine licentia Parochi?

S. R. C. partibus tam scriptis quam voce auditis, respondendum censuit:

Ad 6. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Negative, salvo iure probandi immemorabilem ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2206].

5745.

S. R. C., *Senarum*, 13 sept. 1710.

Emi ac Rmi Domini: Virgines Conservatorii S. Nicolai in Saxo, Civitatis Senensis, Eminentiis Vestris humiliter exponunt quae sequuntur:

Cum Ecclesiae ipsarum Cappellani animadvertissent, super inferiori gradu alterius ex Altaribus lateralibus extare lapidem, quo tegitur descensus in sepulchrum ubi defunctae virgines tumulantur, censuerunt praefatum Altare vi Decretorum Apostolicorum esse interdictum, ut in eo Missae fieri nequeant. Cum autem locus exploratus fuisset, repertum fuit, lapidem quidem super gradu extare, sed satis distare ab Altari sepulturam, iuxta acclusam ichnographiam, ita ut non comprehendatur in Decretis. Hinc recursu habito ad Archiepiscopum, cui et documenta fuerunt exhibita, respondit sibi non esse propositum Apostolicorum Decretorum interpretandi, sed velle ut audiamus oraculum Sacrae Congregationis, ex quo regendi norma habeatur. Ideo exorant Eminentias Vestras, ut, designatione inspecta, declarare dignentur licere in proxima S. Mariae ad Nives Festivitate super dicto Altari Missam agere.

S. R. C., omnibus mature perpensis et consideratis, censuit respondendum iuxta votum Magistri Caeremoniarum, nempe: « Archiepiscopo Senarum; qui veris existentibus narratis restituat ad Sacrosanctum Missae Sacrificium Altare ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2207].

5746.

S. R. C., *Placentina*, 22 nov. 1710.

Super iure peragendi functiones parochiales, inter Canonicum Io. Baptistam de Augustis Parochum Ecclesiae Collegiatae Terrae Curtis maioris ex una, et nonnullos Confratres Confraternitatis S. Iosephi eiusdem Terrae Dioecesis Placentinae partibus ex altera, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Card. S. Clementis infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An liceat Parocho celebrare primas et secundas Vesperas ac canere Missas solemnes in Festivitatibus fieri solitis in Oratorio a Confratribus S. Iosephi Terrae Curtis maioris; vel potius dictae functiones spectent ad Cappellanum eorum Confratrum?

6. An liceat eisdem Confratribus, mediante eorum Cappellano, statutis Feriis VI sive qualibet anni die etiam occasione expositionis quadraginta horarum, exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum et dare benedictionem, sine licentia et praesentia Parochi?

7. An liceat Confratribus retinere Confessionale in dicto Oratorio; eorumque Cappellano approbato liceat audire Confessiones sine licentia Parochi? et quatenus negative,

8. An eidem Parocho intervenire volenti seu non volenti in supradictis functionibus, et Confessiones per se ipsum audire recusanti, liceat subdelegare aliquem Sacerdotem sibi benevisum; vel potius teneatur subdelegare Cappellanum Confraternitatis?

9. An tam pro Missa solemni seu minus solemni celebranda, occasione expositionis SSmi, quam pro assistentia Confessionali, debeatur Parocho seu eius substituto consueta eleemosyna?

10. An et ad quam rationem debeatur eleemosyna Cappellano Parochi pro asserta celebratione Missarum, et pro praetensa assistentia praestita singulis Feriis VI, occasione expositionis SSmi Sacramenti in dicto Oratorio?

11. An liceat Confratribus et Sororibus in dicto Oratorio eligere sepulturam, soluta dumtaxat Parocho quarta funerali; et ex quibus dicta quarta funeralis debeatur?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 6. « Arbitrio Ordinarii ».

Ad 7. « Ut ad proximum, arbitrio Ordinarii ».

Ad 8. « Quoad Confessiones, arbitrio Ordinarii; quoad reliquas functiones: Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 9. « Affirmative pro Missis tantum; nullatenus vero pro audientia Confessionum ».

Ad 10. « Deberi pro Missis tantum, iuxta taxam synodalem ».

Ad 11. « Affirmative, reservatis Parocho emolumentis ad formam Constitutionum synodalium; et iuxta solitum ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2208].

5747.

S. R. C., *Papien.*, 9 mart. 1711.

Inter Ioannem Petrum Bezzi Rectorem Ecclesiae parochialis Terrae *Pezzetti* et Confraternitatem SSmae Trinitatis sive S. Sebastiani eiusdem Terrae Dioecesis Papien., super nonnullis iuribus parochialibus, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis, ab Emo et Rmo D. Card. S. Clementis infrascripta dubia decidenda proposita fuerunt:

1. An liceat Confratribus celebrare seu cani facere Missas in Festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Cappellano Confraternitatis absque ulla Parochi dependentia?

2. An ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis Dominicis cuiuslibet mensis, et populo benedicere absque licentia et dependentia dicti Parochi?

3. An liceat Confraternitati seu Confratribus retinere Sedes confessiona-

les in eorum Oratorio, ut ibi Confessarii approbati excipiant Confessiones sacramentales?

4. An liceat Processiones peragere extra propriam Ecclesiam seu Oratorium cum usu Stolae a proprio Capellano seu Rectore deferendae, pariter absque licentia et dependentia dicti Parochi?

Et S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis audita, censuit respondendum:

Ad 1. « Affirmative ».
Ad 2. « Licere de licentia Episcopi ».
Ad 3. « Ut ad proximum ».
Ad 4. « Serventur Decreta generalia ».
Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2210].

5748.

S. R. C., *Lausannen.*, 8 apr. 1713.

Cum ad instantiam Rm̃i D. Episcopi Lausannen. apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicatum fuerit, nempe:

1. An, sicut fit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Lausannen. licet ab haereticis pollutae, ita illius Titulare Festum peragendum sit per Dioecesim?

3. An quoties fit aqua benedicta toties sal sit exorcizandus; vel adhiberi possit iam in huiusmodi functione exorcizatus et in hunc usum servatus, conformiter Rituali Romano Pauli V de Baptismo administrando?

S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».
Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».
Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2218].

5749.

S. R. C., *Maioricen.*, 26 aug. 1713.

Cum inter Dignitates Ecclesiae Cathedralis Maioricen. et Canonicos eiusdem Ecclesiae ortae fuerint nonnullae controversiae super eorumdem praeeminentiis, tum in Capitulo tum in Choro aliisque functionibus; iisque ad S. R. C. delatis, concordata fuerint, et ex parte Dignitatum infrascripta dubia proposita, videlicet:

3. An spectet ad Dignitates gradatim, iuxta eorum ordinem; vel potius ad Canonicos ministrare Sacramenta Episcopo infirmo, eoque defuncto, Officia celebrare?

4. An nolente vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus maioris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes et ceteris expressis in Caeremoniali Episcoporum, signanter lib. 2, cap. 34, prout etiam occasione Processionum SSm̃i Corporis Christi et similium; dictae functiones maiores expleri debeant per Dignitates gradatim iuxta illorum ordinem; vel potius explendae sint per Canonicos a Capitulo deputandos?

5. An Dignitates cogi possint ad Evangelium canendum, celebrante Canonico vel alio inferiori?

6. An mortuo Episcopo, ante electionem Vicarii Capitularis, spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim; vel potius ad Canonicum antiquiorem, convocare Capitulum?

7. An, Sede Episcopali vacante, spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim celebrare functiones ecclesiasticas in maioribus Festivitatibus, quae, vivente Episcopo, ex dispositione Caeremonialis faciendae sunt per Episcopum; vel potius spectet ad Vicarium Capitularem vel alium Canonicum a Capitulo eligendum?

Et cum S. R. C. alias ad relationem Em̃i et Rm̃i Card. de Abdua, partibus tam voce quam scriptis informantibus auditis, respondendum censuerit:

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».
Ad 4. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».
Ad 5. « Negative ».
Ad 6. « Dilata ».
Ad 7. « Non proposita ».

Nunc ex parte Canonicorum petita et obtenta ab eodem Em̃o D. Card. de Abdua nova audientia tam super iisdem praedictis dubiis iam resolutis, quam super illis in quibus fuit responsum: « Dilata »;

Eadem S. R. C., auditis iterum informationibus ab utraque parte tam scriptis quam voce deductis, et referente eodem Em̃o et Rm̃o D. Card. de Abdua, rescripsit:

Ad 3. « In Decisis ».
Ad 4. « In Decisis ».
Ad 5. « In Decisis ».
Ad 6. « Spectare ad primam Dignitatem quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates quae pariter sint Canonici ».
Ad 7. « Spectare ad primam et successive ad alias Dignitates, etiam si non sint Canonici ».
Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2219].

5750.

S. R. C., *Urbis seu Romana*, 18 aug. 1714.

Super iure deferendi Crucem et Stolam per Sacristam sive Cappellanum in Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae, occasione associationis cadaveris in dicta Ecclesia tumulandi, inter Parochum SS. Quirici et Iulitae ex una, atque Capitulum et Canonicos eiusdem Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae

Urbis partibus ex altera, nuper ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia inter partes concordata ab Eño et Rño Dom. Card. Origo proposita fuerunt:

1. An in associatione cadaverum quae humanda deferuntur ad Ecclesiam S. Anastasiae sit eius Crux erigenda?

2. An in eadem associatione possit eiusdem Ecclesiae Sacrista seu Cappellanus cum Stola una cum Parocho defuncti, saltem ad sinistram, incedere?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter sub die 9 augusti 1681, [1] favore eiusdem Ecclesiae S. Anastasiae, respondendum censuit:

Ad 1. et 2. « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2227].

5751.

S. R. C., *Urbis et Orbis*, 29 sept. 1714.

Cum occasione Missalis typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide summa cura ac diligentia novissime impressi et prope diem publico usui exponendi, apud S. R. C. enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla eiusdem S. C. Decreta, iam alias edita et approbata, in praedicto novo Missali summatim apponi et imprimi benigne concedere dignaretur, videlicet:

Missae pro defunctis sive de Requiem in Festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debeant. Quod si ex benefactorum institutione Missae huiusmodi celebrandae incidunt in Festum duplex; tunc, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, iuxta mentem eorumdem benefactorum. Datum die 5 augusti 1662 et approbatum a fel. rec. Alexandro VII eadem die. [2]

Praedictum Decretum ab eodem fel. rec. Alexandro VII speciali Brevi, quod incipit: *Creditae nobis*, [3] denuo fuit confirmatum; ac insuper statutum idem servandum esse quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, et Indulgentias per huiusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum.

Deinde fel. rec. Clemens IX Sacrae Congregationis Decreta alio Brevi, cuius initium: *Cum felicis recordationis etc.*, iterum confirmavit; praedictamque Alexandri VII dispositionem ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed in aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum

[1] Cf. N. 5642.
[2] Cf. N. 5534.
[3] Die 12 ian. 1667. — Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 141, 142.

quandocumque privilegiata, extendit die 23 septembris 1669, [1] approbando Decretum eiusdem S. C. 20 iulii 1669. [2]

Tandem proposito dubio: An supradictae Alxandri VII et Clementis IX declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis et infra octavam Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi aliisque anni diebus, quibus, licet a Festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missae defunctorum iuxta ritum Ecclesiae celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missae, quas iisdem diebus celebrare licet, servata ceteroquin privilegiorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur; eadem S. R. C. die 3 aprilis 1688 praedictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus iuxta Rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit; [3] eiusque Decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio PP. XI speciali Brevi, quod incipit: *Alias postquam*, dato die 4 maii 1688. [4]

Decretum a S. R. C. anno 1630 editum, quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora vel Reliquiae insignes in eisdem asservantur, intelligendum est dumtaxat de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis eorumdem vel insignis Reliquiae, secus vero de Sanctis in eodem Martyrologio non descriptis. Quorum tamen Corporibus et Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis, debita a fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque Officio et Missa sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium aliisque in Constitutione S. Pii V contentis. Datum die 11 augusti 1691, et approbatum a fel. rec. Innocentio XII die 19 octobris eiusdem anni. [5]

Ad augendam fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, eiusque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibitum est celebrare Missas votivas vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi. Datum die 21 iunii 1670, eodemque die a fel. rec. Clemente IX approbatum. [6]

Item prohibitum est easdem Missas celebrare infra octavam Nativitatis Domini. In Missis vero solemnibus pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis, dicenda est Praefatio iuxta Rubricam Generalem Tit. XII, num. 4. Datum die 25 septembris 1706, et iam a SSmo approbatum.

Re vera in S. R. C. ad relationem Eñi et Rñi Dom. Card. Barbarini pluries discussa et mature perpensa, S. eadem R. C.: « Praedicta Decreta, tum ut nonnulli abusus qui tum ut Celebrantium instructioni et usui sint, tum ut nonnulli abusus qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post Rubricas Generales apponi et imprimi posse censuit, si SSmo Dom. Nostro visum fuerit ». Die 15 septembris 1714.

[1] Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 358, 359.
[2] Cf. N. 5575.
[3] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1793.
[4] Bull. Rom., tom. 8, p. 318, 519.
[5] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1853.
[6] S. R. C. Decreta Authentica, n. 1403.

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de praedictis SSmo Dom. Nostro relatione, Sanctitas Sua: « Sensum S. C. approbavit, eademque Decreta in Missali apponi et imprimi mandavit ». Die 29 septembris eiusdem anni 1714.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2228].

5752.

S. R. C., *Septempedana*, 11 maii 1715.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Septempedanae ex una, et Communitatem ac Magistratum eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit:

4. An Magistratui et Consuli liceat in Processionibus aliisque sacris functionibus incedere pari gradu cum Episcopo; seu potius Episcopus solus praeire debeat?

5. An Magistratui et Consuli liceat genuflectere in eodem genuflexorio una cum Episcopo cappa induto?

6. An Magistratui et Consuli Septempedae debeatur reverentia seu salutatio a Sacerdote celebrante post expletum Evangelium S. Ioannis, et antequam ab Altari idem Sacerdos recedat?

7. An liceat Episcopo retinere in Ecclesia Cathedrali Thronum cum quatuor gradibus?

8. An liceat eidem Episcopo addere secundum gradum altitudinis unius cubiti circiter subtus Sedem, umbella seu baldachino ornatam, in qua sacris concionibus in Ecclesia Cathedrali solet assistere?

9. An liceat eidem Episcopo retinere unum aut plures gradus subtus faldistorium?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, respondendum censuit:

Ad 4. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».
Ad 5. « Negative ».
Ad 6. « Negative ».
Ad 7. « Licere retinere Thronum cum tribus gradibus et suppedaneo.
Ad 8. « Licere retinere unum gradum cum suppedaneo ».
Ad 9. « Posse Episcopum, in casu de quo agitur, retinere parvum tabulatum subtus faldistorium ad formam Caeremonialis ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2231].

5753.

S. R. C., decr. gen., 27 sept. 1716.

Cum Festum SSmae Annuntiationis sequenti anno 1717 incidat in Feriam V maioris Hebdomadae, a nonnullis quaesitum fuit: An praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus ad Feriam II post Dominicam in Albis (in qua, iuxta Decretum S. R. C. die 12 februarii anno 1690 editum, idem Festum celebrari debet) [1] sit transferendum; an vero servandum sit in ipsa Feria V maioris Hebdomadae, et per locorum Ordinarios providendum ut eo die aliquae Missae privatae ante Conventualem pro praecepti adimplemento celebrentur?

S. R. C., re mature discussa, censuit: « Praeceptum audiendi Missam et abstinendi a servilibus non esse transferendum, sed omnino servandum esse in ipsa Feria V maioris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum providendum ut eo die pro Civitatum et Pagorum qualitate ac Christifidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae ante celebrationem Missae Conventualis pro praecepti adimplemento celebrandae non desint; sed tamen antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SSmae Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur ». Et ite declaravit ac Decretum huiusmodi publicari et imprimi mandavit, si SSmo Domino Nostro visum fuerit. Die 12 septembris 1716.

Factaque per me Secretarium de praedictis eidem SSmo D. N. relatione, « Sanctitas Sua benigne annuit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2240].

5754.

S. R. C., *Sorana*, 5 dec. 1716.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Soranae ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae nec non Capitulum et Canonicos Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis partibus ex altera, super iure tam assistendi Episcopo in omnibus Pontificalibus, quae in Ecclesia Cathedrali peraguntur, quam etiam accedendi ad omnes publicas et votivas Processiones eiusdem Civitatis, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Archipresbyter et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis Sorae intervenire et assistere debeant omnibus functionibus Pontificalibus ab Episcopo celebrandis in Ecclesia Cathedrali?

2. An idem Archipresbyter et Canonici teneantur intervenire Processionibus publicis et votivis dictae Civitatis Soranae? et quatenus affirmative,

[1] Cf. N. 5674.

3. An ad eamdem assistentiam teneantur etiam Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Pro nunc teneri ad Processiones tantum ».

Et ita declaravit. [1]

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2242].

5755.

S. R. C., *Calenen.*, 2 apr. 1718.

Cum usque ab anno 1713 a Duce Montis Dragonis praetensum fuerit retineri in Ecclesiis tam Saecularibus quam Regularibus Dioecesis Calenen. intra Presbyterium genuflexorium cum strato et Sede amovibili cum pulvinaribus, proptereaque ad S. R. C. recursum habuerit; cumque ob mortem Episcopi Calenen. causa huc usque discuti minime potuerit; nunc ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis praedictae per Eñum et Rñum D. Cardinalem de Abdua propositis sequentibus dubiis videlicet:

1. An Duci Terrae Montis Dragonis liceat retinere intra Presbyterium genuflexorium cum strato et Sedem amovibilem cum pulvinaribus, tam in Ecclesiis Saecularibus quam Regularibus Dioecesis Calenen.?

2. An idem liceat Ducissae?

Et S. R. C. respondit: « Negative ad utrumque; et amplius ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2248].

5756.

S. R. C., *Nullius Guastallae*, 9 iul. 1718.

Inter Guidolum de Franciscis Parochum Ecclesiae S. Petri Nullius, Terrae Plebis extra muros Civitatis Guastallae ex una, et Confratres Confraternitatis SSñi Rosarii eiusdem Terrae partibus ex altera, nonnullis ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis; Eñus et Rñus Zondadarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Confraternitas SSñi Rosarii Terrae Plebis Guastallae tres vel quot Campanas possit retinere in Campanili suae Ecclesiae seu Oratorii?

9. An diebus festivis possit recitari Rosarium in Oratorio Confraternitatis ante Vesperas celebrandas in Ecclesia parochiali?

10. An dictis diebus valeant celebrari in dicto Oratorio Missae tam lectae quam cantatae, cum signo Campanarum, ante celebrationem Missae parochialis?

[1] Cf. N. 5765.

11. An liceat Confraternitati celebrare in dicto Oratorio Anniversaria et Officia, tam fixa, sive ex obligatione, quam etiam manualia cum assistentia aliorum Sacerdotum sine assistentia Parochi?

12. An, quatenus Parochus ad dicta Officia vocari et intervenire debeat, duplicatam mercedem obtinere possit?

13. An de licentia Ordinarii valeat Confraternitas quaestuare per Parochiam, irrequisito Parocho?

14. An in Processionibus solemnibus, in quibus intervenire solet Parochus, liceat Confraternitati incedere sub suo Cappellano seorsim a Parocho?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 9. « Affirmative; et quoad tempus, arbitrio Ordinarii ».

Ad 10. « Arbitrio et prudentia Ordinarii ».

Ad 11. « Affirmative ».

Ad 12. « Provisum in undecimo ».

Ad 13. « Affirmative ».

Ad 14. « Affirmative ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2250].

5757.

S. R. C., *Perusina*, 9 iul. 1718.

Super nonnullis praetensis iuribus parochialibus aliisque sacerdotalibus functionibus adversus Curatum et Monachos Camaldulenses Ecclesiae parochialis S. Severi Civitatis Perusinae, expedito a Confratribus Confraternitatis a *Morte* et Oratione nuncupatae, erectae intra limites parochialis Ecclesiae praedictae, monitorio coram A. C.; atque ad instantiam supradictorum Monachorum et Parochi S. Severi ab Auditore SSñi, praevia avocatione Causae ab A. C., ad S. R. C. controversiis remissis; Eñus et Rñus D. Card. Corradinus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Cappellani manuales Societatis a *Morte* nuncupatae aliique Sacerdotes ab Episcopo approbati, et per Confratres invitati, possint audire Confessiones sacramentales in Ecclesia seu Oratorio dictae Societatis, absque licentia et consensu Parochi?

3. An iidem Cappellani absque dicti Parochi licentia possint solemniter Missas canere, benedicere et distribuere candelas, palmas et cineres, ova et fruges etc.?

4. An possint facere Officium funebre super cadaveribus defunctorum sive Confratrum sive eligentium sepulturam in eorum Oratorio, tam eorum qui subiecti sunt Parocho, quam tumulandorum de aliena Parochia, sine interventu Parochi S. Severi?

13. An Confratres possint per Cappellanos suos manuales peragere omnes functiones Hebdomadae maioris in dicta eorum Ecclesia, nempe

canere Missas et Officia, ac reponere SS. Eucharistiam in Sepulcro aliasque functiones ecclesiasticas fieri solitas?

14. An Missae cantari debeant prius in Ecclesia parochiali, antequam canantur in dicta Ecclesia vel Oratorio, seu potius ad libitum cuiuslibet in propria Ecclesia?

15. An Confratres eleemosynas a fidelibus exigere possint, mediante publica quaestuatione, sine consensu Parochi; et etiam absque licentia Episcopi?

Et S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative: excepta benedictione ovorum et frugum ».

Ad 4. « Affirmative; quatenus tumulandus sit de aliena Parochia ».

Ad 13. « Negative, prout iacet ».

Ad 14. « Arbitrio et prudentiae Episcopi ».

Ad 15. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2251].

5758.

S. R. C., *Placentina*, 10 dec. 1718.

Cum in causa Placentina controversiarum vertente inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini ex una, et Beneficiatos ac Mansionarios eiusdem Ecclesiae Civitatis Placentiae partibus ex altera; S. R. C., ad relationem cl. mem. Card. S. Clementis sub die 2 iulii 1712 ad infrascripta dubia, videlicet:

1. An Canonici Collegiatae S. Antonini tempore divinorum Officiorum in Choro teneantur ab eorum stallis descendere et una cum aliis Beneficiatis dictae Ecclesiae Collegiatae canere accedendo ad Lectorile magnum, situm in medio Chori, quidquid ibi canendum occurrit? et quatenus affirmative,

2. An quando et in quibus functionibus teneantur praedicti Canonici ad dictum accessum?

Rescribendum censuerit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Provisum in primo ». [1]

Verum quia Canonici praefati, vigore dictarum resolutionum a cantu *Introitus*, *Gradualis*, *Versiculorum* et similium, quae in Choro hactenus decantare solebant prout assertum fuit, postmodum, permanendo etiam in eorum propriis stallis, sese abstinuerunt; huiusmodi praetensio novarum controversiarum inter eosdem occasionem praebuit, et a Beneficiatis ac Mansionariis praedictis adversus Canonicos iterum habito recursu, illisque

[1] S. R. C. Decreta Authentica, n. 2215.

controversiis ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit:

4. An dicti Canonici, Beneficiati et Mansionarii assistere debeant concionibus, quae habentur tempore Adventus et Quadragesimae in dicta Collegiata, sub poena mulctarum?

5. An dicti Canonici, Beneficiati et Mansionarii tempore Missarum, quae canuntur in Hora Tertiae in dicta Collegiata, possint accipere Missas aliquas dicendas in aliis Ecclesiis, vel accedere ad inserviendum in illis ad formam Decreti editi in visitatione anni 1567?

Et S. R. C. partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 4. « Affirmative, sub poena mulctarum, arbitrio Ordinarii ».

Ad 5. « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2258].

5759.

S. R. C., *Perusina*, 13 maii 1719.

Super praetensis iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis peragendis in publica Ecclesia Confraternitatis B. M. de Planctu Civitatis Perusinae, inter Parochum S. Elisabethae ac Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis ex una, et Confratres Confraternitatis praedictae ex altera parte, ortis controversiis; illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Oliverius infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An liceat Cappellano Confraternitatis S. Mariae de Planctu in Ecclesia vel Oratorio dictae Confraternitatis explere benedictiones cinerum, palmarum et candelarum absque ulla licentia Parochi S. Elisabethae?

2. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in forma 40 horarum bis in anno, absque consensu et licentia Parochi?

3. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in die Nativitatis B. M. V. Festo principali dictae Confraternitatis, absque consensu et licentia Parochi?

4. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in dicta Ecclesia qualibet Dominica, quae praecedit Festivitatem S. Antonii Abbatis, et cum eodem benedicere populum per suum Cappellanum?

5. An liceat eidem ducere Processionem solemnem cum delatione SS. Sacramenti eadem die Dominica intra limites Parochiae S. Elisabethae, absque licentia Parochi quotannis obtinenda?

6. An liceat Cappellano praedicto sive aliis Sacerdotibus ab Episcopo approbatis et per Confraternitatem invitandis, in eadem Ecclesia Missas cantatas celebrare et Sacramentales Confessiones audire absque licentia Parochi?

7. An pertineat ad Parochum S. Elisabethae vel potius ad Cappellanum Confraternitatis facere Officium funebre super cadaveribus eorum, qui

non sunt parochiani S. Elisabethae, sepeliendis in dicta Ecclesia Confraternitatis?

Et S. R. C. rescripsit: « Dilata » ac Remissoriales a Parocho expetitas ad effectum probandi praetensam immemorabilem consuetudinem concessit, cum clausula tamen, *non retardata executione Decretorum generalium eiusdem S. C.* Verum ab eo tempore a Parocho expeditione Literarum Remissorialium procrastinata, S. R. C. ad instantiam Confraternitatis sub die 28 ianuarii proxime praeteriti peremptorium duorum mensium terminum ad deducendum sua iura Parocho assignavit. Elapso itaque dicto termino, reiectaque nova ipsius Parochi instantia super dilatione;

Eadem S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Oliverii, visis iuribus deductis et tam voce quam scriptis Procuratore praefatae Confraternitatis informante audito, ad supradicta dubia rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad 5. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad 6. « Licere, de licentia Episcopi, et ad mentem; et mens est ut licentia concedatur ».

Ad 7. « Negative, quoad Parochum; Affirmative, quoad Cappellanum ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2263].

5760.

S. R. C., *Perusina*, 13 maii 1719.

Pro declaratione dubii circa modum concedendi licentias Cappellanis Confraternitatum audiendi Confessiones.

S. R. C. mandavit: « Scribatur Episcopo iuxta mentem; et mens est, quod abstineat in posterum a concedendis licentiis audiendi confessiones cum clausula, *de licentia Parochi* ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2264].

5761.

S. R. C., *Aquileien.*, 27 iul. 1720.

Cum Moniales, Educandae et Conversae Monasterii Ursulinarum Goritiae Dioecesis Aquileiae a tempore immemorabili in nocte Nativitatis D. N. I. C. in fine primae Missae cantatae Sacram Communionem semper recipere consueverint, nunc pro indulto in posterum continuandi in praedicta consuetudine, apud S. R. C. humillime supplicarunt.

S. eadem R. C. « Attentis circumstantiis supra expressis, huiusmodi instantiae iuxta petita annuendum esse censuit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2267].

5762.

S. R. C., *Pistorien. et Praten.*, 15 mart. 1721.

Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione Dioecesanae Synodi comperiisse abusum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi, ad eorum libitum ultra Diaconum et Subdiaconum sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem; ideoque in S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione huiusmodi dubii: An usus praedictus sit permittendus?

S. R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis:[1] « Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam abusum prohibendum esse mandavit ». Et ita decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2271].

5763.

S. R. C., *Meliten.*, 27 febr. 1723.

Cum in causa Melitensi vertente inter Curatum et Patres Ecclesiae parochialis Regularis B. M. V. Portus Salvi Civitatis Vallettae atque Parochum ac Clerum alterius Ecclesiae parochialis Saecularis Naufragii S. Pauli eiusdem Civitatis, a S. R. C. alias nonnullae resolutae fuerint controversiae; cumque exinde a Curato et Patribus praefatae Ecclesiae parochialis B. M. V. Portus Salvi, super iuribus parochialibus et praeeminentiis, novae promotae fuerint controversiae; hisce ad instantiam Curati et Cleri praedictae Ecclesiae parochialis Naufragii S. Pauli ad S. R. C. delatis, Em̃us et Rm̃us D. Card. Gualterius infrascripta dubia decidenda proposuit, videlicet:

1. An et de cuius matricitate constet in casu?

5. An in associatione ad aliquam ex praedictis Ecclesiis, interveniente Clero Saeculari una cum Parocho Saeculari et altero Regulari, omnes incedere debeant sub Cruce Cleri et Parochi Saecularis vel Regularis?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Constare de matricitate Ecclesiae Portus Salvi, ad effectum de quo agitur ».

Ad 5. « Omnes debere incedere sub una Cruce, nempe Ecclesiae tumulantis ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2275].

[1] Cf. N. 5558, 5719.

5764.

S. R. C., *Brictinorien.*, 18 aug. 1725.

Proposito a Communitate et populo Foropompilii quod Episcopus Brictinorien. vigore Synodi anno 1712 ab ipso habitae decretum renovari mandavit, quo adstringere praetendebat Communitatem et populum Foropompilii ad observationem Festi de praecepto S. Catharinae V. et M. uti Protectricis principalis Civitatis Bertinorii, non obstante quod idem populus Festum S. Ruffilli primi Episcopi ac ipsius primarii Protectoris de praecepto celebrare consuescat; habitoque adversus huiusmodi decretum ex parte praefatae Communitatis ad S. R. C. recursu, infrascriptum dubium coram Emo et Rmo D. Card. Gualterio Ponente inter partes concordatum propositum fuit:

An Foropompilienses, tam exempti quam non exempti teneantur celebrare de praecepto Festum S. Catharinae V. et M.?

Et S. R. C., visis iuribus tam ex parte Communitatis quam ex parte Promotoris Fiscalis, eorumque Procuratoribus, in scriptis et voce informantibus auditis, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2277].

5765.

S. R. C., *Sorana*, 24 ian. 1728.

Reassumpta iterum controversia iam a Canonicis Ecclesiae Cathedralis et Promotore Fiscali Curiae episcopalis Civitatis Soranae, adversus Praepositum et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae eiusdem Civitatis, super assistentia in Pontificalibus excitata, quae in S. R. C. habita 5 decembris 1716, respectu Praepositi et Capituli praefatae Collegiatae nondum penitus resoluta fuit; [1] et per Emum et Rmum D. Card. Polignac infrascripto dubio inter partes concordato proposito:

An decisa sub die 5 decembris 1716, contra Archipresbyterum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis Sorae, militent etiam in omnibus contra Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae eiusdem Civitatis?

S. R. C., partibus tam scriptis quam voce hinc inde informantibus auditis, alias rescribendum censuit: « Affirmative quoad omnia ». Adversus tamen huiusmodi resolutionem obtenta a Capitulo et Praeposito praefatae Collegiatae S. Restitutae nova audientia, et modo iterum reproposita dicta controversia super suprascripto dubio,

[1] Cf. N 5754.

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi et Rmi D. Card. Polignac, utraque parte voce et scriptis informante denuo audita, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2281].

5766.

S. R. C., decr. 28 mart. 1733.

Ut causae beatificationis et canonizationis Servorum Dei pari diligentia et consueto Apostolicae Sedis rigore peragantur, Sacrorum Rituum Congregatio ad evitandas in posterum Postulatorum earumdem causarum excusationes et effugia, praesenti decreto iubet ac praecipit, ut, sicut in processibus, qui fiunt super virtutibus Servorum Dei ex praescripto sanctae memoriae Innocentii Papae XI Testes ex officio sub poena nullitatis a Iudicibus sive Ordinariis sive Delegatis examinari debent, [1] ita iidem Testes ex officio in processibus etiam super miraculis omnino examinentur iuxta normam in Litteris Remissorialibus contentam et expressam sub eadem poena nullitatis praedictorum processuum, qui sine examine Testium ex officio etiam super miraculis in posterum fient.

Et ita decrevit, etc. Hac die 21 martii 1733. Factaque per me Secretarium de hac re Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua decretum Sacrae Congregationis approbavit et servari mandavit, die 28 eiusdem mensis et anni.

[Lambertini, De Servor. Dei Beatificatione, etc., l. II, c. XLVIII, n. 16].

5767.

S. R. C., *Aquilana*, 22 ian. 1735.

Habito ad S. R. C. recursu ex parte Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis Aquilanae super nonnullis iuribus a Capitulo illius Cathedralis praetensis, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Cardinalis Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

5. An Archidiaconus et Canonici teneantur capitulariter in habitu canonicali recipere Episcopum a suo cubiculo et associare ad Ecclesiam Cathedralem, similique modo ad eumdem reducere, quando iste vult pontificaliter celebrare, tam in solemnioribus a Pontificali Romano praescriptis, quam in aliis solemnitatibus ex consuetudine vel devotione in Civitate introductis, vel occasione universalis Iubilaei, vel alia rationabili causa Episcopo benevisa?

6. An idem veniat servandum quando Episcopus ad eamdem Ecclesiam accedit cum cappa, ut assistat Missae cantatae, vel Vesperis aut Processioni, vel ut concionem audiat, vel alia de causa?

[1] Cf. N. 5626.

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Affirmative, iuxta Caeremoniale ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2310].

5768.

S. R. C., *Surrentina*, 12 mart. 1735.

Delatis ad S. R. C. a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli de Plano Surrenti controversiis, super nonnullis iuribus et praeeminentiis a Capitulo Ecclesiae Metropolitanae iam excitatis; Emus et Rmus D. Card. Gotti infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Collegiatae et Parochiali Ecclesiae S. Michaelis Archangeli de Plano Surrenti competat titulus *Insignis?*

2. An Canonicis eiusdem Collegiatae liceat uti cappis cum caputio subsutis serico rubri coloris?

3. An dicti Canonici possint in Processionibus aliisque solemnitatibus intervenire solutis cappis; vel potius illis ligatis et recollectis?

4. An Archiepiscopo Pontificalia celebranti in dicta Ecclesia Collegiata, vel filialibus aliisque sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici eiusdem Collegiatae; seu potius eadem assistentia spectet ad Canonicos Metropolitanae, qui sive singulariter sive capitulariter, interveniant?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, sub die 22 ianuarii proxime praeteriti rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam, nisi quando Cancnici Metropolitanae interveniant capitulariter ».

Verum adversus supradictas resolutiones instantibus modo Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis pro concessione novae audientiae;

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescripsit: « Nihil de nova audientia; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2312].

5769.

S. R. C., *Vercellen.*, 12 mart. 1735.

Cum ex parte Praepositi Ecclesiae parochialis sub titulo S. Mariae Viveronis et Roppuli Dioecesis Vercellen. apud S. R. C. humiliter supplicatum fuerit pro assignatione diei Festi consecrationis illius Ecclesiae; quia ob longum temporis lapsum, quamvis in parietibus dictae Ecclesiae plures adhuc existant Cruces ipsius consecrationem indicantes, dies huius penitus ignoretur;

S. eadem R. C., audita prius relatione Emi et Rmi Episcopi, huiusmodi instantiae annuendo: « Petitam assignationem pro die ab ipso Emo Episcopo semel designanda et numquam in posterum mutanda concedendam esse censuit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2313].

5770.

S. R. C., *Anagnina*, 21 apr. 1736.

Super nonnullis iuribus honorificis, inter Ioannem Baptistam Bassi Episcopum Anagninum et Fr. Bartholomaeum Rubini illius Coadiutorem ex una, atque Scipionem Ambrosii de Thomasiis Praepositum Cathedralis eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Praeposito Ecclesiae Cathedralis Anagninae debeatur thurificatio triplici ductu, absente Episcopo?

6. An assistentibus in Choro Vicario Generali et Praeposito praecedere debeat Vicarius; vel potius Praepositus?

S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2316].

5771.

S. R. C., *Einsiedeln.*, 5 maii 1736.

Dubia varia circa Breviarium Benedictinum, pro quorum resolutione et declaratione apud S. R. C. humillime supplicatur.

AD TITULUM VII RUBRICAE GENERALES DE OCTAVIS.

Dubium unicum: An Commemoratio solemnis S. Patris Benedicti in mense Iulio sit celebranda cum octava?

℟. « Negative, nisi adsit concessio specialis ».

ALIA DUBIA.

Dubium 1. An Festum principalis Patroni alicuius Dioecesis a Regularibus sit celebrandum ritu primae classis, et Dedicatio Ecclesiae Cathedralis

ritu secundae classis; licet hactenus Festum Patroni celebretur ritu duplici maiori, Festum autem Dedicationis omnino non celebretur?

℟. « Affirmative, tum quoad primum, tum quoad secundum; sed sine octavis: Regulares autem degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium ».

Propositis in S. R. C. ab Em̃o et R̃mo D. Card. Georgio Spinula, ad instantiam P. Abbatis Monasterii Einsiedeln. Ordinis S. Benedicti Congregationis Helveticae, suprascriptis dubiis, illisque mature perpensis atque examinatis,

S. eadem R. C.: « Resolutiones approbavit, et imprimi posse concessit ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2319].

5772.

S. R. C., *Urbeventana*, 3 aug. 1737.

Proposita per Emin. et Rev. Dom. Card. Zondadarium Ponentem in S. R. C. causa vertente inter Episcopum Urbeventanum ex una, atque Capitulum, Dignitates, Canonicos, Beneficiatos et Cappellanos eiusdem Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera; illaque ad dictum Emin. Ponentem pro concordia cum facultatibus ipsius S. C. remissa; quia tamen praedicta concordia minime sequuta fuerit, causa iterum per eumdem Emin. Ponentem in S. R. C. reproposita fuit super declaratione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. An, quo habitu et quo in loco Episcopus teneatur assistere celebrationi Missae cantatae et recitationi divini Officii?

2. An eidem Episcopo, assistenti in Throno cum cappa recitationi Horarum Canonicarum, liceat habere Presbyteros chorales illi assistentes, superpelliceo indutos, hinc inde adstantes?

3. An Episcopus per se possit praescribere horas, in quibus celebrari debeant Missae lectae in Ecclesia Cathedrali; seu potius cum consensu Capituli?

7. An liceat Episcopo habere Thronum cum quinque gradibus?

8. An in associatione Episcopi Pontificalia celebraturi, tam in accessu quam in recessu ab Ecclesia, praeire debeant familiares Episcopi, deinde ipse Episcopus, et postea processionaliter Canonici; vel potius praeire debeant processionaliter Clerus et Canonici, postea familiares Episcopi, et demum ipse Episcopus?

9. An Canonicus Cathedralis concionator teneatur Episcopo genuflectere in actu recipiendae benedictionis; seu potius tantum caput inclinare?

10. An tempore quadragesimali liceat Capitulo Cathedralis recitare Matutinum pro die sequenti de sero, immediate post Completorium?

11. An quoties ex praescripto Rubricarum celebrandae et cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare?

S. eadem R. C., visis iuribus hinc inde deductis ac mature perpensis,

et partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Assistentiam choralem praestandam esse ab Episcopo cum cappa in altera ex duabus Sedibus existentibus in Choro, quae congrue aptetur, ac prope Episcopum sedeant Dignitates et Canonici, iuxta ordinem ».

Ad 2. « Servetur Caeremoniale, lib. 2, cap. 5, § 1 ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 7. « Negative; et servetur Caeremoniale, lib. 1, cap. 13, § 3 ».

Ad 8. « Servetur Caeremoniale, lib. 1, cap. 15, § 2 ».

Ad 9. « Servetur Caeremoniale, lib. 1, cap. 22, § 2 ».

Ad 10. « Negative ».

Ad 11. « Negative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2331].

5773.

S. R. C., *Brixinen.*, 31 aug. 1737.

Cum a S. R. C. in causa iuris benedicendi et consecrandi inter R̃mum Episcopum Brixinen. ex una, et P. Abbatem Monasterii S. Ioannis Baptistae in Stambs Ordinis Cisterciensis ex altera partibus, vertente super dubio:

An liceat Abbati Monasterii Stambsensis supellectiles sacras benedicere, in quibus sacra unctio non adhibeatur; sed etiam Altaria consecrare et alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum Chrysma; idque non tantum ad usum propriae Ecclesiae Monasterii, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum?

Referente Em̃o et R̃mo Dom. Card. Georgio Spinula, responsum fuit: « Negative; et servetur Decretum datum die 27 septembris 1659 ».[1]

Verum, ad instantiam praedicti Abbatis, obtenta ab eodem Em̃o et R̃mo Dom. Card. Spinula Ponente nova audientia, et ab eodem iterum in S. R. C. proposito infrascripto dubio:

An sit standum vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde noviter deductis, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2333].

5774.

S. R. C., *Tiburtina*, 7 dec. 1737.

Super iure retinendi clavem capsulae, in qua Feria V in Coena Domini servatur SS̃mum Eucharistiae Sacramentum, in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii Tiburis inter Capitulum et Confraternitatem SS̃mi Salvatoris eius-

[1] Cf. N. 5518.

dem Civitatis ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Georgius Spinula infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An clavis capsulae, in qua SSmum Corpus Christi Feria V in Coena Domini servatur, tradenda sit Confraternitati laicali; seu potius Sacerdoti in crastinum celebraturo?

Et S. R. C., Procuratore supradicti Capituli scriptis et voce audito, ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2335].

5775.

S. R. C., *Alexanen.*, 21 mart. 1739.

Inter Patres Minores Conventuales Conventus Civitatis Alexani ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, exortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Gotti Ponens infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Capitulum et Clerus Ecclesiae Cathedralis Civitatis Alexani accedentes cum Canonico Curato eiusdem Ecclesiae ad associanda cadavera sepelienda in Ecclesiis Minorum Conventualium et Capuccinorum Ordinis S. Francisci eiusdem Civitatis, possint ingredi dictas Ecclesias cum Cruce elevata, et sine Stola? et quatenus affirmative:

2. An ad praefatum Canonicum Curatum spectet in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium S. Francisci Officium funeris explere et Missam de Requiem canere; vel potius, tam in dicta Ecclesia quam in illa Patrum Capuccinorum, ipse et Capitulum possint funeri tantum assistere?

3. An ad Parochum spectent omnes cerae, quae deferuntur in associatione cadaveris et circa illud exponuntur in funere in dicta Ecclesia Patrum Conventualium; vel potius sola quarta funeralis dictae cerae? [1]

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2 et 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2342].

[1] E. Dub. 4.

5776.

S. R. C., *Barcinonen.*, 11 iul. 1739.

Ex parte Episcopi Barcinonen. expositum fuit, quod Abbates Regulares Ordinis Claustralium S. Benedicti Congregationis Tarraconen., qui a S. Sede Apostolica facultatem habent utendi Pontificalibus in suis tantum Ecclesiis aut sibi pleno iure subiectis, praetendunt quod Episcopus concedat eisdem licentiam utendi Pontificalibus in aliis Ecclesiis Dioecesis sive Secularibus sive Regularibus; propterea praefatus Episcopus in S. R. C. enixe supplicavit pro resolutione infrascripti dubii, videlicet:

An Episcopus possit concedere licentiam Abbatibus Claustralibus Ordinis S. Benedicti Congregationis Tarraconensis exercendi Pontificalia in Ecclesiis Secularibus aut Regularibus Dioecesis dictis Abbatibus non subiectis?

Et S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, respondit: « Nequit Episcopus Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus, exercitium Pontificalium restrictive habentibus in suis tantum Ecclesiis, facultatem seu licentiam impertiri exercendi illud in Ecclesiis ipsis non subiectis, sive Seculares fuerint sive Regulares suae Dioecesis ». Et ita decrevit ac declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2348].

5777.

S. R. C., *Sancti Thomae de Meliapor*, 23 ian. 1740.

Ex parte Episcopi S. Thomae de Meliapor, apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum enixe supplicatum fuit, nempe:

1. An B. Rita de Cascia possit eligi in Titularem Ecclesiae publicae erectae in Hospitio Meliaporiensi Patrum Eremitarum S. Augustini, licet de Titulari cuiusvis Ecclesiae debeant fieri Suffragia in Laudibus et Vesperis, et hoc prohibitum sit quoad Beatos utpote nondum Canonizatos; praetereaque de Titulari fiat Officium cum octava, de Beatis vero non fiat cum octava absque speciali privilegio?

2. Casu, quo dicta Beata sit electa in Titularem, contradicente Ordinario; an debeat supprimi talis Titulus, et eligi in Titularem alius Sanctus iam Canonizatus?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Non licere Patribus Eremitarum S. Augustini, Pontificio indulto nequaquam munitis, assumere in Titularem propriae Ecclesiae B. Ritam de Cascia ».

Ad 2. « Titulum sic assumptum debere supprimi, et alium de Sancto iam Canonizato substitui ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2353].

5778.

S. R. C., *Meliten.*, 21 ian. 1741.

Inter Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Meliten. ex una, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Pauli Civitatis Vallettae partibus ex altera, circa nonnullas praeeminentias, exortis controversiis illisque ad S. R. C. deductis, Emus et Rmus D. Card. Lercarius infrascripta dubia inter partes concordata decidenda proposuit:

1. An Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Civitatis Notabilis non invitatis competat ius interveniendi in Ecclesia Collegiata S. Pauli Civitatis Vallettae in Festo Naufragii dicti Sancti ad solemnizandam eius Festivitatem, invitis Archipresbytero et Canonicis Collegiatae?
2. An hoc idem ius competat etiam, Sede Episcopali vacante?
3. An eisdem invitatis ab Episcopo tantum, competat dictum ius, invitis praedictis Archipresbytero et Canonicis Collegiatae? et quatenus affirmative,
4. An Episcopo pontificaliter celebranti in eadem Ecclesia Collegiata in die Festivitatis praedictae debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis; vel potius a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Collegiatae?
5. Quomodo sint assignanda stalla seu disponendae Sedes Canonicorum Cathedralis et Collegiatae respective, in casu praedicto?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et mature perpensis nec non utraque parte scriptis atque voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».
Ad 2. « Negative ».
Ad 3. « Affirmative, quoad assistentiam tantum; servato iure peragendi functiones Festivitatis Canonicis Collegiatae, dummodo Ecclesia Cathedralis non defraudetur suo servitio ».
Ad 4. « Assistentiam deberi a Canonicis Ecclesiae Cathedralis ».
Ad 5. « Esse assignanda stalla tam Canonicis Cathedralis, cum aliquo ornatu pro illis tantum, quam Collegiatae; dummodo primi praecedant secundis ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2358].

5779.

S. R. C., decr. 23 apr. 1741.

Cum in Congregatione generali habita coram SS. D. N. Benedicto Papa XIV die vigesimaprima Martii proxime praeteriti, occasione agendi de virtutibus Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Congregationis Clericorum Regularium Minorum Fundatoris, earumque sufficienti probatione genera-

tim etiam quaesitum atque acriter disputatum fuerit, possent ne unquam aut deberent haberi satis probatae ad effectum, de quo agitur, virtutes alicuius sine ullis testibus de visu; Sanctitas Sua, perlectis Consultorum, et auditis Reverendiss. Cardinalium tunc suffragiis, reque postea secum aliis etiam mature perpensa et pertractata, ad ambages quascumque certa et clara lege desuper tollendas, ita censuit distinguendum.

Ut in causis Beatorum procedentibus per viam cultus sive a Sede Apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati, non recedatur ab antiqua praxi admittendi virtutum aut martyrii probationem, quam vocant subsidiariam, conflatam ex testibus quidem tantum de auditu quandoque a videntibus, quandoque non, sed variis tamen roboratam adminiculis, ad faciendam viro prudenti ac de re gravi iudicaturo auctoritatem et fidem idoneis, ad quae rite colligenda et emittenda sunt a Maioribus nostris litterae et processus compulsoriales ordinati: cum aequum sit, et antiquitatis et cultus haberi rationem; neque negari possit, quin magnum sanctitatis argumentum sit, quod quis colatur propter sanctitatem. Tametsi etiam in Beatis, et antiquis, ubi testes de visu habeantur vel haberi possint, ex his, et non ex solis testibus de auditu, eorum virtutes aut martyrium (quemadmodum et in variis huiusmodi causis factum est) probari debent.

Ex quadam etiam aequitate, ne interdum scilicet contingat, causas, Dei atque hominum iudicio ceteroquin promoveri dignas ex solo testium de visu quandoque non culpabili defectu, iacere omnino et perpetuo derelictas; praesertim cum, neque raro, claris de caelo signis et prodigiis auditur Deus huiusmodi defectu non attento, amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem subsidiaria probatio admitti et in causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus procedentibus: quando tamen non constiterit, primos auctoritate ordinaria processus fuisse dolo malo aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec testes de visu nulli superessent, et quando etiam comperto eiusmodi testium defectu, Sacrae tamen Congregationis consilio signata causae fuerit Commissio, et litterae remissoriales ad processus auctoritate apostolica faciendos expeditae, nulla cum spe testium de visu in ipsis audiendorum.

Atque in his causis deinde suffragium laturi ubi ex dicta probatione subsidiaria, omnibus simul rite ac recte pensatis, talis ac tanta (ipsorum iudicio) exsurgat veri martyrii, aut virtutum heroicarum moralis (ut aiunt) certitudo, quae non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat iudicium de opposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant aut rescribant: virtutes in gradu heroico, aut martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, in casu et ad effectum, de quo agitur.

Simul tamen, ne iuris rigor in his causis adhiberi nedum solitus, sed et necessarius, ullo pacto relaxetur; sed quod ex humano testimonio deerit, divino compensetur: miracula primum quidem quacumque in causa sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, non-nisi ex testibus de visu quoad substantiam approbentur; nulla ratione habita

illorum, quae in processu ex solis testibus de auditu deposita, et quantiscumque documentis confirmata perlegantur: cum nova alia subinde miracula, testibus de visu plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire.

Deinde vero cum in causis Beatorum per viam cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, de stylo praesenti sit, ut approbato iam ex testibus de auditu (ut supra dictum est) adminiculis martyrio aut virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur; in posterum non duo, ut hactenus, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant miracula, et quidem (ut dictum est), ex testibus de visu.

In causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non cultus servetur quidem qui iampridem invaluit mos, ut probatis ex testibus de visu virtutibus, et duobus deinde miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi virtutes aut martyrium ex testibus de auditu (ut supra) fuerint probatae, non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem ex testibus pariter de visu debeant approbari. Atque ita servandum Sanctitas Sua censuit decrevit et mandavit.

[Lambertini, De Servor. Dei Beatificatione, etc., l. III, c. III, n. 25].

5780.

S. R. C., *Aquen.*, 2 sept. 1741.

Unus e Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis, Curator Ordinis Divini Officii recitandi, a S. R. C. humillime supplicavit sequentia dubia declarari:

3. Debetne fieri in tota Dioecesi Officium cum octava Titularis Ecclesiae Cathedralis aut Patroni? In Hymno *Iste confessor* diciturne *Hac die laetus meruit supremos laudis honores*, cum id notatur? Praedicta mutatio debetne fieri cum Officium Sancti habentis octavam transfertur, sed non ultra octo dies? Et quando tunc dicitur per reliquos octavae dies, dicendumne: *meruit beatas*, an *meruit supremos*? Si Festum Stygmatum S. Francisci transferatur, fitne in Hymno aliqua mutatio? In Festo S. Ioachim nonne dicendum est: *meruit supremos etc.*?

8. Possuntne Regulares, cuiuscumque sint Ordinis, intra limites Parochiae et extra ambitum propriae Ecclesiae, absolutiones defunctis facere eosque incenso adolere, quando ad id faciendum rogati sint a parentibus defuncti, vel a Magistratibus Civitatis si agatur de funeribus unius e Magistratibus; et si contra ius parochiale supradictas functiones palam et publice, deposito feretro in vico, facere praesumant, quanam poena plectendi sunt?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad 3. « Affirmative. Quoad mutationem faciendam in Hymno *Iste Confessor etc.* fiat haec quando a Breviarii Rubrica iniuncta est. Nec praedicta

mutatio fiet quando Officium festivum Sancti habentis octavam non ultra octavam transfertur; quia tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius Festi, et ideo versus idem per reliquos octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur. In festo translato Stygmatum S. Francisci nulla est facienda mutatio in Hymno; quae quidem mutatio servanda est in Festo S. Ioachim Dominica infra octavam Assumptionis celebrando ».

Ad 8. « Negative, quoad primam partem; Parochi enim iurisdictio supra defunctum durat quousque transeat in aliorum iurisdictionem; non transit autem in iurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiae. Ita S. C. Concilii 28 februarii 1708 in Sutrina, et 26 martii 1711 in Montis Politiani. Et sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiae Regularium, consuetas recitare preces supra cadaver; ita non poterunt Regulares, antequam vere et realiter sit cadaver intra limites propriae iurisdictionis, illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum unice spectaret ad Parochum. Quoad secundam partem, consultius poena pecuniaria, quia agitur de re mere iurisdictionali, et ex praxi huius S. C., quae in similibus poenam centum aureorum inflixit Regularibus pulsare audentibus Campanam ante Ecclesiam matricem in die Sabbati Sancti ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2365].

5781.

S. R. C., *Aliphana*, 19 ian. 1743.

Ortis nonnullis controversiis inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Aliphanae ex una, atque Capitulum et Canonicos Collegiatae et matricis Ecclesiae Pedemontis partibus ex altera, super nonnullis praeeminentiis; illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Guadagni, pro Emo et Rmo D. Cardinali Lercario Ponente, infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Episcopo Pontificalia celebranti in insigni Collegiata S. Mariae Maioris Pedemontis aliisque Ecclesiis sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici eiusdem Collegiatae; seu potius Canonici Ecclesiae Cathedralis Aliphanae? et quatenus affirmative quoad secundam partem,

2. An dicti Canonici Cathedralis possint assistere capitulariter, quando singulariter interveniant?

3. An idem procedat sive dicti Canonici Cathedralis sint invitati ab Episcopo, sive non?

4. An, et quibus, in hoc casu debeatur praecedentia?

5. An Canonici dictae Ecclesiae Cathedralis, in Convisitatores adhibiti, possint gestare signum canonicale in dicta Collegiata ac aliis Ecclesiis sitis intra fines eiusdem? et quatenus affirmative,

6. An, et quibus, in hoc casu debeatur praecedentia?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et utraque parte scriptis

et voce informante audita, ad relationem eiusdem Emi Dom. Cardinalis Guadagni, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».
Ad 2. « Negative ».
Ad 3. « Quatenus invitati, et non alias ».
Ad 4. « Deberi Canonicis Cathedralis ».
Ad 5. « Affirmative ».
Ad 6. « Deberi Canonicis Cathedralis Convisitatoribus ».
Et ita declaravit ac servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2371].

5782.

S. R. C., *Bergomen.*, 21 mart. 1744.

Cum ex parte Episcopi Bergomensis pro resolutione infrascriptorum dubiorum apud S. R. C. enixe supplicatum fuerit, nempe:

1. Utrum in Sabbato Sancto pro collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis, ut in Missali, celebrare?

2. Utrum in Ordinum collatione diebus a iure statutis, dicenda sit Missa de Sancto contingente, an semper de Feria occurrente? [1]

3. Cum Rubrica Missalis de Ritu servando in celebratione Missae, tit. IV, n. 5, praescribat, quod, incensata Cruce, incensentur et Reliquiae seu imagines Sanctorum, quaeritur: An imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum Reliquias, iuxta Quarti, part. 3, tit. 4, de Introitu Missae, et Merati, tom. 1, part. 2, titul. 4?

4. Quaeritur: utrum nocte Feriae V in Coena Domini licitum sit Statuam B. M. V. velo nigro circumdatam cum Crucifixo mortuo in gremium deposito exponere; et Feria VI sequenti mane eam in Processione cum pluvialibus nigris deferre?

5. Cum in quamplurimis nostrae Dioecesis Ecclesiis inoleverit et quotidie excrescat usus vestis violaceae cum ferula in sacris functionibus deferendae a Caeremoniarum Magistro; quaeritur: An sit usus tolerandus?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; id est pro collatione Sacrorum Ordinum in Sabbato Sancto Missa incipienda est a Prophetiis ».

Ad 2. « In Ordinum collatione diebus a iure statutis, dicatur semper Missa de Feria occurrente ».

Ad 3. « Non esse de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in Altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut, incensata Cruce, valeant illae a Celebrante thurificari ».

Ad 4. « Permitti posse, ut Statua B. M. V. velo nigro circumdata nocte

[1] E. Dub. 3 et 5.

Feriae V in Coena Domini cum Iesu Domino Filio mortuo in gremium deposito in Ecclesia exponatur; et sequenti Feria VI mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur ».

Ad 5. « Serventur praescripta a Caeremoniali Episcoporum circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur lib. I, cap. 5, § 4; quare huiusmodi color et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Ecclesiae Cathedralis ».

Et ita declaravit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2375].

5783.

S. R. C., *Tirasonen.*, 16 maii 1744.

Episcopus Tirasonen. enixe apud S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum, videlicet:

1. An liceat Abbatibus aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere Campanas, vasa sacra et alia, quae sacro Chrismate liniuntur; nec non vestes sacras et alia in quorum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur? et quatenus affirmative,

2. An hoc eis liceat etiam pro Ecclesiis sibi pleno iure non subiectis?

3. An Regularium Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii Superiores possint explere benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur? [1]

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburini Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem, non licere, nisi habeant S. Sedis privilegium; quoad secundam partem, licere ».

Ad 2. « Hoc eis licere pro usu dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum ».

Ad 3. « Posse pro suis Ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2377].

5784.

S. R. C., *Lucana*, 15 maii 1745.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucanae humillime apud S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentis dubii, nempe:

An sit laudandus Parochus qui Feria VI in Parasceve, dum defert SSmum Sacramentum ad domum sui parochiani infirmi, pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos Psalmos, sed in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, et ingressus Ecclesiam statim reponit sacram Pyxidem et dimittit populum absque benedictione?

[1] E. Dub. 4.

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Non est reprobandus Parochus, qui defert SSmum Viaticum infirmo Feria VI in Parasceve, dummodo private et submissa, quinimo submississima, voce recitet Psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat ℣. *Gloria Patri etc.;* quia in tali circumstantia actio talis nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiae huius diei: et considerandum est, quod deferri debet cum Stola albi coloris, in qua Feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus: ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, populum absque benedictione dimittat Feria VI in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2383].

5785.

S. R. C., *Pernambucen.*, 4 sept. 1745.

Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis SSmi Salvatoris Pernambucen. Dioecesis in Brasilia exposuerunt, quod cum Capitulum praefatum quinque tantum Dignitatibus novemque Canonicis praebendatis ac quatuor aliis Semicanonicis constet, nullamque aliam habeat Ordinum distinctionem, aliquoties inter ipsos dubia aliqua orta sunt circa ritum observandum in Missis Pontificalibus aliisque functionibus ecclesiasticis in praefata Ecclesia celebrandis; quae cum ab ipsis probe iudicari nequeant, ideo, ne erronee sed rite procedant, a S. R. C. humillime supplicarunt infrascripta dubia declarari, nempe:

1. An universa Dioecesis teneatur ad celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava Festo Transfigurationis Domini Ecclesiae Cathedralis Titularis?

2. An Canonici Assistentes Episcopo in Missa Pontificali debeant induere albam, eo quod dictum Capitulum adhuc utatur superpelliceis rotundis, et non rochetto neque cotta, super quam innuit Caeremoniale Episcoporum induere Amictum et Dalmaticam?

3. An quinam ex Capitulo esse debeant Diaconi assistentes, ac Diaconus et Subdiaconus in Missa Pontificali?

8. An de Titulari Ecclesiae Cathedralis debeat fieri commemoratio in Suffragiis Sanctorum per totam Dioecesim, vel ab illis tantum qui addicti sint Ecclesiae Titulari?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Canonici assistentes Episcopo, non Albam, sed rochettum vel cottam, quoquo modo vel forma ad regionis morem compacta illa sit et consuta, induere debent una cum Amictu subtus Dalmaticam, vel aliud Chori peculiare insigne ».

Ad 3. « Quando praebendae non sunt distinctae, duo Diaconi assistentes apud solium Episcopo erunt primae duae Dignitates immediate sequentes post primam; si autem inter Praebendatos Canonicos perpetua non autem accidentalis esset Ordinum distinctio in Presbyterales et Diaconales, pro munere assistentiae assumuntur primi duo Canonici ex Ordine Diaconali. Diaconus vero Evangelii et Subdiaconus pro Epistola in Missa Pontificali inservientes, quando tale onus inter omnes per vices, vel alias, iuxta Ecclesiae consuetudinem non sit, erunt alii duo digniores, sive Canonici sive Dignitates fuerint, qui sequuntur in ordine post assistentes Canonicos in Solio; item ac supra dictum est, si nulla intercedat Ordinum vel Praebendarum distinctio ».

Ad 8. « De Titulari Ecclesiae Cathedralis in genere, commemoratio inter Suffragia solummodo habenda est per illos, qui sunt de gremio Ecclesiae ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2388].

5786.

S. R. C., *Varsavien.*, 7 maii 1746.

Capitulum insignis Regiae Ecclesiae Varsaviensis apud S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum, nempe:

1. Cum in quibusdam Ecclesiis quaedam Festa simplicia sint perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri possit, quaeritur: Num loci Ordinarius possit assignare aliam diem illis Festis impeditis; et utrum consuetudo antiqua et immemorabilis dicendi Officium de aliquo Sancto sufficiat ad licite continuandum et recitandum dictum Officium?

7. Utrum transeuntes ante expositam Reliquiam SSmae Crucis, debeant genu usque ad terram flectere, vel sufficiat semigenuflexio, uti solet fieri coram Episcopo? et num eadem genuflexio facienda sit ante praedictam Reliquiam SSmae Crucis, quae, licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo Altari; aut etiam quando exposita est sed non apparet, quia pars, quae respicit populum, habet figuram Christi Crucifixi?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem, Negative; quoad secundam vero, Affirmative, dummodo immemorabile respiciat Festum in Romano Martyrologio descriptum; sin minus, Negative ».

Ad 7. « Si loco principe Reliquia SSmae Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent; sola vero capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia ».

Et ita decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2390].

5787.

S. R. C., *Mexicana in Indiis Occidentalibus*, 3 sept. 1746.

Expositum fuit a Patribus Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Mexicanae in Indiis occidentalibus, eorum Congregationem ibi fuisse auctoritate ordinaria erectam, et postea a s. m. Innocentio XII confirmatam cum omnibus et singulis privilegiis ad instar Congregationis S. Mariae in Vallicella de Urbe, ut ex Brevi exhibito sub die 24 decembris 1697. Cum autem in Ecclesia dictorum Patrum plures tumulari iusserint et iubeant, Parochi in associandis ad eamdem Ecclesiam cadaveribus, parentalia et quidquid aliud in exequiis fieri solet, in ea peragere voluerunt; quare ut Patres praedicti pluries a recipiendis defunctis se abstinuerunt et abstinent; et quando ita se expedire non poterant, intrante Parocho eorum Ecclesiam semper protestati fuerunt iurisdictionem ad se, non ad illum spectare. Mox vero, ad evitanda scandala quae ex hoc oriri possunt, demisse penes S. R. C. supplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur: Quibus competat, Parochis ne an Patribus in eorum Ecclesia exequias persolvere?.

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam, non Parochus, sed aliquis Sacerdos eiusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et Stola, vel etiam pluviali nigri coloris, prosequatur Officium a Rituali Romano praescriptum; et sic servandum esse in Ecclesia praedictorum Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii in Civitate Mexicana, sine tamen praeiudicio iurium Parochis competentium, ut possint, si velint, illa experiri in hac S. C. ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2393].

5788.

S. R. C., *Avenionen.*, 16 sept. 1747.

In causa functionum et praeeminentiarum vertente inter Rm̃um Archiepiscopum Avenionen. eiusdem Civitatis ex una, et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Em̃us et Rm̃us D. Cardinalis Tanara Ponens infrascripta dubia coram se concordata decidenda proposuit, nempe:

1. An Archiepiscopo, sive solemniter ac pontificaliter celebranti in die octava Corporis Christi in Ecclesia Collegiata S. Agricolae, sive alia quaelibet Pontificalia exercenti, tum in eadem Ecclesia tum quoque in aliis quibuscumque Civitatis Avenionen., debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis; vel potius a Dignitatibus et Canonicis earumdem Ecclesiarum?

2. An eidem Archiepiscopo liceat sacras generales Ordinationes extra Cathedralem Ecclesiam peragere? et quatenus affirmative,

3. An Dignitates et Canonici eiusdem Cathedralis et Metropolitanae Ecclesiae teneantur, etiam inviti, dicto Archiepiscopo alibi Ordinationes celebranti assistere et deservire?

Et S. R. C., visis iuribus ex parte praefati Capituli Ecclesiae Metropolitanae deductis, nec non scriptis ac voce illius Procuratore audito, ad relationem eiusdem Em̃i Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».
Ad 2. « Negative ».
Ad 3. Provisum in antecedenti ».
Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2397].

5789.

S. R. C., *Iaurinen.*, 20 sept. 1749.

Cum Episcopo Iaurinen. in Hungaria nonnulla occurrerint dubia circa sacros Ritus et Rubricas, apud S. R. C. humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur infrascripta dubia:

1. An Presbyteri ordinandi ab initio vel solum a *Suscipe Sancte Pater etc.* debeant inchoare Missam cum celebrante et ordinante Episcopo?

2. An Presbyteri ordinandi debeant legere Missam stantes vel genuflexi?

3. An Presbyteri ordinandi debeant facere omnes illas actiones quas Episcopus ordinans in Missa facit, scilicet: Cruces manu super Oblata peragere, genuflectere et omnia illa, quae Episcopus agit, agere?

4. Idem quaeritur de Episcopo consecrando.[1]

5. An Episcopi, non habentes facultatem specialem concedendi licentiam celebrandi Missam in Oratoriis privatis et Cappellis pro secularibus et aliis, possint licentiam dictam petentibus concedere?

6. Cum in Rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: Adulti seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui, quaeritur: An sufficiat si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi?

7. An Confirmandus tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo Te signo Crucis etc.*, praeter nomen suum baptismale, possit nomen alius Sancti sibi imponi curare?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Tamburini Ponentis, censuit rescribendum:

Ad 1. « Teneri solum a *Suscipe Sancte Pater* ».
Ad 2. « Negative, ad primam; Affirmative, ad secundam partem ».
Ad 3. « Negative ».
Ad 4. « Servandum esse Pontificale Romanum ».

[1] E. Dub. 5 et 6.

Ad 5. « Negative ».
Ad 6. « Sufficere ».
Ad 7. « Posse ».
Et ita declaravit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2404].

5790.

S. R. C., *Senogallien.*, 29 nov. 1749.

Super iure deferendi Stolam, tam in associatione cadaverum quam in publicis Processionibus, aliisque praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus in Ecclesia Collegiata S. Petri Terrae Corinaldi Dioecesis Senogallien. peragendis, inter Capitulum et Canonicos dictae Ecclesiae Collegiatae atque Iosephum Pandolfi Curatum Mansionarium eiusdem Ecclesiae, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Cavalchini Ponens infrascripta dubia declaranda proposuit, nempe:

1. An in associatione cadaverum, absente Archipresbytero, delatio Stolae competat Archidiacono seu alteri Dignitati aut Canonico Ecclesiae Collegiatae S. Petri Terrae Corinaldi; vel potius Parocho Mansionario seniori?

5. An et cui, absente Archipresbytero, competat benedictio Fontis Baptismalis et administratio Baptismatis in die Sabbati Sancti?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».
Ad 5. « Competere Dignitati seu Canonico celebranti ».
Et ita decrevit ac servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2406].

5791.

S. R. C., *Nullius Sublacen.*, 19 sept. 1750.

Cum Emus et Rmus D. Card. Ioannes Baptista Spinula, Abbas Commendatarius Ecclesiae Sublacen., a S. R. C. expostulaverit: An Clerus universus dictae suae Ecclesiae teneatur quotannis die 4 decembris celebrare diem Festum Dedicationis Ecclesiae Abbatialis S. Scholasticae sub ritu duplici primae classis cum octava?

S. eadem R. C., referente Emo et Rmo D. Cardinali Millino Ponente, respondit: « Teneri universum Clerum ad normam Rubricarum, et quidem sub ritu duplici primae classis, in Civitate cum octava, in Dioecesi vero sine octava; Regulares autem sub ritu duplici secundae classis, sed sine octava ». Atque ita decrevit et servari mandavit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2409].

5792.

S. R. C., *Casalen.*, 3 apr. 1751.

Cum ab antiquo et immemorabili tempore Canonici Ecclesiae Cathedralis diebus Dominicis aliisque Festis infra annum occurrentibus, quando a musicis Vesperae decantantur, consueverint eo tempore in Choro bini et bini Vesperas et Completorium recitare; nunc exortum est dubium: An per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo? Quare pro declaratione Episcopus Casalen. et Canonici praedicti ad S. R. C. recursum habuerunt.

Et S. eadem R. C., iis omnibus mature perpensis quae in hanc rem deducta sunt, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburini Ponentis, rescripsit: « Canonicos non satisfacere obligationi Chori, recitando modo praedicto Completorium, tempore quo a musicis Vesperae decantantur ».
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2412].

5793.

S. R. C., *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae*, 29 ian. 1752.

Cum Fratri Iosepho a B. V. M. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas: apud S. R. C. humillime supplicavit, quatenus ipsa benigne resolvere dignaretur infrascripta dubia:

1. Cum Regulares teneantur recitare Officium de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici secundae classis; utrum tantum intra Civitatem constituti, ubi adest talis Ecclesia Cathedralis, an etiam per totam Dioecesim?

8. Quaenam dicenda sit Missa in die obitus vel depositionis alicuius defuncti Sacerdotis; prima, quae est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.;* an illa, quae est secundo loco posita, quae est in die obitus seu depositionis in communi cum Oratione: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes;* et insuper quaenam dicenda sit Missa in exequiis solemnibus post sepulturam cadaveris?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad 1. « Regulares degentes in Civitate tenentur ad Officium Dedicationis Cathedralis; degentes vero extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem Officii in die festo ».

Ad 8. « Una vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris vel in anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur ».

Et ita declaravit.
[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2417].

5794.

S. R. C., *Novarien.*, 26 aug. 1752.

Ad componenda dissidia orta inter Confraternitatem Sanctissimae Trinitatis et Societatem Augustissimi Corporis Domini Terrae Vespolatis Dioecesis Novarien., occasione Processionum SS͂mi Sacramenti, Em͂us et Rm͂us D. Cardinalis Sacripante Ponens infrascripta dubia a S. R. C. declaranda proposuit, nempe:

1. An, non solum in Corporis Domini solemnitatibus sed etiam in quibuscumque Processionibus in quibus SS͂ma defertur Eucharistia, ius praecedendi sit Societati SS͂mi Corporis Christi?

2. An eidem Societati liceat extra Ecclesiam Processionem ducere, quae intra eam fit singulis tertiis Dominicis cuiuslibet mensis aliisque Festis principalioribus?

Et S. eadem R. C., praevia relatione Rm͂i Episcopi, ac visis iuribus ex parte eiusdem Confraternitatis eiusdem Corporis Domini deductis, illiusque procuratore scriptis et voce informante audito, inhaerendo aliis Decretis in similibus emanatis, [1] ad relationem praefati Em͂i Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « In quibuscumque Processionibus in quibus defertur SS. Eucharistia, praecedentiam deberi Confraternitati SS. Sacramenti ».

Ad 2. « Arbitrio Episcopi ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S R. C. Decreta Authentica, n. 2423].

5795.

S. R. C., *Conimbricen.*, 14 apr. 1753.

Cum Rm͂us Episcopus Conimbricen. apud S. R. C. exposuerit plures in sua Cathedrali vigere usus contra praescriptum Sacrarum Rubricarum et Caeremonialis Episcoporum, pro quorum observantia Capitulum, Dignitates et Canonici dictae Cathedralis antiquam consuetudinem adducebant; cumque ad S. C. suam relationem ipse transmiserit; Em͂us et Rm͂us D. Card. Tamburinus S. R. C. Praefectus et Causae Ponens infrascripta dubia coram se inter partes concordata proposuit:

1. An, attentis circumstantiis, toleranda sit asserta consuetudo cantandi unicam Missam, aliamque legendi iis diebus quibus a Rubrica duae praecipiuntur Missae?

2. An in Missa Conventuali cani semper debeant *Gloria*, *Credo*, totum Graduale, Offertorium, Praefatio et *Pater Noster?*

Et S. R. C., re mature discussa, perpensisque tam Rm͂i Episcopi quam

[1] Cf. N. 5238, 5378, 5482, 5664, 5697.

Capituli et Canonicorum iuribus per eorum Procuratores voce et scripto expositis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, reservato iure probandi antiquam consuetudinem; et amplius ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2424].

5796.

S. R. C., *Casalen.*, 15 sept. 1753.

Ortis nonnullis controversiis inter Rm͂um Episcopum Casalen. eiusque Promotorem Fiscalem atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis circa observantiam Caeremonialis et Ritualis Romani, iisque ad S. R. C. iudicium delatis; concordata fuerunt, coram Em͂o et Rm͂o Domino Cardinali Tamburino eiusdem S. C. Praefecto et Causae Ponente, sequentia dubia, videlicet:

1. An et quando prima Dignitas seu dignior ex Canonicis teneantur sustinere librum Episcopo cantanti in Missis et Vesperis pontificalibus; vel potius sit servanda asserta consuetudo?

2. An eadem prima Dignitas seu dignior ex Canonicis teneatur assistentiam praestare Episcopo in omnibus pontificalibus functionibus?

9. An pectorale seu formale sit ornamentum adhibendum privative ab Episcopo; vel illo uti possint prima aliaeque Dignitates et Canonici solemniter celebrantes, iuxta assertam consuetudinem dictae Ecclesiae?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Em͂i et Rm͂i Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem et ad formam Caeremonialis Episcoporum; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 9. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2425].

5797.

S. R. C., *Wilnen.*, 22 dec. 1753.

Porrectis per Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Wilnen. in Lithuania penes S. R. C. humillimis precibus pro declaratione sequentium dubiorum, nempe:

7. An, quando iuxta Rubricas Missalis in Feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, Rogationum ac Vigiliarum praescribuntur duae Missae canta-

tae in Cathedralibus et Collegiatis, una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam; tunc in dicta Cathedrali Wilnen. propter insufficientiam temporis, ratione multarum votivarum cantantarum ex fundatione, possit una ex his duabus substitui lecta pro cantata, et quae; potius nempe de Festo post Tertiam, an post Nonam de Feria?

9. An in Dominicis infra octavam, sive privilegiatam sive non privilegiatam, praeter Missam Conventualem, quae cantatur de Dominica per Hebdomadarium, debeat etiam alia Missa cantari de die infra octavam? Item an in Dominicis per annum, in quibus fit de aliquo Festo cum commemoratione Dominicae, praeter Missam Conventualem de Festo celebrandam per Hebdomadarium, debeat etiam alia Missa cantari de Dominica per Vicarios eiusdem Cathedralis?

10. An quando absolvitur Missa lecta coram SS. Sacramento exposito, attamen velato, aut coram SSm̃o Sacramento in Pyxide exposito; debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur coram SSm̃o Sacramento publice exposito, et non velato?

Et S. R. C., habita prius Rm̃i Episcopi informatione, auditoque super praefatis dubiis voto unius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Cardinalis Tanari Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 7. « Non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis ».

Ad 9. « Negative, scilicet in Dominicis infra octavas vel aliis a Festo duplici impeditis unicam tantummodo cantandam esse Missam: in Dominicis quidem infra octavas, Missam de Dominica cum commemoratione octavae; in aliis vero Dominicis non privilegiatis et in quibus fit de occurrenti Festo duplici, Missam de Festo cum commemoratione Dominicae et eiusdem Evangelio in fine ».

Ad 10. « Affirmative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2427].

5798.

S. R. C., *Lucana*, 12 apr. 1755.

Cum Rm̃o Episcopo Lucano nonnulla occurrerint dubia circa sacros Ritus, humillime apud S. R. C. supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur:

1. An ferenda sit immemorabilis vel certe antiqua consuetudo Parochorum benedicentium sacrum Fontem de mane, aut in Vesperis dierum Festorum, iuxta praescriptum Ritualis Romani; ubi agitur de benedictione Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur?

2. An Parochis, quibus in die Sabbati Sancti imminet onus adeundi Ecclesiam Matricem, ut functioni Fontis intersint et aquam benedictam atque Olea sacra recipiant, possint aut teneantur idem onus in alium Sacerdotem ab iis deputandum aut delegandum remittere; adeo ut qui habent

Fontem Baptismalem illum benedicant, aut saltem Sacrum faciant pro commoditate et devotione suorum parochianorum; et in casu, cum quo numero ministrorum?

3. An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice benedicta; cui privatim et separatim, non in ipso actu benedictionis Baptismalis, infusa fuerint Olea sacra?

4. An Parochi (in alienas Ecclesias convenientes aut non convenientes) possint, attenta consuetudine immemorabili aut saltem antiqua, Sacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu aut sine cantu in propria Ecclesia, praetermissis benedictionibus Ignis, Cerei, Prophetiis aliisque ritibus ipsa die praescriptis; vel non obstante eadem consuetudine, idem Sacrum omittere teneantur? Et quatenus negative quoad secundam partem, sub qua poena statuenda contra Parochos aliosque Sacerdotes transgressores?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Tamburini S. R. C. Praefecti et Causae Ponentis, censuit rescribendum:

Ad 1. « Parochos habentes facultatem benedicendi Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Paschatis aut Pentecostes dumtaxat, et non aliis diebus, illum de mane benedicere debere; qui vero hanc facultatem non habent, ab eius benedictione se abstinere teneri ».

Ad 2. « Parochis licere alium Sacerdotem delegare qui benedictioni Fontis Baptismalis in Ecclesia Matrice pro iis assistat; vel etiam die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Missae celebrationem in propria Ecclesia committere. Qui vero facultatem obtinent Fontem benedicendi quatuor saltem Clericos in ministerio habebunt ».

Ad 3. « Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea iam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem Olea sacra recipere non poterunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt ».

Ad 4. « Missae in Sabbato Sancto celebrandae Ignis ac Cerei benedictio praecedere, et ante Missam Prophetiae omitti non debent; Archiepiscopus autem Parochos ad Ignis et Cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2436].

5799.

S. R. C., *S. Severi*, 13 maii, 18 dec. 1756.

Exortis inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis S. Severi ex una, atque Archipresbyteros et alios de Clero Ecclesiarum parochialium Sanctorum Severini, Nicolai et Ioannis Baptistae dictae Civitatis ex altera partibus, controversiis, super Processionibus, funeribus aliisque praeeminentiis in functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Em̃o et Rm̃o D. Card. S. Caesarei Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An in Processionibus Rogationum, quibus intersunt Capitulum Cathedralis, nec non Archipresbyteri et alii de Clero Ecclesiarum parochialium Sanctorum Severini, Nicolai et Ioannis Baptistae, usus pluvialis aliorumque sacrorum indumentorum, et praecedentia respective, pertineant ad Capitulum Cathedralis; vel potius ad Archipresbyteros dictarum Ecclesiarum parochialium, et ad ceteros qui illis assistunt respective?

7. An ad Archipresbyterum, secundam Dignitatem, Curatum Ecclesiae Cathedralis spectet administrare Viaticum et Extremam Unctionem Dignitatibus et Canonicis atque Abbatibus Beneficiatis Capituli domicilium habentibus in Parochiis dictarum Ecclesiarum; vel potius pertineat ad Parochum domicilii?

11. An decedente aliquo ex Capitulo Cathedralis intra fines dictarum Ecclesiarum parochialium tumulandus sit in eadem Ecclesia parochiali, ubi decedit, solutis iuribus parochialibus Parocho domicilii; vel potius tumulandus sit in Ecclesia Cathedrali, absque ullo onere dictae praetensae solutionis?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 11. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam, solutis iuribus parochialibus Parocho domicilii ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 13 maii 1756.

Adversus tamen istam resolutionem ex parte Archipresbyterorum et Cleri Ecclesiarum parochialium dictae Civitatis, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore, reproposita per eumdem Emum et Rmum D. Card. S. Caesarei Ponentem huiusmodi controversia super praefatis dubiis; S. R. C., scripto et voce utraque parte hinc inde informante audita et ex noviter deductis, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 18 decembris 1756.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2441].

5800.

S. R. C., *Brixinen.*, 7 iul. 1759.

Cum in nova constructione Ecclesiae Cathedralis Brixinen. Imagines et Tituli Altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium, non amota tamen a primaevo loco mensa iam consecrata, quaesitum fuit a Capitulo et Canonicis illius Ecclesiae: An Altaria, a quibus alio translati fuerint Tituli et Imagines, remanente tamen mensa consecrata, nova indigerent consecratione?

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, respondit: « Eadem Altaria non indigere nova consecratione, cum Altaria non Sanctis sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur ».

Et ita declaravit atque decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2450].

5801.

S. R. C., *Calaguritana et Calceaten.*, 17 maii 1760.

Indulta a S. R. C. Rmo Episcopo Calaguritano et Calceaten. facultate subdelegandi eius Vicarios Generales, Dignitates, Canonicos, Parochos aliosque Sacerdotes pro benedictione sacrae supellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur; dubitatum fuit ab eodem Rmo Episcopo: An illi, quibus dicta facultas delegata fuit, benedicere possent imagines Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis aliorumque Sanctorum, Tabernaculum in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, Pyxidem et generaliter omne illud in quo sacra unctio non adhibetur? Propterea idem Rmus Episcopus iterum S. R. C. rogavit, quatenus, ad omnem scrupulum amovendum, declarare dignaretur:

An in indulto iam sibi concesso comprehenderetur facultas subdelegandi ad sacrarum Imaginum, aliarumque praedictarum rerum benedictionem? Sin minus, nova facultas ad hunc effectum sibi necessaria concederetur.

Et S. R. C., ad relationem Secretarii, eidem Rmo Episcopo: « Per viam novae declarationis indulsit eamdem facultatem subdelegandi ad benedictionem omnium quorumcumque ad divinum cultum spectantium, in quibus sacra unctio non adhibetur ». Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2457].

5802.

S. R. C., *Venusina*, 9 aug. 1760.

Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Civitatis Venusinae a S. R. C. sequens dubium supplicarunt declarari, videlicet:

An Missa Conventualis, attenta immemorabili consuetudine, cani possit post Nonam, non obstantibus Rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus?

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Negative; et quoad horas celebrandi Missas Conventuales de Sanctis et de Feria, servandas esse Rubricas Missalis ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2459].

5803.

S. R. C., *Aquen.*, 3 mart. 1761.

Propositis per Archiepiscopum Aquensem in S. R. C. nonnullis dubiis circa Rubricas; scilicet:

1. Si mulier sit vidua et iam benedictionem acceperit debetne omitti Missa pro Sponso et Sponsa, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post Orationem Dominicam et *Benedicamus Domino*?

7. Tandem, dicendo Missam privatam de die occurrente, satisfitne cuilibet obligationi Missae sive fundatae, sive a fidelibus petitae, oblato manuali stipendio, sive ipsa pro defunctis, sive in honorem alicuius Sancti petita fuerit, modo Sacerdos non expresse promiserit se illam de tali Sancto aut in paramentis nigris celebraturum? Id quidem ab Alexandro VII definitum fuit pro diebus duplicibus; [1] at in diebus semiduplicibus et feriatis estne licitum et satisfitne debito? Suffragatur persuasio et praxis nonnullorum Sacerdotum; et nisi hoc liceret, vix unquam Missa conveniret cum Officio in praedictis diebus non duplicibus: quae enim postulantur a privatis fidelibus, plerumque petuntur pro defunctis aut in honorem alicuius Sancti. Praeterea sic citius defunctis subvenitur, idque videtur exigere commoditas et securitas Sacerdotis. In re tanti momenti et quotidianae occurrentiae, quaeritur quid praestandum sit?

S. R. C., auditis scripto et voce suffragiis duorum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac re diligenter perpensa, respondendum censuit:

Ad 1. « Si mulier est vidua, ut in casu, non solum debet omitti benedictio Nuptiarum, sed etiam Missa propria pro Sponso et Sponsa ».

Ad 7. « Diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri ».

Et ita statuit atque decrevit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2461].

5804.

S. R. C., *Veneta*, 20 mart. 1762.

Quoad indultum celebrare faciendi in Ecclesia parochiali S. Margaritae Venetiarum Feria V in Coena Domini plures Missas lectas ante conventualem etc. S. R. C. respondit: « Servetur Ritus Ecclesiae universalis ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2465].

5805.

S. R. C., *Firmana*, 7 maii 1763.

Ad dirimendas nonnullas controversias exortas inter Sacerdotes Iulium, aliosque Fratres de Tosinis Oppidi Petritoli Dioecesis Firmanae ex una, atque Parochos dicti Oppidi ex altera partibus, super associatione cadaverum ad Ecclesiam Regularium, nec non super emolumentis Parochis debitis, et nunc ad S. R. C. iudicium delatas; Emus et Rmus Dominus Cardinalis

[1] Cf. N. 5534, 5561.

Caprara Ponens infrascripta dubia, coram se concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An Parochi teneantur associare cadavera tumulanda in Ecclesia Regularium usque ad Crucem; vel potius usque ad ianuam Ecclesiae, ibique dare ultimum vale? et quatenus affirmative ad secundam partem,

2. An Regulares, quatenus ad associationem non fuerint invitati, teneantur expectare et recipere cadavera in ianua eorum Ecclesiae?

3. An liceat haeredibus defunctorum asportare cadavera e propriis domibus ad Ecclesiam parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad Ecclesiam Regularium, et Parochi teneantur recipere? et quatenus affirmative,

4. An et quale emolumentum debeatur Parochis ratione eiusdem depositi?

5. An Parochis ceterisque Ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regularium liceat exigere pro dicta associatione maiorem eleemosynam et emolumentum; vel potius solitum, occasione associationis faciendae ad Ecclesiam?

6. An ceteri Ecclesiastici et Confratres associantes cadavera, teneantur introire Ecclesiam Regularium, ibique solitas sacras preces una cum Regularibus canere et totum Officium absolvere?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative, in omnibus; petita tamen, quamvis non obtenta, licentia Parochi ».

Ad 4. « Deberi Parocho intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit ».

Ad 5. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 6. « In casu, de quo agitur, serventur Constitutiones synodales ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2470].

5806.

S. R. C., *Dertusen.*, 6 aug. 1763.

Postquam Rmus Episcopus Dertusensis penes S. R. C. exposuit plures in sua Cathedrali reperiri abusus, quos Capitulum, Dignitates et Canonici servare contendebant contra praescriptum et dispositionem Caeremonialis Episcoporum et Decretorum huius S. C.; idem Episcopus, parens mandatis eiusdem S. C. per literas particulares sibi commissis sub die 11 septembris 1761, praefixo termino omnibus interesse habentibus ad comparendum coram eadem S. C. et deducendum iura sua, propriam relationem transmisit. Deinde Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ferroni Praefectus et Causae

Ponens infrascripta dubia, coram se inter partes concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An Dignitates omnes et Canonici (exceptis Canonicis Celebrante, Diacono et Subdiacono) teneantur associare Episcopum cappa indutum ad Ecclesiam dum pedester accedit divinis Officiis interfuturus, a suo cubiculo ad Sedem usque episcopalem in Choro; eumque, omnibus Horis Canonicis absolutis vel nulla incepta, recedentem illuc reducere?

10. An et quot Dignitates atque Canonici debeant Episcopo assistere, cum Missam pontificalem celebrat vel alia Officia pontificalia exercet in aliqua Ecclesia parochiali vel conventuali Civitatis?

11. An et quot Dignitates atque Canonici debeant Episcopo assistere, quando hic publice divinis Officiis interest in aliqua Ecclesia parochiali vel conventuali Civitatis? [1]

Et S. eadem R. C., re mature discussa, perpensisque tam Rm̃i Episcopi quam Capituli, Dignitatum et Canonicorum iuribus, per eorum procuratores voce et scripto expositis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad utramque partem ».

Ad 10. et 11. « Affirmative, ad utrumque dubium; ita tamen, quoad numerum, ut Ecclesia Cathedralis debito non fraudetur Officio ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2471].

5807.

S. R. C., *Wratislavien.*, 13 aug. 1763.

Relatis ab Em̃o et Rm̃o D. Card. Ferroni Ponente in S. R. C. infrascriptis dubiis ab Episcopo Suffraganeo atque Praeposito Ecclesiae Cathedralis Wratislavien. propositis, videlicet:

1. An Episcopo Suffraganeo Wratislaviensi in omnibus et singulis functionibus atque actibus, tam intra quam extra Ecclesiam Cathedralem peragendis, competat praecedentia supra Praepositum eiusdem Ecclesiae?

2. An eidem Episcopo Suffraganeo, etiam in Dignitate Cathedrali non constituto, competat incensatio terno ductu?

S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, approbante Benedicto Papa XIV, respondit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta decretum in *Leodien.*, sub die 1 decembris 1657 ». [2]

Ad 2. « Deberi Episcopo Suffraganeo incensationem terno ductu, absente Episcopo ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 10 decembris 1757.

Postea, die 13 Augusti 1763, ad preces Rm̃i Episcopi Tiberiadis, Suffraganei dictae Civitatis, relatas SSm̃o Domino Nostro Clementi Papae XIII per me infrascriptum Secretarium: « Sanctitas Sua mandavit publicari praedictum Decretum ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2447].

[1] E. Dub. 12.
[2] Cf. N. 5497.

5808.

S. R. C., *Fesulana*, 11 febr. 1764.

Cum Rm̃o Episcopo Fesulano nonnulla occurrerunt dubia circa Missam celebrandam ab Episcopo Ordinationem habente diebus a iure praestitutis, ex parte eiusdem Rm̃i Episcopi apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus ea benigne declarare dignaretur sequentia dubia, videlicet:

1. An Decretum editum a S. R. C. sub die 21 martii 1744 in *Bergomen.*, ad 2, [1] in quo statuitur ab Episcopo Ordinationem habente diebus a iure praestitutis celebrandam esse Missam de Feria, valeat et intelligi debeat, etiamsi Missa privatim et sine cantu ab Episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur?

2. An ubi viget consuetudo celebrandi Missam de Sancto occurrente, non autem de Feria, dum Episcopus praedictis diebus privatim sacras habet Ordinationes, quae ratione dierum a iure praescriptorum generales vocantur, consuetudo illa toleranda sit; vel potius abolenda?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Colunnae Almae Urbis Vicarii Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2473].

5809.

S. R. C., *Veneta*, 7 iul. 1766.

Quoad continuationem celebrationis Missarum in Altari nobilis Familiae Renier in Ecclesia S. Mariae de Horto nuncupatae, sub quo humata repeririuntur cadavera suorum maiorum etc. « SSm̃us, confirmando Decreto Congregationis Sacrorum Rituum de non celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio in Altari sub quo sepulta existunt cadavera defunctorum, [2] mandavit Missas non esse celebrandas in Altari, de quo in precibus, donec sint sub eo eiusque *predella* cadavera, quae exhumari debebunt iuxta mentem Decreti, quod alias ad similes preces edidit Pontifex Benedictus XIV: his oretenus explicatis R. P. D. Secretario eiusdem Congregationis, concessit ut interim, si Missae ex aliqua obligatione in eodem celebrari deberent, celebrentur in alio Altari ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2479].

[1] Cf. N. 5782.
[2] Cf. N. 5316, 5491, 5556, 5745.

5810.

S. R. C., *Thermularum*, 21 iun., 12 iul. 1766.

Exortis nonnullis controversiis inter Rm̃um Episcopum Thermularum, eiusque Promotorem Fiscalem ex una, atque Antonium de Antonolo Canonicum Poenitentiarium et Carolum Crisma pariter Canonicum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ex altera partibus, super assistentia praestanda Episcopo solemniter celebranti, iisque ad S. R. Congregationis iudicium delatis, concordata fuerunt, coram Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Albani Episcopo Sabinen. Ponente, sequentia dubia, nempe:

1. An et qui ex Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Thermularum teneantur in officio Diaconorum assistentiam praestare Episcopo solemniter celebranti seu Divinis cum cappa interessenti?

2. An et quando Canonicus Poenitentiarius eiusdem Ecclesiae sit immunis a praestanda dicta assistentia Episcopo?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Em̃i Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Assistentiam spectare ad Diaconos; iuxta Caeremoniale ».
Ad 2. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 21 iunii 1766.

Adversus istam resolutionem ex parte Rev. Episcopi, sive eius Promotoris Fiscalis, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore reproposita per eumdem Em̃um Dominum Cardinalem Ponentem huiusmodi controversia super novo dubio, videlicet: An sit standum, vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., scripto pariter et voce utraque parte hinc inde informante iterum audita, respondit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 iulii 1766.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2481].

5811.

S. R. C., *Dertusen.*, 12 sept. 1769.

Ex parte Capituli, Canonicorum universique Cleri, Senatus et populi Civitatis Dertusen. apud S. R. C. expositum fuit, quod cum flumen Iber Dertusam praeterfluens nimis intumescit, et omnis generis fructibus et bonis detrimenta minitatur, ab immemorabili tempore per ipsos servatum fuisse morem ad praedicti fluminis ripam processionaliter accedere, afferendo Reliquiam S. Candidae eiusdem Civitatis Patronae argenteae urnae ipsius S. Imaginem referenti inclusam, eamque, universo spectante populo, in Iberi fluminis aquam intingere, hac spe ut Deus Opt. Max. Sanctae Candidae intercessione intumescens flumen intra ripam cohibere dignaretur. At vero cum hisce novissimis temporibus graviter dubitatum fuerit: An legitimus sit et decens praenarrati ritus et caeremoniae usus, vel potius indecens et superstitiosus, eo magis quia synodali Constitutione huiusmodi ritus omnino prohibeantur: eapropter huic S. R. C. universus Clerus et populus Dertusensis humillime supplicavit, ut declarare dignaretur: Utrum praefatus ritus hactenus servatus ab iisdem in supplicationibus fieri solitis ad arcendas Iberi fluminis irruptiones, in posterum uti licitus et ab omni superstitione vacuus retineri possit; an vero tamquam irrationabilis, indecens et superstitioni proximus aboleri penitus debeat?

Et S. R. C., iis omnibus quae super expositis perpendenda erant mature perpensis, ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Albani Episcopi Sabinen. Ponentis, rescribendum censuit: « Servetur Constitutio synodalis ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2486].

5812.

S. R. C., *Paderbornen.*, 7 apr., 22 dec. 1770.

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Paderbornensis, Capitulum Ecclesiae Cathedralis et Clerum eiusdem Civitatis ex una, atque P. Abbatem et Monachos S. Benedicti Monasterii de Abdingoff ex altera partibus, super iure praecedendi in publicis Processionibus; illis modo ad S. R. C. delatis, Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Andreas Corsini Ponens infrascripta dubia, inter partes concordata, decidenda proposuit:

1. An Abbati et Monachis Monasterii Abdingoffensis debeatur futuris temporibus praecedentia in Processione S. Liborii supra Capitulum Ecclesiae Cathedralis et universum Clerum Secularem Paderbornensem, tam praesente quam absente Episcopo?

2. An Abbas et Monachi praedicti intervenire debeant aliis publicis Processionibus tam ordinariis quam extraordinariis? et quatenus affirmative,

3. An etiam in dictis Processionibus debeatur Abbati et Monachis praecedentia supra Capitulum Cathedralis Ecclesiae et universum Clerum Secularem, tam praesente quam absente Episcopo?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante prius audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».
Ad 2. « Affirmative ».
Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 7 aprilis 1770.

Adversus tamen istam resolutionem ex parte P. Abbatis et Monachorum dicti Monasterii, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore reproposita per eumdem Em̃um et Rm̃um Dominum Cardinalem Ponentem huiusmodi controversia super novo dubio, videlicet: An sit standum, vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., scripto pariter et voce utraque parte hinc inde informante iterum audita, et ex noviter deductis, rescripsit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 22 decembris 1770.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2490].

5813.

S. R. C., *Conchen.*, 22 dec. 1770.

Licet alias a S. R. C. declaratum fuerit, et signanter sub die 27 septembris 1608, omnes de Clero etiam Canonicos Eucharistiam sumere debere de manu Celebrantis Feria V in Coena Domini; tamen modernus Episcopus Conchensis certior factus, quod in Ecclesiis suae Dioecesis haec dispositio de Communione sumenda Feria V in Coena Domini non observabatur, quodque privatae etiam Missae ea die celebrabantur; praecepit omni Clero sui Episcopatus, ut in posterum tam sanctas leges et mandata adimplerent. Verum, quamvis dispositum fuerit a Capitulo, ut in Ecclesia Cathedrali Missae privatae eo die non celebrarentur, quod quidem anno praeterito fuit observatum, respectu tamen Communionis in Missa Conventuali faciendae, varia fuit capitularium opinio; putantes enim nonnulli hoc esse mandatum novum eiusdem Episcopi, huic acquiescere minime voluerunt. Itaque ad maiorem tam Episcopi quam totius Capituli Ecclesiae Cathedralis securitatem apud S. R. C. supplicatum fuit, ut declarare dignaretur: An Dignitates, Canonici, Portionarii ceterique Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Conchensis teneantur Sacram Eucharistiam accipere de manu Celebrantis in Missa Conventuali Feriae V in Coena Domini, sicuti faciunt ceteri de Clero in suis Parochiis, quin in posterum liceat privata Missae Sacrificia celebrare?

Et S. R. C. rescribendum censuit: « Servetur Decretum iam emanatum in una *Civitaten.*, sub die 27 septembris 1608 ». [1] Et ita in Ecclesia Conchensi servandum esse mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2489].

5814.

S. R. C., *Urbis seu Minorum Observantiae S. Francisci*, 28 mart. 1775.

Cum Patri Vicario Chori Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Conventus Aracoelitani Urbis nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas super Officiorum et Missarum celebratione, apud S. R. C. humillime ipse supplicavit, quatenus ea benigne declarare dignaretur:

5. An, attentis Apostolicis et S. R. C. Decretis, [2] liceat Sacerdoti celebrare Missam privatam Feria V in Coena Domini, sive etiam solemnem in illa Ecclesia ubi non reponitur nec asservatur SSmum Sacramentum in aliquo Altari vel alio loco decenti, vulgo dicto *il Sepolcro?*

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Torregiani Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 5. « Non licere, et Sacerdos se abstineat ».

Et ita decrevit et servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2503].

[1] Cf. N. 5243.
[2] Cf. N. 5804.

5815.

S. R. C., *Ordinis Minorum Observantium S. Francisci*, 25 febr. 1777.

Porrecto penes S. R. C., nomine Fr. Augustini Motuski Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Provinciae Minoris Poloniae Ministri Provincialis, supplici libello pro resolutione sequentis dubii, nempe:

An Diaconus, in Ordine tantum Diaconatus constitutus, extra casum necessitatis possit distribuere fidelibus Communionem?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris super dicto dubio ab eodem exarato, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Marefuschi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2504].

5816.

S. R. C., *Bononien.*, 23 maii 1778.

Exortis controversiis super praecedentia in Processione SS. Corporis Christi, quae fieri solet in Civitate Bononiae infra octavam eiusdem, inter Clerum Secularem dictae Civitatis ex una, et Monachos Cassinenses S. Proculi praedictae Civitatis ex altera partibus, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Archintus Ponens infrascriptum dubium decidendum proposuit: An, et cui competat praecedentia in casu?

Et S. R. C., habita prius Emi et Rmi Domini Cardinalis Archiepiscopi informatione, auditoque Cleri Secularis Procuratore, eiusque iuribus scripto et voce tantum visis, cum pars altera non comparuerit, ad relationem praefati Eminentissimi Ponentis, rescribendum censuit: « Praecedentiam competere Clero Seculari ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2511].

5817.

S. R. C., *Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis*, 22 apr. 1780.

Porrecto penes S. R. C., nomine hodierni P. Generalis Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis, supplici libello, quaeritur resolutio sequentis dubii:

An Ecclesiarum praefatae Congregationis certo non consecratarum, vel de quarum Consecratione dubitatur, Officium Dedicationis earum, ab immemorabili recitari et celebrari consuetum, continuari possit? et quatenus negative, supplicatur pro gratia; ne fiat notabilis alteratio in celebratione divinorum Officiorum.

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit: « Quoad Ecclesias certo non consecratas, Negative; et ad mentem »; mens autem est: « ut, quatenus constet de Consecratione Ecclesiae Monasterii primarii Congregationis Vallisoletanae, Officium de illius Dedicatione recitari possit in aliis Ecclesiis eiusdem Congregationis quae non habent seu habere nequeunt diem assignatam pro Officio propriae Dedicationis; quoad Ecclesias vero de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine, nihil innovandum ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2516].

5818.

S. R. C., *Mechlinien.*, 29 iul. 1780.

Cum Emo et Rmo Dom. Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi nonnulla occurrerint dubia circa sacros ritus servandos in Consecrationibus Ecclesiarum, enixe S. R. C. rogavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur; videlicet:

1. An ieiunium in Pontificali Romano praescriptum iis a quibus consecratur Ecclesia, sit strictae obligationis; vel potius tantum de consilio?

2. An sit locale tantum, an personale; vel potius locale et personale simul?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinti Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Ieiunium in Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque ieiunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam Rubricae Pontificalis ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2519].

5819.

S. R. C., *Aretina*, 18 sept. 1781.

Porrecto in S. R. C., nomine Archipresbyteri Ecclesiae Collegiatae loci Traiani Dioecesis Aretinae, supplici libello pro resolutione sequentium dubiorum:

1. An in nocte Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi liceat cuicumque Sacerdoti ante auroram celebrare Missam privatam, absque indulto Sedis Apostolicae? et quatenus negative,

2. An contraria praxis ubi introduci vellet, vel iam esset introducta, declaranda sit abusus, et directe opposita legibus Ecclesiae; ita ut per Episcopum sit abscindenda?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Vicecomitis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Contrariam consuetudinem declarandam esse abusum et Episcopus curet ut abscindatur ».

Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2520].

5820.

S. R. C., *Lusitana*, 20 dec. 1783.

Ex parte Antonii de Padua Correa Canonici Canonicorum Secularium S. Ioannis Evangelistae in Lusitania apud S. R. C. supplicatum fuit pro declaratione sequentium dubiorum:

1. Num in Ecclesiis Choro adstrictis, diebus illis in quibus Officium aut Nocturnum defunctorum recitatur in Festo duplici maiori vel minori vel semiduplici, praeter Missam de Requiem, debeat necne Missa alia celebrari de Officio illius diei?

4. An feria V in coena Domini, dum solemnis Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo, ratione solemnitatis diei; vel potius violaceo propter Passionis tempus?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Vicecomitis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; quia Missa Conventualis de Officio currenti omitti non potest ».

Ad 4. « Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur; violacei vero Crucis Processionis et Altaris lotionis ».

Et ita decrevit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2524].

5821.

S. R. C., *Setina*, 30 apr. 1785.

Inter Franciscum Cima Canonicum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Setinae anteriorem in possessione Canonicatus, et Angelum Tirletti eiusdem Ecclesiae Cathedralis Canonicum anteriorem in Ordine Sacerdotali, posteriorem vero in possessione Canonicatus, orta controversia super iure praecedendi in Choro, aliisque functionibus ecclesiasticis, illaque ad Sac. Rit. Congregationem delata; infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo Domino Cardinali Archinto Praefecto et Ponente concordatum, propositum fuit, nempe:

An Canonicus Tirletti, in assumptione Canonicatus posterior, in Presbyteratus vero Ordine anterior, locum digniorem cedere debeat Canonico Cima antea inter Canonicos cooptato, licet in Ordine Presbyteratus posteriori?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante, expensisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinti Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2527].

5822.

S. R. C., *Firmana*, 11 sept. 1790.

Proposito dubio pro Priore Conventus S. Augustini Terrae Montis Georgii Dioecesis Firmanae: An benedictio Papalis impertiri possit bis in die?

S. R. C. Respondit: « Negative ».

[S. R. C. Decreta Authentica, n. 2541].